Eduard Fraenkel

FERDINANDI HANDII

TVRSELLINVS

SEV

DE PARTICVLIS LATINIS COMMENTARII.

VOLVMEN SECVNDVM.

LIPSIAE
IN LIBRARIA WEIDMANNIA
1832.

BA.

Asper Iunior in Art. gram. p. 1736. interiectiones irridentis nominat BA et BO. Illud esse potest graecum *βᾶ*, de quo vide Stephani Thes. T. 1. p. 632. At sunt haec vocabula, quae animi sensum exprimunt, omnibus linguis communia. Exemplum grammatici afferunt Plauti Asin. 1, 1, 23. DE. *Modo pol percepi, Libane, quid istuc sit loci, ubi fit polenta, te fortasse dicere.* LI. *Ba! neque hercle ego istuc dico, nec dictum volo.* Sed codices et antiquae edd. exhibent *ah*, *ha*, *ahe*, *at*, *atat*. Verum equidem puto primum illud *ah*, quod et negationem auget, (vid. Tom. 1. p. 217.) et abominatur rem odiosam: quamquam non ineptum videtur esse *at*, quod Bothius recepit. Seyfertus in Gramm. T. 2. p. 298. *ba*, unde *balatus* et *balo* descendat, esse ait ab ovium balatu desumptum, idque significare stupidum hominem. Quis ita loquutus sit, non addit, nec potuit addere.

BABAE.

Graecum *βαβαὶ* Stephanus in Thesauri Tom. 1. p. 632. appellat vocabulum inarticulate loquentium. Neque vero alium usum observavit, quam quo admiratio exprimeretur. Sed apud Aristophanem Lysist. 1078. designatur horror tristissimae rei. Latinum verbum significat laetum sensum. Conf. Lambin. ad Plaut. Pseud. 1, 3, 131. Bothius ad Plaut. Cas. 728. distinguit *babae*, quod sit admirantis et approbantis, et *papae*, quod sit vocabulum merae admirationis, allato Prisciani testimonio p. 1024.: tamen addit, haec misceri, sicut facile approbationem inveniant, quae admiremur. Quae distinctio falsa est. Neque enim Priscianus eam confirmat, neque in ullo scriptorum loco illa approbationis notio apparet. Ita Plaut. Pers. 5, 2, 25. Pseud. 1, 3, 131. Terent. Eun. 2, 2, 48. 3, 1, 26. in quibus sufficit admiratio rei magnae et mirificae. In Plauti Stich. 5, 7, 3.

babae hilaritatis est exclamatio, ut 3, 1, 24. *papae*. Nihil igitur differunt hae voces, nisi scriptura admodum dubia, sicuti Lucianus verbis παπαὶ παπαιάξ expressit Aristophanis βαβαὶ βαβαιάξ. Nec minus in Stichi locis unam scripturam admiserim, quam in Casina, ubi codices praebent *papae*. Hoc legitur in Plaut. Cas. 5, 2, 26. Epid. 1, 1, 52. Bacch. 2, 2, 29. Rud. 5, 2, 33. Truc. 2, 6, 26. nec tantum de laeta re, sed etiam in magnae rei admiratione. Men. 5, 5, 20. *papae, audin' tu, ut deliramenta loquitur*. Apud Terentium occurrit non nisi in Eunucho, 2, 1, 23. 2, 2, 48. 2, 3, 25. 3, 1, 26. Petronius 37. *familia vero, babae! babae! non me Hercules puto decumam partem esse, quae dominum suum novit.*

Seyfertus in Gramm. T. 2. p. 299. huic particulae tribuit admirationem cum despectu coniunctam, nullo argumento. Idem quod addit, *papae* apud veteres scriptores primam syllabam habere brevem, apud recentiores longam, ideoque etiam in *babae* ancipitem esse vocalem, non probavit exemplis.

BAT.

Plautus Pseud. 1, 3, 5. PS. *Mittam hodie huic suo die natali malam rem magnam et maturam.* CA. *Quid opus est?* PS. *Potin aliam rem ut cures?* CA. *At.* PS. *Bat.* CA. *Crucior.* PS. *Cor dura.* In his *bat* non integrum verbum esse videtur, sed ridicula conversio antecedentis *at*. Tamen Charisius p. 213. *Bat. sonus ex ore cornicinis lituum eximentis, ut Caesellius Vindex lib. B litterae scribit. Vtitur Plaut. in Pseud.* Haec Bothius confert cum fragmenti verbis, quae apud Charisium p. 216. leguntur. *Butu batta. haec Plautus pro nihilo et pro nugis posuit, ut in glossis veterum: bat tat ti, fluctus quidam et sonus vocis effoeminatior, ut esse in sacris anagmenorum vocum veterum interpres scribit.* Ita interpungendum est: sed quae sint sacra anagmenorum, non liquet. Meursii admonitione utor, quum corrigo *in sacris anaxamentis deorum*. nam glossae habent: *anaxant*, ὀνομάζουσι, et verba *in universos homines* apud Festum in v. *axamenta* corrupta sunt. Festus etiam: *buttubatta* (i. e. *bu tu bat ta*) *Naevius pro nugatoriis posuit, hoc est nullius dignationis.* Has voces non pueriles, ut Scali-

gero visum erat, sed fictitias esse, bene perspexit Meursius in Exercit. crit. Part. sec. p. 26.

BENE.

Significationem et usum huius vocabuli illustrant lexica, neque ad hunc nostrum campum ea pertinent, in quibus notio absoluta per se constat, aut in quibus aliud adverbium adiungitur, velut *valde bene*, *plane bene*. Id tantum hoc loco commemorandum videtur, *bene* addi aliis adiectivis et adverbiis ita, ut in unam notionem coeant. Tum conditionem significat magnam et auctam, idemque quod *valde*, *vehementer*. Francogalli dicunt *bien*.

Vid. Brant. ad Bell. hispan. 4. et 25. Salmas. Plin. Exercit. 26. B. Merula et Columna ad Ennium p. 71. (27.) Gronov. ad Plaut. Most. 4, 2, 51. Lindenbrog. ad Ammian. Marc. 19, 8. Perizon. ad Pompon. Mel. 1, 9. Oudendorp. ad Vit. Iuvenal. p. 998. Wagner. ad Ammian. 14, 2, 17.

Ennius apud Porphyr. ad Horat. 3, 24, 50. *accipe daque fidem, foedusque feri bene firmum.* Cic. Div. in Caec. 15, 48. *in clamando quidem video eum esse bene robustum atque exercitatum.* in Catil. 2, 10, 22. *aut imberbes aut bene barbatos videtis.* de Orat. 2, 88, 361. *habetis sermonem bene longum hominis utinam non impudentis.* ad Fam. epist. Poll. 10, 33, 11. *Antonium habere — legiones sub signis armatas tres, — inermes bene multos.* Ovid. Her. 15, 67. *me quoque, quod monui bene multa fideliter, odit.* Trist. 1, 7, 15. vid. Gifan. in Lucret. Collectan. p. 21. Bell. hispan. 4, 8. *ex oppido bene magna multitudo ad equitatum concidendum quum exissent etc.* Horat. Sat. 1, 3, 61. *pro bene sano ac non incauto fictum astutumque vocamus.* Ammian. Marc. 14, 2, 17. *quibus occurrere bene pertinax miles explicatis ordinibus parans.* Arnobius 5. p. 101, 2. *arietem nobilem bene grandibus cum testiculis deligit.* Apulei. Met. 1. p. 107, 29. *hoc habitu Socratem bene quietum circumsteterе.* Recte igitur restituendum censuit Heinsius in Ovid. Trist. 1, 7, 18. *haec ego discedens, sicut bene multa meorum, ipsa mea posui moestus in igne manu.* Antea legebatur *bona*.

Cum adverbiis coniungitur in his: Ennius apud Gell. 12, 4. *qui quum bene saepe libenter mensam sermonesque suos rerum suarum comiter impertit.* Bell. hispan. 25. *nostri ex humili convalle bene longe sunt egressi.* Cic. Tusc. 2, 19, 44. *sed si*

est tantus dolor, quantus Philoctetae? Bene plane magnus mihi quidem videtur. Ernestius coniecit *bene, sane, magnus.* Kühner nunc interpungit *Bene. Plane magnus:* non sentiens, quam otiosum et ab antiquo usu alienum sit illud *bene.* Vocabulum *plane* a glossatore scriptum eo magis videtur, quod dicendum erat *plane bene magnus.* In Verr. 2, 70, 169. *qui — bene penitus in istius familiaritatem sese dedit.* Vbi Schützius „in quo," inquit, „quid significet *bene* nemo dixerit: particula *penitus* semper simpliciter ponitur sine adiuncto alio adverbio." Vide in PENITVS.

Ad tempus refertur in his formulis: Cic. ad Att. 4, 6. *iens in Pompeianum bene mane haec scripsi.* 10, 16. *quum ad me bene mane Dionysius fuit.* de Orat. 2, 64, 259. *qui te interrogasset, num tibi molestus esset futurus, si ad te bene ante lucem venisset.* ubi *mane* addi voluerunt Ernestius cum Gulielmo, sed temere. vid. T. 1. p. 367. Vita Iuvenalis: *et tamen bene diu ne modico quidem auditorio quidquam committere est ausus.*

Quod Oudendorp. in Apuleii Metam. 1. init. coniecit: *ut ego — aures tuas bene bibulas lepido susurro permulceam,* ne ab elegantia quidem commendatur. Sufficiunt *bibulae* aures, quas librarii in *benivolas* mutarunt. Nec probari potest Salmasii emendatio in Solini Polyh. 1. p. 6. a. *qui — omnes adversarios levi tactu ac pene securis congressionibus vicerit:* ita codices. Salmasius, omisso voc. *ac*, scripsit *bene securis*, quod placuit Oudendorpio, non mihi.

Haec vero arctissimum notionis nexum habent. Nam *bene* suo, cui inhaeret, nomini praecedit semper proximo loco, et duo vocabula fere comprehenduntur uno accentu, ut in *bene olens* apud Cic. Acad. 2, 7, 21. *bene moratus* p. Mil. 34, 93. *bene morigerus* apud Plaut. Capt. 5, 2, 13. Quae aliter sunt disposita, poetarum licentiae tribuantur.

Ennius apud Cic. de Div. 2, 39, 82. *quum tonuit laevum bene tempestate serena.* Lucret. 5, 706. *donicum eum contra pleno bene lumine fulsit.*

Cic. Phil. 6, 7, 18. *itaque senatum, bene sua sponte firmum, firmiorem vestra auctoritate fecistis.* Codices barbar. cum vet. edd. *sua sponte bene firmum:* recte. Ferrarius comparavit verba, quae ubi in Epist. ad Att. legantur, non invenio: *nos enim et nostra sponte bene firmi.* Ne tamen verba *sua sponte firmum* in unam notionem coniuncta putes, oppositio *auctoritatis* vetat. Recentioris aetatis scriptores id non curasse putabis, si legeris locos ab Lindenbrogio allatos: at in Am-

mian. 19, 8, 8. omnes codd. habent *profundum pene vidimus puteum* et 30, 7, 8. *quorum spoliis pene redierant locupletes.* vid. PENE.

2. Poetae *bene* coniunxerunt cum negatione, et *non bene* dixerunt pro *vix, ne-quidem:* unde etiam *vix bene.*

Ovid. Met. 12, 615. *iam cinis est et de tam magno restat Achille nescio quid, parvam quod non bene compleat urnam:* ubi si cum Gierigio explicaveris *non prorsus, nicht ganz voll,* sententiam habebis aliqua ex parte ineptam.

Ovid. Fast. 5, 277. *dic, dea, ludorum, respondi, quae sit origo. Vix bene desieram, retulit illa mihi.*

3. Cum accusativo et dativo nominum compositum *bene* veteres adhibebant ad formulam conficiendam, qua alicui bona apprecari solebant, praesertim in conviviorum acclamatione: vid. Lipsii Antiq. lect. 3. p. 154. et 159. In ea autem quam incertum sit, quod Lipsius addit, complementum orationis, ipse dativus, qui non diverso modo usurpatur, monstrat. Conf. Heins. ad Ovid. Art. 1, 601. et ad Fast. 2, 637.

Plaut. Stich. 5, 4, 27. *bene vos, bene nos, bene te, bene me, bene nostram etiam Stephanium.* Tibull. 2, 1, 31. *bene Messalam, sua quisque ad pocula dicat.* ubi Scaligero magis placuit dativus, qui cum *benedicat* coniungeretur. Ovid. Fast. 2, 637. *et bene nos, patriae, bene te pater, optime Caesar, dicite.* Ita scribendum est, non *vos.* Intelligitur autem sodalitium, non populus.

Plaut. Pers. 5, 1, 20. *bene mihi, bene vobis, bene amicae meae.*

De dictione *bene est* vid. Lambin. ad Horat. Sat. 2, 2, 120. p. 119. Casaubon. ad Pers. 4, 29. Burmann. ad Petron. 34. et 65. ad Ovid. ex Pont. 1, 3, 39.

BOMBAX.

Graecum est vocabulum *βομβάξ,* de quo Eustathius ad Odyss. p. 1718, 9. Et legitur apud Aristophan. Thesm. 46. Admirationem exprimit, sed cum risu. Ita apud Plautum Pseud. 1, 3, 131. ubi vid. Lambinus. Asper grammaticus, ut Putschius edidit, p. 1736. *interiectio est — irridentis, ut bom, bax, ba, vua.* unde Seyfertus in Gramm. Tom. 2. p. 299. colligit, inter-

dum etiam divisis vocibus dici *bom bax*. At scribendi illud est vitium. De verbi derivatione a *bombo* facta conf. Martinii Lex. phil. T. 1. p. 98.

BV.

Festus in voc. IMBVTVM. *imbutum est, quod cuiuspiam rei succum bibit: unde infantibus, an velint bibere, dicentes* BV *syllaba contenti sumus.* Meursius in Exercit. crit. P. 2. p. 27. scripsit *infantibus, quum velint bibere, dicentibus* BV *syllabam* o. s. Festus id notare vult, pro *bua*, quae est potio infantum, ut Nonius refert 2, 97. ex Varronis testimonio, a nutricibus mutilato vocabulo dici *bu*. Hoc diversum est ab illo *bu* in *bu tu bat ta*, quod reddit sonum tumidum, ex inflatis buccis, aut ex aliqua cavitate prodeuntem: unde et adhibetur in componendis vocabulis, quae magnam et plenam rem significant, et usurpatur in formulis nugas et ventosas res notantibus.

CASSVM. CASSE.

Priscianus 9. (9, 48.) p. 869. docet CASSVM participium esse verbi *careo*, sed difficultates, quae inde nascuntur, bene sentiens, addit paullo post: *quamvis a careo futuri participium non cassurus, sed cariturus faciat.* Servius ad Virgil. Aen. 2, 87. *cassum, privatum, vacuum; et cassum est quasi quassum et nihil continens: nam et vas quassum, quod humorem in se non continet et est vacuum.* Quam ineptam sententiam grammaticorum ut refellat, Nonius Marc. 1, 217. *cassum veteres inane posuerunt, et arbitrandum est, eius verbi proprietatem magis ab aranearum cassibus dictam, quod sint levis et nullius ponderis, non ut quibusdam videtur, quasi quassum.* Haec omnia probari nullo modo possunt, quamquam Doederlino video nuper in Synon. lat. T. 3. p. 102. placuisse derivationem illam a *careo* factam, neque etiam prorsus displicuisse alteram, qua *cassus* diceretur pro *quassus*. Martinius a *casu* deducit, ut *vanum* a *vado:* esse id, quod non perstet, sed cadat et evanescat. Nos uno cognationis nomine comprehendamus verba *cavo, cassus, casa, cassis*, quorum originem in syllabica radice *ca*, quae

vacuum notat, reconditam videmus. *Cavatum* dicitur, quod vacuum est factum; *cassum*, quod est vacuum, sicuti *lassatus* et *lassus*, *fatus*, *fatigatus* et *fessus* differunt. Littera *V* omitti poterat, quippe quae auxiliaris esset, ut in *lavo*, *novus*, *ovis*. Ab eadem origine descendit *careo*. *Cassum* igitur significat id, in quo aut nihil est, aut non inest, quod inesse debet. Neutrum pro adverbio ponitur, quemadmodum *dubium annuit* apud Statium Theb. 10, 134. *aeternum stridens* 1, 599. Sic dixit Seneca Herc. Oet. 352. *quid ipsa flammas pascis et vastum foves ultra dolorem misera? quid cassum times?* Est accusativus, cuius explicandi auxilium non petamus a praepositione *in*, ut Doederlino videtur, sed constat sua ipse ratione, quae est directionis, plene expressae verbis *in cassum*. Hinc glossae Cyrilli μάτην, *frustra*, *nequidquam*, *cassum*. ubi Martinius T. 2. p. 39. corrigendum censet *in cassum*. Et recte quidem *cassum* et *in cassum* accipitur pro inaniter, sine effectu. Ita componitur cum verbis, quae motum in agendo significant: *in cassum cadere* Plaut. Poen. 1, 2, 147. *recidere* Columel. 4, 3, 5. *in c. ire* Lucan. 2, 263. tum transfertur ad quamcumque actionem, unde *in c. agere* Sallust. Orat. Macri 11. p. 970. Cort. *incassum furit* Virgil. Georg. 3, 100. ut Statius Theb. 4, 533. *inane furens*. *incassum missae preces* Liv. 2, 49, 8. *incassum disserere* Tacit. Ann. 1, 4.

Ad Virgil. Aen. 7, 421. *tot incassum fusos patiere labores*. Servius haec: *dicit autem, ut tot tui labores fundantur incassum, id est, in irritum cadant. Incassum autem tractum est a cassibus, id est, retibus.* Ita quae derivata sunt, pro fonte habentur.

Vtrum in unum verbum coniungatur praepositio, an seorsum scribatur, parum refert, nec facile demonstrari potest, quid antiquorum scriptorum usus adsciverit.

Casso, quod Forcellinus Tom. 4. p. 594. nescio unde affert, vocabulum erat veteribus incognitum, sed fortasse ab Italis usurpatum. Etiam *casse*, quod legitur apud Livium 24, 26, 10. *aversis auribus animisque, casse ne tempus tereretur, ferrum quosdam expedientes cernebat.* frustra Drakenborchius defendere videtur Ruhnkenio, qui in Praefat. ad Schelleri Lex. p. 508. edit. Friedemann. emendat: *aversis auribus animisque, quasi*

tempus tereret, ferrum quosdam expedientes cernebat. **Sed cur hoc vocabulum repudiemus, non aliam caussam allatam video, quam quia nobis nunc desunt plura exempla. Bonum igitur sensum restituisse mihi videtur Roellius in hunc modum:** ***aversis auribus animisque, casse ne tempus tereret, ut ferrum quosdam expedientes cernebat, tum*** **etc. vd. infra in VT.**

CE.

Ne pluries de una re mihi dicendum sit, hic agam de syllaba CE, quae in formandis vocabulis et praefigitur et adiungitur. Syllabam dico, non vocabulum, nec cum iis consentio, qui idem esse censebant, quod graecum *γέ*. Vid. Lindemanni Comm. I. de Adverbio p. 11. Comparari enim debet Graecorum *τέ*, quod latino *que* respondet, et simili compositioni verborun inservit in *τοῖος*, *τῶς*, *τοί*. Atque Priscianus p. 948. bene praecipit, *additionem* esse *ce*, quae *si separetur, nihil significare possit per se.* Quamquam non animadvertit, id repugnare regulis, quas p. 558. et 559. proposuit de geminata consonante. Est tamen duarum vocum compositio, in qua duplici consonanti conceditur locus. Illam vero notionem, quam plenam exprimit *ce*, littera *c* indicat obscurata saepe significatione in conformandis quibusdam vocabulis. Atque ea vis est demonstrativa. Ita facta sunt *hic*, *horunc*, *sic*, *nunc*, *tunc*. *Nunc* et *tunc* non significant *νῦν γε*, *τότε γε*, sed, ut ea comparemus, quae paullo graviorem potestatem habent, *νυνὶ*, *τότε δή*, neque opus est, ut cum Grotefendo, Gramm. Tom. 2, 146. *c* pro *que* dictum esse putemus. Nam quod *nec* pro *neque* ponitur, nihil impedit, quo minus *nunc* et *tunc* aliam formam verborum *tum* et *num*, sed magis demonstrativam esse censeamus, neque etiam cum Schneidero, Gramm. p. 243. *que* abundare existimabimus.

Ab his diversus est litterae *c* usus, quo ad explendum hiatum inter duas vocales interponitur, uti *specus* fit ex *σπέος*, *voco* ex *βόω*, et ita in *sicubi*, et aliis, quemadmodum in graecis *τουτογί*, *ταυταγί*, de quibus vide Buttmann. in Gramm. Tom. 1. p. 315.

Plena igitur ista demonstrativa vis in syllaba *ce* apparet, eaque additur pronominibus demonstrativis, non

iis tantum, ut Priscianus ait, quae ab aspiratione incipiunt, sed in iis etiam, quae primitiva formatione in se habent illud *c*, *hocce*, *istaecce*. Conf. Schneideri Gramm. 1. p. 669. Graeci id exprimunt per *ι* in *οὑτοσί*. Itaque recte scribitur *haece*, *hicce*, *hancce*: de quibus dixit Schneiderus Tom. 1. p. 403. Ita formatur etiam *ecce*. *Sicce*, quod legitur apud Plautum Rud. 2, 4, 12. est *οὑτωσί*: fortasse etiam *nuncce* pro *νυνί* usurpabatur. Adverbiorum *hicce*, *hucce*, *hincce*, *illicce* exempla in veterum libris non reperiuntur, tamen afferuntur a Prisciano. In inscriptionibus apud Gruterum p. 509. 506. 508. et in libris scriptis, ut Drakenborch. ad Liv. 6, 16, 2. narrat, una exhibetur *c* littera in *hice* etc. Id tamen librariorum compendiario usu factum est. De forma nominativi *hisce* pro *hice* vide Bentlei. ad Terent. Eun. 2, 2, 38.

Ce mutatur in *ci*, ubi alia syllaba confirmativa *ne* accedit, unde fit *hiccine*, *hoscine*, *siccine*, *nunccine*, quae ne quis suspicetur composita esse ex *hicne*, *sicne* interiecta vocali auxiliari, satis cautum est argumentis, quae Schneiderus exposuit p. 405. Nam quod a Terentio aliquoties *hicine*, *hocine* prima syllaba brevi usurpatum videmus, factum videtur mobili pronuntiatione, qua etiam *hic*, *hoc* syllabae breves interdum producuntur. Etenim necesse non est, ut cum grammaticis quibusdam statuamus, *hic* et *hoc* productas voces poni pro *hicce* et *hocce*. conf. Schneider. p. 669. Vtrum vero scribatur *hicine*, an *hiccine*, non magnum rei affert discrimen, quod tantum ad compendium scribendi pertinet. Atque recte iudicat Schneiderus, requiri unam litteram modo in iis, quae primam syllabam habeant brevem: quamquam ipse exempla non addit, quae si reperiantur, altera prior *c* abiecta est.

Palmerius in Spicileg. p. 712. Grut. Thes. Tom. 4. in Plaut. Truc. 4, 4, 33. ex *etiam se* fecit *etiamce*, novum verbum, quod umquam in usu fuisse nemo affirmavit.

De *ce* syllaba praefixa dicam in proximo vocabulo *cedo*.

CEDO.

De hoc vocabulo grammatici veteres fere in unum modum praecipiunt, CEDO esse imperativum defectivum verbi, quod declinari non possit. Ita Phocas p. 1718.

1719. Donatus p. 1756. Cledonius p. 1916. primam personam esse dicit, tamen explicat *dic mihi illam rem.* Paullo diligentius rei difficultatem perpendit Consentius, eamque removere conatus est hoc modo p. 2056. *quaedam litteram solemnem ac legitimi temporis in fine habent, sed ad significandum genus nihil id prodest, quod id verbum aut aliam personam aut alium modum affert, quam quo genus intelligitur, ut cedo. Non enim prima persona est indicativi modi, temporis praesentis, sed secunda imperativi modi, temporis praesentis. Cedo enim significat dic.* p. 2071. *ergo plerumque talis verborum in coniugationibus defectus est, ut ipsa secunda persona, in qua quaeri solet coniugatio, non exstet, ut est c e d o, f a x o, a m a b o.* Valer. Probus p. 1486. *c e d o, quod significat da, sine verbi totius substantia solum reperitur numero singulari c e d o, numero plurali c e d i t e.* cf. p. 1479. Ita etiam Priscianus p. 843. in verbis ponit, quae in usu deficiant personis. Inter recentiores Rodolphus Agricola, quum formam intellexisset non esse congruam, in Commentariolis in Senec. Declamat. Basileae a. 1529. editis ita censuit: verba *praesto* et *cedo* et *amabo* ad aliarum partium orationis vim longo usu esse detorta, ut, quum diceret quis, *dicam tibi hoc*, responderet alter *cedo*, id est, permitto, dic: inde postea consuetudinem tenuisse, ut diceretur, *cedo manum*, *cedo cantharum*. Quam absurdam sententiam a Vossio de Analog. 3, 40. p. 161. probatam esse valde miror. Quis enim non insanus talem confusionem formarum tribuat negligentiae familiaris sermonis? Atque Perottus et ipse Vossius de Art. gram. 2. p. 275. bene viderunt, corripi huius vocabuli primam syllabam, quae in verbo *cedo* producitur. Vid. Iuvenal. 13, 210. Pers. 2, 75. Schellerus ut hanc mensuram mutatam defendat, affert exempla *siquidem*, *modo*, *quomodo*, quorum illud excusationem habet a compositione, haec ab ambiguitate vocalis. Vnus Tursellinus ausus est appellare adverbium, et Bentleius in ind. Terent. aliique recentiori tempore eum sequuti sunt.

Cedo in se habere graecum δός, et forma et mensura et significatio ostendunt. *Ce*, quod praefigitur, illud est demonstrativum, quod praemissum videmus in *ceterum*, *ceu*, *cis*, *coram:* ipsa compositio non insolentior, quam qua in illo vocabulo *ceterum* continen-

tur *ἴτερον* et *ce*. Similiter Francogalli praeposita vocula componunt *ci-devant*. Est igitur *cedo* imperativi forma peregrina, qua semel in latinum usum recepta, facile potuit fingi, tamquam in vernaculo verbo, pluralis, qui est *cette* pro *cedote*. Atque ii vehementer errabant, qui *cette* pro *cedite* dictum esse putabant, idque et Seyferto Tom. 2. p. 374, et Schneidero 1. p. 503. persuadebant. Pronomen *tu*, in *tu cedo* adiectum, legitur in Terent. Phorm. 5, 8, 42.

1. Primitivus huius vocis usus fuisse videtur absolutus. Peregrina enim vox, ut saepe factum est in verbis ex gallica lingua in germanicam receptis, exuerat significationem suae formae innatam, et usurpabatur pro adverbio, cui accusativum addi posse, nemo cum Schwartzio negabit. Ita dictum est *cedo manum*, i. e. *die Hand her*, *ça la main*, et sic in reliquis, quibus id exprimitur, quod nos dicimus *her damit*. Opponitur *cape* in Terent. Phorm. 5, 8, 57. *cape*, *cedo*. Ac primo usurpatur de porrigenda aut offerenda re.

Plaut. Amph. 2, 2, 146. *hem tibi pateram: eccam.* AM. *cedo mihi.* Most. 1, 3, 150. *cedo aquam manibus.* Terent. Hec. 4, 4, 86. *puerum, Phidippe, mihi cedo: ego alam.*

2. Tum dicitur de re arcessenda, quae non adest; ubi nos dicimus *schaff mir*, *schaff her*, i. e. iube adesse, fac adsit.

Plaut. Pseud. 3, 2, 101. *quin is accubitum? et convivas cedo.* ubi non opus est corrigas *i*, *convivas cedo.* Terent. Andr. 1, 2, 43. *postremo aut desine, aut cedo quemvis arbitrum.* Phorm. 2, 2, 7. *cedo senem.* i. e. *nun schaff den Alten her.* Ruhnkenius male reddit: veniat, si vult, comparans Phaedr. 5, 2, 6. *cedo, inquit, illum: iam curabo sentiat, quos attentarit:* ubi idem ille sensus est. Terent. Ad. 3, 4, 38. *coram ipsum cedo*, non *ipso*, ut vidit Faernus explicans; exhibe eum in conspectum nostrum.

3. Inde de efficienda re formula fit *cedo ut* pro *fac ut*, *sine: lass mich*.

Plaut. Most. 2, 1, 26. *cedo ut bibam.* Curc. 5, 2, 54. *cedo ut inspiciam.*

4. Denique *cedo* evocat ad expromendam sententiam, ut sit id quod *ede*, *profer*, *dic*, sive res exprimatur accusativo aut obliqua interrogatione, sive ab-

solata sit evocationis forma, sive post interrogationem. Atque utitur hac dictione et is, qui interrogando alicui instat, et qui, ut Donatus ad Terent. Andr. 4, 4, 24. ait, *cum quadam fiducia et contemptu eius, cum quo sermo est, interrogat.*

Terent. Phorm. 5, 6, 16. *quin tu hinc pollicitationes aufer et quod fers; cedo.* Cic. in Verr. 5, 26, 67. *unum cedo auctorem tui facti: unius profer exemplum.* Terent. Heaut. 2, 2, 91. *age, age, cedo istuc tuum consilium.* Cic. ad Att. 9, 18. *cedo reliqua:* ubi Ernestius habet *credo.* in Verr. 3, 12, 29. *cedo mihi unum ex triennio praeturae tuae, qui octupli damnatus sit.*

Terent. Andr. 2, 3, 9. *cedo igitur, quid faciam.* Cic. in Verr. 2, 42, 106. *cedo, cui Siculo, quum is reus fieret, civis romanus cognitor factus umquam sit.* de Partit. orat. 1, 3. *cedo, quas.* de Div. 2, 71, 146.

Terent. Andr. 4, 4, 24. *cedo: cuium puerum hic apposuisti? dic mihi.*

Cic. ad Att. 16, 13. *ego statim, cedo, inquam, si quid ab Attico.*

Terent. Eun. 5, 4, 28. (5, 5, 8.) *quid ita? aut quid factumst? cedo.* 1, 2, 82. *quid te ergo aliud sollicitat? cedo.* 4, 3, 14. *intelligo: nova nunc religio in te isthaec incessit. Cedo.* Ita interpungendum est. Et *cedo* fere idem quod *itane?*

5. Cicero utitur formulis *cedo*, *cedo mihi* in excitanda animi attentione ita, ut ad aliquid considerandum provocet. Nam quum in Verr. 1, 42, 109. ait: *cedo mihi leges Atinias, Furias.* non postulat, ut leges scriptae afferantur, neque ut recitentur, sed tantum ad eas provocat probandae rei caussa.

In Verr. 1, 33, 84. *in Philodami iudicio dices id actum? Cedo mihi ipsius Verris testimonium. Videamus, quid idem iste iuratus dixerit.* Quod vulgo additur *recita*, abest a cod. leid. et recte quidem.

Cic. Brut. 86, 295. *Galbam laudas. Si ut illius aetatis principem, assentior: sic enim accepimus: sin ut oratorem*, cedo, *quaeso, orationes, (sunt enim) et dic., hunc, quem tu plus quam te amas, Brutum, velle te illo modo dicere.* de Nat. d. 1, 27, 75. *fac id, quod ne intelligi quidem potest, mihi esse persuasum: cedo mihi istorum adumbratorum deorum lineamenta atque formas.* p. Sext. 50, 108. *cedo nunc eiusdem illius inimici mei de me eodem ad verum populum in campo martio concionem.* i. e. vide nunc.

Apulei. Apol. p. 298, 14. ***cedo enim experiamur, an et mihi possint in iudicio litterae meae prodesse.*** **i. e. age.**

6. Si audias interpretes, Iuvenalem duobus locis censebis mirum in modum dixisse *cedo* pro *quanto magis.* Ille 13, 209. *nam scelus intra se tacitum qui cogitat ullum, facti crimen habet. Cedo, si conata peregit.* 6, 503. *Andromachen a fronte videbis: post minor est: credas aliam: cedo, si breve parvi sortita est lateris spatium, breviorque videtur virgine pygmaea, nullis adiuta cothurnis.* Haec explicant, interrogationis signo posito: quanto magis credas, si adeo brevis est. Alii tamen intellexerunt: ita da et concede hoc parvis illis mulieribus, ut altiores videantur, et quae sunt aliae absurdae interpretationes, a Rupertio allatae. Est vero *cedo* id quod *dic, quid censeas, si* etc., idque ponitur pro *quid dicas? quid si* etc.?

7. Cum plurali coniungi posse *cedo*, demonstrare quidam conati sunt exemplo Naevii, cuius verba Cicero affert de Senect. 6, 20. *cedo, qui vestram rem publicam tantam amisistis tam cito?* Sed iam Gesnerus animadvertit, his verbis unum virum interrogari. Alia est ratio verbi *age*, quod Gernhardus comparat.

8. Donatus ad Terent. Andr. 2, 3, 9. haec: *singularis tantum numeri est: cetera pluralis, ut salve, salvete.* et iterum ad v. 15. *cedo singulariter tantum: cetera pluraliter.* Alii tamen opinati sunt pluralem formari *cedite* eumque contrahi in *cette:* quod prorsus absonum videtur. *Cedote* est legitima forma, quae vulgari sermone transformabatur in *cette.*

Valer. Probus p. 486. ***c e d o, quod significat d a, sine verbi totius substantia solum reperitur numero singulari. c e d o, numero plurali c e d i t e: sic Plautus et antiqui comoediographi, sicut salve, salvete.*** **Aut calamo, aut mente erravit bonus grammaticus: nam Phocas p. 1718.** ***c e d o et a v e similiter et imperativi secundam semper personam habent numeri singularis: c e d o etiam numeri pluralis lectum est apud Plautum c e t t e.*** **In quem modum etiam Cledonius p. 1916. et Alcuinus p. 2118. Calphurnius ad Terent. Heaut. 3, 1, 84. iterum male scripsit** ***cedite.***

Nonius 2, 122. ***c e t t e significat dicite vel date, ab eo quod c e d o. Naevius Lycurgo: Pro industria ne te regem prognatum patrem Lycurgum cette.*** **(corrupta verba Iunius emendare**

sanus est: proin Dryante rege prognatum patrem Lycurgum cette.) Ennius Medea: *Salvete, optima corpora, cette manus vestras, measque accipite.* Accius Menalippo: *En eum aliquis cette in conspectum, aut nos, ubi est, ducite ad eum.* Pacuv. Atalanta: *Is vestrorum uter sit, cui signum datum est? cette.* Plaut. Merc. 5, 4. 4. *uxor tibi placida et placata est. certe dextras nunciam.* Ita editio princeps. Vir doctus nescio quis bononiensis, qui exemplar, quod apud me est, multis in locis emendavit, haec verba ita scripsit: *certe dextra nuncio.* Sed Camerarius correxit: *cette dextras nunc iam:* quod dubitari potest an recte dicatur ab eo, qui non ipse accipiat dextram. Nam nimis incertum est, quod e Plauto Cledonius p. 1916. et Terentii nomine Alcuinus p. 2118. affert: *cette patri meo.* Tamen veram puto hanc ingeniosam emendationem, intelligens evocationem ad dextras iungendas. Rostius nuper ita vertit, quasi sensus esset: certe illa mihi dedit dextram.

9. *Cedo* aut ab initio interrogationis, aut in fine poni, non in media sententia, id bene observavit Wopkensius in Lect. Tull. p. 177. (127). Temere enim Davisius sollicitabat locum integerrimum Cic. de Nat. d. 1, 24, 67. *sed ubi est veritas? In mundis, credo, innumerabilibus* etc.? corrigens *cedo.* Neque in Sulpicii Epist. ad Cic. 4, 5, 4. *an illius vicem, credo, doles?* cum Davisio emendabimus *cedo.* Vid. Tom. 1. p. 344. et ad Wopkens. p. 178.

10. *Cedodum* ut *agedum* dicitur apud Terent. Phorm. 2, 2, 15. *cedodum, en umquam iniuriarum audisti mihi scriptam dicam?* Vid. DVM.

11. Ceterum rarissime adiunguntur aliae particulae. Terentius dixit Andr. 2, 3, 9. *cedo igitur.* Et Phorm. 4, 4, 11. *cedo nunc porro — quid fiet.* Quae particula etiam in Heaut. 2, 3, 92. *pulchre: cedo quid faciet sua:* exspectari poterat: tamen sua vi consistit illud *cedo.*

* Confunduntur in scriptis libris *cedo* et *ede.* vd. Apuleii Apolog. p. 503. Oudendorp. et saepius *credo.*

CERTE. CERTO.

Duae sunt rationes, quibus rem veram ac certam significamus. Nam aut conditionem designamus rei, quae in certo versatur, aut constituimus iudicium seu

modum cogitationis, quo rem vere sic se habere aut videri affirmamus. Illud requirit notionem plenam et vocabulum, quod per se constet: hoc continetur in iudicio conformando, et adverbium cohaeret cum verbo. Illud Latini exprimunt per *certo*, hoc dicunt *certe*. Vtriusque vocabuli origo et formatio sponte sua intelligitur. Sed antiquo tempore scriptores non accurate distinxerunt, ut paullo post demonstrabimus. Numquam tamen *certo* pro *certe* dixerunt, ut visum est Mosero ad Cic. de Repub. 1, 6. p. 27.

Herzogius ad Caes. de Bell. gall. 6, 31. ita rem dubiam componere conatus est: *certe* referri ad universam rem et ad totam sententiam, *certo* ad unum praedicatum. Haec ut vera probat Moserus ad Cic. de Republ. 1, 5. At non species, sed ratio dictionis erat exponenda, quae quidem in conformando iudicio posita est: alioquin non potest intelligi, quomodo fiat, ut *certe* indicet opinionem. Beierus autem in Iahnii Annal. 1827. 1, 3. p. 32. existimat in illa demonstratione omissum esse praecipuum hoc, quod *certo* non respiciat alias res, *certe* id indicet, quod alicui rei prae aliis rebus certam conditionem tribuat. Quod quo modo et cur fiat, non addit.

I. 1. *Certo* igitur est in certo, per certum, et ponitur pro re vera aut extra dubitationem posita. Opponitur id, quod dubium aut speciosum aut negandum videtur. Nos dicimus *in Wahrheit, in der That, wirklich*. Nam fit *certus* a *cerno*, quoniam id, quod oculis cernimus, verum, non dubium esse putamus. Apud oratores non multa reperiuntur exempla: plura apud comicos.

Plaut. Poen. 3, 5, 42. *nunc pol ego perii certo, haud arbitrario*. i. e. non est, quod quisquam dicat se arbitrari me periisse, ut recte Lambinus. Terent. Eun. 5, 1, 9. *atqui certo comperi*. Hec. 4, 2, 10. *certo decrevi*. Plaut. Amph. 1, 1, 213. *at mentiris etiam: certo pedibus, non tunicis venis*. i. e. non potest negari. Prol. 93. *praeterea certo prodit in tragoedia*. i. e. de quo ne quis dubitet.

Plaut. Amph. 1, 1, 176. *mihi certo nomen Sosia est*. Men. 2, 2, 39. *nam tu quidem hercle certo non sanus satis, Menaechme, qui nunc ipsus maledicas tibi*. Stich. 1, 3, 86. Restituit Bentleius in Terent. Phorm. 1, 3, 12.

Cic. Tusc. 5, 28, 81. *nihil ita exspectare, quasi certo futurum*. Equidem non exputo, quo modo Mosero in mentem ve-

nire potuerit, fore, qui in Cic. de Rep. 1, 5. scribendum censeant: *iam illa perfugia, quae sumunt sibi ad excusationem, certo minime sunt audienda.* Quis ita umquam loquutus est, *certo non est?* Orellius ad Cic. p. Planc. 16, 38. profitetur, se non facile probaturum esse *certo* nisi ante v. *scio*: tamen admisit in loco Tusculan.

Cic. p. Caec. 19, 55. *veniunt in mentem mihi permulta: vobis plura, certo scio.* ad Att. 1, 12. 2, 23. ad Fam. 4, 13, 19. ad Quint. fr. 1, 2, 2. nisi ibi scribendum est: *certe enim scio.* Plaut. Mil. 2, 3, 2. Truc. 1, 1, 49. Terent. And. 5, 4, 26. Heaut. 1, 1, 19. et saepe alias.

2. Hinc ponitur in responsionibus, quibus ante dicta affirmantur: etiam ab iis, qui secum loquuntur.

Plaut. Men. 5, 8, 9. ME. *Liberum ego te iussi abire.* MES. *Certo.* 5, 9, 50. 2, 2, 38. Poen. 5, 5, 20. *estne illaec mea amica Antherastilis? Et ea certo est.*

3. *Certo* pro *certe* qui putabant poni, critici aperto errore decepti sunt. Nam quod olim legebatur apud Ciceronem ad Att. 2, 22. extr. *sed certo videntur haec aliquo eruptura.* correctum est a Clerico *sed certe videntur*. In Plaut. Aul. 5, 4. *certo enim ego vocem hic loquentis modo me audire visus sum.* cohaerent verba *certo audire*.

4. Non minus falluntur, qui docent *certo* coniungi cum *quidem*. In Plaut. Epid. 3, 2, 42. *me quidem certo servavit consiliis suis*: et in Men. 2, 2, 39. illud *quidem* nullo pacto referri potest ad voc. *certo*.

II. 1. *Certe*, quae est adiectivi *certus* forma adverbialis, et proprie significat *firmiter, vere, haud dubie*, aliam conditionem habet in antiquiore usu, aliam in recentiore. Antiquiore enim tempore scriptores non subtiliter distinguebant rem a modo iudicii: postea autem prudentiores usurpabant *certe*, non de re firmiter et certo modo acta, sed ad iudicium de affirmanda aliqua re constituendum. Quare *certe* ponitur, ubi quis suam opinionem aut sententiam de re aliqua sibi certa profert, nec veritatem in ipsa re apparere, idque omnibus persuasum esse affirmat. Quo in usu non nisi cum verbis componitur, non cum adiectivis: nec facile ob ambiguitatem dixerunt *certe affirmare*,

sed *certum affirmare*, sive *pro certo*. Rara etiam sunt exempla, quale illud Cic. de Divin. 2, 7, 18. *si enim scit, certe illud eveniet: sin certe eveniet, nulla fortuna est.* In his rei certus modus cum iudicio constituitur. In comparativo *certius* nulla est ambiguitas, nullum discrimen.

Apulei. Met. 2. p. 118. (105. Oud.) *felix et certius beatus, cui permiseris illuc digitum intingere.* haec corrupta esse omnes viderunt: Oudendorpius coniecit *certo certius.*

Pro certo dixit Lucret. 4, 760. *simulacra lacessunt haec eadem nostros animos, quae quom vigilamus, usque adeo, certe ut videamur cernere eum, quem — iam mors et terra potita est.* Conf. locos supra p. 16. allatos. Plaut. Epid. 1, 1, 4. *certe oculis uteris.* ubi correxerunt *recte.* Terent. Heaut. 4, 4, 4. (2, 4.) *quum is certe renuntiarit.* Guyetus et Bentleius emendarunt *certo.* In comico tamen dubitare licet. Ovid. Met. 14, 30. *dignus eras: ultro poteras certeque rogari.* Interpretes que tertio loco positum putant. Id tamen totum sensum perturbat, nec potest *certe* sincerum videri. Alii codices multi praebent *certo*, alii transponunt verba: neminem offendit absurda dictio in verbis *poteras rogari.* Legendum videtur: *dignus eras: ultro poteras certoque rogare: et si spem dederis, mihi crede rogaberis ultro. Certo rogare* est confidenter, cum certa spe. Cic. de Div. 2, 45, 94. *haec igitur quum sit tum serenitas, tum perturbatio coeli: estne sanorum hominum hoc ad nascentium ortus pertinere non dicere (quod non certe pertinet): illud nescio quid tenue — dicere ad puerorum ortus pertinere?* De hoc loco Madvigius disputavit in Emendat. p. 36. sed cancellis parentheticis, quos posuit, nihil expeditur, nisi adeo in omnibus sententiis interiectis eiusmodi fulturam adhibere malis: neque anacoluthi est forma. Cicero dicit haec: nemo tam demens est, ut in maximis mutationibus coeli neget vim esse ventis et tempestati: quare non est sanorum hominum, hoc in nascentibus hominibus negare, sed lunae tamen et sideribus eamdem vim tribuere. Et adiungit de sua sententia: *quod certe pertinet.* Id enim non falsa superstitione suspectum, sed verum est, in nascentium ortum valere coeli temperiem. *Certe pertinere* non potuit dici, potuit autem *quod certe*, nec facilis videtur transponendi ratio, qua Schützius scripsit: *quod certe non pertinet.* Topic. 16, 61. *hoc igitur, sine quo non fit, ab eo, a quo certe fit, diligenter est separandum.* Ernestius emendavit *certo.* quod omnes acceperunt. At certe non est pro *certo*, sed quod alibi dicitur

profecto. vid. n. 3. Cornel. Hamilc. 1, 5. *Romanos armis persequi, donicum aut certe vicissent, aut victi manus dedissent.* in aliis codd. *aut ut certe.* Critici quum vidissent corrupta haec esse, non uno modo emendare ausi sunt. Etiam Bremius coniecit scribendum esse *aut vitae certamine vicissent*, sed in novissima editione haec missa faciens sequitur Güntherum, qui, comparata Livii 22, 34, 11. dictione *vere vincere*; etiam *certe vincere* inter insolitas loquutiones defendit. Iam Gebhardus olim explicuerat: victoriam indubitatam etiam concessione hostium reportare. At repugnat omnis huius verbi ratio et usus. Egregie iam Lambinus: „si *certe*, inquit, affirmationem significat, non est hic ei voci locus; sin pro *saltem* ponitur, posteriore loco semper poni solet.“ Et *donicum* vix dici poterat a Cornelio Nepote. Fortasse scripsit: *donec vi aut arte vicissent.*

Noltenius in Supplement. p. 130. „*certo* confirmantis et concedentis est, et totam enuntiationem afficit: *certo* est fere confirmati et certioris de aliqua re facti, et non nisi verbum afficit, quod ἀμέσως subiungitur.“ Haec subtiliter quidem: sed ratione destituitur id, quod addit: *certo* iungi verbis sciendi vel cognoscendi: si vero quaedam interponantur, *certe* redire, igiturque dici *certo scio*, sed *certe enim scio*, *certe edepol scio*.

Comparativo usus est Livius 35, 48, 3. *aversos refugiente equo certius figentes.* 3, 41, 13. Quinctil. Declam. 355. *se quaedam certius etiam ab uxore quaerere.*

2. Praeter antiquos scriptores nemo facile vocabulum *certe* non ad iudicium conformandum adhibuit. Sunt tamen dictiones quaedam, in quibus utraque forma locum habet, ideoque in libris scriptis saepissime confunditur. Ita recte dicitur *certe scio*, quod significat: certum est me scire, et aliquantum differt a verbis *certo scire*, i. e. certa est mihi notitia rei, *certe est*, et in responsione affirmantium *certe.*

Plaut. Bacch. 2, 3, 20. *quia edepol certe scio.* Aul. 1, 1, 21. Ernestius quum in Cicerone ubique restituendum censuisset *certo scio*, multos tamen locos intactos reliquisset, hos notavit Schellerus in Observat. p. 39. et 186. et utriusque formulae unam esse significationem demonstravit, comparato promiscuo usu verborum *manifesto* et *manifeste.* Sed argumenta, quae profert, parum proficiunt: nam quod Cic. de Nat. d. 1, 2, 5. dicit: *alterum fieri profecto potest, ut earum nulla, alterum certe non potest, ut plus una vera sit.* non indicatur rei conditio, sed iudicio affirmatur, rem fieri non posse. Et sic in

reliquit. Burmannus ad Phaedr. 1, 21, 12. et ad Lucan. 8, 547. nihil exposuit quam dubitationem suam. Beckius ad Cic. p. Arch. 12. quem Gernhard. ad Caton. 1, 1. sequitur, ex Ernestii praeceptis distinguit *certe*, quod sit *sine dubio*, et *certo*, quod significet *cum certa ratione*, atque semper dici putat *certo scire*. Atque sic etiam Ochsnerus in Eclog. Cic. p. 398. nov. edit. aliique. Garatonius ad Philip. 3, 6. *certo scire* esse ait, certa ratione colligere, sed *certe scire* eos, qui ex aliis aliquid resciant. Discrimen paullo doctius exposuit I. C. G. Ernesti in Synonym. lex. Tom. 1. p. 196. Libri variant in plurimis locis p. Rosc. Am. 8, 21. Philip. 3, 6, 17. 12, 12, 29. Caton. 1, 1. 1, 2. Sallust. Cat. 51, 16. ubi vid. Rivius. Omnes consentire videntur in *certe scio* apud Cic. p. Arch. 12, 31. p. Fontei. 4, 8. optimi vero in Sallust. Iug. 9, 2. In Balbi epistola apud Cic. ad Att. 9, 6. legitur *sed illud certe scio*, sed paullo ante *eique satisfacturum te certo scio*; Terent. Andr. 3, 2, 23. *certe enim scio.* quod si dixisset *certo scio*, ipsam rem certam opposuisset dubiae; sed refert ad suam cognitionem. Ceterum quaeri potest, num recte dicatur *certe nescio*. At exempla, quae reperiuntur, diversi sunt generis. Nam apud Terent. Andr. 5, 6, 2. *nescis, quid mihi obtigerit?* DA. *Certe: sed quid mi obtigerit, scio.* sive interrogationem ponas, sive cum Bentleio orationem rectam, illud *certe* universam sententiam affirmat. Apud Plaut. Amphit. 1, 1, 175. *certe enim hic nescio quis loquitur.* et apud Horat. Sat. 1, 9, 67. *certe nescio quid secreto velle loqui te aiebas mecum. nescio quid* significat *aliquid.*

Plaut. Trin. 4, 3, 64. *Estne ipsus, an non est? is est: certe is est, is est profecto.* quod in Poen. 5, 5, 20. *certo.* Terent. Eun. 5, 5, 4. *et certe ipsus est.* Statii Theb. 5, 64. *erant certe quae — vulgarent.*

Plaut. Asin. 3, 3, 132. AR. *Aisn' vero?* LE. *Certe, inquam.* Terent. Andr. 3, 5, 11. P. *Expedies?* D. *Certe, Pamphile.* Cic. Tusc. 1, 5, 9. M. *Est miserum igitur, quoniam malum.* A. *Certe.* Oratoriae interrogationis, cui *certe* in responsione seu affirmatione adiectum est, exempla sunt apud Cic. p. Rosc. Com. 14, 41. p. Cluent. 54, 149. Philipp. 1, 15, 37. Acad. 2, 35, 113.

3. Igitur *certe* cuicumque iudicio addit confirmationem, et fere idem valet quod *profecto*. Opponitur *fortasse*. Et saepe explicari potest *non dubium est quin*, *sine dubio*, ut reddit Donatus ad Terent. Andr. 1, 1, 55. δηλονότι. Cf. Markland. ad Stat. Silv. 5, 1, 110. p. 246.

Cort. ad Lucan. 3, 126. Negare id voluit Burmann. ad Lucan. 8, 547.

Plaut. Amph. 2, 2, 198. *namque de illo subditivo Sosia mirum nimis est. Certe de istoc Amphitruone iam alterum mirum est magis.* Cic. loco modo allato de Nat. d. 1, 2, 5. *alterum fieri profecto potest, — alterum certe non potest.* de Opt. gen. d. 4, 10. *ita fit, ut Demosthenes certe possit summisse dicere: elate Lysias fortasse non possit.* Alia est ratio in Brut. 32, 123. *certe enim et boni aliquid attulimus iuventuti, magnificentius, quam fuerat, genus dicendi et ornatius: et nocuimus fortasse, quod veteres orationes post nostras — legi sunt desitae.* Nam *certe* pertinet ad totam sententiam, quae in altera parte invertitur.

Terent. And. 5, 4, 30, *certe mea est.* i. e. dubitari non potest, quin mea sit. Cic. p. Mil. 35, 96. *addit haec, quae certe vera sunt.* i. e. *gewifslich wahr, ganz wahr.* Cic. in Catil. 4, 4, 7. *vincula vero, et ea sempiterna, certe ad singularem poenam nefarii inventa sunt.* ad Att. 8, 18. *scripseras, Varronem tibi pro amicitia confirmasse, caussam nostram Pompeium certe suscepturum.* p. Marcel. 2, 7. *totum hoc, quantumcumque est, quod certe maximum est, totum est, inquam, tuum.* Ovid. Met. 10, 488. *ultima certe vota suos habuere deos.* Lucan. 8, 125. 5, 307. *vult omnia certe a se saeva peti.* Ita scribendum est, non *Caesar.* vid. Cortii not. Ovid. Her. 1, 3. *Troia iacet certe, Danais invisa puellis.* ubi bene coniunxit verba Lennepius, et ante eum Grunerus explicuit in Actis Soc. Lat. Ienens. Vol. 1. p. 31. Est: dubium non est, quin Troia obruta te redire sinat: *Troia liegt ja.* Frustra enim defendit Burmannus ad Propert. 2, 6, 1. emendationem a patruo factam: *per te.* Lucan. 9, 556. *certe vita tibi semper directa supernas ad leges.* Cic. p. Planc. 16, 38. *tu autem, Laterensis, quas tribus edidisti? Terentinam, credo. Fuit certe id aequum et certe exspectatum est, et fuit dignum constantia tua.* Orellius ipse cognovit se errasse coniiciendo *et certo:* tamen ne repetitio quidem displicere debebat. Wernsdorfius restrictivum esse sensum utroque in loco existimat. At nec diversus est sensus, et affirmatione intenditur. Vertas *es war allerdings — und allerdings.* In Ovidii Am. 3, 12, 13. *an prosint, dubium: nocuerunt carmina certe.* omnes libri scripti exhibent *semper,* quod quum Marius in uno codice invenisset mutatum in *certe,* reliqui approbarunt hanc interpolatoris emendationem: sed recte dicitur *semper.*

4. Saepe, praesertim apud comicos, augendae confirmationis caussa adduntur nomina *hercle*, *edepol*.

Terent. Andr. 3, 2, 15. *certe hercle nunc hic se ipsus fallit, haut ego.* Plaut. Amph. 1, 1, 285. *certe edepol — nimis similest mei.* Vid. Vossius de Construct. 63. p. 575. Exempla collegit Pareus in Lexico crit. p. 190.

5. Interdum particula, quum dubitationem reiiciat, rem ipsam tamquam omnibus notam et apertam monstrat ex sententia eius, qui loquitur, sicuti nostrum *ja*. Ita in loco Ovidii Her. 1, 3. allato et apud Claudian. in Rufin. 2, 95. *dilecta hic pignora certe, hic domus*, neque aliter in iis, quae n. 7. afferemus. Quare interdum additur *ecce*. Et usurpant *certe*, qui aliquem palam convincere volunt.

Plaut. Curc. 5, 2, 17. *certe sociatum, video.* Cist. 4, 2, 28. *certe eccum locum signat.*

Plaut. Cist. 2, 3, 62. *certe modo huius, quae loquuta est, quaerere aiebas filiam.* i. e. *du sagtest ja eben.*

Ita explicandus Catullus 62, 8. *sic certe: viden ut perniciter exsiluere.* i. e. ecce, ut dixeram, sic factum est. Sed recte emendatur codicis Thuanei auctoritate *sic certe est.*

6. Saepe etiam fit, ut in conclusione ponatur, qua certo iudicio aliquid efficitur. Quare componuntur verba *certe igitur*, *certe enim*, *nam certe*, *atqui certe*, et praemissa sententia conditionali aut caussali usurpatur *certe* in apodosi. De alio usu, quo *certe enim* dicitur pro *enimvero*, vide in ENIM.

Cic. de Div. 2, 9, 23. *certe igitur ignoratio futurorum malorum utilior est quam scientia.* Acad. 1, 4, 13. *certe enim recentissima quaeque sunt correcta et emendata maxime.* Brut. 82. vide p. 20. ad Att. 8, 12. *nam certe neque tum peccavi, quum* etc.

Cic. ad Att. 7, 7. *illud puto non adscribis: et tibi gratias egit. atqui certe ille agere debuit: et si esset factum, quae tua est humanitas, adscripsisses.*

Cic. de Nat. d. 3, 19, 49. *sed si hi sunt dii, est certe Erechtheus.* ubi Ernestius perperam voluit addi *et*. Heindorfius comparat 3, 19, 51. *quod si nubes retuleris in deos, referendae certe erunt tempestates.* Est id quod paullo ante *ergo*. Ovid. Fast. 2, 401. *ferret opem certe, si non ope mater egeret.* i. e. si non versaretur in ope matri ferenda.

Propert. 2, 12 (11), 14. *sed certe pennas perdidit ille suas: evolat heu, nostro quoniam de pectore numquam.* quae temere in suspicionem vocarunt critici.

7. Sed dicitur etiam *certe*, ubi rem certam esse praesumimus, dicimusque nos suspicari aut existimare, rem vere ita se habere. Germani ambiguo verbo *sicher*, Graeci ἴσως, eo quidem usu, quem illustraverunt Schaeferus ad Long. p. 357. Buttmann. ad Soph. Philoct. 180. Idque usurpatur saepe in indicandis rebus futuris: quas aliquando fore, certi sumus.

Plaut. Aul. 4, 4, 23. *ah nugas agis. certe habes.* Cic. ad Fam. 11, 16, 6. *si me tanti facis, quanti certe facis.* Ovid. Her. 19, 47. *iam certe navigat, inquam.* Met. 2, 423. *hoc certe coniux furtum mea nesciet.* Stat. Silv. 4, 6, 108. *certe tu muneris auctor non aliis malles oculis, Lysippe, probari.* Cic. ad Fam. 7, 8, 1. *scripsit ad me Caesar perhumaniter, nondum te sibi satis esse familiarem propter occupationes suas, sed certe fore,* ubi Ernestius male correxit *certo.* Plaut. Bacch. 5, 2, 58. *ego quidem ab hoc certe exorabo.* Virgil. Aen. 1, 234.

Huc refero etiam Propert. 2, 7 (6), 1. *gavisa es certe sublatam, Cynthia, legem, qua quondam edicta flemus uterque diu, ni nos divideret: quamvis diducere amantes non queat invitos Iupiter ipse duos.* Sibi respondent verba *quamvis* — *certe.*

Et de quo antea dubitavimus, nobis ipsis monstramus per *certe*, rem vere sic esse.

Terent. Eun. 5, 5, 4. Plaut. Trin. 4, 3, 64. vide. p. 19.

8. Praesertim vero in interrogatione additur *certe*, ubi affirmatio praesumitur, aut qualis res sit, iam indicatur anticipando.

Sueton. Aug. 33. *certe patrem tuum non occidisti?* i. e. nonne verum est, te non occidisse patrem? Cic. de Leg. 1, 1, 3. *certe non longe a tuis aedibus inambulans post excessum suum Romulus Proculo Iulio dixerit, se deum esse?* ubi alii codices *certene*, non male; sed pessime Moserus cum Graevio edidit *certone*, et perverso sensu Ernestius *num non longe.* Est vero: nonne verum est?

9. Haec nos perducunt ad ironicam dictionem et ad eam, qua indignatio exprimi solet. Germani dicunt *freilich.*

Lucan. 4, 213. *non potes hoc caussae, miles, praestare senatus, assertor victo redeas ut Caesare: certe ut vincare, potes.*

Phaedr. 1, 21, 10. *fortes indigne tuli mihi insultare, te, naturae dedecus, quod ferre certe cogor, bis videor mori.* Nec potest probari Burmanni sententia, qua *certe* dictum sit pro *saltem*, nec coniungi *certe* cum verbis *bis videor mori*, neque vero transpositio vocabuli, quam Meursius aliique fecerunt *cogor, certe*, adeo facilis ratio est: ne dicam de coniecturis male factis. Quis enim Latinorum umquam ita loquutus est: *certe bis videor mori? Certe* est scilicet, *freilich.* Cic. Tusc. 5, 20, 60. *huic quidem certe vitam tuam committis.* in quibus ironia erat, quae Dionysii iram crudelem excitaret.

10. Vidimus antea, per hanc particulam removeri dubitationem et augeri affirmationem. Id adhibetur ad res opponendas. Quare, reiecta alia re, id ponitur per *certe*, in quo tamquam in re satis certa et iusta acquiescendum sit.

Ovid. Her. 15, 120. *quid dolet haec? Certe filia vivit, ait.* i. e. *es lebt ja doch die Tochter.*

11. His cognata est vis restrictionis. Praemittitur enim aut intelligitur sententia, quae vel dubiam rem ponit, vel non audet totam rem aut alias res affirmare. Tum subiicitur *certe* cum iis, quae praeter illa dubia vel incerta vel nimia, saltem ex sua parte valent et affirmari possunt. Significat igitur *certe* fere idem ac *minimum*, *dumtaxat*, *saltem*, quod proprie de extremo dicitur, sed etiam pro *quidem* usurpatur. Nos Germani *sicher*, *wenigstens.* Cf. Gudius ad Phaedr. 2, 5, 20. Cortius ad Sallust. Iug. 31, 5. Drakenb. ad Liv. 2, 1, 2. Praecedunt saepe verba *fortasse*, *forsitan:* saepe unum opponitur pluribus aut ceteris. Additurque etiam *certe* in contracta oratione pro his: si illud non concedatur aut nimium videatur, hoc saltem verum est. Ceterum idem est usus atque sensus, sive particula praeponatur, sive subiiciatur suo nomini, modo id proxime attingat. Interponi tamen potest alia sententia secundaria.

Terent. Andr. 3, 2, 14. *saltem accurate; ut metui videor certe, si resciverim.*

Plaut. Amph. 1, 1, 152. *cingitur, certe expedit se.* Cic. de Fin. 4, 3, 7. *res enim fortasse verae, certe graves, non ita tractantur, ut debent.* Liv. 9, 11, 13. *et illi quidem, forsitan et publica, sua certe liberata fide, ab Caudio in castra romana inviolati redierunt.* Sueton. Calig. 51. *uno solatio acquiescens, transmarinas certe sibi superfuturas provincias.* Sallust. Iug.

4, 3. *atque ego credo fore qui — tanto tamque utili labori meo nomen inertiae imponant: certe, quibus maxima industria videtur, salutare plebem* etc. Cic. de Fin. 4, 3, 7. *totum genus hoc et Zeno, et ab eo qui sunt, aut non potuerunt, aut noluerunt, certe reliquerunt.* Liv. 22, 34, 11. *consulatum unum certe plebis romanae esse.* Lucan. 8, 501. *Aegyptum certe latiis tucamur ab armis.* Tacit. Ann. 14, 59. *repertus est certe per medium diei nudus exercitando corpori.* Quocum comparari potest Sueton. Caes. 50. *nam certe Pompeio — exprobratum est.* in addendo argumento certo. Horat. Carm. 2, 4, 15. *regium certe genus et penatis moeret iniquos.*

Sueton. Aug. 65. *etiam de necanda* (filia) *deliberavit. Certe, quum sub idem tempus una ex consciis liberta, Phoebe nomine, suspendio vitam finisset, maluisse se, ait, Phoebes patrem fuisse.*

12. Media inter hanc restrictionem et istam confirmationem sententiae ea collocanda esse puto exempla, in quibus *certe* additur imperativo, quo ad unam aliquam rem non negligendam, aut prae aliis efficiendam provocamus. Germani dicunt *doch ja.*

Lucan. 8, 547. *hanc certe servate fidem.* Alii codices praebent *saltim:* quod qui scripsit, de significatione vocabuli *certe* dubitaverat. Sed *certe* est δή, *doch ja.* Cortius pro *saltem* positum putat.

Ovid. Trist. 4, 4, 28. *hoc noli certe dissimulare.* Alii codices: *Saltem hoc noli d.*

13. Ita restringi videtur sententia in conditionali formula *certe si, certe nisi*, qua rem saltem in hac, quae dicitur, conditione veram esse conceditur. Sed melius hanc rem perspexerunt ii, qui cum Pareo haec ita interpunctione designabant, ut explicarent: recte hoc a te diceretur, si etc. Pertinet igitur affirmatio ad superiorem orationem, adiecta conditione, quae alienam sententiam restringat.

Cic. Orat. 42, 144. *at dignitatem docere non habet. Certe, si quasi in ludo: sed si monendo, si cohortando — nescio — cur* in quibus vocabula *at - certe* Schwartzius nescio quo momen inepte arbitrabatur cohaerere. Iure id repre-unt Facciolatus et Ernestius. Respondent autem verba de Fin. 2, 27, 91. *naturales divitias dixit parabiles uod parvo esset natura contenta. Certe, nisi voluptanti aestimaretis.* de Off. 3, 29, 105. *at enim ne iratus*

quidem Iupiter plus Regulo nocuisset, quam sibi nocuit ipse Regulus. Certe, si nihil malum esset, nisi dolere.

14. Sententiae concessionalis prior pars per *et certe* ita formatur, ut sensus sit: concedamus hoc verum esse: non negabo, quod certum est. Nos *und allerdings.* Ita etiam simplex *certe* ponitur.

Cic. p. Marc. 2, 6. *et certe in armis militum virtus, locorum opportunitas, auxilia sociorum — multum iuvant: maximam vero partem quasi suo iure fortuna sibi vindicat.* ad Fam. 4, 2, 5. *quod existimas, meam caussam coniunctam esse cum tua, certe similis in utroque nostrum — error fuit.* i. e. *allerdings.*

15. Sed in eadem sententia concessionali, apodosis, cui aptum addimus vocabulum *tamen,* huius ipsius locum explet *certe.* Ita fit post *si, si non, etiamsi, quamvis, ut,* et interdum etiam omissa coniunctione. Neque aliter ea, in quibus caussa ponitur pro conditione, *quoniam* pro *quamquam.*

Cic. p. Balbo 27, 62. *si certorum hominum mentes nulla ratione, iudices, placare possumus, vestros quidem animos certe confidimus — esse placatos.* Cic. ad Att. 3, 15. *qui si non plus ingenio valebas quam ego, certe timebas minus.* Cic. ad Fam. 4, 7. *victi sumus igitur, aut, si vinci dignitas non potest, fracti certe et abiecti.* Alia dabimus in xi. Exempla apud Apuleium obvia notavit Oudendorp. ad Metam. 6. p. 382.

Tacit. An. 16, 25. *sin crudelitati insisteret, distingui certe apud posteros memoriam honesti exitus ab ignavia per silentium pereuntium.*

Cic. ad Att. 16, 7. *etsi, quamvis non fueris suasor et impulsor profectionis meae, approbator certe fuisti.*

Cic. Philip. 12, 3, 8. *qui si pacis, id est timoris mei, nomen audiverit, ut non referat pedem, insistet certe.* Conf. infra n. 17. Cic. p. Quint. 1, 3. Bene restituerunt critici Ovid. Her. 19, 115. *o utinam venias: aut ut ventus paterve, caussaque sit certe femina nulla morae.*

Cic. Acad. 2, 32, 105. *haec — sint falsa sane: invidiosa certe non sunt.* Vid. Bünemann. ad Lactant. Epit. 62. Cic. Tusc. 3, 17, 36. *quae pervellere te forsitan potuerit, non poterit certe vires frangere.* Bentleius necessarium putabat *quae ut pervellere.* Sed bene obloquutus est Wopkens. Lect. Tull. p. 113. (83.) adhibitis aliis exemplis, quae vide.

Ovid. Met. 1, 557. *at coniux quoniam mea non potes esse, arbor eris certe, dixit, mea.*

16. Quod ipsum pro *tamen* ponitur, *certe* adiunctum sibi habet *tamen*. Id Gernhardus ad Cic. Cat. 23, 84. ab elegantia alienum esse censuit, ideoque ad familiaris sermonis abundantiam retulit; cuius sententiae neque rationem perspicio, neque eam ab accurata observatione informatam video. Aliter paullo, sed recte et ab optimis scriptoribus dicitur *at certe*: de quo vide Vol. 1. p. 444. et *sed certe*.

Cic. de Orat. 3, 6, 22. *sed si hoc quoque videtur esse altius, quam ut id nos, humi strati, suspicere possimus, illud certe tamen, quod amplexi sumus — nosse et tenere debemus.* Cat. 23, 84. *sed habeat sane: habet certe tamen aut satietatem aut modum.* duo codices omittunt *tamen*.

Balbus apud Cic. ad Att. 9, 6. *quod* (consilium) *si non fuerit prudens, at certe ab optima fide et optimo animo proficiscetur.* Tacit. An. 12, 39. Hist. 4, 58. Germ. 33. ubi vid. Longolius. Ovid. Fast. 3, 351. *at certe credemur, ait, si verba sequatur exitus.* i. e. at tunc certe credent, quum viderint exitum. Alia in SI.

Cic. ad Att. 9, 10. *non scilicet integra re, sed certe minus infracta.* de Leg. 1, 21, 56. *sed certe res ita se habet.* et paullo post: *quapropter hoc diiudicari nescio an umquam, sed hoc sermone certe non potest.*

17. De usu in formulis disiunctivis *aut certe* diximus Vol. I. p. 556. De *vel certe* vide in VEL. In priori sententiae parte non locum esse particulae, recte monuit Lambinus contra Scioppium ad Cornel. Hamilc. 1. vid. p. 18. Dictionem *aut certe etiam*, Augustino de Civit. 3, 3. restituendam, illustravit Eusthat. Swartius in Analect. p. 63.

18. Vis illa restringens etiam ad singula verba accommodatur ita, ut *certe* idem sit quod *quidem*: quemadmodum *certus* interdum pro *quidam* ponitur. Quo sensu maxime cum pronominibus copulatur: *certe ego, mihi certe, quod certe.*

Cic. Tusc. 5, 28, 81. *quo quid sit beatius, mihi certe in mentem venire non potest.* Ovid. Her. 19, 81. *certe ego tum ventos audirem lenta sonantes.* i. e. ego quidem. Met. 13, 840. *certe ego me novi.* Trist. 4, 5, 13. Fast. 2, 5. *certe ego vos habui faciles in amore ministros.* ubi alii codices *ipse ego*, quod miror Marklando placuisse. vid. Heinsius.

Hunc usum non satis compertum habebat Cortius, quum ego

delendum esse existimaret in Sallust. Iug. 31, 4. *sed quamquam haec talia sunt, tamen obviam ire factionis potentiae animus subigit: certe ego libertatem, quae mihi a parente tradita est, experiar.* Displicuit ego Cortio, quia vis oppositionis in verbis *obviam ire et experiri libertatem* quaerenda esset, non in pronomine. Etiam Marklandus in Statii Silv. 5, 3, 10. *certe ego magnanimum qui facta attollere regum ibam* etc. monstrosam corruptelam cognovisse sibi visus erat, ubi elegantia splendet.

19. Duplex est forma, qua *certe* et *quidem* componuntur. Primum enim additur *quidem* vocabulo alicui antecedenti, cuius vim intendit ita, ut haec formula a simplici *certe* tantum gravitate distinguatur. Gernhardus ad Cic. Cat. 2, 6. particulae *quidem* non satis accurate tribuit vim oppositivam. *Quidem* ad vocabulum proximum pertinere, exempla probant, quae aliud verbum interpositum habent, aut ordinem conversum. Pronomina vero sunt, quibus praesertim additur *quidem certe*. Pareo particula *quidem* videbatur tantummodo explendi vel ornandi caussa accedere superflua. Ernestius ad Cic. p. Quint. 1, 3. respondere dicit graecum *μὲν δή*, sed abundanter addi *certe*. At neutrum verbum abundat: alterum enim ad nomen, alterum ad totam sententiam pertinet.

Cic. Acad. 2, 7, 22. *memoriae quidem certe — nihil omnino loci relinquitur.* Cat. 2, 6. *quoniam speramus, volumus quidem certe senes fieri.* ubi quod Sylvius dedit *volumus certe quidem*, esse deberet aut *certe quidem volumus* aut *certe volumus quidem*. ad Att. 1, 1. *spero tibi me caussam probasse, cupio quidem certe.* Sed hunc locum adhibere debebant critici in constituendis verbis de Leg. 1, 13, 35. ita scribendis; *ex his enim, quae dixisti, Attico videtur, mihi quidem certe, ex natura ortum esse ius.* Dicere voluit *Attico et mihi videtur*, sed invertit orationem. Nam interpunctio, quam recentiores critici post nomen *Attico* fecerunt, alienam affert subtilitatem et abhorret ab usu loquendi. ad Quint. fr. 3, 8. *aliud hoc tempore de re publica nihil loquebatur: agebatur quidem certe nihil.*

Terent. Eun. 4, 5, 5. *certe tu quidem pol multo hilarior.* ubi non praestat scriptura *certo:* est, mittamus hoc, me formosiorem esse: saltem tu quidem hilarior es. ad Att. 6, 3. *de quo ipso nihil cupide agemus, sine tuo quidem consilio certe nihil.* 12, 28. *sit missum necne, nescio: dictum quidem mihi*

certe nihil est. de Prov. cons. 17, 41. *quam sapienter, non disputo: multis enim non probabo: constanter quidem et fortiter certe.* ubi Schwartzius temere censet legendum *constanter et fortiter certe quidem.* p. Balb. 27, 62. vid. p. 25.

Cic. ad Fam. 1, 9, 66. *me quidem certe tuarum actionum, sententiarum, voluntatum, rerum denique omnium socium comitemque habebis.* de Off. 2, 39, 140. *quarum quidem certe est adhibendus modus.* ad Att. 16, 6. *quod quidem certe enitar.* Plaut. Amph. 1, 1, 261. *hic quidem certe, quae illic sunt res gestae, memorat memoriter.* Cic. ad Fam. 1, 9, 31. *illud quidem certe nostrum consilium iure laudandum est.* in Verr. 2, 74, 183.

Cic. ad Fam. 1, 8, 2. *quae* (res) *quales sint, non facile est scribere: sunt quidem certe in amicorum nostrorum potestate.* Si quis in his requirat particulam post *amicorum* ponendam, diligentius consideret vim et naturam verbi substantivi, de qua in QVIDEM dicturi sumus.

Ne — quidem certe in quibusdam libris legitur apud Cic. p. Quint. 15, 50. *huic ne perire quidem certe tacite obscureque conceditur.* Sed in aliis deest *certe.*

Certe quidem altera est forma, in qua ipsum *certe* amplius intenditur, igiturque per se constat et reliquis verbis praemittitur. Pareus existimabat hoc non differre ab *quidem certe,* nisi quod illud ab initio, hoc in fine sententiae poneretur.

Cic. Tusc. 1, 29, 70. *ubiubi sit animus, certe quidem in te est.* Liv. 45, 22, 5. *certe quidem vos estis Romani, qui ideo felicia bella vestra esse, quia iusta sint, prae vobis fertis.*

20. *Certe equidem* ubi legitur, non cohaerent haec vocabula, sed *certe* confirmationem veritatis adiicit universae sententiae, et pertinet ad verbum.

Plaut. Aul. 2, 2, 38. *certe edepol equidem te civem sine mala omni malitia semper sum arbitratus.* Pers. 2, 2, 27. *certe equidem puerum peiorem quam te novi neminem.* Virgil. Ecl. 9, 7. *certe equidem audieram, — omnia carminibus vestrum servasse Menalcam.*

In Lucret. 3, 1091. *certe equidem finis vitae mortalibus adstat.* nunc restitutum legitur *certa quidem.* Vide Forbigerum ad h. l.

21. Peculiari modo *certe* coniungitur cum adverbiis temporis, ut designatio fiat distinctior. Ita dicitur *iam*

certe, *nunc certe*, quod est *νῦν δή*, *nuper certe*, *tunc certe*.

Lucan. 5, 357. *iam certe mihi bella geram.* Ovid. Her. 19, 47. *iam certe navigat.* ubi si *certe* cum verbo *navigat* coniunxeris, res eadem erit, sed languidior sensus. Calpurn. 5, 10. *iam certe potes insudare labori.* ubi ineptae sunt coniecturae Heinsii et Burmanni. Virgil. Aen. 12, 880. *possem tantos finire dolores nunc certe.* Ovid. Met. 13, 562. *nunc certe, dixi, non est metuendus Achilles.*

Novum illud est apud Tertullianum de Pallio 4. extr. *enimvero quum hanc primum sapientiam vestit, quae vanissimis superstitionibus renuit, tunc certissime pallium super omnes exuvias et peplos augusta vestis.*

* *Certe* et *certae* confusa atque hoc in *tantae* mutatum est Ovid. Her. 19, 115. et in *coeptae* Liv. 2, 1, 2. ubi vid. Drakenb. et ad 9, 11, 13. *Certe* et *per te* commutata voluit Burmannus non uno in loco. vd. ad Ovid. Met. 14, 30. Her. 1, 8. Trist. 4, 3, 41. ad Calpurn. 5, 10. et Burmann. Sec. ad Propert. 2, 7 (6), 1. et varietas haec exstat in Propert. 3, 17 (15), 5. ubi iure defenditur duplex *per te*. *Certo* et *credo* commutata sunt in Cic. ad Fam. 1, 2, 16. unde critici emendarunt *certo scio*. *Certe* et *cetera* confusa sunt in Apuleii Met. 2. p. 123, 16. ad quem locum vide Oudendorp. p. 139. Vid. Schwarz. ad Plin. Paneg. p. 583. *certe* et *cene*, *coenae* quomodo commutarentur, demonstraturus erat Markland. ad Stat. Silv. 5, 1, 110. ubi et ipsius *certe* et Burmanni *pene* egregie languent. Quod in Ovid. Fast. 1, 5. *ipse* pro *certe* legitur, factum est ab ignorantia formulae *certe ego*.

CESSIM. COSSIM.

Quae lexicorum auctores de vocabulis CESSIM et RECESSIM tradunt, aut falsa sunt, aut incerta. Illi enim breviter dicunt *cessim*, a *cedo* factum, significare *retro*. Equidem primum apponam veterum scriptorum locos. Ex Varronis Sesquiulysse Nonius 4, 42. et 4, 109. affert haec, in quibus cod. guelferbyt. aliique *cossum* et *cossim* exhibent: *Adversi venti ciciderunt. Quod si pergunt diutius mare volvere, vereor, ne me quoque, quum* (al. *quo*) *domum ab Ilio cossim reverterer* (in altero loco

cossum venero) praeter album canem cognoscat nemo. Alfenus in Digest. 9, 2, 52, 2. *interim superius plostrum cessim ire coepit*, et paullo post: *si — ideo plostrum cessim redisset.* Iustin. 2, 12, 7. *vos commisso proelio ite cessim, inhibete remis, et a bello discedite.* Sed codd. veteres alii *ite cessum, ite cesserim, ite cesim.* Apulei. Met. 2. p. 121, 8. (p. 125.) *lagena iuxta orificio cessim dehiscente patescens facilis hauritu prorsus gladiatoriae Veneris antecoenia.* Librorum scriptorum, ut videtur, nullus praebet incorruptum vocabulum, sed *cessi, cessui, caesim, cesim:* unde Aldus fecit *sensim*, reliqui explicant *cessim*, *retro* vel *gradatim.* Vegetius Art. vet. 5, 22, (3, 21,) 1. *sed quamvis alienata horum vel emota coxa videatur, si super ipsum pedem cessim repellantur, continue emendabitur gressus.* Ibi codices *temperaveris pedes cessim compellantur.*

In universum hoc est tenendum, *cessum, cessim, cossum, cossim* unius verbi diversas esse formas, quemadmodum antiqui dixerunt *tonbres, amplocti*, et *hemo, benus* pro *homo, bonus.* Ea vero a *ceso*, quod factum est a *cedo*, recte deducuntur. Atque ex *ceso* facta sunt *cesso* et *cosso:* unde *cessum* et *cossim*, cuius formatio convenit cum multis aliis, veluti *raptim, restrictim, iuxtim*, pro *raptum, restrictum, iuxtum.* Haec vero vocabula non significant motum retrogradum aut retro versum, sed obliquatum, sive id quod fit cedendo in latus aut retrorsum, quod nos dicimus *beugen, ausbeugen:* unde dicitur *coxa*, quam eadem ratione nos vocamus *den Bug.* Hinc *cessum revertere, cessim ire.* Illud commode usurpat Vlysses in isto sermone perquam festivo: hoc recte ponitur de plaustro, quod, dum retro cedit, de via deflectit. Et Iustinus dixisse videtur de militibus fugitivis, uti nos *ausbeugen.* Tum etiam usurpatur de gressu vacillante vel labando cedente retro apud Martian. Capell. de Nupt. philol. 7. p. 271. edit. Plant. *tunc motibus negatis magis involutus adstat, cessimque formidantes abeunt pedes trembre.* Paullus in Dig. 21, 1, 43. *bovem, qui cornu petit, vitiosum esse plerique dicunt: item mulas, quae cessum dant.* Holounder dedit: *quae cessim eunt.* Apud Apuleium l. l. orificium lagenae vocatur *cessim dehiscens*, quod non rectum exit, sed curvatum sive obliquum habet os:

quamquam corrupta verba leguntur in plurimis libris *cesim deascento*, sed in cod. guelf. *deiscento*.

Sed pro *cossim* etiam *coxim* dicebatur. Nam Nonius 1, 191. *cossim dictum quasi coxim. Pomp. Porcaria: Sciunt hoc omnes, quantum est, qui cossim cacat*, et Apuleius Met. 3. p. 129. *complicitis denique pedibus ac palmulis in alternas digitorum vicissitudines super genua connexis, sic grabatum coxim insidens ubertim flebam*, quod quum explicuissent de pedibus in modum sartorum complicitis, negarunt lib. 2. p. 122, 17. scribi posse *super me cossim*, seu *cessim*, *residens*, ubi codices habent *sensim*: at negotio isti Veneris pendulae illud bene convenire videtur: nam *cossim* significat *varicatus*, ut bene vidit Scaliger in notis ad Festum p. 110. edit. Dacer. Reliqui docuerunt *coxim* esse idem quod *in coxas*. In Comici fragm. quod affert Oudendorp. ad Apulei. T. 1. p. 132. coeuntes *sinuant cossim feminai*. Etiam qui pedibus infima parte complicitis sedet, *coxim sedere* dici potest, distracta superiori parte, quod est, distentis coxis. Sed *coxim* non fit ex *coxa*, sed utrumque verbum deducitur a *cossare* sive *coxare*: unde *incoxare* dicitur a Pomponio apud Non. 1, 180. et *cossigerare* ab Attio apud Non. 1, 305. s. v. *porcae: bene proscissas cossigerare ordine porcas bidenti ferro, tectas obruere*. Intelligo porcas distrahere.

Quod in Plauti locis quibusdam nunc vulgo legitur *recessim*, omnino est antiqua auctoritate destitutum. Nam in Cas. 2, 8, 7. omnes libri veteres exhibent *retro versum cedam ad parietem*: et in Amphit. 5, 1, 60. *ego cunas recessum vorsum trahere et ducere*. Vulgo scripserunt: *ego cunas recessim rursum vorsum trahere*. Corruptum esse hunc locum, et Meursius et alii perspexerunt. Quod apud Festum s. v. *nepa* legitur *recessim dabo me ad parietem*, factum est ab Antonio Augustino.

CETERVM. CETERA. CETERO.

Primum de orthographia. Atque recte scribitur *ceterum*, non *caeterum*. Id bene intellexerunt Manutius, Cellarius, Norisius, quem vide apud Harlesium p. 212. Vol. 2. Qui defendunt diphthongum, temere approbant perversam opinionem Vossii et Dausquii allo-

rumque grammaticorum recentiorum, quibus vocabulum videbatur ex graecis καὶ ἕτερος compositum esse. Ita etiam Heumannus in notis ad Cellarii librum, et Beierus in Miscellan. crit. Vol. 1. p. 183. Haec vero verbi formatio et falsa est, et sensu destituta, quamquam non desunt, qui eam doctam appellent. Scilicet a doctrina grammaticorum proficiscitur, sed inani ac futili. Nam καὶ ἕτερος non fit καίτερος, sive κήτερος, sed χάτερος sive κάτερος. Et quod Beierus argumentum illud, a Cellario aliisque prolatum, quo duplicis copulae ratio in verbis *et cetera* absona reiicitur, alio exemplo verborum *et pleraque* infringere voluit, id non ad rem attinet: nam haec syllaba *que* nec habet vim copulativam, nec potest comparari cum *ce* sive *cae*, cui nemo tribuet significationem graeci καί. Conf. ABSQVE p. 66. Vol. 1. Heumannus, qui per *c* spiritum asperum exprimi putabat, productam syllabam exemplis similibus, ὄνομα et *nomen*, comprobare conatus est. Equidem in *ce* video illam particulam demonstrativam, de qua p. 10. dixi: quae ipsa brevis contractione producitur, et sensum affert reliquae vocabuli parti satis aptum. Nam quae in *hicce*, *ecce* postponitur, hic praefigitur. Antiqua autem monumenta conveniunt fere omnia in simplici vocali: id quod per omnia tempora demonstraverunt Cellarius et Norisius. Quod vero legitur in inscriptione apud Gruterum p. 801. n. 11. *caeterisque suis fecit*, dubiae videtur auctoritatis esse, et si alia exstant certa exempla, sunt ea facta consuetudine, qua *e* et *ae* multis in verbis confundi solebant. Vid. Schneideri Gram. 1. p. 55.

De discrimine verborum *ceteri* et *reliqui* disputavit Beierus in Miscellan. a Seebodio editis l. l. hunc in modum: *cetera* dici ea, quae ad unum genus cum eo, quod dictum est, relata ex singulis partibus seu membris constent: ubi autem aliae res ad illud unum explendum referantur, non in partes discernendae, usurpari *reliqua*: ideoque quae *cetera* dicuntur, etiam dici posse *reliqua*, non discretis his rebus. In quibus unum verum, duo falsa sunt. Nam recte refertur in *cetero* alia pars ad idem genus, aut ad idem corpus, et *cetera* sunt partes unius rei: at primarium illud est, quo diverso modo *cetera* et *reliqua* ad illud unum referantur, nec quidquam interest, utrum hoc, quod reliquum dicitur, to-

tum esse censeas, an in partes discretum cogites, neque in loco Cic. in Verr. 4, 22, 48. *coenabat apud eum: argentum ille ceterum purum apposuerat.* verbis quidem significatur, argentum purum apparuisse in multis vasis. Sed ex sententia Beieri *reliqua vita* apud Terent. Hec. 3, 5, 40. totam reliquam vitae partem, *cetera vita* apud Q. Cic. de Petit. c. 7. alias vitae conditiones diversas significat, et in Liv. 1, 48, 5. *non abhorret a cetero scelere.* intelligi debent plura scelera. Quod ad interpretationem pene ridiculam perducit verborum Virgil. Aen. 2, 207. *pars cetera pontum pone legit*, quasi intelligantur, quae postea dicuntur *immensa terga.* Idque Beierus ipse sentire poterat, quum, apud Tacit. Agr. 17. ut in *cetero orbe* multiplicem rem haberet, supplendum esse scripsisset „ una cum reliquis terris.“ Nihil vero magis coarguit errorem viri docti quam adverbium *ceterum*, in quo, si verum esset illud decretum, intelligi deberent singulae aliae res aut partes. At tali subtilitate non opus habemus in distinguendis his vocabulis, quorum naturam ipsa origo docet. *Ceterum* enim id dicitur, quod alterum opponitur alteri rei, sive quod adhaeret, vel additur, vel addi potest alteri, quae dicta est, rei, tamquam pars necessaria: *reliquum* autem est id, quod relinquitur et superest. Id bene perspexisse video et Doelekium in Grammat. p. 188. et Doederlinum in Synon. lat. Vol. 1. p. 183. etiamsi non eo procedam cum hoc viro erudito, ut *ceterum*, ex ἕτερον factum, appellem mutatam formam verbi *alter*, quod cum ἄλλος cognationem habere nemo negabit. Ex his vero patet, quo facili modo *cetera* et *reliqua* inter se permutari possint, quum eamdem rem et cum dicta re cohaerere aut ad eam referri putemus, et seorsum spectare aut in se relinquere eam possimus. Conf. Sallust. Cat. 59, 2. et 5. ubi *reliqua signa* sunt, quae paullo post *ceterum exercitum* dicuntur.

Quid sibi voluerit Grotefendus, qui in Grammat. Vol. 2. p. 192. *ceteri* ab ἐκεῖ deducendum existimat, ego non magis perspicio quam Doederlinus.

Viri docti in rei demonstratione adhibere debebant locos, in quibus vocabula illa non commode possent commutari, veluti Liv. 21, 20, 6. *contra ea audire sese, gentis suae homines agris finibusque Italiae pelli a populo romano stipendiumque pendere et cetera indigna pati.* i. e. aliaque. Cic. de Nat. d. 2,

10, 27. *iam vero reliqua quarta pars mundi ea et ipsa tota natura fervida est, et ceteris naturis omnibus salutarem impertit et vitalem calorem.* Non poterat scribi *cetera quarta pars mundi.*

I. 1. *Ceterum* igitur, qui est adiectivi accusativus neutralis adverbii loco positus, primum significat: quod ad cetera attinet, in ceteris rebus, praeter hoc, quod dictum est, praeterea, hoc excepto, sive misso. Nihil opus est ellipsin praepositionis statuere, sicuti posuit Vossius de Analog. 4, 20. p. 251. Simili modo, sed diversa, quam ante explicui, ratione usurpatur *reliquum.* Interdum vocabulum *ceterum* a nomine ita attrahitur, ut adiectivam naturam non exuat, sed cum nomine congruat: quemadmodum dicitur *nihil ceterum* pro nihil praeterea. Sed refertur *ceterum* ad sententiam, quae pronuntiatur, universam: ubi una rei conditio ceteris opponitur, Latini non dicunt *ceterum,* sed *cetera.*

Cic. ad Q. frat. 2, 14. *ego me in Cumano et Pompeiano, praeterquam quod sine te, ceterum satis commode oblectabam.* Liv. 1, 24, 3. *foedera alia aliis legibus, ceterum eodem modo omnia fiunt.* i. e. praeterquam quod aliis legibus fiunt. Plaut. Bacch. 4, 4, 51. *enim nihil, nisi ut ametis, impero: ceterum quantum lubet me poscitote aurum, ego dabo.* 4, 8, 37. *tu aurum rogato: ceterum verbum sat est.* ubi recte Acidalius: „de cetero, sive quod ad cetera attinet, verborum satis est; quasi dicat, de rebus aliis nihil opus te ad senem meminisse, nummos saltem rogato." Truc. 4, 3, 72. *filium istinc tuum te meliust repetere: ceterum uxorem, quam primum potest, abduce ex aedibus.* Terent. Phorm. 1, 2, 91. *nunc amitte, quaeso, hunc: ceterum, posthac si quidquam, nil precor.*

Plaut. Stich. 5, 3, 8. *Stichus obsonatus est: ceterum ego curando id allegavi.* quae interpretor: quod reliquum erat, eius curam aliis transmisi. Capt. 5, 3, 12. *nihil ceterum.* Epid. 4, 1, 21. *quid ceterum?* 3, 4, 75. *numquid me vis ceterum?* Pers. 4, 6, 26. Dubitabant iam veteres grammatici de explicandis verbis Sallustii in Epist. Mithridatis. p. 987. Cort. *scio equidem tibi magnas opes virorum, armorum et auri esse: ea re a nobis ad societatem, ab illis ad praedam peteris. Ceterum consilium est, Tigranis regno integro, meis militibus belli prudentibus — per nostra corpora bellum conficere.* Charisius Instit. gram. 2. p. 177. ad haec: *ubi Asper: ceterum quomodo positum est? pro* ***alioquin consilium est?*** *an pro*

reliquum consilium est? Et Vossius de Analog. l. l. explicat *ad reliquum quod attinet*, Cortius *sed*, in eo quoque falsus, quod intellexit *consilium Tigranis*. Sensus est: etiamsi societatem repudias, consilium tamen constat.

Adiectivum hoc habet proprium, ut, si in una re duae partes distinguuntur, nomini praemittatur, sin vero universa res opponitur alii rei tamquam diversae, post ponatur, ut a Catone dicitur apud Gellium 3, 7. *illo facto, quod illos milites subduxit, exercitum ceterum servavit*. et a Sallustio Cat. 52, 32. *videlicet vita cetera eorum huic sceleri obstat*. In locis Cic. in Verr. 4, 22, 48. et ad Att. 14, 16., ut infra indicabo, intelligi debent adverbia.

2. Hanc vim adverbii saepe cum reliquis verbis ita cohaerere videmus, ut oratio cogitatione compleatur, et oppositio exsistat, quae alteram rem praesumi iubet.

Cornel. Nep. Eum. 8, 5. de duabus viis: *quarum brevior per loca deserta, quae nemo incolebat propter aquae inopiam, ceterum dierum erat fere decem*. i. e. quamquam brevior erat. Liv. 39, 15, 6. *bacchanalia — non fama modo accepisse vos, sed crepitibus etiam ululatibusque nocturnis, qui personant tota urbe, certum habeo: ceterum, quae ea res sit, ignorare*. i. e. quamquam vos ea cognita habueritis.

3. Coniungitur *ceterum* cum *etiam* et *quoque* eo modo, quo iam antea vidimus *praeterquam*, *praeter* in altero enuntiationis membro addi posse.

Sueton. Galb. 16. *ceterum praetorianos etiam metu et indignitate commovit*. Celsus 7, 19. *ceterum, antequam excidantur, hae quoque vinciri lino summae debent*.

4. Grammatici fere omnes docent, *ceterum* pro *sed*, *tamen*, *verum* poni, aut certe cum iis permutari posse. Vid. Ernest. ad Plin. Pan. 55, 9. Ch. G. Schwarz. ad c. 5. p. 583. Aug. Guil. Ernesti in Glossar. Livian. s. h. v. Zumptius in Grammat. n. 349. apud Curtium frequentem hunc usum observasse sibi visus est. I. Conr. Schwartzius dubitabat, num ita ab oratoribus aureae aetatis diceretur. Illi vero ad solam oppositionem respiciebant, quae in ipsa huius vocabuli natura semper inest, et saepe magis valet quam remotio alterius rei. Tamen in omnibus locis, qui huc pertinent, restringitur aut omittitur altera, quae antea commemorata est, res, et altera ex sua parte consideratur. Ita praecedit *quidem*,

aut intelligi debet. Atque significatio vocabuli *ceterum* eadem manet, quam vidimus n. 1.

Liv. 2, 3, 1. *quum haud cuiquam in dubio esset, bellum ab Tarquiniis imminere, id quidem spe omnium serius fuit: ceterum, id quod non timebant, per dolum ac proditionem prope libertas amissa est.* 1, 3, 9. *ubi et peditum quidem robore ceterum equitatu aucto nuper plurimum romana acies valuit.* Florus 3, 1, 11. *et Zamam quidem frustra diu voluit: ceterum Thalam gravem armis thesaurosque regis diripuit.* Plin. Pan. 5, 4. *turba — illa quidem, ut tunc arbitratum deum, ceterum ut docuit eventus te consalutavit imperatorem.* Liv. 42, 26, 9. *venerant Rhodii legati ad purganda ea, quae vulgo iactari de civitate solebant: ceterum senatum iis dari, quum novi consules magistratum inissent, placuit.* 3, 71, 6. *eo rem se vetustate oblitteratam, ceterum suae memoriae infixam adferre.* 22, 2, 2. *quum aliud longius, ceterum commodius ostenderetur iter.* Florus 3, 5, 3. *caussam quidem illius belli praetenderat apud Cassium legatum, attrectari terminos suos a Nicomede bithynico: ceterum elatus animis ingentibus Asiae totius, et si posset, Europae cupiditate flagrabat.* Tacit. Ann. 1, 44. *sequuti exemplum veterani haud multo post in Raetiam mittuntur, specie defendendae provinciae ob imminentis Suevos: ceterum ut avellerentur castris.* i. e. specie quidem defendendae provinciae, sed re vera, ut avellerentur castris. Ita etiam 15, 52.

Id imprimis fit negatione praemissa, et in re certa, quae dubiae opponitur, aut cum parvis vel minoribus rebus componitur.

Liv. 9, 21, 1. *consules exitu anni non consulibus ab se creatis, Sp. Nautio et M. Popillio, ceterum dictatori L. Aemilio legiones tradiderunt.* 28, 11, 7. *id quamquam nihil portendentibus diis, ceterum neglegentia humana acciderat, tamen et hostiis maioribus procurari et supplicationem ad Vestae haberi placuit.*

Plin. Pan. 55, 9. *praeterea ut quisquis factus est princeps, extemplo fama eius, incertum bona an mala, ceterum aeterna est.* Tacit. 12, 59. *pauca repetundarum crimina, ceterum magicas superstitiones obiectabat.*

Saepe tamen etiam sensus reddi potest verbis *ab altera parte, accedit ab altera parte*, quamquam, ubi oratio insistit huic alteri parti, alteram missam faciens, redit illa, quam supra exposuimus, vis, nobis reddenda per *abgesehen hiervon, abgesehen davon.*

Liv. 9, 26, 21. *Publilius etiam Philo, multiplicatis summis honoribus, post res tot domi belloque gestas, ceterum invisus nobilitati, caussam dixit, absolutusque est.* 42, 50, 4. *ceterum multo maior pars ferocioris sententiae erat.* Florus 2, 18, 7. *sed non minus Numantini quam Caudini illius foederis flagrans ignominia ac pudore populus romanus dedecus quidem praesentis flagitii deditione Mancini expiavit: ceterum duce Scipione Carthaginis incendiis ad excidia urbium imbuto, tandem etiam in ultionem excanduit.*

Liv. 21, 18, 4. *praeceps vestra, Romani, et prior legatio fuit, quum Hannibalem, tamquam suo consilio Saguntum oppugnantem, deposcebatis: ceterum haec legatio verbis adhuc lenior est, re asperior.* Ceterum esse potest *ab altera parte, contra:* sed potest etiam esse: missa illa priore legatione, haec est etc. quod est *tamen.* 21, 6, 1. *cum Saguntinis bellum nondum erat: ceterum iam belli caussa certamina cum finitimis serebantur.* Ita saepe Tacitus: Ann. 1, 6. 1, 3.

Plaut. Trin. 4, 2, 151. *sed enim qui sis, qui non sis, floccum non interduim.* Antiqui libri habent: *sed herum:* Igitur Scioppius egregie emendavit *ceterum.* Nos *übrigens ist mir ganz gleichgültig.*

5. Hac formula confici potest demonstratio ita, ut, missis aliis rebus, in unum momentum colligantur ea, quae evenerint: id quod Latini etiam per *denique* exprimunt.

Tacit. Ann. 1, 58. *ceterum et inieci catenas Arminio, et a factione eius iniectas perpessus sum. Nos das Resultat war.*

6. Contraria his esse videtur ratio, ubi per *ceterum* res aliqua accuratius definitur et restringitur ita, ut sensus sit *et quidem.* Inest tamen oppositio, qua ad rem dictam ex alia parte aliquid accedit.

Cic. in Verr. 4, 22, 48. *coenabat apud eum. Argentum ille, ceterum purum apposuerat, ne purus ipse relinqueretur, duo pocula non magna, verum tamen cum emblematis.* Ita sunt haec verba interpungenda, quorum facetus sensus est: apposuerat argentum, et purum quidem, ne purus ipse relinqueretur.

7. Ponitur *ceterum* in transitu ad aliam rem, quae post alias aut praeter alias spectanda sit. Est igitur id quod *restat ut*; saepe etiam id quod *ut hoc addam.* Ita loquitur, qui aliud argumentum vel aliam caussam

additurus est, et is, qui in demonstratione rerum, alia omissa, aliam suscipit.

Plaut. Poen. prol. 91. *vosmet nunc facite coniecturam. ceterum, quid id sit hominis, cui Lyco nomen sict.* Terent. Hec. 3, 3, 31. *ceterum de redducenda id facias, quod in rem sit tuam.*

Plaut. Poen. prol. 125. *dehinc ceterum valete.* Men. 4, 2, 59. *ceterum familiarium alicui irata es?* Accedit enim propius ad rem.

Sallustius Iug. 4, 1. exposita sententia de virtutibus animi humani, pergit: *ceterum ex aliis negotiis, quae ingenio exercentur, imprimis magno usui est memoria rerum gestarum.* Columella 8, 8, 6. *ceterum cibos iuxta parietem conveniet spargi.*

8. Locum habet haec particula in interrogatione, quae cum admiratione aut cum ironia profertur.

Terent. Ad. 4, 7, 18. *ceterum placet tibi factum, Micio?* Eun. 1, 2, 7. *ceterum de exclusione verbum nullum?* Haec enim interrogatio est admirantis. Donatus: *plus admirationis est, nec accusationi, nec satisfactioni locum reliquisse meretricem, callide dissimulata iniuria.*

9. Peculiari modo hanc dictionem usurpat Livius, ubi orationem per interpositas sententias distractam et ambiguam restituit, et iterum incipit ab altera parte, missis iis, quae inserta erant.

Liv. 38, 55, 2. *ad hunc praetorem adeo amicum Corneliae familiae, ut, qui Romae mortuum elatumque Scipionem — tradunt, pileatum, sicut in triumpho ierat, in funere quoque ante lectum isse memoriae prodiderint, et ad portam Capenam mulsum prosequutis funus dedisse, quod ab eo inter alios captivos in Africa ex hostibus receptus esset: aut adeo inimicum eumdem, ut propter insignem simultatem ab ea factione, quae adversa Scipionibus erat, delectus sit potissimum ad quaestionem exercendam: ceterum ad hunc nimis aequum aut iniquum praetorem reus extemplo factus L. Scipio.*

10. Sallustius hoc proprium habet, ut in narratione persequenda ponat *ceterum* ibi, ubi non modo nulla apparet oppositio, sed incepta rei expositio continuatur per alias partes ita, ut particula potestatem nectendi accipiat.

Iug. 20, 7. *itaque non ut antea cum praedatoria manu, sed magno exercitu comparato bellum gerere coepit, et aperte totius*

Numidiae imperium petere. Ceterum, qua pergebat, urbis, agros vastare, praedas agere: suis animum, terrorem hostibus augere. 29, 1. *sed ubi Iugurtha per legatos pecunia tentare bellique, quod administrabat, asperitatem ostendere coepit, animus aeger avaritia facile conversus est. Ceterum socius et administer omnium consiliorum assumitur Scaurus.*

11. Significationem, qua *ceterum* pro *alioquin* usurpatur, sunt qui ad recentiora tempora referant, et tantum apud Iurisconsultos reperiri narrent. At communis fuisse videtur usus omnium temporum; modo oratores abstinuerunt. Conf. Gifanii Observat. p. 31. (58.). Gruter Suspic. in Oudendorp. edit. Apuleii T. 3. p. 427. Oudendorp. ipse ad Apulei. T. 1. p. 502. Post Goveanum, quem vide in Lection. iur. civ. 2, 1. p. 259. Brissonius de Verb. sign. p. 186. collegit multa exempla, sed confudit diversa. Nam etiam ea peculiarem formam habent, in quibus verba *ceterum si* componuntur, quae significant vel *etiam si* vel *praeterea si*.

Terent. Eun. 3, 1, 61. *ac mihi istuc non in mentem venerat.* GN. *Ridiculum: non enim cogitaras: ceterum idem hoc aut melius tute invenisses.* Liv. 8, 40, 11. *ceterum neminem maiore cura occupatis animis, verum esse, praeiudicium rei tantae afferre.* ubi antecedentia verba monstrant *ceterum* esse *alioquin*. Vlpian. in Dig. 4, 4, 7, 2. *et ideo si minor conveniat debitorem, adhibere debet curatores, ut ei solvatur pecunia: ceterum non ei compelletur solvere.* 4, 4, 9, 5. *si non dolus ipsorum interveniat: ceterum cessabit restitutio.* 37, 10, 5, 4. Tertullian. adv. Marc. 2, 9. *ita et anima, imago spiritus, solam vim eius exprimere non valuit, id est, non delinquendi felicitatem. Ceterum non esset anima, sed spiritus.* ad Vxor. 2, 2. *sanctificatur enim infidelis vir a fideli uxore et infidelis uxor a fideli marito: ceterum immundi essent filii vestri.* Apulei. Met. 7. p. 200, 33. (p. 502.) *qua coecitate atque foetore tandem fugata est a me pernicies: ceterum titione delirantis Althaeae Meleager asinus interisset.*

Vlpian. in Dig. 39, 2, 15, 33. *ita Labeo, ceterum nullus, inquit, finis rei invenietur.*

Vlpian. in Dig. 41, 3, 10, 2. *Scaevola autem scribit, se putare, usucapere posse et partum: nec enim esse partum rei furtivae partem: ceterum si esset pars, nec, si apud bonae fidei emptorem peperisset, usucapi poterat.* Paullus in Dig. 23, 4, 12, 1. Africanus 47, 2, 61, 7. Huc referunt etiam Vlpian. 46, 7, 5. pr. *iam tamen fideiussore, qui iudicium acceperat,*

damnato, frustra defensionem reus suscipit: ceterum etsi solutum fuerit, posteaquam iudicatum est, repetitionem constituerimus eius, quod solutum est. quibus de verbis explicandis inter iurisconsultos ambigitur. Equidem ita interpretor: quum fideiussor damnatus est, debitor reus frustra defensionem sui suscipit: praeterea etiamsi postea a fideiussore solutum fuerit, quam de ipso iudicatum est, constituerimus, ut ei a debitore restituatur id, quod solutum erat.

12. Quod Oudendorpius de usu Apuleii monet T. II. p. 510. eum nusquam ab initio sententiae posuisse *et ceterum*, id ad reliquos scriptores plurimos pertinere videtur. Nemo elegantiorum hominum ita loquutus est.

II. 1. Haec singularis numeri forma omnibus temporibus communis erat. Pluralis CETERA, qui eumdem sensum praebet, non ab omnibus scriptoribus eodem modo usurpabatur. Grammaticorum alii graecismum appellaverunt, alii ellipsin, in qua aut praepositio *secundum*, aut *quod ad* intelligendum esset. Vide Vechneri Hellenolex. 1, 2, 26. p. 347. Ruddimann. T. 2. p. 62. Graeca τὰ λοιπὰ, τὰ ἄλλα s. τἆλλα commode poterant comparari: at nullo supplemento opus esse, omnes, puto, nunc consentiunt. Vsus ipse suam conditionem habet. Cum verbis composuerunt poetae tantum, non oratores, neque etiam historici.

Ennius apud Servium ad Virgil. Aen. 9, 656. *cetera, quos peperisti, ne cures.* Plaut. Mil. 3, 3, 53. *quiescas cetera.* Virgil. A. 9, 656. *cetera parce, puer, bello.* quod imitatus est Silius 17, 286. *cetera parce, precor, pelago.* Martial. 13, 84. *visceribus bonus est: cetera vile sapit.* Silius 2, 332. *nam cetera non latet hostis.* Virgil. Aen. 2, 438. *ceu cetera nusquam bella forent.*

Non potest huc referri Cic. ad Fam. 1, 8, 13. *ceteraque, quae ad te pertinebunt, quum etiam plus contenderimus quam possumus, minus tamen faciemus quam debemus.* Ita enim codd. optimi: vulgo *cetera, quae.* Sed *cetera* cum verbo cohaeret adiectivi ratione. Plin. Epist. 2, 11, 10. *ad hoc ianuarius mensis quum cetera, tum praecipue senatorum frequentia celeberrimus: praeterea amplitudo auctaque dilatione exspectatio.* Cortius ablativum, quem alii intellexerunt, ineptum vocat; eumque etiam Schaeferus repudiat ob vocabulum *praeterea.* Hoc certe non impedit: at nemo posuit accusativum

absolutum in tali structura. Est vero ablativus et eadem vocabulorum compositio, qua Sallust. Iug. 104, 3. *Bocchus quum cetera, tum maxume benignitatem et studium Sullae lubens accepit.* Curt. 9, 1, 1. *Alexander — docuit, quidquid Indis virium fuisset, illa dimicatione prostratum: cetera opimam praedam fore, celebratasque opes in ea regione eminere.* Ita codices plurimi: alii *ceteram*. Snakenburgius defendens *cetera* prudenter tenuit adiectivi rationem, ut sensus esset: cetera erunt opima praeda. Freinshemius coniecit *ceterum*, et intellexit, ut videtur, adverbium. Budaeus *cetera* explicuit *in posterum*. *Ceteram* placebit attractionis fautoribus, nec sine caussa.

2. Frequentior et proprius est usus, quo *cetera* additur adiectivis et adverbiis conditionem rerum significantibus, ut *alia*, *omnia*. Vna excipitur conditio, reliquis sive aliis omnibus opposita. Atque id plurali forma proprie designari, iam diximus p. 34. Quare *cetera* non ponitur, ut vulgo putant, pro *ceterum*. Sed simplex accusativus idem exprimit quod *ad cetera:* cuius utriusque formulae usum exposuerunt multi: Rhenanus ad Liv. 1, 32. Vechnerus Hellenolex. p. 300. I. Fr. Gronov. ad Senec. Consol. ad Marc. 25. Iac. Gronov. ad Liv. 21, 34, 5. Bentlei. ad Horat. Epist. 1, 10, 3. Cortius ad Sallust. Iug. 19, 7. et ad Plin. Epist. 2, 11, 10. N. Heins. ad Ovid. Met. 9, 99. et ad Claudian. Laud. Stil. 2, 29. Perizonius ad Sanctii Min. 2, 5. p. 223. Tom. 1. Arntzen. ad Aurel. Vict. Caes. 9. Drakenborch. ad Liv. 37, 7, 15. et 1, 32, 2. Ruddimann. Tom. 2. p. 62. Ruhnken. ad Terent. Eun. 2, 2, 22. Oudendorp. ad Apulei. Met. 8. p. 584. 10. p. 704. Vide Tom. 1. p. 107. Gifanius in Observat. p. 31. (58.) et Scioppius in Suspect. Lect. 5, 20. p. 286. observaverunt Ciceronem ab hac dictione abstinuisse. Eos sequuti sunt Pareus in Lex. crit. p. 193. Heusinger. ad Vechner. p. 301. Vtuntur autem hac voce et poetae et historici. Ex iis exemplis, quae e Ciceronis operibus afferuntur, nullum est, in quo non discrepet scriptura: quamquam id, quod critici substituerunt, *ceteroqui* non firmiorem habet auctoritatem. Omnes vero scriptores boni, qui usurpant, adverbium praemittunt nomini: qui postpositum exhibent, infimi sunt temporis.

Gifanius haec, quae Pareus tamquam sua profert: „poetica est phrasis et historica: oratores ea non utuntur, quamvis

eam Ciceroni interdum arroget Lambinus, sed invito, et, ut ille loquitur, invitis libris."

Cic. Orat. 25, 83. *quem nisi quod solum, cetera recte quidem vocant atticum.* Ita Meyerus e cod. viteberg. nunc edidit: reliqui libri habent *ceteroquin*, *cetera quur*, *ceterorum.* de Nat. d. 1, 22, 60. *non enim poeta solum suavis, verum etiam cetera quam doctus sapiensque traditur.* Codd. *ceterorum predoctus*, *cetera qui doctus*, *ceteraqua doctus*, *cetera quoque*, *ceteraque*, unde fecerunt *ceteroqui*, nescientes, quam suspectus sit huius vocabuli usus, et *cetera quam doctus*, quod Heindorfius reiecit, quasi *quam* abhorreret a consuetudine Ciceronis. sed vide QVAM. ad Att. 14, 16. *o loca cetera quam valde expetenda, interpellantium autem multitudine pene fugienda.* Manutius dedit, nescio unde *ceteroqui valde exp.* Lambinus in Cic. p. Sext. 3, 11. *sane ceterarum rerum paterfamilias et prudens et attentus, una in re paullo minus consideratus.* coniecit *cetera paterfamilias* etc.

Horat. Epist. 1, 10, 50. *excepto, quod non simul esses, cetera laetus:* quae conferri possunt cum Ciceronis verbis in Epist. ad fratr. supra p. 34. appositis. Carm. 4, 2, 60. Virgil. Aen. 3, 593. *dira illuvies, immissaque barba, consertum tegumen spinis: at cetera Graius.* ubi conf. Servius. Georg. 3, 62. Sallust. Iug. 19, 7. *praeter nomen, cetera ignarus populi romani.* Liv. 1, 35, 6. *ergo virum, cetera egregium, sequuta.* conf. 1, 32, 2. 21, 8, 10. *missile telum hastili abiegno et cetera tereti praeter quam ad extremum, unde ferrum exstabat.* Ita emendavit Ascensius id, quod non eleganter in codd. exstat *et cetero.* Vellei. P. 2, 46, 2. *vir cetera sanctissimus.* ubi vid. Ruhnken. 2, 119, 4. Suet. Calig. 50. Persius 5, 122. *quum sis cetera fossor.* Silius Ital. 9, 436. Tacit. Ann. 6, 42. Palladius 3, 26, 1. *scrofas vero longi lateris debemus eligere, — cetera verribus similis.* ubi alii libri *per cetera.* Compositio verborum *cetera similis* apud Plinium frequens est: 8, 15, 16. 12, 7. 13. 22, 25, 64. cf. Tacit. Germ. 29. Tacit. Agr. 16. *hic quum egregius cetera arroganter in deditos — consuleret.* ubi Walchius coniecturam proposuit *ne*, *quamquam egregius cetera — consuleret*, tamen demonstrare noluit, quia veterum scriptorum huic dictioni *quamquam* adiunxerit. Equidem neminem cognovi inter bonos. Horat. Ep. 1, 10, 2. *hac in re scilicet una multum dissimiles: at cetera pene gemelli fraternis animis.* quibuscum comparari potest Virgilii locus ante dictus. Alii scripserunt *ad cetera*, quod ut reiiceret Obbarius argumenta protulit magis speciosa quam vera: nam quo minus *ad cetera* scribatur, neque oppositio gravior, neque vocabulum

scilicet impedit. Tamen at cetera defenditur et auctoritate codicum et poetarum usu. Ovid. ex Ponto 3, 2, 87. *exstitit hoc unum, quo non convenerit illis: cetera par concors et sine lite fuit.* Etiam Pompon. Mela 1, 19, 19. *fecundos pabulo, at alia steriles nudosque campos tenent.* quod in *ad alia* temere mutat Drakenborchius, qui etiam in iudicio de Livii usu constituendo incertus vacillat. Nam quae comparat exempla 27, 15, 8. 38, 14, 3. non suppeditant ad defendendam praepositionem.

Apulei. Florid. 1, 3. p. 341. *eo genitus Marsyas quum in artificio patrissaret tibicinii, Phryx cetera et barbarus, vultu ferino trux.* Solinus 51. p. 58. B. *est et eale ut equus cetera, cauda vero elephanti.* alii libri: *alias ut equus, cauda elephanti.* Martianus Capella 1. p. 3. *ac iam pubescentes genae seminudum eum incedere chlamydeque indutum parva, invelatumque cetera, humerorum cacumen obnubere sine magno risu Cypridis non sinebant.*

Cetera omnia coniunxisse videtur Apulei. Met. 10. p. 245, 21. *possumus omnia quidem cetera fratres manere.* quamquam nonnulli codices omittunt *omnia.* vid. Oudendorp. ad h. l. p. 704. cf. p. 489.

III. Quod per notionem motus ad aliquam rem directi accusativo exprimitur, potest etiam ablativo designari per notionem loci. Idque fecerunt Curtius et Plinius. Ille *ceteris* pro *cetera*, hic *cetero* pro *ceterum* et in adiungendis sententiis, et cum adiectivis coniunctum posuit. Etiam in his neque praepositionem neque substantivum substituendum esse, nunc inter omnes constat. De formula *de cetero* vide in DE.

Curtius 6, 5, 3. *ego ceteris laetus, hoc uno torqueor, quod* etc. Alii intelligent ablativum caussalem, et re vera ille, qui sequitur, effecit, ut Curtius mutaret formam.

Plin. Hist. n. 11, 38, 49. *cetero viri quam feminae maius.* 14, 20, 25. *cetero vinorum medicamentis tanta cura est, ut* etc. 3, 11, 16. 8, 3, 4. 10, 1, 1. 20, 4, 12. *cetero aestivo usus in Italia et armoraciam vocant.* Ita emendavit Harduinus, vereor ut recte. 6, 26, 30. *durat adhuc ibi Iovis Beli templum. Inventor hic fuit sideralis scientiae. Cetero ad solitudinem rediit, exhausta vicinitate Seleuciae.*

Plin. H. n. 10, 48, 68. *pedes leporino villo nomen ei hoc dedere, cetero candidae, columbarum magnitudine.* 37, 6, 23. 37. 9, 52. *est et alia iris, cetero similis, at praedura.* De tempo-

re Plin. Hist. n. 10, 58, 79. *palumbes incubat femina postmeridiana in matutinum, cetero mas.*

* Vocabula *ceterum* et *certum* a librariis confusa esse notarunt Roaldus et Oudendorp. ad Apuleii Met. 7. p. 502.

CETEROQVI.

De CETEROQVI eadem dicenda sunt, quae iam in verbo *alioqui* exposui. Ea leguntur Vol. 1. p. 235. Significat *ceteroqui* idem quod *alioqui*, *ceterum*, ἄλλως. Vsus autem, quem lexicorum auctores toti antiquitati assignare solent, tam rarus est apud veteres scriptores, ut adeo de auctoritate dubitari possit. Nusquam, quod sciam, hoc vocabulum occurrit in Livii, Plinii utriusque, Taciti, Curtii scriptis. Apud Ciceronem exstant quaedam exempla, sed librorum discrepantia tam ambigua, ut non nisi de duobus epistolarum locis certum iudicium facere liceat. Tantum igitur abest, ut cum Davisio ad Cic. de Nat. deor. 1, 22. falsam regulam constituamus, quasi *ceteroqui* nusquam ponatur nisi ubi cum μειώσει quadam laudes alicui homini tribuantur, ut ex his paucis locis contrariam sententiam colligamus, aut ab omni affirmatione abstineamus. Mihi quidem uterque locus valde suspectus videtur. Recentiora exempla non multa inveniuntur.

Cic. Orat. 25, 83. *quem, nisi quod solum, ceteroquin recte vocant atticum.* de quo loco vid. p. 42. Eadem varietas librorum apparet de Nat. 1, 22, 60. *non enim poeta solum suavis, verum etiam ceteroqui doctus sapiensque traditur.* Certe non excusationis caussa ita loquutus est Cicero, quasi Simonides, qui non nisi suavis poeta esset, non satis locuples testis in hac re videri posset: quae erat Beieri sententia in Seebodii Bibl. crit. a. 1823. 1. p. 31. Etiam de loco ad Att. 14, 16. diximus p. 42. ad Att. 16, 4. *pauca παρὰ λέξιν, ceteroquin et satis graviter, et non contumaciter.* edit. veteres habent *ceteraque*, quod non mutandum in *cetera quidem*, ut Ernestio videbatur. ad Fam. 9, 10, 7. *ego ceteroqui animo aequo fero: unum vereor, ne hasta Caesaris refrixerit.* Lambinus emendavit: *cetera qui animo aequo fero.*

Cic. ad Att. 12, 3. *ne vivam, mi Attice, si mihi non modo Tusculanum, ubi ceteroqui sum libenter, sed μακάρων νῆσοι anti sunt, ut sine te sim totos dies.* ad Fam. 6, 20 (19), 2.

eius (Maculae) *Falernum mihi semper idoneum vinum est diversorio: si modo tecti satis est ad comitatum nostrum recipiendum. Ceteroquin mihi quidem locus non displicet, nec ea re Petrinum tuum deseram.*

Vlpianus in Dig. 28, 5, 35, 3. *hoc intelligendum erit, rerum italicarum significatione eas contineri, quas perpetuo quis ibi habuerit, atque ita disposuit, ut perpetuo haberet: ceteroquin si tempore, in quo transtulit in alium locum, non ut ibi haberet, sed ut denuo ad pristinum locum revocaret, neque augebit, quo transtulit, neque minuet, unde transtulit.*

CEV.

Plurimi in Rob. Stephani observatione acquieverunt atque docuerunt, vocabulum CEV poetis esse proprium. Contra eos contendit Cellarius in Curis post. p. 297. Nec probari potest sententia Vossii, qui hoc vocabulum ab Hebraeis acceptum dicebat, neque Scheidii, qui originem quaerit in graeco *κέ*, eique significationem tribuit latini *quam*. Hic tamen bene vidit *ceu* esse *ceve*, uti *neu* formatur pro *neve*, *seu* pro *sive*. Atque *ve* idem est, quod in *vel* apparet: cuius vis primitiva posita est in aequiparando, seu apponendo ex aequo. *Ce* praefixum autem illud monstrativum esse puto, quod in *ceterum*, *cedo* iam explicavi. Componi potest graecum *τέ*, cuius demonstrativa potestas in *τοῖος*, *τοὶ* conspicua, coalescit cum aequiparationis notione, unde dicitur *ὥστε*, quod est *wie da*, *gleichwie*. Atque alia conformatione inde factum est *que*. Vid. p. 8. *Ceve* igitur, sive *ceu* proprie usurpatur in re aequali monstranda, ut sensus exsistat: *aeque illic*, *ut illic*. Quamquam suspicor, iis, qui *ὥστε* esse dicunt *wie etwa* (vid. Stallbaum. ad Plat. Phileb. p. 145.), probabilem videri sententiam hanc: *ce* esse graecum *κέ*, quod incertam reddat notionem comparationis, ut *ceu* significet *wie etwa*. At neque in *κὲ* recte intelligitur aliquid incertum et ambiguum, neque *κὲ* reliquis verbis latinis per *ce* formandis aptum est.

Vocabulum *ceu* numquam in communem usum receptum, sed poetis epicis et lyricis proprium fuisse videtur, usque dum post Augusti tempora prosaici scriptores ea sibi arrogarent, quae ad poetarum usum pertinuerant. Nusquam enim occurrit in scenicis poetis anti-

quis, nec apud oratores et historicos. Ex veteribus usurpavit Ennius, post eum Lucretius et Catullus, et post Virgilium et Horatium omnes fere poetae. Inter prosae orationis auctores paucis in locis adhibuerunt Seneca et Suetonius, frequentissime Plinius in historia naturali. Exempla, quae ex Celso et ex Livio afferuntur, falsa sunt.

Apud Celsum lib. 1. praef. p. 5. Alm. in verbis *ceu sine quo nemo mortalium reperiri possit*, codices omittunt *ceu*. In Livio 21, 46, 10. emendando nemo Gebhardi fiduciam imitatus est: ille de cod. palat. restituendum censuit: *quod et plures tradidere auctores, ceu fama obtinuit*. ubi recte legitur *et fama obtinuit*.

1. Triplicem usum distinguimus in hoc vocabulo. Primum comparatur res similis, quae aut eiusdem est generis, aut habet quo conveniat. Est igitur id quod *quemadmodum*, *ut*. Qua dictione apud Plinium nihil frequentius: quamquam erant, qui *ceu* ubique per *tamquam* explicandum esse existimarent. Etiam Drakenborchius ad Liv. 21, 46, 10. desiderat exempla, in quibus *ceu* pro *quemadmodum* positum sit, idque vitium reprehendit in scriptorum nostrae aetatis usu: et recte quidem praeter comparationis rationem similium rerum. Dixerunt tamen Plinius et Suetonius adeo de rebus, quae fieri solerent.

Virgil. Aen. 6, 490. *ut videre virum, fulgentiaque arma per umbras, ingenti trepidare metu: pars vertere terga, ceu quondam petiere ratis.* Plin. Hist. n. 37, 9, 48. *intus a centro ceu stella lucet fulgore lunae plenae.* 9, 6, 7. *argumento animalium, quae semper defossa vivunt, ceu talpae.* 11, 48, 108. *insectorum pedes primi longiores, duros habentibus oculos, ut subinde pedibus eos tergeant, ceu notamus in muscis.* 9, 37, 61. Sueton. Vitel. 17. *reducto coma capite, ceu noxii solent.* Plin. Hist. n. 19, 12, 62. *ut intelligatur vana, ceu plerumque, vitae persuasio.*

2. Tum peculiari modo inservit comparationi poeticae, seu metaphoricae, in qua homines et res cum aliis rebus ob similem formam componuntur. In hac assimilatione aut simplex est rerum collatio per *ceu*, ut *tenuis fugit, ceu fumus, in auras* Virg. Aen. 5, 740. aut descriptio rei aliquando similiter apparentis exprimitur per formulam *ceu quum*. Sequitur indica-

tivus in re certo modo describenda. Lucretius dixit *ceu si*, et coniunctivum et indicativum coniungens. Atque, ut fit in aliis comparationibus, exit saepe oratio in descriptionem rei comparatae: saepe etiam sententia clauditur demonstratione per verba *haud aliter*, *sic* facta.

Catullus 64, 239. *Thesea, ceu pulsae ventorum flamine nubes aerium nivei montis, liquere, cacumen.* Virgil. Aen. 2, 355. *inde lupi ceu raptores atra in nebula, — per tela, per hostis vadimus haud dubiam in mortem.* 2, 515. *hic Hecuba et natae nequidquam altaria circum, praecipites atra ceu tempestate columbae, condensae.* 5, 527. Ge. 3, 541. *genus omne natantum litore in extremo, ceu naufraga corpora, fluctus proluit.* Horat. Carm. 4, 4, 43.

Virgil. Aen. 5, 86. *caeruleae cui terga notae, maculosus et auro squamam incendebat fulgor: ceu nubibus arcus mille trahit varios adverso sole colores.* Stat. Theb. 4, 95.

Virgil. Ge. 1, 302. *invitat genialis hiems, curasque resolvit; ceu pressae quum iam portum tetigere carinae, puppibus et laeti nautae imposuere coronas.* 4, 96. Aen. 9, 792. 7, 678. 10, 97. *cunctique fremebant coelicolae assensu vario: ceu flamina prima, quum deprensa fremunt silvis, et caeca volutant murmura.* 9, 30. Senec. Nat. quaest. 6, 24, 3. *immo, inquit, ceu quum frigore inhorruimus, tremor sequitur, sic terras quoque spiritus extrinsecus accidens quassat.*

Lucret. 6, 160. *fulgit item, nubes ignis quom semina multa excussere suo concursu, ceu lapidem si percutiat lapis aut ferrum.* 4, 619. *sucum sentimus in ore, cibum quom mandando exprimimus: ceu plenam spongiam aquaï si quis forte manu premere ac siccare coëpit.* — Sequitur post comparationem conclusio in verbis *haud aliter* apud Virgil. Aen. 9, 797. 10, 360. et *sic* 10, 729. Vnde fecit Heinsius emendationem, a Doeringio probatam, Valer. Fl. 3, 558. *stagna vaga ceu luce micant ubi Cynthia coelo prospicit —: tale iubar diffundit aquis.* pro eo, quod vulgo legitur, *sic luce micant.*

3. Denique per *ceu* exprimitur comparatio conditionata. Comparatur enim aliquid cum eo, quod non est quidem, sed aut videtur esse, aut esset, si conditio daretur. Est igitur id quod *tamquam*, *tamquam si*. Vbi verbum sequitur, coniunctivus ponatur necesse est. Nos dicimus *als wie* et *als wäre*. Graeci ὡς εἰ cum optativo: de quo disseruit Hermannus de Legibus ser-

monis homer. II. p. 14. Opusc. T. 2. p. 51. Atque hoc eodem modo designatur caussa vel ratio simulata, quae alicui rei supponitur, aut supposita videri dicitur.

Ennius apud Nonium 8, 4. *etsi mulier erubuit, ceu lacte et purpura-mista.* i. e. quasi essent lac et purpura mixta. Virgil. Ge. 3, 194. *per aperta volans, ceu liber habenis, aequora.* i. e. tamquam esset liber habenis. Plin. H. n. 34, 18, 54. *deraso que ceu situ.* i. e. et deraso quasi situ. 9, 6, 5. Sueton. Tib. 52. *Germanico usque adeo obtrectavit, ut — gloriosissimas victorias, ceu damnosas rei publicae, increparet.* cf. c. 44. Stat. Theb. 1, 320. *nunc queritur ceu tarda fugae dispendia.* Curt. 7, 4, 40.

Virgil. Aen. 2, 438. *hic vero ingentem pugnam, ceu cetera nusquam bella forent, nulli tota morerentur in urbe, sic Martem indomitum — cernimus.* Silius 2, 378. *tum vero attoniti, ceu templo irrumperet hostis, exsiluere patres.* Plin. Hist. n. 16, 10, 18. *situs in excelso montium, ceu maria fugeret.* 34, 6, 13. *Cloeliae enim statua est equestris, ceu parum esset toga eam cingi.* 35, 6, 29. 29, 4, 79. *cantharides obiectae sunt Catoni Vticensi, ceu venenum vendidisset in auctione regia.* 31, 1, 1. *at illae, ceu parum sit in tantam pervenire altitudinem, rapiunt eo secum piscium examina.* 14, 22, 28. *in nulla parte operosior vita est, ceu non saluberrimum ad potum aquae liquorem natura dederit.* Stat. Theb. 2, 417. *sufficeret vel sola fides, qua torvus et illum mente gerens, ceu septa novus iam moenia laxet fossor — praefuris.* 5, 5. Silv. 3, 1, 6. *ceu taedis iterum lustratus honesti ignis, ab Oetaea conscenderis aethera flamma.*

Haec est ea forma, quam Noltenius p. 1751. et Ruddimannus Tom. 2. p. 313. simulationem vel ironiam vocabant. Ramshornius nescio qua ratione docet p. 589. *ceu* ubique secum habere coniunctivum.

4. Plinius composuit *ceu vero* eo modo, quo alibi dicitur *quasi vero*, in reiicienda aliena sententia. Negationis ironicae est formula.

Plin. Hist. n. 7, 55, 56. *eadem enim vanitas in futurum etiam se propagat, — alias immortalitatem animae, alias transfigurationem, alias sensum inferis dando et manes colendo, deumque faciendo, qui iam etiam homo esse desierit: ceu vero ullo modo spirandi ratio homini a ceteris animalibus distet.* 11, 39, 92. *sunt qui subtilitatem animi constare non tenuitate sanguinis putent, sed cute operimentisque corporum magis aut*

minus bruta esse: — ceu vero non crocodilis et duritia tergoris tribuatur et solertia. 33. praef. 1. *persequimur omnes eius* (telluris) *fibras, vivimusque super excavatam, mirantes dehiscere aliquando, aut intremiscere illam: ceu vero non hoc etiam indignatione sacrae parentis exprimi possit.* Praef. libr. 1. p. 26. Franz. *ceu vero nesciam, adversus Theophrastum — scripsisse etiam feminam.* 9, 1, 9. 12, 1, 5. 13, 22, 43.

* Commutantur in libris scriptis *ceu* et *seu*. vid. Gronovii edit. Plinii 9, 6. 9, 37. 11, 48, 16, 10. et *cum*. vid. Oudendorp. ad Apul. Met. p. 94.

CIRCA. CIRCVM.

Cognatio verborum CIRCA et CIRCVM et *κίρκος, κιρκόω, κρίκος* aperta est: origo tamen latinorum non potest in ipsis graecis quaeri. Nam quod apud Athenaeum *κίρκος* dicitur, latinum est nomen circi, in epigrammate Phaniae Analect. T. 2. p. 52. n. 2. *κίρκος*, circulus, recentioris videtur esse formationis. Quare omnia haec ex communi quodam fonte deducta putamus, ex quo etiam Germani sua verba *Kraiz, Kreis, Krink* hauserunt.

Primum apponam grammaticorum veterum praecepta. Charisius Instit. gram. p. 207. *circum, circa, circiter hae* (fortasse legend. *hoc*) *differunt, quod circum loci est: circum theatrum. — Circa temporis: circa Kalendas. Circiter numeri: circiter horas decem: et si aliter inveniantur, licentia dictum videtur.* Flav. Caper p. 2241. *circiter ad numerum refertur, circum ad locum, circa ad tempus, quod est κύκλῳ. ergo dicimus circumiisse nos urbem, non circaiisse.* Quorum sententiam quum Dempsterus aliique critici in diversis scriptorum locis corrigendis comprobassent, refellere demum conatus est Broukhusius ad Propert. 4, 6, 6. tamquam non omni ex parte convenisset poetarum usus: quae recoquit Baden ad Senec. Herc. Fur. 149. conf. Drakenborch. ad Liv. 4, 12, 9. Non ratio, sed observatio consuetudinis fefellit istos grammaticos. Contraria docuit Beda p. 2332. *circa ad visibilem materiam vel locum pertinet. Circum ad tempus refertur.* Hunc et ratio et lectio destituit. Priscianus 14, 3, 33. p. 989. *circum quando περὶ significat, praepositio accipitur, tam in compositione,*

quam in separatione, ut circumfero, περιφέρω, circum montem, περὶ τὸ ὄρος: quando vero πέριξ demonstrat, adverbium est locale, ut Virgilius in quarto Aeneid. Anna vides toto properari littore circum: Ex hoc nascitur c i r c i t o r, ὁ περιφοράριος. C i r c a quoque περὶ graecam significat, quando pro iuxta accipitur, ut circa forum, circa templum, circa viginti annos: et numquam praepositiva componitur: postposita tamen invenitur apud Virgil. post ablativum, quo loco coniunctionis prolata causalis, ut in 1. Aen. Quocirca capere ante dolis et cingere flamma reginam meditor.

Circum et *circa*, quae Gesnero non nisi sono differre videbantur, accusativi et ablativi formae ex obsoleto adiectivo *circus* desumptae, proprie significant ambitum, seu locum, qui aliquam rem ab omni vel ex aliqua parte cingit, *περὶ*, *um*. Hunc locum quum percurrimus circumeundo sive pedibus sive oculis, ipsum hunc ambitum designamus per *circum*, Vnde dicitur *circumire*, *circumdare* et *aedificia circum forum*, quae cingunt per spatium procurrentia. Sed potest etiam haec cinctura concipi ex certo quodam loco sive ex puncto quodam circuli circumscribendi: quod per ablativum exprimitur *circa*, qui non extensum spatium, sed situm propinquum notat, quasi radio ad centrum ex aliquo circuli puncto directo: est enim *in loco*, non *per locum*. Hinc intelligitur, cur *circa* non adhibeatur in compositione verborum motum significantium, nec umquam significet *circumcirca*, *ringsum*, Atque *circum aliquam urbem commorari* est in conclusa vicinitate versari, *in der Umgegend*, *circa urbem* in propinqua regione, *in der Gegend*, haud procul. Neque alia est caussa, quapropter *circa*, non *circum* ad metaphoricum usum admittatur: neque bonorum scriptorum quisquam *circa* pro *circum* posuit, nisi ubi utraque ratio et conclusionis et propinquitatis conveniret cum rei natura. Haec ratio certa constat, etiamsi vulgaris usus postea quaedam commutaverit.

Nos coniungamus, quae utrique formae communia sunt, et quae ad usum praepositionis et adverbii pertinent aequali sensu ac modo. Nam nullo in exemplo tam clare demonstrari potest adverbialis natura praepositionum quam in hoc. Caussam vero, quae effecit, ut *circa* et *circum* cum accusativo coniungeretur, acute perspexit Scaliger de Caussis ling. lat. p. 391.

Antiquior forma est *circum*, nova et per occasionem facta *circa*. Haec enim desumpta videtur ex formula *circumcirca*, qua iam Plautus utitur. At *circa* nec Plautus dixit, nec Terentius, nec Lucretius, numquam Sallustius et Varro, et ex Ciceronis operibus pauca tantum exempla notata habemus, ut adeo in iis de integritate scripturae dubitari possit. Apud Livium tam saepe occurrit, ut Drakenborchius negaret, formam *circum* usquam admitti posse in hoc quidem scriptore. Apud Horatium primum apparet frequentius. Etiam Celsus hac nova forma pluries utitur quam antiquiore. Atque eam non primitivam in compositis verbis non adhibitam esse, res ipsa docet.

In Livii libris videntur scribae ex suo usu plerumque restituisse formam *circa*. Quare altera forma frequentius recurrit in ea operis parte, quae non a tam multis tractata est. vid. 42, 45, 1.

Grammatici veteres, ut expedirent quosdam poetarum locos, docebant *circum* etiam cum ablativo componi. Servius ad Virgil. Aen. Ecl. 1, 30. *antiqui enim post, ante, circum etiam ablativo iungebant: quod hodie facere minime possumus.* Haerebant enim in explicando adverbio, veluti: *Rutuli portis circum omnibus instant.* Conf. Priscian. p. 989. et voc. QVOCIRCA. Iidem auctores distinguebant adverbium accentu, quem alii in praepositionis ultima acui praecipiebant (vid. Priscian. de Accent. 7, 48.), alii gravem esse et cum nomine coalescere dicebant, alii in voc. *circum* distinctioni inservire putabant. Servius ad Virgil. Aen. 4, 416. ad verba *toto litore circum: circum non est praepositio, sed adverbium loci: nam postposita praepositio et accentum mutavit et suas perdidit vires.* Hinc Scaliger de Caussis l. l. p. 395. de praepositionibus: „sic prisci prodidere: omnes extrema syllaba, nisi postponantur Graecorum ritu, acui: eodemque ritu si postponantur, accentum transferri. Ita nostris placuit, ut diceremus penés Caesarem et Caesarem pénes. Quodsi usu veniat, ut praepositio sit ambigua vox aliique parti communis, ne postposita quidem transferri, ut semper dicatur altaria circúm, sicut circúm altaria, ne concurrat cum quarto casu nominis huius *circus.*" Conf. Voss. de Arte gr. 2, 9. p. 187. Aliter Quinctilianus 1, 5, 25. *ceterum iam scio, quosdam eruditos, nonnullos etiam*

grammaticos sic docere ac loqui, ut propter quaedam vocum discrimina verbum interim acuto sono finiant, ut in illis: quae circum litora, circum piscosos scopulos, ne si gravem posuerint secundam, c i r c u s dici videatur, non circuitus. — Mihi videtur conditionem mutare, quod his locis verba coniungimus. Nam quum dico c i r c u m l i t o r a, tamquam unum enuntio, dissimulata distinctione: itaque tamquam in una voce una est acuta. — Separata vero haec a praecepto non recedent: aut si consuetudo vicerit, vetus lex sermonis abolebitur. Negat Quinctilianus, ut bene vidit Spaldingius, acui ultimam in *circum*, neque etiam vult acui penultimam, sed praepositionem tamquam partem substantivi accentu proprio carere. Atque ita prudenter obstitit importunae subtilitati quorumdam grammaticorum. Vid. Seyferti Gramm. Vol. 1. p. 178.

I. 1. *Circum* proprie dicitur de motu, quo ambitur et cingitur aliquid, et de iis, quae et utroque latere et ante et a tergo sunt. Hinc componitur et cum verbis, quae motum indicant, et cum iis, quae quietem ac situm notant. Vtrisque commune est, ut aliquod centrum ponatur in medio. Ac primum ea distinguimus, in quibus totus rei ambitus et circuitus omnem partem complectens intelligitur: *ringsum, herum.* Ea per *circum,* non per *circa* significatur, nisi quod poetae interdum ab auribus petiisse creduntur iudicium, ne offenderentur ingrato sono: quod argumentum, si verum esset, ad recentiorem usum pertineret. Ceterum non solum de rebus usurpatur, quae circulo ambiuntur, sed etiam de quadratis, modo omnes partes, quae spatium circumdant, intelligantur.

Cato de Re r. 21, 4. ***armillas quatuor facito, quas circum orbem indas.*** **Cic. Acad. 2, 39, 123. de terra:** ***quae quum circum axem se summa celeritate convertat etc.*** **Sueton. Ner. 51.** ***ligato circum collum sudario.*** **Varro de Re rust. 3, 14, 1.** ***idoneus sub dio sumendus locus coeleariis, quem circum totum aqua claudas.*** **Tacit. Ann. 4, 25.** ***fisos loco, quia vastis circum saltibus claudebatur.*** **Plaut. 1, 4, 33.** ***interim da ab Delphio cito cantharum circum.*** **Virgil. Ge. 1, 345.** ***terque novas circum felix eat hostia fruges.***

Caes. B. civ. 2, 10. ***ubi ex ea turri, quae circum essent opera tueri se posse confisi sunt, musculum — facere instituerunt.*** **Virgil. Aen. 10, 118.** ***interea Rutuli portis circum omnibus instant.*** **ubi Servius:** ***id est circumcirca fusi: nam modo circum***

adverbium loci est. Aen. 2, 604. *namque omnem, quae nunc obducta tuenti mortalis hebetat visus tibi, et humida circum caligat, nubem eripiam.* Georg. 4, 193. *sed circum tutae sub moenibus urbis aequantur:* quae Vossius vertit *dicht um die Mauern.* Est vero sensus: *ringsum an den Mauern.* Tibull. 1, 3, 77. *Tantalus est illic, et circum stagna.* 1, 5, 11. *ipseque ter circum lustravi sulfure puro.*

Varro de Re r. 3, 10, 3. *singulis, ubi pariant, faciundum haras quadratas circum binos pedes.* Gesnerus male accepit pro *circiter*, idque restituendum putavit. Schneiderus bene vidit, haras quadratas intelligi, quae quoquoversus binos pedes habeant.

Propert. 4, 6, 6. *terque focum circa laneus orbis eat.* Dempstero ad Rosin. Antiq. rom. 4, 9. p. 614. e codice restituere placuit *circum*: nec sine caussa, nisi quis probet, Latinos dixisse *circa ire.* Quod Burmannus excusationem quaerit in euphonia, non habet exemplum v. 62. *plauserunt circa libera signa deae.* In Gratii Cyneg. 10. olim legebatur: *sed primum auspicium deus artibus altaque circa firmamenta dedit.* Et defendit Vlitius in Addendis, afferens Liv. 1, 4, 8. At haec diversa sunt, et merito accepta est a Gudio et Burmanno altera scriptura *circum*, quod in tmesi ad verbum pertinet.

2. Sed potest res non ab omni parte circumclusa intelligi, sed ex aliqua parte, vel e quibusdam partibus circumdata aut circumventa. Scilicet posita in medio re, ex quocumque circuli circumducti puncto potest accedi ad eam. Quod et per *circum* et per *circa* indicatur, ubi nos dicimus *um. Circum* enim ipsum circuitum exprimit, *circa* aliquem locum in hoc circuitu. Adverbium saepe ponitur de rerum ambitu, quem adspectu complectimur.

Varro de Ling. lat. 6 (7), 3. *abiegna bos apud augures, quam circum aliae hostiae constituuntur.* Terent. Heau. 2, 3, 49. *capillus sparsus, promissus, circum caput reiectus neglegenter.* Horat. Sat. 1, 3, 134. *quos tu ni fuste coerces, urgeris turba circum te stante.* Virgil. Ecl. 9, 40. *varios hic flumina circum fundit humus flores.*

Cornel. N. Alcib. 10. *noctu ligna contulerunt circa casam eam, in qua quiescebat.* Senec. Nat. quaest. 5, 3, 1. *circa flumina et lacus frequens nebula est.* sed Curt. 4, 12, 20. *caligo, quam circa humidi effuderant montes.*

Horat. Carm. 1, 3, 9. *illi robur et aes triplex circa pectus*

erat. Sat. 2, 6, 33. *aliena negotia centum per caput et circa saliunt latus.* Virgil. Ge. 1, 484. *sin — frigidus obstiterit circum praecordia sanguis.* Id dixit Lucan. 2, 557. *fervidus haec iterum circa praecordia sanguis incaluit.* ubi mirabiliter friget coniectura Bentleii *frigidus.* Elegans est emendatio a Langio facta in Propert. 4, 9, 35. *fontis egens erro, circaque sonant loca lymphis,* ubi vulgo *circaque sonantia,* nomine perperam omisso.

Tacit. Ann. 2, 24. *tantum illa clades novitate et magnitudine excessit, hostilibus circum littoribus.* quod si vertas *ringsumher*, ne absurde loqui videaris, considera, quemadmodum in utraque lingua circuitus oculorum designari soleat. 4, 67. *aestas in Favonium obversa, et aperto circum pelago peramoena.*

Virgil. Aen. 8, 285. *tum Salii ad cantus incensa altaria circum populeis adsunt evincti tempora ramis.* Celsus 5, 28, 1. *dein lividum fit, circumque exiguae pustulae oriuntur.*

Celsus 5, 28, 3. *circaque, qua tumor ex inflammatione est, imponenda, quae reprimant, cataplasmata.* 5, 28, 4. *at circa proxima cutis, quae vitium receptura est, tumidior et durior est.* In illo loco non cohaerent verba *circa impenenda:* in utroque proxima regio intelligitur. Sed quod in libro Simplicii p. 89. Auctor. rei agrar. legitur: *qualitas in has species dividitur, ut extremitatibus concludentibus aut quadrata sit, aut circa flexa, aut coneata.* si vera est scriptura, tribuendum erit deteriori consuetudini.

3. Adverbium et praepositio *circum* cum verbis componitur, quae continuum motum significant per propinqua loca quasi circulo currentem, ubi Germani, qui elegantius loquuntur, usurpant *umher*, vulgus autem *herum*, quod quidem differt: illi etiam composita verba formant *umschweben*, *umgeben*, al. Ita dicitur *errare circum*, quod est *umher irren*, *circum loca mittere*, *circum aliquem vagari*, *circum aliquid pendere*, quod est *umschweben*. Recentiores scriptores etiam *circa* dixerunt.

Plaut. Mil. 2, 5, 14. *quae circum vicinos vagas.* Alia praebent lexica.

Curtius 4, 15. de aquila: *diuque circa equum Alexandri pendenti magis quam volanti similis apparuit.*

4. Hic commemorandus videtur usus praepositionis in iis, quae adverbium requirunt. Nam quod legimus apud Cicer. ad Att. 8, 9. *ego Arpini volo esse pridie*

Kal., *deinde circum villulas nostras errare.* non dictum est ab eo, qui circum villas erraret, sed qui versaretur in villis circum iacentibus, nec vertamus *um die Villen*, sed *in den Villen umher.* Potest igitur etiam ita explicari: villulas ex ordine perlustrare et circumire: ut Plautus Truc. 2, 4, 53. *circumit per familias.* Ratio vero illa commutata eadem est, quam in ANTE illustravimus Tom. 1. p. 370. Ceterum ante Livium nemo in hac loquutione usurpavit formam *circa*: ille vero dixit, quod Oudendorpius negare voluit.

Cic. p. Quint. 6, 25. *tum Naevius pueros circum amicos dimittit.* Nos *bei den Freunden umher schicken.* Vid. Manut. ad h. l. Sueton. Ner. 47. Cic. in Verr. 2, 70, 169. *is quum praetorem circum omnia fora sectaretur, neque ab eo umquam discederet*, etc. in Catil. 4, 8, 17. Caes. B. civ. 3, 22. Liv. 42, 45, 1. *legatio sub idem tempus in Asiam circum insulas missa.* 1, 9, 2. *tum ex consilio patrum Romulus legatos circa vicinas gentes misit.* i. e. ad vicinas gentes circa. 4, 23, 5. 42, 51, 1. *litteris circa praefectos dimissis.* 28, 26, 11. *custodesque circa omnes portas missi, ne quis urbe egrederetur.* 31, 3, 5. *quum — edocuisset eum, — quemadmodum circa omnes non continentis modo urbes, sed etiam insulas partim ipse adeundo, partim per legatos conciret homines ad arma.* 26, 13, 1. *minitabantur, nisi venirent in senatum, circa domos eorum ituros se et in publicum omnes vi extracturos esse.* i. e. domos adituros circum. Plin. Hist. n. 7, 37, 37. *Hippocrates — discipulos — ad auxiliandum circa urbes dimisit.* Sueton. Aug. 49. In hac formula *mittere* et *dimittere* proprie dici demonstravit Oudendorp. ad Sueton. Caes. 41.

Similiter Propert. 1, 4, 21. *te circum omnes alias irata puellas differet.* i. e. apud omnes puellas circum. Quo referam etiam fragmentum, quod ex Graccho affert Diomedes p. 371. ridiculo errore inter fragmenta libror. Ciceronis de Divin. receptum: *cohortatione circum conciliabula antecellunt.*

Sueton. Ner. 28. *hunc — circa conventus mercatusque Graeciae ac mox Romae circa sigillaria comitatus est.* Oudendorpius quaerens, num Nero eum Sporo solum iuxta et prope eas urbes, in quibus conventus et mercatus agebantur, venerit, neque eas intraverit, corrigendum censet *circum conventus* et *circum sigillaria.* At, ut Livii verba allata probant, etiam *circa* ponitur pro *ad loca, quae circa sunt*, quod nos dicimus *umher.* Quae Baumgarten-Crusius in Clavi Sueton. p. 197. profert, quasi in praepositione *circa* cum verbis, quae

motum significant, coniuncta intelligatur magis commoratio in loco aliquo quam motus, totam rationem invertunt: nam mittere circa oppida non est, ut in oppidis, qui mittitur, maneat, sed in loca, quae circa sunt sita.

5. *Circa*, quod proprie, ut expositum est, significat in loco, qui circumdat aliquam rem, ideoque etiam de eo dicitur, quod ab utroque latere et ante et ab tergo est, interdum ex reliquarum partium enumeratione ad unam aliquam adstringitur. Id bene vidit Drakenborch. ad Liv. 21, 43, 4. Hinc de lateribus usurpatur, et de rebus, quae conspectum explent et ante positae sunt. Etiam *circum* interdum apud poetas opponitur verbis *infra*, *supra*, *ante*, ubi res in lateribus conspicuae sunt designandae.

Liv. 27, 18, 5. *fluvius ab tergo, ante, circaque, velut ripa praeceps oram eius omnem cingebat.* Et recte legitur 21, 43, 4. *dextra laevaque duo maria claudunt, nullam ne ad effugium quidem navem habentibus: circa Padus amnis —: ab tergo Alpes urguent.* ubi Gronovius emendavit *contra*, quod Ernestius et Kreyssigius probaverunt. At Hannibal regionem describit, quam milites conspiciebant circum, cui opponitur id, quod ab tergo est. Ita 28, 33, 2. *campus ante montibus circa septus erat.* 9, 32, 9. *Etrusci — ante signa circaque omnes ceciderunt.*

Ovid. Met. 4, 667. *gentibus innumeris circumque infraque relictis.* Stat. Ach. 1, 56. *Tyrrhenique greges circumque infraque rotantur rege salutato.* Theb. 9, 114. *corpus servans circumque supraque vertitur.* Albinovan. Carm. in Maecen. 46. *fortis erat circum, fortis et ante ducem.*

6. Atque ita dicitur de iis, qui ante aliquem locum versantur, nec ipsum intrare audent, vel propius accedere non possunt.

Virgil. Aen. 1, 55. *illi indignantes magno cum murmure montis circum claustra fremunt.* 3, 75. de Delo: *quam pius arcitenens, oras et littora circum errantem Gyaro celsa Myconoque revinxit.*

7. Quoniam id, quod superadditur, aut imponitur alicui rei, eam circumdat et amplectitur, praepositio *circa* componitur etiam cum nominibus, quibus addi solet praepositio *supra*.

Celsus 7, 8. *iniicienda eo pinna est, illita medicamento cicatricem inducente: circaque id medicamentum dandum, ut cutis circa pinnam sanescat.*

II. 1. Quod de circuitu dicitur, transfertur ad vicinitatem. Atque *circum* et *circa* usurpantur de rebus, quae vel pluribus locis aliquam rem cingere videntur, vel in vicinia et in confiniis positae sunt. Tum *circum* indicat regionem proximam, quae rem circumcludit, *die Umgegend*, *circa* locum vicinum et propinquum, *in der Gegend von*. Francogalli dicunt *auprès*. Priscianus p. 989. interpretatur *iuxta*. Sed utrumque potest ad eamdem rem referri, ideoque commutari. Adverbium *circa* saepe absolute poni hoc sensu, observaverunt et Livio tamquam proprium tribuerunt Dukerus ad 1, 4, 6. Drakenborchius ad 9, 2, 7. et 21, 62, 1. et 26, 49, 13. et 36, 14, 12. Scheffer. ad Iul. Obseq. 75. Oudendorp. ad Sueton. Aug. 40. Quamquam ubi adiectis aliis verbis plena apparet oratio, tentare aliquid non decet.

Cn. Magnus ad Domit. apud Cic. ad Att. 8, 12 (19). *sin autem ille circum istaec loca commoraretur, te ei — resistere velle.* **8, 17.** *aut ad te conferam me aut etiamnunc circum haec loca commorabor.* de Opt. gen. or. 4, 10. *exercitu in foro et in omnibus templis, quae circum forum sunt, collocato.* In verbis *circum forum* magis apparet circuli species quam in *circa forum.* **Curt. 7, 8, 21.** *non succurrit tibi, quamdiu circum Bactra haereas?* non dixit *circa*, ut ipsius urbis oppugnationem designaret. **Cic. Phil. 2, 26, 64.** *quum tot essent circum hastam illam.* Ita recte scripserunt Muretus, Faernus et alii pro *circa*.

Cic. Catil. 4, 7, 14. *plenum est forum, plena templa circa forum, pleni omnes aditus huius loci ac templi.* **Quinctil. Inst. 6, 3, 38.** *tabernae autem erant circa forum.* **i. e. non procul, ad forum.**

Agrar. 1, 7, 20. *nunc omnes urbes, quae circum Capuam sunt, a colonis occupabantur.* sed paullo post **22.** *quum Rullus atque ii, quos multo magis quam Rullum timetis, — Capuam et urbes circa Capuam occuparint.* **I. C. G. Ernestius** in Synonym. Lex. **T. 1. p. 201.** affert *circa Capuam*, ut demonstret, non recte dici *circum Capuam.*

Curt. 5, 1, 13. *duo millia et quingenta stadia emensi sunt, qui amplissimum intervallum circa Armeniae montes notaverunt.*

Plin. Hist. n. 12, 5, 11. *gignitur circa Acesinem maxime amnem.*

Liv. 1, 4, 6. *lupam sitientem ex montibus, qui circa sunt, ad puerilem vagitum cursum deflexisse.* 42, 64, 2. et 7.

Hinc apud Livium aliosque formula *quod circa est.* 34, 29, 6. *eversa est turris quodque circa muri erat.* Vid. Gronov. ad 1, 28, 1. Plin. Hist. n. 24, 9, 42. *Corinthus et quae circa est regio.* 26, 1, 1. *alibi quam Romae circaque.* Apud Livium 21, 62, 1. legendum putabat Heinsius *Romae et circa multa ea hieme prodigia facta.* Ita Gronovius 1, 38, 1. et 36, 14, 12. et 36, 43, 7. nomen interpolatum esse a librariis censuit, qui in absoluto usu adverbii haesissent. Conf. Heinsius ad Vellei. Pat. 1, 17. Cort. ad Sallust. Cat. 30, 3. ubi ipse edidit: *Q. Marcius Rex Faesulas, Q. Metellus Creticus in Apuliam circumque loca missi:* quae ne latina quidem sunt, si, intelligens adverbium, cum Cortio accipias pro *in Apuliam et in loca circum. Mittere circum loca* dicitur pro ad loca circumiacentia, vid. p. 55. et scripsit Sallustius, ut legitur apud Nonium et in codicibus, *circumque ea loca* q. e. ad loca ibi propinqua. Bene defendit Oudendorpius emendationem in Sueton. Aug. 40. *in foro circave.* Curt. 4, 12, 20. *caligo, quam circa humidi effuderant montes*, etc. In his vero nemo nunc ellipsin cum Cortio ad Sallust. p. 986. per *situs* explendam censebit. Etiam apud Livium 21, 7, 10. male supplent: *tanta circa* (Hannibalem) *fuga ac trepidatio fuit.*

Vt fert consuetudo latius aetatis, Livius et Plinius et alii saepe adverbium cum nomine simpliciter iungebant. 1, 17, 4. *multarum circa civitatum irritatis animis.* Multa exempla collegit Drakenb. ad 9, 2, 7. Vid. 1, 4, 8. 29, 29, 2. 27, 30, 3. 27, 15, 15.

Liv. 21, 7, 5. *angulus muri erat in planiorem patentioremque, quam cetera circa, vallem vergens.* Plin. Hist. n. 3, 17, 21. *Orobiorum stirpis esse Comum et Bergamum et Licini forum et aliquot circa populos auctor est Cato.* Vid. Aurel. Vict. et quos alios affert Cortius ad Sallust. p. 986. Horat. Ars poet. 32. *Aemilium circa ludum unus et unguis exprimet et mollis imitabitur aere capillos.* ita recte correxit Bentleius, quamquam, quod Fea observat, *imus* non posse simul stare cum voc. *circa*, quod locum indeterminatum significet, calculum addit nullum: nam faber, qui imus dicitur, habitare poterat non procul a ludo, hoc est, circa.

2. Vbi plures res appositae nominantur, *circum* et

circa ponuntur pro *ad*, *apud*, *iuxta*. Hinc *circa esse* pro *adstare*. vid. Gronov. ad Liv. 26, 49, 13.

Sueton. Ner. 38, *quaedam horrea circa domum auream*. Tacit. Ann. 4, 74. *aram Clementiae*, *aram Amicitiae*, *effigiesque circum Caesaris ac Seiani censuere*. Liv. 26, 49, 13. *aetate et forma florentes circa erant Indibilis filiae*. ut bene emendavit Gronovius. Horat. Sat. 2, 8, 6. *acria circum rapula*, *lactucae*, *radices*. de cibis una cum apro appositis.

Hinc etiam *disponi circa* de rebus in aliqua regione collocandis. Sueton. Caes. 43. Ner. 13.

Critici corrupta esse pronuntiant verba Flori 4, 2, 91. *circa templa imagines*. Sed quum Suetonius de Caesare c. 76. narret, ei decreta fuisse *templa*, *aras*, *simulacra*, intelligi possunt templa et simulacra circum ea posita.

3. Sed non tantum de pluribus rebus circumstantibus ita dicitur, verum etiam de una re, nec solum de regione ex omni undique parte conspicua, sed de uno loco ita, ut *circa* idem sit quod *ad*, *iuxta*, nostrum *bei*, vel de eo ponatur, quod rem attingat propinquam, ubi nos Germani *an* dicimus.

Sueton. Claud. 36. *quodam — cum ferro circa sacrificantem se deprehenso*, *senatum per praecones propere convocavit*. De aliis locis Suet. Tit. 4. et Tibulli vide paullo post.

Proculus in Digest. 18, 1, 69. *Rutilia Pulla emit lacum Sabarenem angularium et circa eum lacum pedes decem*. Paullus 8, 3, 30.

4. Hac ratione *circa* et *circum* usurpatur de personis, quae cum aliquo et in vicinia commorantur, et de stipatoribus, comitibus, ministris, et proximis cuiusvis generis, et de iis, quorum familiaritate vel assidua consuetudine utimur: quod Graeci et *περί τινος* vel *τινα* et *ἀμφί τινος* dicunt. Vnde formulae *circa*, *circum esse*, *circa se*, *circa se habere*. Vid. Cortius ad Sallust. Cat. 14, 1. et ad 26, 4. Broukhus. ad Tibull. 1, 8, 87. Casaubon. ad Sueton. Caes. 27. Gronov. et Drakenb. ad Liv. 21, 49, 7. Schwarz. ad Plin. Pan. 83, 3. Vorstius de Latin. falso susp. p. 233. Drakenb. ad Liv. 1, 41, 1. 26, 49, 13. 36, 14, 12. Quam vicinitatis rationem si considerassent Vulpius et Wunderlichius ad Tibull. 1, 3, 87, abstinuissent a falsa opinione, qua contendebant, *circa* et *circum* non de uno homine,

sed de pluribus dici, igiturque *puellam* apud Tibullum pro pluribus nominari. *Circa se* ponitur pro *ad latus* apud Suetonium.

Virgil. Aen. 6, 166. *Hectoris hic magni fuerat comes, Hectora circum et lituo pugnas insignis obibat et hasta.* Terent Eun. 3, 5, 33. *paucae, quae circum illam essent, manent novitiae puellae.* Curt. 3, 1, 17. *circa regem erat et Phrygum turba etc.* 4, 10, 25. *e spadonibus, qui circa reginam erant, Tyriotes etc.* Virgil. Geo. 4, 75. 4, 334. *eam circum milesia vellera Nymphae carpebant.* Martial. 1, 91, 3. *omne sed officium circa te semper obibat turba tui sexus.* Plin. Pan. 83, 3.

Cic. ad Att. 9, 9. *nec sine caussa et eos, qui circum illum sunt, omnia postulantes et bellum nefarium times.* Liv. 22, 30, 1. *in admirationem et ipsum et omnes, qui circa erant, converterunt.* 1, 41, 1. Cornel. Eum. 10. Tacit. Ann. 2, 11. *suffosso equo labitur ac multi nobilium circa.* Multa exempla collegit Drakenborch. ad Liv. l. l.

Sallust. Cat. 14, 1. *omnium flagitiorum atque facinorum circum se tamquam stipatorum catervas habebat.* 26, 4. *circum se praesidia amicorum atque clientium occulte habebat.*

Liv. 29, 1, 2. *ex iis trecentos iuvenes — inermes circa se habebat.* Cic. in Verr. 1, 48, 126. *multa sibi opus esse, multa canibus suis, quos circa se haberet.* intellige homines ad indicandam praedam idoneos. Sueton. Aug. 48. Cal. 43. Alia vide apud Vorstium.

Peculiari modo, nec, quod miror, alibi obvio, Cic. in Verr. 1, 36, 92. *servos artifices pupilli quum haberet domi, circum pedes autem homines formosos et litteratos, suos esse dicebat.* Quod aliter dicitur *ad pedes*. Cum principatu assumpta est formula, quae legitur apud Papinian. in Digest. 27, 1, 30. *iurisperitos — optimi maximique principes nostri constituerunt excusandos, quoniam circa latus eorum agerent.*

Sueton. Tit. 4. *equo quodam acie sub feminibus amisso, alteroque inscenso, cuius rector circa se dimicans occubuerat.* ubi vid. Oudendorp. Male olim legebatur *contra*.

Quod Graeci breviter in substantivi formam composuerunt οἱ περὶ αὐτόν, id quomodo Latini, articuli usu destituti, imitati sunt, assumpto verbo auxiliari, cognosci potest in scriptoribus recentioribus: Sueton. Caes. 27. *omnibus vero circa eum — gratuito aut levi foenore obstrictis.* Dom. 9. *omnes circa se largissime prosequutus.* Cicero graecis verbis usus est ad Att. 13, 52. Hanc rem bene perspexit Drakenborch. ad Liv. 21, 49, 7. ubi quum legeretur: *extemplo et circa praetorem ad ci-*

vitates missi legati. Sigonius et Doujatius graecam formulam, qua οἱ περὶ Πλάτωνα pro ipso Platone dicitur, ad Latinos translatam putarunt. Haec vero formula, quam grammatici non recte pleonasmis adnumerant auctore Hermanno, a Latinis tractari nullo pacto poterat ob defectum articuli, neque apud ipsos scriptores imitationis ullum exstat vestigium. Absurda est Turnebi coniectura *e circa praetorem*, neque coniungi possunt verba *legati circa praetorem.* Equidem nomen *praetoris* a librariis, qui praepositioni id addendum existimarent, insertum, integraque verba esse puto haec: *circa ad civitates missi*, uti 1, 17, 4.

Tibull. 1, 3, 87. *ac circa gravibus pensis affixa puella paullatim somno fessa remittat opus.* Io. Henr. Vossius recte notavit per *circa* significari vicinitatem non definitam, tam de uno homine quam de pluribus. Wunderlichius, quum vidisset a Huschkio comparari locum, in quo Seleucus apud Athenaeum 6. p. 267. c. ἀμφίπολον interpretatur τὴν περὶ τὴν δέσποιναν θεράπαιναν, monet haec ex vitiis nostrarum linguarum iudicari: Latinos vero non imitatos esse graecum usum et *circa dominam* usurpari non nisi de pluribus, et si quando contrarium observetur in praepositione, id non pertinere ad adverbium. Haec prorsus absona vehementer miror a viro alioquin laudabili scribi potuisse. Sed Bachius affert Drakenborchii et Dukeri libros, in quibus longe alia demonstrantur. Etsi grammatica ratio non subvenisset, riderem poetam et imaginem ab eo descriptam, in qua multas ancillas circa dominam somno oppressas videremus. Profecto, si plures essent, garrulis sermonibus somnum depulissent. Tamen Vulpii explicationem collectivae dictionis probavit etiam Lachmann. ad Propert. p. 237. Alia res est apud Apulei. Met. 2. p. 125. *quum repente intro repens mustela circa me constitit, obtutumque acerrimum in me destituit.* ubi bene correxerunt *contra me.* Neque conferri potest Albinovani locus supra p. 56. allatus.

5. Denique quum ex vicinia ipse loci situs cognoscatur, ponitur *circa* pro *ad* vel *apud*, et haec omnia pro *in*. Intelligitur enim regio, in qua terra vel res sita est, et ipsa haec terra vel res. Medicorum peculiaris est usus, quo vitium et morbum esse dicunt circa aliquam corporis partem.

Martial. 12, 83, 1. *effugere in thermis et circa balnea non est Menogenen.* Curt. 4, 9, 1. *dubitaverat, utrumne circa Mesopotamiam subsisteret, an interiora regni sui peteret.* Plin.

Hist. n. 19, 3, 16. *quod circa Syriam nascitur.* Vellei. P. 1, 2, 5. *Orestis liberi — quintodecimo anno sedem cepere circa Lesbum insulam.* ubi nihil opus est correctione ab Heinsio facta, nedum depravatione in voc. *contra*, de qua Walchius in Emendat. p. 25. loquutus est. Intelligimus ipsam Lesbum et circumiectas insulas.

Quinctil. Inst. prooem. 20. *qui — protinus circa ima substiterint.* i. in imis.

Senec. Oedip. 312. de igne, qui flammae rectae opponitur: *an latera circa serpit incertus viae, et fluctuante turbidus fumo labat?* cod. traiect. *circum:* quod Burmann. ad Propert. 4, 6, 6. non improbat: vereor, ut recte. Certe scribendum erit *circumserpit.* Legitur quidem apud Sueton. Ner. 6: *deprehensis in lecto eius circum cervicalia serpentis exuviis.* Tamen dubito etiam de huius scripturae integritate.

Horat. C. 1, 25, 13. *quum tibi flagrans amor et libido — saeviet circa iecur ulcerosum.* quod Petronius 17. *saevit in praecordiis.* Celsus 5, 28, 2. *id vitium fit maxime in superioribus partibus, circa faciem, nares, aures, labra.* 2, 8. *si — circa pectus atque scapulas dolor mansit.* Et ita fere in quacumque pagina.

Scribon. Larg. Composit. med. 163. *quorum nihil circa pratense trifolium invenitur.* i. e. in. Paullus in Digest. 33, 7, 13. *vasa, ancones, calices, trullae, quae circa coenam solent traiici.* i. e. in coena.

Horat. C. 2, 5, 5. *circa virentes est animus tuae campos iuvencae.*

6. Qui in aliqua re agenda versatur, recentiori tempore dicebatur *circa rem versari*, *circa aliquam rem occupatum esse.* vid. Duker. ad Flor. 3, 19, 12. Nam veteres dicebant *in aliqua re versari.* Atque id ad alia verba occupationis transfertur.

Sueton. de Gramm. 18. *hic initio circa scenam versatus est.* Quinctil. 2, 15, 15. *quidam enim circa res omnes, quidam circa civiles modo versari rhetoricen putaverunt.* Sueton. Caes. 64. *Alexandriae circa oppugnationem pontis.* i. e. in oppugnatione versatus.

Senec. de Benef. 7, 28, 2. *sic evenit, ut circa consularia occupato comitia — quaesturae suffragator excideret.* Sueton. Ner. 23. Valer. Max. 6, 8, 7.

Quinctil. Declam. 6, 3. *dum circa cadaver nostrum orbi rixamur.* 306. *legistine circa decennis belli exuvias contendisse*

clarissimos reges? Flor. 3, 19, 12. *dum circa ad deprehendendum eum multitudo contendit, inter rixantium manus praeda lacerata est.* Dukerus cum Salmasio corrigunt *circa adprehendendum eum*: ille quidem addens: „etsi fortassis purior aetas linguae latinae hoc genus loquendi ignoravit." Certe non potest probari *circa* adverbium cum nomine multitudinis coniungendum.

7. Vt *circa* dicitur pro *ad locum*, qui circa aliquam rem est, concisa in oratione etiam usurpatur pro usque ad eam regionem, quae circa est, vel pene usque ad rem.

Celsus 8, 10, 5. *esse etiam is* (canalis) *debet a planta, si crus fractum est, circa poplitem, si femur, usque ad coxam.*

8. Duae sunt formulae *undique circa, circum undique* et *circa omnia*, seu *omnia circa*, quarum illa significat ex omnibus, vel in omnibus, quae circa sunt, locis, et totam rem complectitur, haec vero altera, cuius sensus sponte intelligitur, interdum tantum auget vim vocabuli *omnes.* Sic etiam *circum undique* a Gellio dicitur pro *toto.*

Liv. 42, 56, 8. *frumento undique circa ex agris convecto.*

Virgil. Aen. 4, 417. *Anna, vides toto properari littore: circum undique convenere.* Olim interpungebatur post *circum*: correxit Marklandus ad Stat. Silv. 2, 5, 13. ubi legitur: *clausis circum undique portis*, ut 5, 1, 155. *furvae miseram circum undique leti vallavere plagae.* Theb. 2, 228. *pars virginibus circum undique fusae foedera conciliant nova.*

Translato sensu Gellius 14, 2. *amici mei — viri — in patrociniis et in operis fori celebres, semperque se circum undique distrahentibus caussis festinantes.* Recentiores hi scriptores videntur unum verbum scriptura expressisse *circumundique*, uti Gellius 4, 5. *quem* (locum) *sol opposita circumundique aliarum aedium numquam illustraret.* 13, 24. *in fastigiis fori Traiani simulacra sunt sita circumundique inaurata equorum.* i. e. tota. Nos vulgo *-um und um.*

Liv. 9, 23, 10. *nam et circa omnia defecerunt.* 21, 11, 11. *quum tam procul Romani, unica spes, circa omnia hostium essent.* Alia exempla vide apud Drakenborch. ad 9, 2, 7. et apud Graev. ad Flor. 3, 19, 12. 4, 12, 60. cf. Duker. ad Flor. 1, 18, 13. Liv. 31, 38, 1. *exhausto circa omni agro.* Valer. Flacc. 8, 2. *Colchida circa omnes pariter furiaeque minaeque patris*

habent. Apud Florum 4, 12, 60. *natura regionis circa se omnis aurifera.* delendum videtur pronomen.

Florus 1, 18, 13. *tum omnia circa quasi hostilia gravi mole permiscuit.*

Lucret. 5, 631. de luna: *flaccidiore etiam quanto iam turbine fertur, — tanto magis omnia signa hanc adipiscuntur circum, praeterque feruntur.* Coniunge *omnia circum.* Forbiger explicat: signa circum scil. ὄντα, vel signa cingentia.

III. 1. Propinquitatis notio transferri ad tempus coepit saeculo Augusti. Notatur vero hoc modo tempus proximum. Et potest illud, cui proximum est, vel universo nomine designari, vel per additum numerum definitius. Saepe idem significat *circa*, quod *paullo ante.* Livius, cuius in scriptis antiquissima exempla huius dictionis leguntur, poetarum usum vel consuetudinem vulgarem sequutus esse videtur. *Circum* de tempore non dictum est. Id iam grammatici veteres docent et ipsa vocabuli ratio. Conf. Kellmann. in Animadvers. ad Nolten. Lex. p. 2153.

Liv. 42, 57, 10. *postero die circa eamdem horam in eumdem locum rex copias admovit.* Plin. Hist. n. 9, 18, 33. Curt. 5, 3, 7. *ipse tertia vigilia castris motis circa lucis ortum superaverat angustias.* Sueton. Oth. 11. Columell. 5, 6, 19. *circa vernum deinde aequinoctium binae vites — scrobibus deponendae.* 9, 13, 4. 5, 10, 8. *arbores et semina cum radicibus autumno serito, hoc est circa calendas et idus octobres.* 5, 10, 12. 5, 12, 2. 7, 3, 11. Plin. Epist. 1, 7, 4. *me circa idus octobres spero Romae futurum.* Palladius de Re r. 2, 4. 2, 7. 3, 8. 13, 1.

Addito numero Celsus 2, 6. p. 56. *ac si circa septimum diem tale esse coepit, proximum est, ut is circa quartumdecimum diem decedat.* 2, 7. p. 65. Sueton. Caes. 88. Scribonius Larg. 227.

Vellei. Pat. 2, 93, 1. *circa Murenae Cepionisque coniurationis tempus.* i. e. paullo ante. Plin. Hist. n. 33, 12, 55. *circa Magni Pompeii aetatem.* 35, 8, 34. 50, 112. *avium loquaciores, quae minores, et circa coitus maxime.* 11, 38, 72. *circa mortem.*

Horat. Carm. 4, 1, 4. *desine — circa lustra decem flectere mollibus iam durum imperiis.* Sueton. Dom. 16. in libris scriptis legitur: *ad circa mediam noctem ita est exterritus, ut ex strato prosiliret.* vel *ac circa.* Alii *ad*, alii *circa* excluserunt.

Non displicet illud *ac circa*, etiamsi *ac paullo post* recurrit.

Iurisconsulti, indefinitae rei cuiuscumque osores, post multas controversias alii constituerunt, tempus, quod per voc. *circa* comprehendatur, non ultra sex menses extendi, alii decernendam rem iudici commiserunt. Vid. Barbosae Diction. usu freq. 57, 7. p. 528. Strauchii Lex. partic. iur. p. 30. et 269.

2. Recentioris aevi quidam scriptores per voc. *circa* vitam et aetatem alicuius hominis ita designabant, ut ipsius nomen loci instar pro tempore ponerent. Conf. Regius ad Quinctil. Inst. 2, 4. Spaldingius ad Quinctil. 2, 4, 41. componit graecum *κατά*.

Quod Plin. Hist. n. 33, 12, 55. dixit: *circa Magni Pompeii aetatem.* id Quinctilianus expressisset *circa Pompeium.* Quinctil. Inst. 2, 17, 7. *doctores artis sero iam et circa Tesiam et Coraca repertos.* 2, 4, 41. *circa Demetrium Phalerea institutum fere constat.* 12, 10, 5. *floruit autem circa Philippum et usque ad successores Alexandri pictura praecipue.* Senecae Controv. 1. praef. p. 65. Gron. *quidquid romana facundia habet, quod insolenti Graeciae opponat aut praeferat, circa Ciceronem effloruit.* ubi Schulting. comparat Vellei. Pat. 1, 17, 1. *in Accio circaque eum romana tragoedia est.* ubi olim legebatur *circaque eorum.*

3. Deinde componitur *circa* cum nominibus, quae vel numerum, vel aliam rerum quantitatem significant, quo intelligatur numerus non plenus et mensura non pressius definienda. Schwartzius in priore Tursellini editione dubitaverat, an Livii locus 27, 42. ob singularem structuram esset corrigendus. Sed non desunt alia exempla. Quod vero apud Varronem legitur *circum*, ne quis pro *circiter* accipiat, aut corrigat, a Schneidero provisum est. Vid. p. 58.

Liv. 45, 34, 6. *ea fuere oppida circa septuaginta.* 27, 42, 8. *circa quingentos Romanorum sociorumque victores ceciderunt.* ita ex uno cod. palat. edidit Gronovius: in reliquis numerus nullus exstat aut falsus. Vid. Drakenb. Sueton. Ner. 48. *circa quartum miliarium.* Curt. 4, 6, 30. *cecidere Persarum Arabumque circa decem millia.* Petron. 97. *puer — annorum circa sedecim.* ubi alii correxerunt *circiter.*

Celsus 4, 19. *panis circa selibram ex vino aminaeo mero sumere.* 7, 15. *deinde per insequentes dies circa singulas heminas emittendum.*

Sueton. Claud. 6. *eum — legato etiam circa sestertium vicies prosequutus, commendavit insuper exercitibus.* ubi Gronovius haec: „immo *sestertii vicies:* nam ea vox regitur a *legato*, non a praepositione, quae instar adverbii sine casu nominis ponitur.“ Quod probari vix potest. Ac desunt etiam alia exempla.

4. His igitur, quae disputavimus, intelligitur, antiquos scriptores in hoc vocabulo semper unam loci notionem tenuisse. Octavo demum urbis saeculo desiderabatur aliquod vocabulum, quod ad respectum alicuius rei denotandum graeco *κατά* responderet. Huic notioni aptum videbatur voc. *circa*, quod quum regionem vicinam et res se attingentes significaret, etiam de animi cogitatione ad aliquam rem relata et de actione ac negotio, in quo quis versatur, usurpari poterat. Conf. II, 6. p. 62. Ita factum est, ut una haec praepositio loquutiones eas comprehenderet, in quibus antiquiores scriptores *in, de, ad, erga* ponebant: quae omnia communem admittunt notionem appropinquationis. De qua re dixerunt Duker. ad Flor. 1, 10, 5. Schwarz. ad Plin. Paneg. 95, 1. Burmann. ad Quintil. Declam. 1, 17. p. 37. Suetonius aliique plurimi coniunxerunt adiectiva, quae conditionem aliquam notant, Quinctilianus, uterque Plinius et Tacitus et semel Suetonius etiam substantiva. Idque non appellaverim depravationem linguae, sed adiumentum in hoc desiderio non temere assumptum.

Sueton. Tib. 69. *circa deos ac religiones negligentior.* i. e. in colendis diis. Ner. 51. Tacit. An. 16, 8. *qui — instantem damnationem frustrati, mox Neronem circa summa scelera distentum, quasi minores evasere.* Germ. 28. de Orat. 21, 3. 22, 3. Iustin. 14, 1, 3. *ut quo modo circa se animati essent cognosceret.* Alia ex Apuleio collecta habet Pricaeus ad Metam. p. 230. Not. p. 635. Suet. Tib. 11. *quum circa scholas et auditoria professorum assiduus esset.* quod Baumgarten-Crusius in Clavi p. 197. mirum in modum interpretatur: in pluribus circa scholis. conf. Domit. 3. Ner. 23. *ne quid circa haec occupatum avocaret.*

Quinctil. Inst. 1. pr. 4. *nullam ingenii sperantes gratiam circa res etiamsi necessarias, procul tamen ab ostentatione positas.* 4, 1, 9. *inde illa veterum circa occultandam eloquentiam simulatio.* 10, 2, 14. Plin. Ep. 3, 9, 13. *circa Classicum quidem brevis et expeditus labor.* Traianus ad Plin. 10, 70. (63.)

manifestum est — nec prudentiam nec diligentiam tibi defuisse circa istum lacum. Plin. Pan. 20, 3. Tacit. An. 11, 15. *publica circa bonas artes socordia.* Plin. Hist. n. 29, 1, 5. *hinc illae circa aegros miserae sententiarum concertationes.* 18, 1, 1. *sermo circa rura est.* 8, 16, 19. *varia circa hoc opinio.* Seneca de Ira 3, 32. Plin. Ep. 5, 14, 1. *promisi scripturum me tibi, quem habuisset eventum postulatio circa Tuscilium Nominatum.* Florus 1, 18, 22. *quum Fabricius decem pondo argenti circa Rufinum consularem virum quasi luxuriam censoria gravitate damnaret.* i. e. in Rufino. Sueton. Claud. 14. *novo circa principem exemplo.* i. e. in principe. Quibus verbis non potest excusari vitiosa ratio, a Ruhnkenio reprehensa, apud Muretum Oper. Tom. 3. p. 271. *quamquam circa illas quoque vidi exemplum.*

Quinctil. 8. prooem. 5. *sunt pauca, circa quae si is, qui instituetur, non repugnaverit, pronum ad cetera habiturus est cursum.* 15. *ideoque praecipue circa praecepta partis huius laboravit.* 7, 2, 6. *quaeritur per coniecturam et qualitatem circa modum, speciem, numerum.* Tacit. Dialog. de orat. 3, 4. *adeo te tragoediae istae non satiant, quominus omissis orationum et caussarum studiis omne tempus modo circa Medeam, ecce nunc circa Thyestem consumas.* Hist. 1, 13. *hi discordes — circa consilium eligendi successoris in duas factiones scindebantur.* Sueton. Claud. 45. *mors eius celata est, donec circa successorem omnia ordinarentur.* cf. c. 22.

Symmachus imprimis solebat coniungere pronomina. 1, 90. *etsi amore praevenior, ne sim circa te avarus officii.* 2, 68. 3, 6. 5, 8. *officia circa nos mutuae affectionis implere.* Iurisconsulti saepissime usurpabant hanc vocem pro *de*, *quoad*, quod nos dicimus *in Betreff*, *in Rücksicht*: Paullus in Digest. 6, 3, 42, 6. *res expediri non potest circa adiudicationes.* Iulianus 41, 1, 36. *circa caussam dissentire*, quod paullo ante *in caussis dissentire*. Vlpianus 5, 2, 24. *circa inofficiosi querelam evenire plerumque assolet* etc. Pompon. 24, 1, 51. *evitandi autem turpis quaestus gratia circa uxorem, hoc videtur Quintus Mucius probasse.* Multa collegit Brissonius de Verb. signif. p. 191.

Tacit. An. 11, 29. *Callistus iam mihi circa necem C. Caesaris narratus.* Quod esse potest in nece narranda. Florus 1, 10, 5. *ubi frustrato circa purpuratum eius ictu tenetur.* Equidem haec ita intelligo: quum frustratus esset ictus eo, quod purpuratum, non regem occiderat.

Cic. ad Fam. 9, 15. init. *ex prioribus tuis litteris intellexi pergratam tibi esse curam valetudinis tuae: quam tibi per-*

spectam esse gaudeo. In hoc depravato loco erant qui inepte corrigerent: *pergratum tibi esse animum meum perspectum circa curam valetudinis tuae.* Quamquam iam Schwartzius in notis ad Tursellin. observavit, Ciceronem non solere *circa* de aliis rebus quam de locis usurpare.

IV. 1. Praepositiones *circum* et *circa* post substantivum suum poni propterea notamus, quod rara sunt exempla apud prosaicos, et quod poetis interdum structura adeo dura placuit. Vid. Wopkensii Lect. Tull. p. 170. (128.) Markland. ad Stat. Silv. 3, 3, 21. Walch. ad Tacit. Agric. p. 338.

Cic. de Nat. d. 2, 41, 105. *hunc circum ἄρκτοι duae feruntur.* in Verr. 4, 48, 107. *quam circa lacus lucique sunt plurimi.* Lucret. 1, 935. *prius oras pocula circum contingunt mellis dulci liquore.* Virgil. Aen. 1, 32. *errabunt acti fatis maria omnia circum.* 3, 75. 6, 329. Stat. Theb. 8, 395. *Tydea circum omnes — stipantur.*

2. De particula a verbo, quocum cohaeret, avulsa, et de scribendis verbis compositis tria sunt monenda. Praepositionem verbis praefixam secerni, et adverbium per se constare posse, res est omnibus nota. Hanc tmesin, in qua potius dicas adverbium non esse compositum cum verbis, illustraverunt Vlitius et Burmann. ad Gratii Cyneg. 10. Cavendum tamen est, ne fingamus vocabula, quae numquam in usum venerunt, veluti *circumamplecti*, *circumsequi*, *circumesse.* Neque, ubi *circa* legitur, tmesis ista locum habet.

Virgil. Aen. 2, 792. *ter conatus ibi collo dare brachia circum.* 1, 175. *arida circum nutrimenta dedit.* Lucret. 5, 881. *circum tribus actis impiger annis floret equus.*

Adverbium absolutum ponitur a Gratio in Cyneg. 375. *tum pura monebo circum labra sequi.* et a Virgil. Ecl. 3, 45. *et molli circum est ansas amplexus acantho.* nam quod apud Apulei. Met. 8. p. 130. (44.) Colvius et Scioppius coniecerunt: *inter tot milia populi circumsequentis*, antiqua auctoritate destitutum est, nec *circumamplecti* dictum esse, ipse, quem afferunt, Virgilii locus Aen. 5, 312. *lato quam circum amplectitur auro balteus*, si integra est haec scriptura, per elisionem demonstrat.

Grat. Cyn. 404. *et vivum lapidem et circa melitensia nectunt curalia.* aut *circa* positum est pro *supra*, aut, quod verum puto, scribendum est *circum.* In Senecae Herc. f. 149. recte

exhibent libri scripti: *turbaque circa confusa sonat*: nam dicitur *turba circa*. Vid. Gronov. ad Liv. 21, 49, 7. ut Tacit. Ann. 11, 31. *strepente circum procaci choro*.

Tum componitur praepositio cum verbo, unoque accentu utrumque continetur non tantum in iis, quibus exprimitur actio, quae rem aliquam circumeat aut circumplectatur, sed etiam ubi conditio describitur, quae ad totam rem pertineat, aut res per regionem circa disposita. Ita *circumsudare* apud Plin. Hist. n. 14, 1, 3. *circumnascens* 2, 103, 106. *circumsonare,* de locis, quae circum resonant, apud Liv. 39, 10, 7. aut active de vocibus undique allatis, *circumiacere* apud Liv. 37, 54.

Legitur apud Cic. de Off. 3, 2, 5. *conducere arbitror, talibus aures tuas vocibus undique circumsonare.* quod est talibus vocibus undique personare, ut est ad Fam. 6, 18, 7. Beierus, qui viderat Pearcii explicationem de sonantibus auribus ridiculam esse, correxit *circumsonari*, tamen nullo exemplo comprobavit, prosaicum scriptorem ullum, nedum Ciceronem passivo usum esse. Neque Cicero dixisset *aures circumsonari, nec eas — audire.* Pronomen *eas*, diversum antea esse subiectum orationis, declarat. Scriptores posteriores dicebant *undique circum*.

Denique quaeritur de verbis cum duplici praepositione compositis, de qua re dixi ad Statii Silv. 1, 1, 1. Sed ratio verborum et consuetudinis tempora distinguenda sunt. Atque negavit Cortius ad Sallust. Histor. fragm. p. 986. scribi posse *nullo circumadnitente*, quum a Latinis fere cautum esset, ne tria vocabula coniungerentur. Tamen ratio obstat: nam significatione differunt *circumadniti* et *neminem circum*, i. e. eorum qui circa sunt, *adniti*. Sed antiqui scriptores semper in his apposuerunt adverbium purum, etiam proximo a verbis loco. Postea quum pleniores formae placerent, et in doctrinarum expositione nova vocabula adhiberentur, coniungebant adverbia etiam cum verbis compositis, ut omnes partes uno accentu comprehenderent, idque aut continua scriptura exprimebant, aut hyphen interponebant. Vna tamen erat exceptio omnibus temporibus communis. Vbi enim *super* et *circum* maiori significatione pro *insuper*, *circumcirca* ponebantur, etiam distinctione et proprio accentu efferebantur. Quare Cato de Re r. 48. scripsit *furcas circum offigito*, Plinius

Hist. n. 19, 5, 26, 4. *confert altema folia circum obruere,* ut 19, 5, 30. *deflexa circa obruuntur.* Sed Liv. 25, 36, 5. *si quo modo posset vallum circuminiicere,* Columella 5, 12, 3. *stercoratam terram circumaggerato,* et Plinius 19, 5, 23. *fimoque circumaggeratas resistere frigori radices.* Tibull. 1, 5, 10. *ipseque ter circum lustravi sulfure puro.*

Quod olim legebatur apud Caton. de Re r. 114. ***duas partes terrae circumaddito.*** **nunc restitutum est** ***circumdato.*** **Plin. Hist. n. 8, 33, 51. antiquae editiones praebent:** ***nec pupillae motu, sed totius oculi versatione circumadspicit.*** **Quod Aristoteles Hist. an. 2, 11. στρέφει δὲ τὸν ὀφθαλμὸν κύκλῳ καὶ τὴν ὄψιν ἐπὶ πάντας τοὺς τόπους μεταβάλλει, Plinius reddidit et scripsit:** ***circum adspicit.*** **Harduinus temere mutavit** ***circumspicit.*** **Quod apud Apulei. Met. 2. p. 120, 23. (120.) comprobasse videtur Oudendorpius** ***quum — coronae circumadstantium fata donaret.*** **et 8. p. 212, 13. (570.)** ***quae res circumadstantium — deterruit animos.*** **certe non confirmari poterat exemplo Taciti Ann. 4, 62. Ibi enim homines, qui in amphitheatro assidebant, iis opponuntur,** ***qui circum adstabant.***

3. Adverbium, ut in multis exemplis vidimus, proximum praecedit substantivis. Vnde duplex grammaticorum opinio nata est. Alii putabant haec coniungi per hyphen, atque scribi *circa-saltus.* vide Fabri Thesaur. p. 549: alii ex antecedentibus intelligendum esse dicebant nomen vel pronomen: *Tantalus est illic et circum* (scil. eum) *stagna.* vid. Bachii Geist der röm. Elegie p. 64. Signo, quod hyphen vocant, non opus est, nec re vera coalescunt vocabula: tamen id facile concedi potest, adverbium, ubi praecedit nomini appositum, arctius coniungi ad unius notionis speciem. Ellipsis vero nulla est.

4. Praepositio, quae verbis coniuncta est, non solet, ut in aliis, iterum poni cum nomine, sed semper dicitur *circumire aliquid, circumvolare, circumdare, circumsedere aliquid.* Cf. Ruddimann. Tom. 2. p. 328. Plautus adeo dixit Mostell. 3, 2, 157. *eho istum, puer, circumduce hasce aedes et conclavia.*

* In scriptis libris quum compendium esset simillimum, librarii modo *circa*, modo *circum* dederunt. Vid. Drakenborch. ad Sil. 2, 546. ad Liv. 4, 12, 9. 10,

38, 8. Compendium breve *ca* vel *c̄a* effecit, ut totum vocabulum aut omitteretur (cf. Drakenb. ad Liv. 21, 46, 3.), aut commutaretur cum *contra*. vid. Drakenb. ad Liv. 37, 15, 7. Oudendorp. ad Frontin. 1, 4, 7. ad Sueton. Tit. 4. ad Apulei. Met. p. 152. Ruald. et Oudend. ad libr. 7. p. 492. 500. Interpr. ad Plin. Ep. 3, 9, 14. 5, 14, 1. ad Quinctil. Inst. 4, 2, 12 et 19. et cum *citra*. vd. critici ad Liv. 1, 38, 1. Drakenb. ad 21, 38, 6. 10, 25, 5. Saepe pronomen *eum* addiderunt in formula *circum esse*. vd. Gronov. et Drakenb. ad Liv. 26, 49, 13. ad 9, 2, 7.

CIRCITER.

Circiter adverbium est ex adiectivo *circus* desumptum, ideoque idem significat, quod *circum*. Cuius usus vestigia nonnisi in fragmentis vetustissimorum scriptorum reperimus. Cassius Hemina apud Plinium Hist. n. 13, 13, 27. *lapidem fuisse quadratum, circiter in media arca vinctum candelis quaquaversum.* Ita enim haec verba, quod nemo animadvertit, intelligenda sunt. Posteriore tempore *circiter* ad tempus et ad numerum proprie referebatur. Priscianus 14. (3, 34.) p. 990. *circiter vero tum similiter περὶ graecam significat, quum pro iuxta accipitur: ad tempus tamen solum pertinet, ut circiter calendas ianuar.* Alcuin. p. 2138. Beda p. 2332. Flav. Caper p. 2241. Hi omnes praepositionem nominant. Repugnant Sanctius et Ruddimannus cum aliis, qui docent esse adverbium, cui subaudienda addatur praepositio *ad:* quae quum ablativo non conveniat, ubi legitur *circiter meridie*, sententiam integram videri hanc: in meridie aut circiter ad meridiem. At nomen per se constat, et tempus, quo aliquid fit, non modo ablativo, sed et accusativo exprimitur: sicuti Graeci dicunt *τὴν ἑσπέραν, ἕσπερον, τὸν ὄρθρον.* Conf. Vol. 1. p. 380. Est igitur *meridiem* id quod per meridiem. Accedit vero cum adverbio alia ratio, qua id, quod circa aliquod tempus est, ad ipsum, quod nominatur, tempus tamquam ad centrum refertur, idque accusativo designatur. Hinc fit, ut verba arctius cohaereant et adverbium induat speciem praepositionis. Significat idem quod *ferme, fere.* Germani utuntur verbis *um* et *ohngefähr.*

Plaut. Most. 3, 1, 52. *redito huc circiter meridie.* Varro de Re r. 3, 10, 6. *sic curati circiter duobus mensibus fiunt pingues.* Paullo ante Schneiderus nimis audacter correxit locum corruptum, in quo nihil nisi numeri nota commutanda videtur: *ad saginandum eligunt pullos circiter IV. Vve.* (i. e. quatuor quinqueve) *menses, qui sunt nati.* vulgo legitur *circiter sex qui menses.* Caesar B. gall. 4, 23. *ipse hora diei circiter quarta cum primis navibus Britanniam attigit.*

Varro de Ling. lat. 5, 5. (6, 5.) *quia singulis verbis primigeniis circiter quingentae species declinationibus fiunt.*

Sallust. Cat. 56, 3. *ex omni copia circiter pars quarta erat militaribus armis instructa.* Caes. B. gall. 2, 32. *armorum magna multitudine de muro in fossam, quae erat ante oppidum, iacta, — et tamen circiter parte tertia, ut postea perspectum est, celata et in oppido retenta, portis patefactis, eo die pace sunt usi.* Adverbii officium defenderunt Linacer de Emend. struct. p. 112. et Cortius ad Cic. ad Fam. 4, 12, 4.

Cic. ad Att. 2, 4. *nos circiter cal. aut in Formiano erimus, aut in Pompeiano.* ad Fam. 14, 5. *nos — circiter idus novembres in Italia speramus fore.* Varro de Re r. 2, 11, 7. *oves hirtas tondent circiter ordeaceam messem.* 3, 8, 3.

Caes. B. gall. 1, 15. *ita dies circiter quindecim iter fecerunt.* Liv. 18, 1, 7. *quum decem circiter millia ab hoste abessent.* Plaut. Mil. 2, 3, 79. *nam illic noster est fortasse circiter triennium.* Vid. Heusingeri Obs. antibarb. p. 463.

Sanctius in Minerv. 1, 16. et Vrsinus Instit. Vol. 2. p. 438., ut ellipsin praepositionis *ad* comprobarent, afferebant Cic. ad Att. 2, 17. *verum — haec in Arpinati ad sextum circiter idus maias non deflebimus.* Sed iam Ruddimannus Vol. 2. p. 331. monuit, recte legi *a. d. sextum.* i. e. ante diem.

Gerh. I. Vossius de Analog. 4, 22. p. 263. „aliquando," inquit, „suspicio mihi incidit, ut *obiter* dicimus voce ex *ob* et *iter* composita, ita etiam *circiter* esse conflatum ex *circum* vel *circa* et *iter*. ita *circiter Romam* integre sit circum iter ad Romam: hoc est circa illud iter, quo Romam itur." Quo ineptius excogitari non poterat. cf. Perizon. ad Sanctii Min. 1, 16.

Ratio certa est, qua adverbium proxime coniungi solet cum nomine numerali. Sulpicius ad Cic. 4, 12. mutavit ordinem verborum, dixitque: *circiter hora decima noctis.* Recte interponuntur verba, quae ad nomen numeri pertinent. Aurel. Vict. de Caes. 36. *mense circiter post Aureliani interitum sexto.* Post numerale legitur in loco allato Cic. ad Att. 2, 17. Conf. Goclenii Observ. p. 102.

Diximus antea *circiter* proprie fuisse *circum*. Hinc antiquo tempore etiam id expressit, quod *circa*, de locorum regione, sed cum indicio incerto.

Plaut. Cist. 4, 2, 7. de cistella: *ubi ea sit nescio, nisi, ut opinor, loca haec circiter excidit mihi.* i. e. hic aliquo fortasse loco.

CIRCVMCIRCA.

Priscian. 14. (3, 34.) p. 989. *est tamen quando circum praepositioni eam* (i. e. *circa*) *subiungimus et circumcirca dicimus. — Et hoc tunc fit, quando* ἀμφὶ περὶ *significare volumus, ut Hesiodus* ἀμφὶ περὶ πηγὴν ἰοειδέα. Sergius in Donat. p. 1855. *numquam enim praepositio alteri praepositioni cohaeret. Si autem volueris, ut coniunctim cohaereat, non iam adverbium erit, sed potius recipit naturam suam: nam et praepositionem praepositioni sic cohaerentem, ut pro una parte praepositionis habeatur, invenimus saepe apud Catonem, ut circumcirca id est circa.* Sergius hoc dicere voluit: praepositio ubi cum praepositione coniungatur, eam non manere adverbium, sed coire utramque in unam vocem. Tamen ne praepositio quidem vocari potest. Nam quae reperiuntur exempla, omnia adverbium praebent. Id vero factum videtur, ut totus alicuius rei ambitus et circuitus regionis denotaretur: sicuti nos dicimus *um und um*, quod est *ringsum*. Hac ex compositione verbi *circumcirca* recentior usus servavit simplicem formam *circa*, quae deinceps in vicem praepositionis *circum* successit.

Plaut. Aul. 3, 4, 8. *ubi erat haec defossa, occoepit scalpturire ibi ungulis circumcirca.* Sulpicius in Cic. ad Fam. 4, 5, 8. *ex Asia rediens quum ab Aegina Megaram versus navigarem, coepi regiones circumcirca prospicere.* Liber de Bello hispan. 41. *huc accedebat, ut aqua, praeterquam in ipso oppido Munda, circumcirca nusquam reperiretur propius milia passuum octo.* Apulei. Met. 11. p. 258, 23. *palla nigerrima — quae circumcirca remeans et sub dextrum latus ad humerum laevum recurrens.*

CIRCVMQVAQVE.

De verbo CIRCVMVNDIQVE vide supra p. 63. Aurelius Victor, sive qui scripsit libellum de Origine gent.

rom. 17, 6. *coloniae deductae sunt Praeneste Tibur — Bovillae, ceteraque oppida circumquaque.* Alia exempla non exstant. Et dubitari potest etiam isto in loco, ubi praecedit *cetera*, cui parum eleganter additur *quaque.*

CIRCVMSECVS.

Circvmsecvs vocabulum est Apuleio proprium, cuius forma respondet aliis *intrinsecus*, *altrinsecus*, *forinsecus*. Atque *secus* regionis tractum, in quo altera pars alteram sequitur, sive quem nos oculis quasi sequimur, indicat. Nos dicimus *wart*, *wärts*, in *anderwärts*, *rückwärts*. Est igitur *circumsecus* fere idem quod *circum*, et usurpatur de regione, quae circumiacet: *umwärts*, *in der Gegend umher.*

Apulei. Met. 2. p. 121, 11. *quum etiam nos omnes circumsecus adstantes in clarum cachinnum videret effusos.* 5. p. 166, 23. *et multi coloni quique circumsecus venantur, et accolae plurimi viderunt eum vespera redeuntem.* 11. p. 264, 33. *navem faberrime factam picturis miris Aegyptiorum circumsecus variegatam — deae nuncupavit.* Ita emendavit Stewechius corruptum voc. *circumspectus*, vel *circumspectis*, vel *circumseptus*: idque probari posset, si modo alia exempla confirmarent significationem *circumcirca*, *ab omni parte.*

CIS.

Cis quid proprie adsignificet, etymologiae auctores discernere non audent. Gerh. Vossius suspicatur, abiecta priore syllaba, factum esse ex ἐκεῖσε: tamen ipse in Art. gramm. 2, 19. p. 238. et 2, 31. p. 293. demonstravit, vocalem corripi. Idque colligit et ex analogia verbi *bis*, et ex usu verborum *citimus* et *citro*. Illa vero analogia non recte constituta est, usus autem syllabae brevis in vocabulis *citro* et *citimus* ad recentissimos poetas pertinet: Horatius aliique *citra* producunt. Nemo enim nunc carmen astronomicum, quod in Antholog. Burmann. 5, 46. legitur, Varroni Atacino tribuet, aut admodum vetustum esse putabit. Quare nil obstat, quo minus longam syllabam in *cis* statuamus. Atque factum est hoc vocabulum ex demonstrativo nomine, cuius diversas formas in *hic* et *is* usurpamus,

praefixa littera *c* seu syllaba *ce*, de qua diximus p. 10. Igitur primitivum fuisse videtur *chis*, sive transversa forma vocabuli *hicce*: adiecta quidem littera *s*, quae in *trans* et in obsoleto *pris*, unde *pridem* est, et in aliis adhaeret. Nam quid Schwenckius sibi voluerit, quum in Seebodii Sylloge II, 1. p. 161. *cis* pro *quis* dici existimat, equidem non perspicio: rectius Grotefendus II, 2. p. 361. cognationem particulae *ce* commemoravit, et graecum ἐκεῖ contulit.

Antiquo tempore Latini dixerunt *cis*, ut *uls*, sed postea mutaverunt in *citra*. Quare eae significationes, quae recentiori tempore accesserunt, non ad *cis* referebantur, idque ipsum modo in certis quibusdam formulis perstabat. Vide in voc. CITRA. Vulgaris tamen sermo alia, quibus scriptores aevi posterioris formam *citra* adhibuerunt, etiam cum *cis* coniunxisse videtur. Quare Priscianus universum usum complecti voluit his verbis 14. (3, 27.) p. 987. *cis et componitur et separatur, et magis localem habet significationem, ut cisalpina Gallia et cis Rhenum. Possumus tamen per translationem et in tempore et in aliis rebus ea uti, ut cis definitum tempus, sicut ultra definitum, vel cis naturae leges, ut ultra naturae.* Conf. Beda p. 2332.

Apud Pomponium in Digest. 2, 2, 31. quum legatur *cis Tiberim et ultis Tiberim*, grammatici arbitrabantur, olim dicta esse vocabula *ultis* et *citis*, et Vossius de Analog. 2, 25. p. 802. ait: declinant vero *cis*, *citis*, *uls*, *ultis*, quo praeter Varronem usus Pomponius: et Forcellinus formam *ultis*, *citis* antiquiorem vocat. Quae omnia incerta aut falsa sunt. Apud Varronem nullum exstat longioris formae exemplum, nec puto Latinos umquam dixisse *citis*.

1. Cis praepositio de locis dicitur, quae aliqua re interposita, sive monte sive flumine interiecto, diffinduntur. In iis notare videtur eam partem, quae ad nos, qui loquimur, spectat, i. e. in hac parte, *diesseits*. Sed totus hic usus constituitur negativa notione *non ultra*, ut ab altera interiore parte intelligatur id, quod terminum non transgreditur. Opponitur *uls* et *trans*. Et coniungitur *cis* etiam cum verbis, quae motum significant. Glossae Cyr. ἐντός, *cis*, *intra*, *intro*.

Varro apud Nonium 2, 180. *eo die cis Tiberim redeundum est, quod de coelo auspicari ius nemini sit praeter magistratum.*

Sallust. apud Victorin. in Cic. Rhet. p. 82. Pith. et apud Nonium l. l. *omni Gallia cis Rhenum atque inter mare nostrum atque oceanum, nisi quae a paludibus invia fuit, perdomita.* Cic. ad Fam. 3, 8, 15. *quid enim erat, quod me persequerentur in castra, Taurumve transirent, quum ego Laodicea usque ad Iconium iter ita fecerim, ut me omnium illarum dioecesium, quae cis Taurum sunt, omniumque earum civitatum magistratus legationesque convenirent?* ad Att. 7, 2. *quoad hostis cis Euphratem fuit.* Liv. 8, 14, 5. *et senatus inde abductus, iussique trans Tiberim habitare: ut eius, qui cis Tiberim deprehensus esset, usque ad mille pondo clarigatio esset.* 5, 35, 4. *cis Padum ultraque.* 38, 38, 3. In 4, 17, 8. *hic enim primus cis Anienem eum rege Veientium secundo proelio conflixit.* librarii rariorem vocem aut omiserunt aut mutarunt in *citra* et *circa.*

Nonius, qui Sallustii et Varronis verba affert, in praemissa explicatione *cis positum pro ultra* aut stupido errore confudit locorum rationes, aut scripsit *non ultra.*

2. De tempore usurpatur ex Prisciani praeceptis ita, ut, contrarium vocabulo *ultra*, indicet id, quod ante temporis terminum definitum praecedat: *non ultra, intra.* Hoc tamen non usurpatur nisi a recentissimis scriptoribus. Aurel. Victor de Caes. 42, 1. *eum Constantinus cis mensem decimum facundiae vi deiectum imperio in privatum otium removit.* Antiqui scriptores unam habent formulam additi vocabuli *pauca*: ut *cis paucos dies* sit non ultra paucos dies, intra p. d. Vid. Livinei. et Iaeger. ad Mamert. Grat. act. Iuliano 15.

Plaut. Truc. 2, 3, 26. *ita ego illam edepol servem, itaque parce victitem, ut nulla faxim cis dies paucos siet.* Merc. 1, 2, 41. *liberum caput tibi faciam, paucos cis menses.* Most. 1, 1, 16. *quod te in pristinum scis actutum tradier, cis, hercle, paucas tempestates.* Mamertin. Grat. act. Iul. 15. *cis pauculos dies in novum ac florentem statum re publica restituta.*

3. Denique ad rerum terminum quemcumque *cis* referri, notat Priscianus, non additis exemplis: neque ea obvia sunt in antiquis scriptoribus. Quare ad usum vulgaris et obsoleti sermonis pertinuisse videtur. Quod vero in aliquibus Taciti editionibus ex emendatione Lipsii legitur Ann. 11, 30. *veniam in praeteritum petens, quod ei cis Vectium, cis Plautium dissimulavisset.* Forcellinus interpretatur: quod tacuisset, donec res constitit intra Vectium et Plautium. At nemo Latino-

rum sic loquutus est. Quae Gronovius comparat, aliena sunt. Fortasse integram scripturam servavit codex Agricolae, *Titios, Vectios, Plautios.*

Hoc loco tamquam certo quodam argumento usus est Herelius, ut Tacit. Ann. 11, 16. coniectura emendaret ita: *saepius vinolentiam cis libidines.* pro *ac libidines.* Illud vero ne latinum quidem esse putem, vinolentiam autem, et quae cum ea semper cooriuntur libidines, in Germanis, qui a Tacito *barbari* vocantur, negare, verecundiae est nimiae et affectatae.

CITO. CITIVS.

Citus vocabulum, quod nemo hodie cum Ang. Caninio per metathesin ex ταχὺ transformatum putabit, factum est ex *cieo.* Vossio in Etymol. p. 156. videtur *citus* proprie esse *vocatus*, et quia, qui ab aliis vocantur sive periculi sive affectus caussa, celeriter accedere soleant, veloces dici *citos*, nisi sit citum, quod in itione est, a κίω, eo. At non omnes citi vocantur, nec qui vocantur, semper festinant. Nec sufficit ratio, qua Doederlinus p. 132. Tom. 2. Synonym. omnem horum verborum naturam reducit ad voluntatem, et *citum* eum esse putat, qui animo et voluntate praeditus aliorum voce aut nutu ad aliquid agendum commoveatur. *Ciere* non est vocare, et differt a *movere* eo, quod significat conatum et irritationem, qua quid, ut se moveat, impellitur, sive sit homo sive res non animata. Ita fit, ut *citum* sit et id, quod ad motum impulsum est, et in cuius motu vehementiori apparet impulsus et acceleratio. Quare *cito* dicitur pro citato actu, celeriter, et ad tempus relatum, pro brevi tempore, sine mora. Quae satis confirmantur exemplis in lexicis abunde propositis. Hic nobis commemoranda sunt modo haec.

1. Cum negatione coniunctum *non cito* ponitur pro *haud facile* de eo, qui aliquid ob dubitationem cunctanter acturus est, et de eo, quod fieri, aut futurum esse dubitamus, praesertim in formula *non cito dixerim.* Nos dicimus *nicht gleich*, et *nicht leicht.*

Cic. Brut. 76, 264. *neque verbis aptiorem cito alium dixerim, neque sententiis crebriorem.* In comparationis formula Cic. ibidem 265. *quem tu non tam cito rhetorem dixeris — quam, ut Graeci dicunt, πολιτικόν.*

Terent. Ad. 3, 3, 89. *haud cito mali quid ortum ex hoc sit publice.*

Non cito pro non celeriter, non brevi tempore, legitur apud Cic. de Orat. 3, 36, 146,

2. Praeterea *citius*, praesertim, ut videtur, in evocatione, ponitur pro *prius* vel *potius*. Estque hic usus recentioris aevi.

Senec. Agamem. 965. *citius interea mihi edissere, ubi sit gnatus, ubi frater tuus.* Senec. Lud. de morte Claud. 7, 1. *citius mihi verum, ne tibi alogias excutiam, dicito.* Vtroque in loco Gronovius explicat: quam citissime, statim, et comparat Lud. de morte Cl. 13, 2. *celerius inquit Mercurius, et venire nos nuntia.* At ibi bene corrigitur codicum auctoritate *celerius i.* Quid Auctor de Different. voc. p. 2193. Putsch. (p. 469. Mai.) in distinguendis vocabulis *citius* et *celerius* sibi voluerit, alii evolvent, corruptissimum locum emendaturi.

3. Hinc *citius — quam* usurpatur de eo, quod facilius, aut prius quam aliud quid fiat, ubi Germani *eher — als*, Graeci θᾶσσον. Soph. Philoct. 631. θᾶσσον ἂν τῆς πλεῖστον ἐχθίστης ἐμοὶ κλύοιμ' ἐχίδνης.

Plaut. Amph. 1, 3, 6. *sed ubi summus imperator non adest ad exercitum, citius quod non facto'st usus fit, quam quod facto'st opus.* Cic. in Verr. 4, 26, 59. *vox me citius defecerit quam nomina.* ad Fam. 5, 2, 30. *citiusque amore tui fratrem tuum odisse desinam quam illius odio quidquam de nostra benevolentia detraham.* de Off. 1, 18, 59. *ut vicinum citius adiuveris in fructibus percipiendis quam aut fratrem aut familiarem.* Liv. 8, 32, 9. *modo vitam sibi eripi citius quam gloriam rerum gestarum posse vociferaretur.* Ovid. ex Pont. 2, 8, 65. *nam caput e nostra citius cervice recedet — quam caream raptis, o publica numina, vobis.* cf. 2, 7, 25. Horat. Sat. 2, 5, 35. Drakenb. ad Livii 8, 32. *Citius — quam* de tempore ac celeritate vid. Plaut. Pers. 3, 3, 30.

4. Hoc modo *citius* in comparatione usurpatur cum *quam* compositum in formula *citius dixerim* pro potius, vel facilius.

Cic. Phil. 2, 11, 25. *citius dixerim, iactasse se aliquos, ut fuisse in ea societate viderentur, quum conscii non fuissent, quam ut quisquam celari vellet, qui fuisset.* quod dictum est pro his: quam ut dixerim, quemquam celari voluisse.

5. Ceterum *cito* inter ea vocabula referendum est, quae, sicut *sero*, *longus*, *sedulus*, etiam conditionem indicant nimis magnam. Significat enim interdum perquam cito, nimis cito, *zu früh*.

Pallad. de Re r. 1, 6, 15. *omne opus rusticum, quum fieri praecipitur, neque cito est, si ante quindecim dies, neque tarde, si post quindecim fiat.*

CITRA.

Gellius Noct. att. 12, 13. e disputatione Apollinaris Sulpicii haec refert: *tres istae voces* intra, citra, ultra, *quibus certi locorum fines demonstrantur, singularibus apud veteres syllabis appellabantur* in, cis, uls. *Hae deinde particulae, quoniam parvo exiguoque sonitu obscurius promebantur, addita est tribus omnibus eadem syllaba, et quod dicebatur* cis Tiberim *et* uls Tiberim *dici coeptum est* citra Tiberim *et* ultra Tiberim. Priscianus 14. (3, 33.) p. 989. citra *numquam componitur, et pene eamdem habet significationem quam* cis: *nam apud nos locum significat. Sed invenio, quod propriis nominibus, vel montium* cis *solet praeponi plerumque, reliquis vero magis* citra, *ut cis Rhenum, cis Alpes, cis Paduam: citra saniem, citra cruorem, citra forum; et a* cis *quidem derivatur* citra, *a* citra *vero* citer, citerior *et* citimus, *teste Capro. — Vtriusque tamen interpretatio apud Graecos adverbium est, id est, τὸ ὧδε vel ἐπὶ τάδε.*. Conf. Beda. p. 2332. Quod vero distinctionis caussa grammatici docent, *citra* praeponi solere appellativis, non autem *cis*, id inde factum est, quod linguae auctores in metaphoricum usum recentiorem etiam novam formam condiderunt. Ea primum erat adverbii ex ablativo *citera*, unde *citerior*, formati: tum cum nomine coniunctum praepositionis naturam induit. Apud Festum quum legatur: *citimus, extremus. Vls enim facit ultra, ultimus, cis, citra, citimus*, grammaticus nonnullis videtur *citra* habuisse pro comparativo. At nec Festus scripsit haec verba, nec, qui scripsit, Paulus Diaconus hanc sententiam istis verbis expressit, sed contulit similium formarum exempla, aut si illud voluit, significatione ad comparationem accedente est deceptus. vid. n. 3. et 9. Nec vero *citra*

est prolongata forma verbi *cis*, sed nova: quae quando sit facta, dici non potest. In comicis et in veterrimorum scriptorum fragmentis exemplum reperitur nullum. A Cicerone et reliquis usurpatur eo sensu, quo *cis* dicebatur de loco propiore. Adverbii exempla nonnulla nunc in scriptoribus recentioribus exstant. Sed fuerunt scriptores quidam etiam novissimo tempore, qui hac voce prorsus abstinerent, veluti Symmachus.

1. *Citra* igitur dicitur de regione anteriore, quae flumine, seu monte, seu urbe aliave re in medio posita, ad eum qui loquitur, aut de quo narratur, proxima spectat. Contrarium est *ultra*. Nec tantum cum verbis quietam sedem significantibus coniungitur, sed etiam cum iis, quae motum exprimunt. Doederlinus in Synonym. Vol. 3. p. 109. ita distinguit: *cis* significare locum simpliciter, *citra* simul indicare propinquitatem. Sed fallitur. *Cis Rhenum* et *citra Rhenum*, *cis Taurum* et *citra T.* nihil differunt significatione: id quod multa exempla comprobant.

Sulpicius apud Gellium 12, 13. ita disputat: *Cicero intra oceanum, non, ut tu interpretare, citra oceanum dixit. Quid enim potest dici citra oceanum esse, quum undique oceanus circumscribit omnes terras et ambiat? nam citra quod est, id extra est. Qui autem potest intra esse dici, quod extra est? Sed si ex una tantum parte orbis oceanus foret, tum quae terra ad eam partem foret, citra oceanum esse dici posset, vel ante oceanum. Quum vero omnes terras omnifariam et undiqueversum circumfluat, nihil citra eum est: sed undarum illius ambitu terris omnibus convallatis in medio eius sunt omnia, quae intra oras eius inclusa sunt.* Tamen recte dici a Gellio poterat *citra oceanum*, etiamsi ultra oceanum quidquam esse negavisset. Vid. n. 3. Silius 16, 660. *nec retulit urbi signa prius, quam fumantes circa aequora vidit romano Phoebum solventem litore currus.* Barthius et Heinsius correxerunt *citra aequora*: quod poeta dicere potuisset, etiamsi non cum aliis credidisset, Phoebum relicto citra oceanum curru redire solere ad orientem per oceani fluctus. Sed scripsit *circa aequora*, ut Statius dixit Theb. 3, 407. *hesperii devexo margine ponti*, et Nonnus Dion. 12, 11. ὠκεανοῖο παρὰ προχοῇσι.

Caes. B. gall. 6, 32. *Segni Condrusique legatos ad Caesarem miserunt, oratum, ne se in hostium numero duceret, neve omnium Germanorum, qui essent citra Rhenum, unam esse caussam iudicaret.* Liv. 21, 48, 6. *paucos moratorum occiderunt, citra*

flumen interceptos. Cic. ad Fam. 16, 2, 2. *is locus est citra Leucadem stadia CXX.* Liv. 38, 48, 1. *quidquid est terrarum citra Tauri iuga.* ad Att. 16, 7. *erat enim cum suis navibus apud Haletem fluvium citra Veliam millia passuum III pedibus ad me statim.*

Cic. Phil. 6, 3, 5. *paullo ante decretum est, ut exercitum citra flumen Rubiconem, qui finis est Galliae, educeret.* Caes. B. g. 6, 8. *quae fore suspicatus Labienus, ut omnes citra flumen eliceret, — placide progrediebatur.*

Plin. Hist. n. 3, 5, 12. *citra est Oglasa.* 2, 17, 14. 6, 11, 12. *citraque in rupe castello.*

Postponitur suo nomini apud Horat. Sat. 1, 10, 31. *natus mare citra.*

2. *Citra* cum *ultra* compositum habent formulae *ultra citraque*, *ultra citrave*, quae utramque regionem termini alicuius interpositi notant. Sed in hac una formula interdum evanescit ratio medii termini ita, ut tantum regiones diversae intelligantur.

Horat. Sat. 1, 1, 106. *sunt certi denique fines, quos ultra citraque nequit consistere rectum.* Plin. Hist. n. 10, 23, 31. *et quamvis ultra citrave pervolent, numquam tamen advenisse usquam, nisi noctu, existimantur.* i. e. in his illisve regionibus, ultro citroque. Nemo alius sic loquutus est. Ovid. Met. 5, 185. *inque petendo dextera diriguit, nec citra mota, nec ultra.* Rigescens dextra medium quasi tenuit, nec potuit moveri ad hanc illamve partem.

Quod Mercerus in Dict. Cretens. Bell. troi. 2, 8. edidit *ultra citraque vagabantur.* non de consilio factum videtur.

3. Sed quum particula *citra* eam designet partem, quae ante percurritur vel conspicitur, quam ad terminum in medio positum pervenitur, etiam de eo usurpatur, quod aut certum terminum non attingit, aut quamdam regionem non excedit eaque continetur. Quare explicari potest modo per voc. *intra*, modo per voc. *ante*: nec respicitur ad id, quod ultra est. Haec vero ratio reconditam in se habet comparationem, et *citra* dicitur pro iis, quae anteriora vel priora sunt, sicuti *citerior* pro *citero*.

Liv. 10, 25, 4. *profectus apto exercitu — ad oppidum Aharnam, unde haud procul hostes erant, ad castra Appii praetoris pergit. Paucis citra millibus lignatores et cum praesidio occur-*

runt. i. e. antequam ad castra pervenisset. Tacit. Hist. 4, 23. *tela hostium citra cadebant.* i. e. non ad Romanos pervenerunt. Plin. Hist. n. 2, 17, 14. *dicatur, cur Veneris stella numquam longius XLVI partibus, Mercurius viginti tribus a sole abscedant, saepe citra eas ad solem reciprocent.* 2, 17, 15. *in cancro vero non citra vicesimam quintam partem.*

Cic. Top. 9, 39. *quum autem a genere ducatur argumentum, non erit necesse id usque a capite arcessere. Saepe etiam citra licet, dummodo supra sit, quod sumitur, quam id, ad quod sumitur.* i. e. etiamsi non altius adscenditur.

Cic. Orat. 18. *ipsa enim natura quasi modularetur hominum orationem, in omni verbo posuit acutam vocem, nec una plus, nec a postrema syllaba citra tertiam.* i. e. non ante eam syllabam, quae tertia est a postrema syllaba.

4. Ita fit, ut *citra* dicatur de re inferiore, quae ad certum terminum non adscendit, sed infra se continet.

Plin. Hist. n. 17, 21, 35, 13. *vinculo mox adstrictus a tertia gemma alligari: quoniam et sic coercetur impetus materiae densioresque citra pampini exsultant.* i. e. infra densiores palmites progerminant. Ovid. Met. 10, 607. *pronepos ego regis aquarum, nec virtus citra genus est.* i. e. inferior, non attingens genus.

Dubius est locus Senecae in Oedip. 949. *morere, sed citra patrem.* Haec Farnabius explicavit: non uno ictu et Laius: quod non inest in particula: Gronovius autem melius: „non usque eo, quo pater, ut e viventium numero abeas: morere, sed citeriore quasi linea quam pater, ne ad patrem pervenias, utque quamvis mortuus sis superstes, et vivum funus circumferare.“ Est igitur: non accedens ad patrem, sed in terra remanens.

5. Etiam ad tempus transfertur ita, ut temporis partem indicet, quae ante aliquem terminum, sive sit dies, sive aetas, sive aliqua res gesta, praegreditur: hoc est *ante*.

Gellius 12, 13. *citra calendas* explicat verbis *ante calendas.* Columell. 2, 8, 3. *ceterum locis uliginosis — plerumque citra calendas octobris seminare convenire.* Ovid. Met. 8, 365. *forsitan et Pylius citra troiana perisset tempora.* ubi Burm. 10, 84. *citraque iuventam aetatis breve ver et primos carpere flores.* De loco Sueton. Aug. 43. vide n. 7.

Quinctil. Decl. 12, 9. *retro aguntur exsequiae: aut citra aut*

ad rogos pugna est. i. e. inversus est rerum ordo: pugna est aut antequam cadavera ad rogos portantur, aut ad rogos.

6. Transfertur denique *citra* ad rerum conditiones, quae termino quodam constituuntur. Is quum nondum attingitur, necdum expletur numerus aut ambitus rei, *citra eum* dicimus fieri rem. Et potest res aliqua contineri et restringi citra quemdam terminum seu modum.

Columel. 7, 6, 5. *nec tamen ea sola creant abortus, sed etiam glans, quam citra satietatem data est. Itaque nisi potest affatim praeberi, non est gregi permittenda.* i. e. non ad satietatem, ita ut non satientur. 9, 18, 2. Celsus 1, 2. *exercitationis autem plerumque finis esse debet sudor, aut certe lassitudo, quae citra fatigationem sit.* Plin. Hist. n. 2, 9, 19. *gustu amarum citra acorem.* 19, 8, 54.

Sueton. Claud. 35. *motu civili quum eum Camillus, non dubitans etiam citra bellum posse terreri, contumeliosa — epistola cedere imperio iuberet* etc. i. e. ante quam ad bellum procederetur. Ovid. Trist. 5, 8, 23. *quia peccavi citra scelus.* i. e. peccatum quod nondum ad scelus promotum. 2, 127. *vita data est, citraque necem tua constitit ira.* i. e. non ad mortis poenam prolapsus. Quinctil. 7, 2, 23. *sive invicem accusant, sive crimen reus citra accusationem in adversarium vertit.* i. e. ita ut non ad accusationem adscendat, verso in adversarium crimine.

Gellius, qui *citra morem* dixit pro *praeter morem*, etiam 12, 13. verba *intra modum* explicat his: *non ad ipsum modum, sed retro paullulum et citra modum.* Sed vide n. 7.

7. Hinc recentiores scriptores *citra* usurparunt pro *sine, non cum, praeter* in iis, ad quae res non pertinet, aut non attingit, aut non complectitur. Nemo frequentius Quinctiliano usurpat hanc dictionem: saepe etiam Plinius. Nec falso Scioppius Infam. Fam. p. 136. eam propriam tribuit argenteae aetati: nam quod contra opposuit Borrichius in Defens. Stradae p. 302. exemplum est Ovidii supra allatum, aliquanto diversum. Glossae Cyr. ἄνευ, *sine, absque, praeter, citra.* Gloss. Phil. *Citra*, δίχα, χωρὶς, ἐκτός. Sic Sophocl. Antig. 330. καὶ νῦν γὰρ ἐκτὸς ἐλπίδος γνώμης τ' ἐμῆς σωθεὶς. Conf. Brem. ad Sueton. Caes. 28. Frotscher ad Quinctil. 10, 7, 7.

Plin. Hist. n. 3, 3, 4. *ex quibus praeter ipsos Bracaros Bi-*

bati. Coeterini — citra fastidium nominentur. i. e. non cum despectu. 7, 29, 20. etenim insignibus iudiciis optime citraque invidiam tam superba censura peragetur. 31, 2, 18. siccantur duodecim diebus, aliquando vicenis, citra suspicionem ullam aquae. i. e. ut nulla restet suspicio aquae.

Florus 3, 1, 2. *citra spem omnium fortuna cessit.* ubi Dukerus comparat Gell. 2, 3. *citra morem gentium Graeciae ceterarum*, quod Terentio Andr. 5, 3, 8. *est praeter morem*. Sueton. Caes. 28. *citra senatus populique auctoritatem.* Aug. 66. *neque dolore dissimulato, si parcius aut citra honorem verborum.* Aug. 24. *alias immodeste missionem postulantes citra commoda emeritorum praemiorum exauctoravit.* ubi qui voc. *praemiorum* eiiciendum censebant, non reputaverunt, *emerita praemia* dici posse praemia emeritorum, quibus recte adsignantur *commoda*. Quinctil. 10, 7, 7. *postremo habebunt modum et finem, qui esse citra divisionem nullus potest.* Plin. Hist. n. 2, 51, 52. *Marcia — icta gravida, partu exanimato, ipsa citra ullum aliud incommodum vixit.* 12, 17, 40. *odor — aggravans capita, citra dolorem tamen.* quae eadem verba leguntur in Plin. Ep. 2, 1, 4. Hist. n. 8, 38, 57. *leontophonon — odit leo, visumque frangit et citra morsum exanimat.* 20, 21, 84. *purgat citra vulnus.* Tacit. de Orat. 27, 3. *iudicium animi citra damnum affectus proferre.* i. e. ita ut non exsistat amicitiae damnum. Agric. 1. *nec id Rutilio et Scauro citra fidem aut obtrectationi fuit.* i. e. ut non retineret fidem.

Duker. ad Flor. 3, 1. et Oudendorp. ad Sueton. Aug. 43. acerbius invehuntur in Pitiscum, qui verba Suetonii: *solebat etiam citra spectaculorum dies, si quando quid invisitatum dignumque cognitu advectum esset, id extra ordinem quolibet loco publicare.* explicuit *ante spectaculorum dies:* sed immerito: nam Pitiscus non intellexit diem ante spectacula proximum, sed quemcumque alium, antequam spectacula ederentur. Est igitur: non exspectato spectaculorum die.

Rariora haec sunt: Quinctil. 1, 10, 33. *quae si dici debet ab oratore, nec dici citra scientiam musices potest.* i. e. sine. 12, 10, 9. *longe citra aemulum.* Liv. Epit. 126. *bellum citra sanguinem confecit.* Paullo durius Quinctil. 2, 16, 18. *et ingredi citius et pasci et tranare aquas citra docentem natura ipsa sciunt.* i. e. nullo doctore.

Iurisconsulti formulis utuntur *citra mandatum.* Dig. 17, 1, 10, 10. Cod. 2, 13, 19. *citra decretum.* Cod. 4, 71, 14. *citra praetoris auctoritatem.* Dig. 2, 15, 8, 6. *citra praetorem,* quod alibi *sine praetore* 2, 15, 8, 25.

8. Ita ponitur de secernendis et excludendis et excipiendis, quae aut adhaerent aut adiungi possunt, rerum conditionibus, quod nos Germani exprimere solemus formulis *abgesehen von, ausgenommen.* Latini veteres dicunt *praeter.*

Pomp. Mela 1, 19, 17. *citra magnitudinem prope Ponto similis.* Quinctil. 2, 4, 22. *communes loci (de iis loquor, quibus citra personas in ipsa vitia moris est perorare —) ex mediis sunt iudiciis.* 7, 2, 13. 8, 4, 8. *crescit oratio minus aperte, sed nescio an hoc ipso efficacius, quum citra distinctionem intextu et cursu, semper aliquid priore maius insequitur.* i. e. non adhibita distinctione. 8, 5, 3. Papinian. in Digest. 3, 6, 9. *sed et citra pretii aestimationem quaeritur de calumnia eius. Separatum est etenim calumniae crimen a damno.* Cuiacius accipit pro *ultra.* Est vero id quod *praeter.*

Ovid. apud Quinctil. 12, 10, 75. *ut lana tincta fuco citra purpuras placet.* i. e. non comparata purpura, *abgesehen vom Purpur.*

9. *Citra* cum *quam* componitur, ut *supra quam* in comparatione duarum rerum, quarum altera non attingitur, altera recedit aut inferior est. Hinc ab Ovidio dicitur de eo, quod minus est et intra terminos minores cohibetur.

Ovid. ex Pont. 1, 7, 55. *culta quidem, fateor, citra quam debuit illa.* Art. 3, 757. *neve domi praesume dapes, et desine, citra quam cupias, paullo, quam potes esse, minus.* quae ultima verba corrupta sunt.

Non huc pertinet, quam alii afferunt, Consol. ad Liviam 45. *quid* (tibi prodest) *tenuisse animum contra sua saecula rectum? — nec vires errasse tuas campoque foroque, quamque libet citra constituisse domum?* Beckius explicat: magis efficere voluisse quam omnes alias familias. Quae in istis verbis non insunt. Codices praebent *licet,* Quare Burmannus coniecit: *quamque licet citra continuisse modum.* At *citra modum* esset, uti Gellius ait, non ad ipsum modum, infra modum. Cf. Horat. Sat. 1, 1, 106. Poeta scripsisse mihi videtur: *nec vires errasse tuas campoque foroque, quaque licet, citra constituisse domum.* i. e. vires tuas non aberrasse ad res civiles et publicas, sed citra forum et campum, privatis curis constituisse et firmasse omni qua licet ratione domum tuam. *Qua licet* ut apud Ovid. Her. 16, 234.

Plin. Hist. n. 2, 13, 10. *defectus ducentis viginti tribus*

mensibus redire in suos orbes certum est; solisque defectum non nisi novissima primave fieri luna quod vocant coitum: lunae autem non nisi plena, semperque citra quam proxime fuerit. In hoc obscuro loco quum interpretes non consentire cognovissem, et ipse ego aliquando existimassem Plinium non de regione coeli, sed de plenae lunae forma loquutum esse, adii, ut mihi difficultatis caussam explicarent, Friesium meum et Schaubachium, viros harum rerum peritissimos. Vterque meam sententiam reiecit, et propterea quod inter lunam plus minusve crescentem et decrescentem et inter defectionis consequutionem nulla intercederet ratio, et quod, si luna in ipso defectu decrescens illis verbis describi videretur, veram quidem, sed commemoratione vix dignam sententiam auctori tribueremus. Schaubachius vero cum Harduino, quem Friesius errasse sibi persuaserat, interpretatur verba ita, ut in describendo defectu lunae non quotidianus cursus, quo sidera ab oriente ad occidentem moventur, sed periodicus, quo ab occidente ad orientem procedunt, intelligatur: unde exsistit hic sensus: lunam post unum annum ad eandem fere locum, quo proximo anno ante defecerit, reversam iterum deficere in parte magis occidentali, non totius circuli cursu confecto. Friesius autem, quum vidisset magnum annum verbis Plinii non designari, illud quod citra fieri dicitur, ad proximum defectum retulit ita, ut lunam intelligeret intra semicirculum, citra quam ad semicirculi finem pervenerit, deficere, qui est locus in parte magis orientali. Atque illa explicatio concinnior, haec simplicior esse videtur, in utraque tamen manet ea difficultas, quod in illa *proxime* pro *ante annum magnum*, in hac autem *citra quam* pro *ante completum semicirculi spatium* admodum obscure dictum est.

* Confunduntur in libris *citra* et *circa*. vid. Drakenb. ad Liv. 21, 48, 5. et *contra*. vid. Duker. ad Flor. 3, 1, 2.

CITRO.

Ablativus CITRO, quo proprie non aliud significatur quam feminina forma *citra*, in usum quando venerit, non constat. Id tamen certum esse videtur, hanc formam nusquam alibi inveniri quam in compositione verborum *ultro et citro, ultro citroque, ultro ac citro,* et omissa copula *ultro citro.* Priscianus 15. (3, 15.) p. 1011. *derivativa vero, a cis citro: unde dicitur ul-*

tro citroque. Non dixerunt mutato ordine *citro ultroque*. In hac vero formula non notantur adversae regiones alicuius rei mediae, sed loci diversi et partes distinctae; ita ut sit id quod *huc illud* et *ab utraque parte*. Et usurpatur de motu et de iis, quae ab utraque parte aut in utramque partem aguntur. Graeci dicunt *δεῦρο κἀκεῖ*, *κἀκεῖσε καὶ τὸ δεῦρο*, Galli *par ci par là*, *çà et là*, Germani *hin und her*. De adiicienda copulativa vehementer dubitarunt critici, et qui concisae orationis fautores exstiterunt Cortius ad Sallust. Cat. 11, 2. Iug. 17, 5. 60, 4. et Beierus ad Cic. de Off. 1, 17, 56. et ad Lael. 22, 85. asyndeti rationem illustrabant et elegantiae nomine commendabant. At Mich. Heusingerus ad Cic. Off. 1, 17, 10. exemplis comprobaverat usum copulae. Neque vero elegantia ulla subest, sed maior vis et significantia. Nam ubi opposita collocatione aequiparantur et quasi in unam notionem coeunt, non opus est copula: ubi vero ad utramque partem respiciendum est singulatim, et res facta esse dicitur vicissim aut mutuo, nec ab una, sed etiam ab altera parte, semper interponitur copula apud bonos quidem scriptores. Vbi ea omittitur, sententia speciem habet disiunctivam: sive ultro sive citro, quemadmodum Plinius dixit *ultra citrave*: quamquam nihil impedit, quo minus etiam in tali sententia addatur, sicuti in formula *ultro citroque commeare*.

Cic. Lael. 22, 85. *nam implicati ultro et citro vel usu diuturno vel etiam officiis repente in medio cursu amicitias exorta aliqua offensione dirumpimus*: ubi Beierus delendam censet copulam propterea, quod in duobus codd. male scriptum legitur *ultroque*, et *uel citro*. At necessario ea requiritur, quum sit: ab utraque parte.

Liv. 5, 8, 6. *per legatos ultro citroque missos iureiurando inter se obligati.* Caes. B. Gall. 1, 42. B. civ. 1, 20. Liv. 29, 23, 5. *data ultro citroque fide eosdem amicos inimicosque habituros.* 44, 23, 2. 9, 45, 2. *oratione ultro citroque habita*: ubi Drakenborch. iure sprevit alteram florentini aliorumque codicum scripturam *ultro citro*. Cic. Somn. Scip. 1. *multisque verbis ultro citroque habitis ille nobis consumptus est dies.* Liv. 7, 9, 2. *quum multae antea querimoniae ultro citroque iactatae essent.*

Varro de Re r. 3, 5, 16. *e quo rivus pervenit in duas*, *quas*

dixi, piscinas, ac pisciculi ultro ac citro commeant: i. e. ex altera in alteram piscinam.

Senec. Quaest. natur. 4, 2, 29. *ob hoc Pontus in inferum mare assidue fluit rapidus, non ut cetera maria, alternatis ultro citro aestibus.*

Notae sunt dictiones: *ultro citroque commeare*, *ultro citroque versari.* Omittitur copula, ubi non de certis partibus, sed indefinite dicitur: *huc illuc ire*, *ire et redire*, *hin und her gehen*, et verba *ultro citro commeare* unam constituunt notionem: ut apud Sueton. Calig. 19. *per hunc pontem ultro citro commeavit biduo continenti.* i. q. transivit et rediit. Apuleii Metam. 8. p. 211. *ultro citro commeabant multiiuga scaturigine.* Ita codd. optimi. Sed ut significetur *a quacumque parte* et *ab utraque parte* recte dicitur *ultro citroque.* Cic. Acad. 1, 7, 28. *quum ita moveatur illa vis, quam qualitatem esse diximus, et quum sic ultro citroque versetur* etc. de Nat. d. 2, 33, 84. *sic naturis his, ex quibus omnia constant, sursum deorsum, ultro citro commeantibus mundi partium coniunctio continetur.* ita legitur in plurimis codd. Est enim: sive hac sive alia via, *von da und dort:* nec tamen falsa, sed melior videri potest altera scriptura *sursum deorsum ultro citroque com.* qua exprimitur: utraque via, ἄνω κάτω, commeare naturas quocumque in loco. Hirtius de Bello afric. 20. *vallum — deducere — a castris alterum eodem, quo tutius ultro citroque commeare auxiliaque sine periculo sibi succurrere possent.* i. e. ab utraque parte. Vitruv. 5, 4, 2. Cic. in Verr. 5, 66, 170. *in conspectu Italiae, vestibulo Siciliae praetervectione omnium, qui ultro citroque navigarent.* i. e. ex Italia et ex Sicilia. In Plin. Hist. n. 2, 38. *sic ultro citroque commeante natura.* antiquissimae editiones praebent *ultro citro comm.* Illud praestat. Et in reliquis locis omnibus Plinius addit copulam 27, 1. 19, 1. 35, 12, 46. 13, 17, 32. Vid. Schori Phras. lat. ling. s. v. *ultro.*

Cic. p. Rosc. Am. 22, 60. *postea homines cursare ultro et citro non destiterunt.* Priscianus p. 1011. *ultro citroque:* quare Beierus p. 135. copulam eiiciendam putat. Sed recte dicitur illud, quod est, in omnibus urbis partibus, ubicumque, ut apud Lucret. 4, 36. *volitant ultro citroque per auras.* Liv. 40, 40, 7. *bis ultro citroque cum magna strage hostium — transcurrerunt.* i. e. omnes undique. In Apuleii Metam. 1. p. 104. omnes codd. praebent: *per Thessaliam, Aetoliam, Boeotiam ultro citroque discurrens.* tamen critici eiecerunt copulam. De Deo Socrat. p. 45. eadem est varietas scripturae.

Cic. de Off. 1, 17, 56. *magna etiam illa communitas est,*

quae conficitur ex beneficiis ultro citro datis acceptis. ita Beierus scripsit, Schützium et Gernhardum in Addendis p. 400. sequutus. Aut scribendum est *beneficiis ultro et citro datis acceptisque*, sicuti praebent vett. libri, quod est ab utraque parte, ut apud auctorem Belli hispan. 22. *quorum responsis ultro citroque acceptis et redditis*: aut *ultro citro datis acceptisque.* ut *ultro citro data* uno quasi verbo dicantur mutuo data, et sic etiam mutuo accepta.

Quae quum revolvo, neque in ullo loco Ciceronis aut Caesaris aut Livii consentire video codices in omissa copula, in eam opinionem adducor, ut putem, formulam, quam Donatus ad Terent. Eun. 5, 9, 29. proverbialem vocat, *ultro citro* ex communis vitae usu a recentioribus scriptoribus demum acceptum, antiquioribus autem non usitatum fuisse. *Vltroque citroque*, quod in codice quodam Cic. de Amic. 22. legitur, nusquam alibi antiqua auctoritate comprobatum vidi.

CLAM. CLANCVLVM.

Paulus Diaconus ex sua, ut videtur, doctrina, sed Festi nomine refert: *clam a clavibus dictum, quod his, quae caelare (celare) volumus, claudimus.* in quibus, ne vera falsis miscerentur, ineptis clavibus omissis, tenendum erat *celare.* Idem vero ille antea haec: *calim antiqui dixerunt pro clam, ut nis pro nobis, sam pro suam, im pro eum.* Etiam in his diversa componuntur: sed *calim* et *calam*, unde per syncopem factum est *clam*, duae videntur fuisse antiquae formae, quarum cognatio in verbis *celo, καλύπτειν, κλέπτειν, κλέμμα, clepo* et fortasse etiam in *κλείω*, unde *claudo*, cernitur. Hebraea et chaldaea vocabula, quae Vossius et Schellerus comparant, similitudinem, non originem ostendunt. Etiam Plutarchus coniunxit verba *clam* et *celare* in perversa nominis calendarum explicatione, Quaest. rom. p. 269. c. *ὀνομάζουσι τὸν μὲν ἀφανισμὸν αὐτῆς (τῆς σελήνης) καὶ τὴν κρύψιν καλάνδας, ὅτι πᾶν τὸ κρύφα καὶ λάθρα κλάμ, καὶ κηλᾶρε τὸ λανθάνειν.* Contrarium, sed eiusdem formae est *palam* a *palo.* Conf. Scheidius ad Sanctii Min. p. 234.

Antiqua forma *calim* nusquam exstat. Eam oblitteratam esse suspicabatur Lindemannus de Adverb. 4. p. 14. in Attii fragm. apud Cic. Tusc. 2, 9, 13. *unde*

ignes cluet immortalibus catim divis doctu' Prometheus clepsisse dolo. Egregie Hermannus cum H. Stephano in Dissert. de Aeschyli Philoct. p. 9. restituit: *unde ignis cluet mortalibus clam divisus: eum dictus Prometheus clepsisse dolo.*

1. Significatio una est. Liber de Differ. voc. quem falso Frontonis nomine inscripserunt, p. 2202. (p. 481. Mai.) *occulte latent, clam caelant. Alteri non proders: alteri caelare naturali habitu inest.* I. C. Th. Ernesti in Synonym. T. 1. p. 208. „clam aut clanculum agit, qui palam non audet: occulte serpit, molitur, qui detegi non vult." Clam agit, qui ita agit, ut alii nesciant, occulte vero, qui dissimulatione ita agit, ne alii sciant. Cic. in Verr. 4, 10, 23. *quod celari opus erat, habebant sepositum ac reconditum: per istos, quae volebat, in navem clam imponenda, occulte exportanda curabat.* Quae saepe ad unam rationem redeunt, et *clam* fieri id quoque dicitur, quod data opera occultatur. Vlpian. in Dig. 43, 24, 3, 8. *idem Aristo putat eum quoque clam facere, qui celandi animo habet eum, quem prohibiturum intellegerit, et id existimat aut existimare debet se prohibitum iri.* Opponitur *palam.*

Terent. Ad. 1, 1, 45. *dum id rescitum iri credit, tantisper cavet: si sperat fore clam, rursum ad ingenium redit.* i. e. alios non rescire. cf. Plaut. Truc. 4, 3, 21.

Plaut. Poen. 3, 3, 49. *at enim hic clam furtim esse volt, ne qui sciant, neve arbiter sit.* 5, 2, 62. *ne quid clam furtive accepisse censeas.* Cic. Tusc. 3, 8, 17. *qui propter avaritiam clam depositum non reddidit.* quibuscum conf. Plaut. Aul. Prol. 7.

Plin. Hist. n. 36, 2, 2. *nec clam illud occulteque factum est.*

Cic. ad Fam. 1, 1, 10. *ut in rebus — ab intimis ac domesticis Pompeii clam exulceratis, deinde palam a consularibus exagitatis, — ita versamur.* p. Rosc. Am. 8, 23. *multa palam domum suam auferebat: plura clam de medio removebat.* p. Coel. 9, 21. Tibull. 2, 1, 84. Plaut. Merc. 5, 4, 63. Sueton. Dom. 2. *neque cessavit ex eo insidias struere clam palamque.* ubi vide Burman. de copula non omittenda.

Poetae eleganter componunt *clam* cum verbis *tacitus* et similibus. Tibull. 1, 10, 34. *tacito clam venit illa pede.* 4, 6, 16. ubi vid. Broukhus. et Heyn. 1, 8, 60. *strepitu nullo clam reserare fores.*

2. *Clam* proprium est nomen in eo designando, quod non ex animo profertur, sed in pectore recluditur: tum de eo, qui reconditus latet in insidiis, vel ex insidiis et ex improviso agit.

Ovid. Rem. am. 694. *nec dic quid doleas, clam tamen usque dole.*

Phaedr. 3, 10, 19. *simulavit iter ad villam, clamque in oppido subsedit.* Virgil. Aen. 1, 348. *ille Sychaeum impius ante aras — clam ferro incautum superat.* Plaut. Bacch. 5, 2, 27. *meus est istic clam mordax canis.* Quod est graecum λαθροδήκτης κύων. vd. Bekkeri Anecdota p. 50. Ammian. Marc. 15, 8, 5. *ut clam mordax canis interno vitio, submissius agitans caudam.* Ita enim scribendum videtur, nisi in codicum lectione *interna vitia* excidit praepositio.

3. Non raro cum altero quodam adverbio componitur: certe apud scriptores recentiores.

Sueton. Ner. 34. *abiecto clam iuxta pugione.*

4. Adverbium quod est, cum nominibus coniunctum et genitivum et accusativum et ablativum assumit. Genitivus ad graecum modum componitur. Homer. Il. 269. λάθρῃ Λαομέδοντος. Eur. Iph. T. 1048. (1017.) Accusativum et ablativum localis ratio constituit: nam quod clam agitur aut ad aliquem pertinet, atque rei dissimulatio in aliquem convertitur, aut coram aliquo agitur. Frustra enim repugnat Priscianus, ipse affirmans localia adverbia praeponi casibus. At credo, iis magis obloquitur, qui praepositionem appellaverant. Etiam Ramshornius n. 149. p. 283. ablativum intelligit casum conditionis. Vtitur ablativo Plautus quatuor vel quinque tantum in locis, accusativo autem saepissime: apud Terentium non nisi in formulis *clam te, clam me* occurrit. Cicero numquam cum nomine coniunxit, neque etiam Caesar, nec Tacitus.

Priscian. 14. p. 988. (3, 30.) *clam enim magis adverbium est, quum nec localem habeat aliquam significationem, quam plerumque praepositiones possident: et qualitatem demonstret, quae in adverbiis inveniri solet: et diminuatur* (*diminuitur* Kr.), *quod nulla praepositio habet, ut clanculum: et possit* (*potest* Kr.) *etiam absque casu proferri, ut, bona aperte facit, mala autem clam: et quod apud Graecos absque ulla dubitatione adverbium est. Nihil mirum tamen, quod praeponatur casui,*

quum multa adverbia et maxime localia et apud Graecos et apud nos soleant casibus praeponi, quorum pleraque nostri, ut supra diximus, praepositiones esse dixerunt. P. 998. (6, 48.) *clam, ut diximus, apud Graecos adverbium est, apud nos autem ideo praepositio accipitur, quia et casualibus praeponitur, et gravi accentu pronuntiatur, ut Terentius in Andria: nec clam te est quam illi nunc utraeque res inutiles. Potest tamen etiam apud nos adverbium ostendi, quum verbo invenitur iungi, non serviens casui, ut Virgilius in I. Aen. clam ferro incautum superat securus amorum. Nec in compositione invenitur. Et adiungitur non solum ablativo, sed etiam accusativo, teste Donato. Habet tamen etiam diminutionem, quae in praepositione numquam invenitur, in adverbio vero est quando, ut bene belle, longe longule: sic ergo clam clanculum.* Ita Krehlius edidit.

Servius in Art. Donati p. 1798. *clam praepositio, quam Donatus inter ablativas posuit, scire debemus, quod indifferenter pro arbitrio dicentis et ablativo iungitur et accusativo: dicimus enim clam patre et clam patrem.* Eadem etiam Cledonius p. 1880. Pomponius in Commento artis Donati p. 399. *clam vult remotam esse omnino. Falsum est, sed est utriusque casus: nec utriusque casus, sed ambigui. Aliud est, esse utriusque casus nec utriusque casus, aliud, esse ambigui. Nam si dicas utriusque casus esse praepositionem in se, iungere illam habes ad legem illarum praepositionum, quae nunc accusativo iunguntur, nunc ablativo. — Tunc clam patrem, quando ad locum significat: tunc clam patre, quando in loco significat. — Sed clam ambigui casus, id est, licentiae tuae datur, ut si velis dicas illam cum accusativo, si velis dicas illam cum ablativo. Possum, quando volo dicere clam amicos fecit. Nulla differentia est.* In his duplex est error. Donatus enim non removit *clam* praepositionem. Conf. p. 1765. Tum vero differentia illa, etiamsi usu promiscuo oblitterari poterat, tamen constat certa sua ratione. Bene id exposuit Servius in Art. Gramm. p. 532. Vrsinus Institut. T. 1. p. 1071. et T. 2. p. 484. praepositionem esse contenderat, cui obloquitur Perizon. ad Sanctium 1, 16. p. 177.

Plaut. Merc. 1, 1, 42. *illico res exulatum ad illam abibat clam patris.*

Plaut. As. 5, 2, 92. *hic senex si quid clam uxorem suo animo fecit volupe.* Merc. 2, 3, 26. *nihil potest clam illum haberi.* Alia multa vid. apud Pareum Lex. Plaut. Auctor Belli hispan. 3, 2. *legati clam praesidia Cn. Pompeii Caesarem quum adiissent.* 35, 3. utroque in loco editores scripserunt *praesidio* vel *praesidiis*. Librarii alii interposuerunt *praeter*. vid.

Oudend. 35, 2. *clam quendam Philonem.* Librarii addiderunt *erga*, editores supposuerunt ablativum. 16, 1. *a Pompeianis clam ad nostros tabellarius est missus.* Clarkius restituit sensum deleta voce *ad*.

Plaut. Merc. 3, 2, 2. *empta est amica clam uxore mea et filio.* Curt. 1, 3, 17. Merc. 4, 6, 5, *uxor viro si clam domo egressa est foras.* Truc. 2, 1, 37. In Amph. Prol. 107. editiones antiquissimae habent *is amare occoepit Alcumenam clam viro: correxit nescio quis virum.* Caes. B. civ. 2, 32. *non sibi clam vobis salutem fuga petivit?*

Apud Cic. ad Att. 15, 1. (2.) in antiquis edit. legitur *quin etiam paullo clam iis eam vidi.* sine sensu, quem non revocavit Bosius corrigendo: *quin etiam Baulos, Cumis eam vidi.* Scribendum videtur: *quin etiam paullulum Cumis eam vidi.* Falsum auctorem produnt verba Respons. in Sallusti Ciceroni adscriptae 15. *timens, ne facinora sua clam vos essent.*

5. Apud comicos et quidem apud Terentium in una Hecyra legitur formula *clam te est* pro *te fugit.* Sed Plautus adeo dixit *mihi clam est* pro *me latet, ignoro.*

Terent. Hec. 2, 2, 19. *neque adeo clam te est, quam esse eum laturum graviter credam.* 3, 4, 10. 4, 1, 53. 4, 2, 1. Plaut. Mil. 3, 3, 9. *meretricem commoneri, quam sane magni referat, mihi clam est.*

Alia est formula *clam aliquem habere*, sicuti Germani dicunt *vor einem geheim halten.* Terent. Hec. 4, 4, 35. ubi vid. Donatus.

CLANCVLVM diminutiva forma fit ex *clam*, interposita C littera, quemadmodum *nuncubi* pro *numubi* dicitur. Ex vulgaris sermonis consuetudine receperunt comici: alii scriptores boni non usurpant. Significatio non nisi colore differt, quo secretum designatur subtilius.

Notanda videntur ex multis haec exempla: Plaut. As. 5, 2, 31. *aucupemus ex insidiis clanculum, quam rem gerant.* Men. 3, 2, 13. *neque, quae loquitur, exaudire clanculum.* Ita saepe et proprie de auscultantibus. Terent. Eun. 3, 1, 20. *invidere omnes mihi: mordere clanculum.* Phorm. 5, 6, 33. *cum eius consuevit olim matre in Lemno clanculum.*

Terent. Ad. 1, 1, 27. *postremo alii clanculum patres quae faciunt, quae fert adolescentia, ea ne me celet consuefeci filium.*

Recentiores scriptores novam formam fecerunt CLANCVLO, tamquam ablativum adiectivi *clanculus.* Apulei. Met. 3. p. 133, 5. 9. p. 221, 13. 10. p. 245, 26. Macrobius Sat. 5, 18. Ammian. Marc. 21, 12, 13. Nec negaverim novum usum vocabuli *clănculus.* Nam quod olim in Tertulliani libro de Pallio 4. legebatur: *certe iam virum alicuius clanculo functus.* Salmasius, quum in codice aliquo invenisset *clanculis*, scripsit *virum uliéni clanculus functus.* Verisimilior fuisset haec correctio: *virum aliquibus clanculis functus*, ut *clanculae* dicerentur, quomodo paullo post *Lydia clancularia.*

*, In libris scriptis saepe confunduntur *clam* et *iam.* vid. Heinsii Advers. p. 572. Heyn. ad Tibull. 1, 9, 2. 4, 6, 16.

COMMINVS.

Iam antiquo tempore cognitum erat vocabula COMMINVS et EMINVS derivanda esse ab *manus.* Nam vulgarem doctrinam exponit Beda de Orthogr. p. 2331. *comminus cum gladiis pugnamus: eminus cum lanceis: quia illud a manu non recedit, hoc e manibus emittitur.* Fronto seu quisquis est auctor libelli de Different. voc. p. 2193. (p. 469. Mai.) *comminus et eminus a iaculis: quod illud a manibus non recedit, hoc e manibus emittitur.* Barthius correxit *quando illud:* sed post *comminus* excidisse videntur verba *a gladiis.* Atque fuisse olim videtur etiam *adminus* verbum, unde factum est *adminiculum.* Tamen analogia non omni ex parte constat. Potest enim hoc adverbium iis adnumerari, quae ex nominibus et praepositionibus composita sunt, *extemplo, obviam, illico*: reliqua autem in *us* exeuntia omnia formantur a verbis. Comparari igitur debent *intus, pugnitus*, etiamsi non exacte conveniant. Quodsi Scaliger audiendus esset, antiquam formam *emanu* haberemus in verbis Ennii apud Festum p. 428. *quem mea comminus machaera atque hasta hostivit emanu.* Vnum Perottum video aliter nec prorsus inepte sensisse, quum in Cornucop. p. 778. ait: „item a *maneo* fit *eminus* adverbium, quod significat delonge, quasi ab extramanente, et *comminus*, quod significat deprope, quasi a commanente, hoc est simul manente.“

Id certe tenendum, vocabula *manere*, *manus*, *minere*, *eminere*, et externa *μένειν*, *μένος*, *Mann* omnia esse ea ratione cognata, qua quid dicitur firmiter consistere. Prudenter Cortius ad Sallust. Cat. 60, 8. scripturam vindicat duplicis M, quandoquidem in ceteris a *con* et verbo ab M incipiente compositis constanter geminari soleat. Nam quae in inscriptionibus unam litteram habent, aut a brevitate profecta sunt, aut a vulgari pronuntiatione, qua consonans altera compensabatur producta vocali antecedente. Vid. Gellii Noct. att. 2, 17.

Derivatio quum admodum dubia sit, quaeri debet de antiquitate usus. Atque omnia exempla comprobant hoc: antiquitus non nisi unam significationem fuisse, qua *comminus* de pugna diceretur, quae gladio aliove telo manu stricto, vel ipsa manu, propinquo ex loco committeretur. Quare proprie significat *συσταδόν*, non *σύνεγγυς*, quod habent Glossae Cyr. Neque vero illo tempore de propinquitate quacumque, aut de quieta re prope adiacente usurpabatur. Opponitur *eminus* et *procul*: nec semper opus est verbo, quod impetum et aggressum denotet, modo de pugnantibus sermo sit. Hic usus per omnia tempora permansit: novum accessit tempore Augusti.

Ennii verba vide supra. Cic. de Sen. 6, 19. *nec eminus hastis, aut comminus gladiis uteretur.* Ovid. Met. 3, 119. Cic. p. Caes. 15, 43. *neque conflictu corporum, neque ictu comminus, neque coniectione telorum.* p. Planc. 30, 72. Liv. 44, 35, 19. *missilibus procul regia auxilia melius pugnabant: comminus stabilior et tutior aut parma aut scuto ligustino Romanus erat.* i. e. *ἐν συσταδὸν μάχῃ.* Cic. Tusc. 4, 22, 50. *video enim utrumque comminus ictu cecidisse contrario.* Ovid. Met. 12, 482. *comminus adgreditur: laterique recondere duro luctatur gladium.* Lucret. 4, 1045. *namque omnes plerumque cadunt in volnus: et illam emicat in partem sanguis, unde icimur ictu: et si comminus est, hostem ruber occupat humor.* Quorum sensum nec Lambinus, qui versus totos damnat, et nescio an quisquam alius perceperit. Emissionem seminis poeta esse putat excitationem per amoris ictum et vulnus, et sicuti in quocumque ictu ac vulnere profluat sanguis, et pugnantes ultione et sanguine se expleant, ita in coitu apparere vulnerationem ab utraque parte. *Cadere in vulnus* dixit pro vulnerari: *unde* pro ibi unde.

Dura est dictio Valerii Flac. 1, 365. ***Deucalion certus iaculis et comminus ense nobilis Amphion.***

His repugnare videbitur locus Catulli 64, 108. ***illa procul radicibus exturbata prona cadit lateque et comminus obvia frangens.*** **Sunt codices sat multi, qui hanc scripturam confirment: tamen plurimi et meliores corrupta habent** ***lateque cum eius omnia*****, vel** ***quaecumque vis*****, vel** ***quaecumvis*****: ut facile perspiciatur, istam, quam Scaliger amplexus est, lectionem a correctore quodam esse profectam.**

2. Ab armis et hostili aggressu translatum est vocabulum ad aggressum quemcumque et ad alias res propinquo ex loco et manu quasi agendas. Et *comminus accedere*, *ire* breviter dicitur pro accedere ad hostem comminus feriendum vel de quacumque infesta intentione. In verbis *comminus ire* construendis et dativo et accusativo locus est. vid. Lachmann. ad Propert. p. 231.

Metaphoram ad orationem transtulit Cic. de Divin. 2, 10, 26. ***sed haec fuerit nobis tamquam levis armaturae prima orationis excursio; nunc comminus agamus.***

Cic. ad Att. 2, 2. ***qui me epistola petivit, ad te, ut video, comminus accessit.*** **i. e. te petivit ipse, ut scriptorum suorum lectione molestissima te conficeret. Wielandus bene reddidit:** ***dir ist er, wie ich sehe, sogar auf den Leib gerückt.*** **Stat. Theb. 8, 100.** ***qui comminus ausus vadere contemptu regis.*** **aut ita scribendum est, aut** ***contemptu in regem.*** **conf. 12, 180. 8, 501.**

Ovid. Fast. 5, 175. ***in apros audet et hirsutas comminus ire leas.*** **vid. Barth. ad Stat. Theb. 11, 530. Livinei. ad Propert. 2, 19, (15,) 21.** ***non tamen ut vastos ausim tentare leones, aut celer agrestes comminus ire sues.*** **ubi** ***ire*** **simpliciter construitur cum accusativo: ne quis cum Forcellino adverbio tribuat vim praepositionis. 3, 1, 26.** ***fluminis Haemonio comminus isse viro.*** **sicuti Silius 5, 560.** ***dignum sese ratus in certamina saevo comminus ire viro.*** **Sueton. Caes. 63.** ***comminus tendens, — supplicem ad se recepit.*** **ubi vid. Burman. Apulei. Met. 8. p. 202.** ***canum procaciores, quae comminus contulerant vestigium.***

Virgilii Ge. 1, 104. nemo recte interpretatus est, sed omnes crediderunt Servio, qui gallicam loquutionem a poeta adhibitam existimat. vid. n. 5. ***Quid dicam, iacto qui semine comminus arva insequitur.*** **Servius explicat** ***statim*****,** ***sine intermissione.*** **Quod abhorret ab usu Virgilii. Vossius inter-**

pretatur: prope, statim post eum, qui lirat, seu occatione semina operit: quod poetae verbis non expressum est. *Comminus arva insequi* est manu exercere terram, manu urgere, seu rastro.

3. Inde ab Augusti tempore usus, quem notio armati impetus adstrinxerat, laxior est factus. Ponebatur enim *comminus* eodem sensu, quo *prope, in propinquo, ex propinquo* dicebantur. Atque adeo de praesentia usurpabatur simpliciter.

Ovid. ex P. 1, 5, 74. *quaeque est procul urbe Quirini, adspicit hirsutos comminus Vrsa Getas.* Stat. Theb. 2, 215. *species est cernere avorum comminus et vivis certantia vultibus aera.* Tacit. Hist. 1, 41. *viso comminus armatorum agmine.* Quod Plinius eo traduxit, ut diceret Hist. n. 11, 42, 97. *Romae, ubi omnium gentium bona comminus iudicantur.* i. e. oculis submissa. In Gell. 13, 8. olim legebatur: *qui sapiens esse rerum humanarum velit, non libris solis, neque disciplinis rhetoricis dialecticisque opus esse, sed oportere eum versari quoque exercerique in rebus comminus noscendis periclitandisque.* sed Lambecius restituit cod. lectionem *in rebus communibus.* Val. Flac. 1, 263. *Herculeo fert comminus ora leoni.* Stat. Theb. 12, 248. *grave comminus aestuat aër sordidus.* i. e. e propinquo. Plin. Hist. n. 18, 28, 68. *aestate enim interlunio necesse est cum sole nobis proximo circulo currat, igne eius comminus recepto candens.* cf. 5, 9, 10. Tacit. Ann. 12, 12. *non comminus Mesopotamiam, sed flexu Armeniam petivit.* Apulei. Met. 5. p. 164, 1. *videsne, quantum tibi periculum velitatur fortuna eminus? ac nisi longe firmiter praecaves, mox comminus congredietur.* Vid. Pricaeus ad Apolog. p. 4.

Plinius adeo scripsit de sauroctono Hist. n. 34, 8, 19, 10. *fecit et puberem Apollinem subrepenti lacertae comminus sagitta insidiantem.* sicuti 35, 3, 6. *similiter Lanuvii, ubi Atalanta et Helena comminus pictae sunt nudae ab eodem artifice.*

Iurisconsulti *comminus* de eo dicunt, qui praesens aliquid agit, seu qui coram aliquo agit. Pompon. in Dig. 13, 7, 8. *si quasi recepturus a debitore tuo comminus pecuniam reddidisti ei pignus.* recte Gesnerus: de manu in manum. Cod. Iust. 7, 51, 3. *nisi iudex — comminus partibus constitutis iuridica pronuntiatione significaverit.*

4. Poetae recentiores alia via redeunt ad primitivum sensum, dum *comminus* usurpant pro *ad manus.* Interdum etiam de *pugna* quacumque dicebant, ut esset

id quod armata manu, vel in acie, in qua vir virum legit.

Valer. Flacc. 5, 583. *nos comminus arma semper habere viro.*

Stat. Theb. 10, 218. *non comminus hostes sternendi: bellum iacet.* Apulei. Met. 2. p. 122, 14. *comminus, si vir es, dirige.* Verba *in adspectum*, quae absunt a codicibus, cur defendantur, non video: *comminus* est stans in proelio.

5. Denique etiam temporis propinquitatem intelligi et *comminus* pro *illico, statim* positum esse narrant grammatici. Servius enim ad Virgil. Ge. 1, 104. *comminus, id est, statim, sine intermissione. Non est ergo ex propinquo, qui significatus frequentissimus est in Cisalpina Gallia: vulgo enim dicunt vade ad eum, sed comminus; unde Virgilius magis patriam consuetudinem videtur sequutus. Veteres enim non in tempore, sed in loco comminus ponebant, id est, iuxta, ut est* (Georg. 3, 374.) *comminus obtruncant ferro: cui contrarium est eminus, id est, longe.* Haec Barthius ad Stat. Theb. 10, 209. mira appellat, nec videtur provinciarum usus a scriptoribus receptus esse. Nam Virgilii verba aliter esse explicanda, supra demonstravi.

Venuleius in Dig. 45, 1, 137. *continuus actus stipulantis et promittentis esse debet: ut tamen aliquod momentum naturae intervenire possit: et comminus responderi stipulanti oportet.* Gedofredus explicat: e vestigio: Brissonius autem *coram*; quod bene se habet.

6. Tertullianus videbatur Elmenhorstio peculiari modo *comminus* usurpasse pro eo, quod antiquior latinitas per voc. *directo* expressit. Sed pertinet hoc quoque ad universam propinquitatis notionem, estque recta via ad rem prope accedens. Tamen recentior usus simul ea hoc nomine comprehendit, quae nos dicimus verbis *unmittelbar, geradehin.*

Tertull. de Poenitent. 3. *quum adulterum non eum solum definit, qui comminus in alienum matrimonium cecidisset, verum etiam illum, qui adspectus concupiscentia contaminasset.* Hoc fit ex longinquo, illud e propinquo.

Apulei. de Mundo p. 69, 3. (p. 344.) *rectius est atque honestius sic arbitrari, summam illam potestatem sacratam*

penetralibus, et illis, qui longissime separentur, et proximis una et eadem ratione et per se et per alios opem salutis afferre neque penetrantem atque adeuntem specialiter singula, nec indecore attrectantem comminus cuncta. Met. 2. p. 117, 16. *comminus cum re ipsa gnaviter congredere.*

7. Tertullianus de Carne Christi 21. *accedam adhuc cominius ad congressum.* Sed ne in libris quidem constat auctoritas. Cod. Pithoei *communius.* Gesnerus addit „metuo ut recte."

COMMODE. COMMODO. COMMODVM.

I. 1. Verba *cum modo* materiem praebuerunt adiectivi formandi *commodus*, cuius accusativus vicem adverbii explet. *Commodum* autem quum sit et aptum et probum ac bonum, refertur adverbialiter ad tempus opportunum, ut indicet rem actam convenire cum tempore aut cum alia re agenda. Nos dicimus *grade.* Est vero haec vox vulgari sermoni propria: quare occurrit tantum apud comicos et apud recentiores scriptores.

Plaut. Amph. 2, 2, 87. *ad aquam praebendam commodum adveni domum decumo post mense.* i. e. ut convenit. Trin. 5, 2, 12. *namque hoc commodum orditur loqui.* Mil. 4, 4, 61. *ecce autem commodum aperitur foris.* i. e. ut exspectabam. Symmach. Epist. 2, 47. *appetebat commodum tempestiva hora convivii.*

2. Refertur autem haec opportunitas ad tempus vel proximum vel praesens, et ad id, quod nunc modo accidit, aut paullo ante vel eodem tempore actum est: ubi nos dicimus *eben.* Recentiores utuntur hoc vocabulo ad tempus distinctius definiendum pro *tunc iam.* Vid. Beroald. ad Apuleii Met. 1. p. 22. et 33. Oud. et ipsum Oudendorp. p. 27.

Plaut. Cas. 3, 4, 8. *ad te hercle ibam commodum.* Terent. Phorm. 4, 3, 9. *id cum hoc agebam commodum.* ubi Donatus explicat: *tantum quod.*

Gellius 2, 2. *Taurus, sectatoribus commodum dimissis, sedebat pro cubiculi sui foribus.* Apul. Met. 1. p. 112, 22. *commodum coenare incipientem invenio.*

7 *

Apulei. Met. 8. p. 129. *commodum punicantibus phaleris Aurora roseum quatiens lacertum coelum inequitabat.* 4. p. 151, 34. *qui commodum domo similiter insequentes processerant.* Florid. p. 341, 15. *quippe adhuc ars ista reperta novo commodum oriebatur.*

3. Ita collocantur in unum tempus duae res, quarum altera alteram proxime excipit. Consequutio saepissime exprimitur plusquamperfecto: coniunctio *quum* temporalem obtinet vim in altera parte sententiae. Hanc vero vulgarem loquutionem non usurpabant oratores. Cicero eam admittit nonnisi in epistolis. Ceterum diversus est modus caussae vel occasionis, ubi *quum* coniunctivum assumit.

Plaut. Stich. 2, 2, 40. *postquam me misisti ad portum cum luci simul, commodum radiosus ecce sol superbibat ex mari.* Alciatus explicat *iam*, Lambinus *tantum quod.*

Cic. ad Att. 13, 9. *commodum discesseras heri, quum Trebatius venit.* 13, 19. 13, 30. 10, 16. *commodum ad te dederam litteras de pluribus rebus, quum ad me bene mane Dionysius fuit.* Apulei. Met. 1. p. 107, 15. *commodum quieveram, et repente impulsu maiore, quam ut latrones crederes, ianuae reserantur.* Symmach. Epist. 3, 50. *quum tu Romam commodum repetis, ego me in secessu suburbano asserui lectioni.* Sed 1, 11. *quum iam filiae nostrae dies natalis appeteret, commodum aderant, quae muneri miseratis.*

4. Interdum in familiari sermone ponitur de modo opportuno, non inepto, sed certo et accommodato. Idem est quod *certe.* Nos dicimus etiam *grade, eben.*

Plaut. Merc. 1, 2, 104. *si istac ibis, commodum obviam venies patri.* i. e. certe, *grade entgegenkommen.* Cic. ad Att. 13, 9. *commodum enim egeram diligentissime.* i. e. *ich hatte eben aufs sorgsamste verhandelt:* quod non retulerim ad tempus. Hoc modo explicandum puto locum Terentii Heaut. Prol. 13. *Sed hic actor tantum poterit a facundia, quantum ille potuit cogitare commode, qui orationem hanc scripsit.* Ne nimia offenderet iactantia, aut *tantum* explicuerunt *nihil amplius*, aut correxerunt *si hic actor.* Illud recte, sed comprehenso vocabulo *commode*, quod dicitur pro *quantum certe: so viel — als eben.*

II. Charisius Instit. gramm. lib. 2. p. 174. de adverbiis in *e* et in *o* exeuntibus agens: *Par est*, inquit, *ut in multis generibus, c o m m o d o dictionis eiusmodi,*

ut Plaut. in Frivolaria, commodo dictitamus. Et p. 177. *Similiter et commodo dixerunt, ut Plautus in Frivolaria pro commode. Titinnius in Iurisperita: nunc adeo visam: velle rem magnam aiebat sese mecum loqui: et commodo eccum exit.* (Ob metrum Scaliger *velle*, Gerh. Vossius *sese* omittit.) *id est in tempore. Sisenna Milesiarum decimo tertio: eamus ad ipsum: atque ipse commodo de parte superiore descendebat.* Nec ratio obstat in hac ablativa forma, neque analogia deest: quamquam in scriptoribus, qui nunc exstant, certa occurrunt exempla pauca vel nulla. Conf. I. G. Vossius de Analogia 4, 19.

Palmerius in Plaut. Trin. 5, 1, 2. scribendum esse suspicatur: *commodo ea, quae cupio, eveniunt.* pro *commoda.* Hermannus correxit *commoda.* Plaut. Mil. 4, 4, 61. vulgo legebatur *commodo aperitur foris*, sed codd. et edit. princ. *commodum*, quod Lindemannus restituit. Schwartzius in Tursellino scripsit *commode.*

Manutius ad Cic. Epist. 1, 1. „*quod commodo rem facere possis. commodo* inquit pro *commode* antique dictum: in quo dubitatum a nonnullis miror, quasi *commodo* adverbium esse non possit: nisi diligens antiquitatis observator Charisius admonuisset, Caesaris tamen ad Ciceronem epistola doceret. *Quum Furnium*, inquit, *nostrum tantum vidissem, neque alloqui, neque audire me commodo potuissem.*" At in hoc loco (ad Att. 9, 6.) legitur *meo commodo*: in illo quantum discrepent libri, constat. Aut *commode* scribendum est, aut *commodo reip.* ut exhibet edit. rom. Quod *incommodo* in Bruto 4, 17. comparant, aliam habet caussam in praecedente *tuo commodo.* Restat igitur, quod in Senecae Epist. 70, 16. legitur: *quumque commodo mori non licuisset, nec ad arbitrium suum instrumenta mortis eligere: obvia quaeque rapuerunt.* quod quamquam explicant de iis, quibus asservatis non licuerit commode mori, equidem non video, cur tales intelligam. Seneca loquitur tantum de hominibus vilissimae sortis, quibus desint commodae mortis viae. Quo sensu nemo alius dixit *commodo* pro *commode.* Conf. Kellmann ad Nolten. p. 2154.

III. *Commode* praeter eas significationes, quas cum adiectivo communes habet, etiam ponitur utroque modo, quo *commodum* usurpatur de tempore, atque adeo componitur formula *commode quum.* Tamen numquam, ut videtur, a Cicerone oratore dictum est.

Plaut. Trin. 2, 8, 9. *commode ipse exit Lesbonicus.*

Cic. ad Att. 2, 12. *emerseram commode ex Antiati in Appiam ad Tris Tabernas, — quum in me incurrit Roma veniens Curio meus.*

Cic. in Verr. 3, 25, 61. *adducitur a Veneriis atque adeo attrahitur Lollius commode, quum Apronius e palaestra rediisset.* Ad haec Schützius: „vulgo: *attrahitur Lollius commode, quum Ap.* sensu inepto. Rescripsi *commodum quum* (*als so eben*).“ Haec reiiciens Orellius: „*commode quum* nostris saltem in codd. aliquoties reperitur eodem sensu atque illud.“ Vellem adiecisset, quo illud *aliquoties* spectet. Equidem unum illum locum novi. Id vero, quod Schützio placuit, Cicero concepisset hoc modo: *commodum, quum Apronius rediit.* Quare recte legitur *commode,* quod ad superiora pertinet, ut sit sensus: attrahitur commodo i. e. apto tempore, quoniam Apronius e palaestra redierat et in triclinio decubuerat. Sic Cicero ad Att. 13, 9. dixit: *εὐκαίρως ad me venit, quum haberem Dolabellam, Torquatus.* Neque aliter Symmachus loco supra allato. Apud Apuleium Florid. loco p. 100. apposito alii codd. praebent *commode.*

CONFERTIM.

Confertim adverbium, cuius origo per se patet, apud antiquos scriptores non nisi de re militari usurpabatur ad significanda ea, quae a militibus in turma et denso ordine agebantur, ut esset i. q. turmatim. Quocirca occurrit in narrationibus bellicis.

Sallust. Iug. 50, 5. *non confertim, neque in unum sese recipiebant, sed alius alio quam maxime divorsi.* Liv. 31, 43, 3. *quia non excedunt temere ordinibus suis, sed confertim et pugnant et cedunt.*

Sed Liv. 21, 8, 9. *itaque quo acrius et confertim magis utrimque pugnabatur, eo plures vulnerabantur.* codices praebent *pugnabant*, duo *conserti* et *conferti:* Gronovius correxit *conferti pugnabant.* Livius adverbium cum nomine adiectivo saepe coniunxit: at semper adverbium secundum locum obtinet prope verbum, veluti 2, 30, 11. *effusi et contemptim pugnabant:* nec placet collocatio trium adverbiorum. Quare certe *confertim* restituendum est.

Confertius dixit Ammian. Marc. 24, 7, 7. quasi a *conferte,* quod olim etiam legebatur 31, 15, 4.

CONFESTIM.

Confestim cum verbo *festinare* cognatione cohaerere, iam veteres grammatici intellexerunt. Hoc verbum Verrius-Flaccus a *fando* perinepte deduxit, nec multo melius Gellius 16, 14. illum vituperans, festinare esse dixit quasi fessum esse. Vossius etymologus bene cognoverat *fero* esse fundamentum, e quo desumptum esset *fertus*, *fertim*, *festim*, *festinare*, sed in explicatione ad *fertus* alterum, quod est a *farcire*, aberrabat. Acutius hanc rem perspexit Doederlinus Etymolog. Tom. 2. p. 131. quem vide. *Confestim* igitur proprie non significat *continenter* aut sine intermissione, sed sine mora; *unverzüglich*. Id autem, quod sine mora fit, opponi potest ei, quod intercedente quiete fit ex intervallo.

Novam, sed parum probabilem rationem proposuit Lindemannus de Adverbio 4. p. 20. his verbis: „*confestim* antiquum est proprie significans *una cum luce*, vel *simul cum luce*. Vt enim *profestus* est remotus a festo, sic *confestus* est una cum festo." Quae quo modo per se constent, et cum usu ipsius vocabuli conveniant, equidem non perspicio.

Charisius p. 176. *confestim pro continuo et sine intervallo, sed iugi festinationis studio pergentis.* Sallust. lib. *fecit ut nunciis confestim lugubribus. Vbi Statilius Maximus, ordine, inquit, et sine intermissione. Sisenna Milesiarum* XIII. *confestim sequuta est.*

Cic. Phil. 5, 12, 31. *rem administrandam arbitror sine ulla mora et confestim gerendam.* Virgil. Aen. 9, 230. *tum Nisus et una Euryalus confestim alacres admittier orant: rem magnam pretiumque morae fore.* quorum verborum duplex quum sit explicatio, altera haec praestat: rem magnam esse, et moram in hac re fore magni momenti. Cic. p. Cluent. 67, 192. *quum appropinquare huius iudicium ei nuntiatum est, confestim huc advolavit, ne aut accusatoris diligentia, aut pecunia testibus deesset.* Phil. 2, 31, 77. Caesar B. gall. 5, 18. *Caesar, praemisso equitatu, confestim legiones subsequi iussit.* 4, 32. Curt. 4, 12, 1. *ille quidem confestim Mazaeum cum tribus equitum millibus ad itinera occupanda praemisit.* Cornel. Epam. 4, 3. *argentum huic redde; nisi id confestim facis, ego te tradam magistratui.*

Cic. de Inv. 1, 28. *cetera, quae factum aliquod similiter confestim aut ex intervallo solent consequi.* 2, 12, 42.

In aliquibus locis pro *statim*, *alsbald*, vel pro *paullo post*, *mox* positum est.

Cornel. Paus. 5, 4: *hic quum semianimis de templo elatus esset, confestim animam efflavit.*

Sicuti rerum consequutio in his vel per ablativos, vel per *quum* exprimitur, ita etiam formula facta est *confestim ut*, quemadmodum *continuo ut*, *statim ut* dicitur.

Suet. Aug. 10. *confestim ut Apollonia rediit, Brutum Cassiumque — legibus aggredi statuit.*

CONTINVO.

Continvo adverbium eam significationem, quam sibi innatam habet, non exuit quidem, sed peculiari modo ad temporis successum refert. Nam quum continuum id dicatur, quod nullo interiecto spatio nullave alia re intercedente profertur, aut perpetuum est, id tamen veteres scriptores adverbiis *continue* et *continenter*, non adverbio *continuo* exprimunt. Hoc enim non ponitur nisi de duabus rebus continuo tempore se attingentibus, pro *statim*, *nulla mora interposita*. Nos *sogleich*, *alsbald*.

Aliter visum est antiquis grammaticis. Servius ad Virgil. Ge. 1, 60. *continuo has leges aeternaque foedera certis imposuit natura locis.*] *iugiter in aeternum, ad perpetuum, sicut sequentia indicant.* Philargyr. ad Ge. 3, 386. *continuoque greges villis lege mollibus albos.*] *continuo pro perpetuo: semper enim hoc fieri debet.* Vtroque in loco significat *statim*: conf. n. 2. et 6. Tursellinus notavit *continuo* pro *assidue* barbarum esse.

Virgil. Ge. 4, 548. *haud mora: continuo matris praecepta facessit.* Terent. Ad. 2, 1, 17. *ne mora sit, si innuerim, quin pugnus continuo in mala haereat.* Cic. p. Rosc. Com. 6, 17. *nonne, ut ignis in aquam coniectus continuo restinguitur et refrigeratur, sic referveus falsum crimen in purissimam et castissimam vitam collatum* s t a t i m *concidit et exstinguitur?* Cic. ad Att. 12, 1. *utinam continuo ad complexum meae Tulliae, ad osculum Atticae possim currere!*

Cic. ad Fam. 16, 10, 2. *iam ad id biduum, quod fueris in via, dum in Cumanum venis, accedent continuo ad reditum dies quinque. Ego in Formiano a. d. III. calend. esse volo.*

i. e. nulla mora interposita: *nam certo die in Formiano esse volo.*

Quinctil. 10, 7, 2. *siquidem insuperabiles accidunt subitae necessitates vel apud magistratus, vel repraesentatis iudiciis continuo agendi,* i. e. nullo tempore meditationi concesso.

2. Quare dicitur de tempore proximo, quod non longe distat, seu de tempore paullo post futuro. Quod Graeci dicunt *αὐτίκα*, de quo vid. Hoogeveen. Atque usurpatur de eo, quod cum ipso rerum ortu exsistat, aut quod cum re apparente cohaereat ab initio.

Cic. Acad. 2, 1, 1. *deinde absens factus aedilis, continuo praetor: licebat enim celerius legis praemio.* i. e. non legitimo tempore post duos annos. Lael. 3, 11. *qui summam spem civium, quam de eo iam puero habuerant, continuo adolescens incredibili virtute superavit.*

Cic. ad Att. 9, 15. *quidquid egero, continuo scies.* Terent. Eun. 3, 2, 39. *hac prius introductam, et quae volo simul imperabo: postea continuo exeo.* Andr. 1, 5, 62. *hanc mi in manum dat: mors continuo ipsum occupat.*

Cic. Tusc. 4, 18, 42. *perturbationes, amplificatae certe, pestiferae sunt: igitur etiam susceptae continuo in magna pestis parte versantur.* de Fin. 3, 9, 32. *quidquid enim a sapiente proficiscitur, id continuo debet expletum esse omnibus suis partibus. Nam ut peccatum est patriam prodere, parentes violare, fana depeculari, quae sunt in effectu: sic timere, sic moerere, sic in libidine esse peccatum est, etiam sine effectu. Verum ut haec non in posteris et in consequentibus, sed in primis continuo peccata sunt, sic ea, quae proficiscuntur a virtute, susceptione prima, non perfectione, recta sunt iudicanda.*

3. Quod ita cum aliqua re cohaeret, semper fieri videtur. Quare utuntur verbo *continuo*, qui indicare volunt re aliqua exsistente vel incipiente aliam non cessare, sed semper accedere. Similiter nos dicimus *augenblicklich.* Haec maxime in sermone familiari obveniunt.

Cic. ad Fam. 9, 14. *neminem conveni, — quin omnes, quum te summis laudibus ad coelum extulerunt, mihi continuo maximas gratias agant.* i. e. illico, simul agant semper.

Quinctil. 9, 1, 11. *quum in eosdem casus, aut tempora aut numeros aut etiam pedes continuo quis, aut certe nimium frequenter incurrit, praecipere solemus variandas figuras esse.* Cum

Regius Burmannus scripserunt *continue*, quod ob ipsum voc. *incurrit* displicet. At *continuo* est statim, si modo loquitur, et hoc est semper. 2, 20, 3. *qualis illius fuit, qui grana ciceris ex spatio distante missa in acum continuo et sine frustratione inserebat.* Spaldingius dubitat, ad seriem granorum in una acu continuatorum, an ad iactus continuationem spectetur. Neutrum potest, sed scribendum esset *continue*. *Continuo* autem est uno iactu, non cessante effectu.

Terent. Andr. 3, 2, 24. *sed si quid narrare occepi, continuo dari tibi verba censes.* i. e. *da denkst du gleich.* Eun. 1, 2, 24.

4. Quum duarum rerum succedentium ratio hoc modo significetur, fiunt formulae compositae verborum *quum — continuo, ut — c., ubi — c., simul ac — c.* in quibus coniunctio aut praecedit aut sequitur. Vnde contracta magis formula facta est *continuo ut*.

Vid. Cicer. et Terentii loci modo allati.

Terent. Hec. 5, 3, 15. *aderit continuo, hoc ubi ex te audiverit.* Heaut. 2, 3, 35.

Cic. de Orat. 1, 26, 121. *quod continuo consilium dimiserit, simulac me fractum ac debilitatum metu viderit.*

Cic. in Verr. 4, 22, 48. *iste continuo ut vidit, non dubitavit illud insigne penatium hospitaliumque deorum ex hospitali mensa tollere.*

5. Laurentius Valla Elegant. 2, 30. quod docuerat, *non continuo* et *non statim* significare *non ideo*, id Vorstius de Latin. falso susp. 16. p. 188. proprium tribuit enuntiationibus conditionalibus, quasi abundanter adderetur *continuo*, sicuti in Germanorum *nicht alsbald*. Et ita etiam *illico* usurpatur. Neque universa ratio verbi, quam illustravimus, mutatur addita negatione, sed *continuo* indicat nexum rerum proximum aut necessarium, nulla conditione intercedente. Quare Varro de Ling. lat. 8, 27. dixit: *neque ideo statim ea in omnibus verbeis est sequenda.*

Cic. Tusc. 2, 19, 45. *ego summum dolorem — non continuo dico esse brevem.* 3, 8, 5. *quum — nec omnes, qui curari se passi sunt, continuo etiam convalescant.*

Cic. de Orat. 2, 48, 199. *si illae seditiones saluti huic civitati fuissent, non continuo, si qui motus populi factus esset, id C. Norbano in nefario crimine — esse ponendum.* p. Rosc. Am.

63, 94. *non continuo, si me in gregem sicariorum contuli, sum sicarius.* Gaius Instit. 2, 204. *quod autem ita legatum est, post aditam hereditatem*[1], *etiamsi pure legatum sit, non ut per vindicationem legatum continuo legatario adquiritur, sed nihilominus heredis est.* Manil. 2, 845. *nec quum sint forte quadrata, continuo inter se servant commercia rerum.*

Cic. de Fin. 4, 27, 75. *aeque enim contingit omnibus fidibus, ut incontentae sint: illud non continuo, ut aeque incontentae.*

Quinctil. 9, 2, 84. *continuone, si ille stulte cogitavit, nobis quoque stulte dicendum est?* Cic. Tusc. 5, 18, 40. *si mala careat, continuone fruitur summo bono?*

6. Graecae linguae auctores quum vidissent *αὐτίκα* ab initio sententiae saepe in probandis argumentis poni pro *exempli gratia* (vid. Ernest. ad Xenoph. Mem. 4, 7, 2. Ruhnken. ad Timae. p. 56.), Koenius in notis ad Gregor. Cor. p. 194. (416. Schaef.) hunc usum ad Latinos translatum esse putabat, atque in eumdem modum esse explicandum locum Virgilii Ge. 1, 356. *continuo, ventis surgentibus aut freta ponti incipiunt agitata tumescere* etc. cui alii addiderunt 1, 60. 1, 169. 3, 75. 4, 254. At primum *αὐτίκα* non poterat ita, ut illi fecerunt, explicari, sed significat rem, quae comprobationi inservit, in promptu esse. Tum vero in illo Virgilii loco dicitur natura imposuisse leges primo ortu. Denique, in reliquis significat *statim*, *gleich*, vel statim a principio, *gleich anfangs.* veluti 1, 169. *continuo in silvis magna vi flexa domatur in burim.* i. e. *gleich im Walde.*

Sic Georg. 3, 75. *continuo pecoris generosi pullus in arvis altius ingreditur.* intellige equum adhuc pullum, qui statim in prima iuventute generosae prosapiae indolem declarat ingressu. 4, 254. *continuo est aegris alius color.* i. e. iam incipiente aegritudine.

Ochsnerus in Eclog. Cic. p. 104. probasse videtur sententiam Koenii, argumentis tamen novis non substructis.

CONTRA.

Contra formatum esse videtur ex *conterus*, sicuti *extra*, *supra*, *infra* aliaque. Conf. T. I. p. 390. Habemus enim etiam *contro* in *controversus*: sicuti dicitur *intra* et *intro*. Neque negari potest, *con*, quod subest, antiquam formam esse verbi *cum*. Primitiva enim signi-

ficatio id complectitur, quod apparet in aequali positione, in qua unum ad alterum refertur recta linea, et utrumque una regione continetur. Aliae opiniones, quibus Vossius a *contuor*, Scheidius ad Sanctium p. 227. a *contus*, Ang. Caninius ex transposito verbo ἄντικου deducebant, omnes falsae sunt. Verum vidit Scaliger de Caussis lat. ling. c. 155.

Ablativum formam syllaba extrema prodit. Ea enim producitur. Et quae brevem exhibent, exempla sunt istius aetatis, in qua plurima prosodiae pars accentu regebatur, aut debentur negligentiae recentissimorum scriptorum. Ennius apud Varron. de Ling. lat. 6, 2. *quis pater aut cognatus volet nos contra tueri?* Attius apud Macrob. Sat. 6, 1. *quum neque tueri contra neque adfari queas.* Ita Vossius scripsit Art. gram. 2, 24. p. 266. ante Hermannum, Opusc. T. 3. p. 121. Apud Lucretium 1, 467. dudum restitutum est: *ne forte haec per se cogant nos esse fateri.* pro *contra fateri.* Sed Manilius 2, 253. *contra iacet cancer patulam distentus in alvum.* ubi Bentleius emendavit *strata iacent*, Stoeberus excusat vitium doctae negligentiae nomine: Gesnero videbatur *iacet* per dialysin legendum esse tribus syllabis. Auson. Praefat. Theodos. 10. *saepe mora est, quotiens contra parem dubites.* Exemplum, quod grammatici afferunt ex Phaedr. 3, 2, 4., non huc pertinet.

Ab initio unus erat adverbii usus. Quare apud comicos praepositio nusquam occurrit, nisi in una et formula, quae mutationis occasionem suppeditasse videtur. Quum enim dicere solerent *adstare aliquem*, his addiderunt *contra*, unde factum est *contra aliquem adstare*, ut legitur apud Plautum Pers. 1, 1, 13. Significatio igitur adversae contentionis apud antiquiores scriptores nondum exprimitur praepositionis forma. Vnde etiam postea saepe factum est, ut *contra* ante accusativum nominis poneretur, quod non cohaereret.

Quod in lexicis e Plauto affertur: *se contra disciplinam meam gesserint*, Traiani sunt verba in Epist. Plinii 10, 82.

Praepositionem etiam cum dativo construi, falsis exemplis, quae adversativum sensum haberent, demonstrare voluerunt. Plaut. Stich. 5, 7, 4. corruptione laborat. vid. infra II. 5. Mil. 2, 2, 43. *quem dolum doloso contra conservo parem.* adverbium est, quod cum verbo cohaeret. Neque in formula *contra auro, auro contra* dativum agnoscimus, sed ablativum, quo pretium

exprimi solet (vid. Ramshorn. Gr. 144, 7.), adiecto adverbio.

I. 1. Ratio, qua omnis usus huius verbi constituitur, duplex est. Atque primum dicitur de re in loco adverso posita, ut sit i. q. adversus, ex adverso, e regione, germanicum *gegenüber*, gallicum *vis à vis*. Conf. Tom. I. p. 180. Ita usurpatur et adverbium et inde a Varronis temporibus etiam praepositio.

Priscian. 14. p. 976. *similiter contra quando κατά significat, loco praepositionis est accipiendum, ut, contra concionem Metelli; quum vero τὸ ἐξεναντίας, quod proprium est eius, significat, adverbium est sine dubio, ut ego in hanc partem specto, tu contra.* Quae quam parum sufficiant, non est quod demonstrem. Charisius p. 207. *contra et adversus ita differunt, quod contra ad locum, ut contra basilicam, adversus ad animi motum, ut adversus illum facio. Interdum autem promiscue accipitur.*

Liv. 5, 37, 8. *iam omnia contra circaque hostium plena erant.* ubi nihil emendandum est.

Primariam significationem expressam video in Plinii Hist. n. 18, 33, 76. *contra mediam faciem meridiei* et paullo post: *quum minima umbra contra medium fiet hominem.* i. e. recta linea. 5, 9, 10. *contra perpendiculum fontis sidere stante.*

Caes. B. gall. 3, 9. *auxilia ex Britannia, quae contra eas regiones posita est, arcessunt.* 4, 20. 7, 62, 8. *qui praesidio contra castra Labieni erant relicti.* B. civ. 3, 23. *insulamque, quae contra brundisinum portum est, occupavit.* Liv. 3, 26, 8. *contra eum ipsum locum, ubi nunc navalia sunt.* 38, 4, 5. *castellum loco edito contra arcem obiecit* 24, 41, 5. ubi vid. Drakenb. et ad 5, 37, 8. 37, 15, 7. *pacatis contra insulam suam terris.* ubi alii libri *circa:* at recte dicitur *contra insulam* de terris ab adversa una parte obiectis. vid. Drakenb. ad h. l. Plin. Hist. n. 6, 23, 26. *contra insulam distans LXX stad. Alexandria.* Alia Vossius et Burmann. ad Vellei. Pat. 2, 76, 8. qui tamen frustra laborant in defendendis verbis: *sed pax contra Brundisium composita.* Recte emendavit Rhenanus *circa.* Alia Oudendorp. ad Frontin. 1, 4, 7. et ad Caes. B. gall. 8, 41, 2. et Davis. ad Bell. hisp. 27. Celsus 4, 5. *id quod contra stomachum est.* 7, 7. *atramento notare eas contra tempora.*

Plinius Hist. n. 37, 7, 25. *eosdem — contra radios solis et scintillare.* cf. 6, 22. quod est 37, 6, 10. *adversis posita solis radiis.* Columell. 7, 3, 8. *et poni debent contra medium diem;*

Caes. Bell. gall. 5, 13. *contra septemtriones.* quod vulgo dicitur *ad septemtriones.* Plin. Hist. n. 6, 22, 24. *contra meridiem.*

Quinctil. 10, 3, 32. *relinquendae autem in utrolibet genere contra vacuae tabellae, in quibus libera adiicienti sit excursio.* ubi vid. Burm. Sueton. Calig. 25. *mandasse ad Pisonem contra accumbentem.* 18. *equiti contra se hilarius avidiusque vescenti partes suas misit.* Celsus 8, 8. *si acuta fragmenta sunt, incidi contra cutis debet.* Ovid. Met. 7, 587. *templa vides contra.* Virgil. Aen. 6, 23. Tacit. Agr. 10. *septentrionalia eius, nullis contra terris, vasto atque aperto mari pulsantur.* Plin. Hist. n. 2, 65. *cur non decidant contra siti.* Saepe dicitur *contra stare.* Iuvenal. 3, 290. Vid. Drakenb. ad Liv. 3, 60, 9. Plautus dixit Pers. 1, 1, 13. *quis illic est, qui contra me adstat.* vid. n. 2.

Plaut. Cas. 5, 3, 2. *nec meam ut uxorem adspiciam contra oculis.* Pers. 2, 2, 26. *feminam scelestam te adstans contra contuor.* Most. 5, 1, 56. *surge, ne nugare: adspice dum contra me.* ubi adverbium est, non praepositio. Liv. 1, 16, 7. *petens precibus, ut contra intueri fas esset.* quod recte defendunt collato loco 9, 6, 8. ubi Drakenb. Hinc poetarum aliae dictiones, veluti Sil. Ital. 6, 366. *fert lumina contra paratus frontem.*

Singulari modo de parte contraria Ovid. Met. 4, 79. *partique dedere oscula quisque suae, non pervenientia contra.*

Salmasius ad Lamprid. Heliogab. 33. et ad Trebell. Poll. Galien. 1. 16. recentiores dixisse putat, *contra se* pro *contra*, ut *ante se* pro *ante* (vid. Tom. 1. p. 363.), affertque veterem inscriptionem: *contra se porticus.*

2. Hac vero ratione, qua *contra aliquem stare* dicebant, recentiores scriptores etiam in aliis formulis *contra* pro *coram* posuerunt. De voc. *adversum* vid. Tom. 1. p. 181. Plinius, qui in hoc vocabulo magnam sibi concessit licentiam, adeo pro *ad* posuit.

Plaut. Rud. 1, 4, 22. *accede ad me atque adi contra.* i. e. adsiste contra. ut Pseud. 1, 2, 23. *adsistite omnes contra me et quae loquor, advortite animum.*

Hirtius Bell. alexand. 24. *flens orare contra Caesarem coepit.*

Plin. Hist. n. 18, 87. *et cum terrestres volucres contra aquam clangores dabunt, perfundentes sese.* i. e. ad aquam conversae.

3. Adverbium cum quibusdam verbis coniungitur, quibus aliquid ab altera parte vicissim vel mutuo fieri

dicitur. vid. Goclenii Observ. p. 229. Ruhnken. ad Terent. Eun. 2, 3, 63. Sic *contra amare*, quocum Bachius in Sylloge eleg. poem. p. 32. male comparavit ἀγαπᾶν ἀντί τινος.

Plaut. Amph. 2, 2, 23. *quae me amat, quam contra amo.* Cist. 1, 1, 97. Catull. 76, 23. *non iam illud quaero, contra ut me diligat illa.* Qui scripserunt *contra me ut diligat*, sensum mutare non poterant: neque *contra me* coniungendum esset magis quam apud Terentium Ad. 1, 1, 24. *habui, amavi pro meo. — Ille ut item contra me habeat, facio sedulo.* Quo exemplo utitur Servius ad locum Virgilii Aen. 10, 567. cum Homero conciliandum, sed frustra. Antholog. lat. 2, 124. *non contra ut sit amor mutuus inde mihi.*

Terent. Eun. 3, 1, 53. *si laudabit haec illius formam, tu huius contra.* Hec. 4, 2, 7. *nunc tibi me certum est contra gratiam referre.* Eun. 2, 3, 64. Hec. 1, 1, 13. *nemo quisquam scito ad te venit, quin ita paret sese, abs te ut blanditiis suis quam minimo pretio suam voluptatem expleat: hisce tu amabo non contra insidiabere.* Plaut. Amph. 2, 2, 62. *te ut deludam contra lusorem meum.* Trin. 4, 2, 55.

Cic. Agr. 2, 33, 91. *nihil enim supererat, de quo certarent: nihil, quod contra peterent, nihil, ubi dissiderent.*

II. Vocabula, quae locum adversum significant, duplicem admittunt sensum, quo et res opponuntur et adversandi modus exprimitur.

1. Igitur *contra* usurpatur in designandis personis vel rebus opponendis, sive contrariae sint partis, sive diversae. Est igitur *ex altera parte.* In his vero adverbium potestatem coniunctionis habet. Nos dicimus *dagegen.* Poetae et recentiores scriptores in eiusmodi distinctione *contra* dicunt pro *autem*, quemadmodum Graeci αὖ pro δέ ponunt. vid. Hermann. ad Viger. n. 234.

Cornel. Epam. 6, 1. *idem quum in conventum venisset Arcadum, petens, ut societatem cum Thebanis et Argivis facerent, contraque Callistratus Atheniensium legatus — postularet, ut potius amicitiam sequerentur Atticorum* etc. Petron. 13. *exhilaratus ego — negavi circuitu agendum, sed plane iure civili dimicandum. — Contra Ascyltos leges timebat.* Celsus 8, 20. *medicus debet id, quod eminet, retro cogere, minister contra coram propellere.*

Plaut. Mil. 2, 2, 89. (87.) *ut si illic concriminatus sict advorsum militem meus conservus, eam vidisse hic cum alieno oscularier, arguam hanc vidisse apud te contra conservum meum cum suo amatore amplexantem atque osculantem.* Ita edidit Lindemannus.

Propert. 2, 1, 44. *enumerat miles vulnera, pastor oves*: , *Nos contra angusto versantes proelia lecto.* Ineptum enim mihi videtur intelligere hostili sensu versantes proelia contra alios. Est enim *nos autem*. Et ambigua significatione dicit poeta proelia et exercendo et narrando tractata. Sueton. Domit. 23. *occisum eum populus indifferenter, miles gravissime tulit.* — *Contra senatus adeo laetatus est,* ut etc. Tiber. 2. *contra Claudius Appius* etc.

2. In enuntiationibus, quibus duae res comparantur, altera, quae opponitur, per voc. *contra* gravius designatur: *ut — sic contra, tantum abest ut — ut contra.*

Cic. Tusc. 5, 6, 16. *ut hi miseri, sic contra illi beati, quos nulli metus terrent.* de Orat. 1, 45, 198. *ut apud Graecos — sic in nostra civitate contra.*

Liv. 6, 15, 5. *cui ego rei tantum abest, ut impedimento sim, ut contra te, M. Manli, adhorter, liberes foenore plebem romanam.* 6, 31, 4. *in qua trepidatione tantum afuit, ut civilia certamina externus cohiberet, ut contra eo violentior potestas tribunicia impediendo delectui esset.*

3. Eodem modo per adverbium *contra* opponuntur res contrariae. Saepe fit, ut adverbium vim coniunctionis recipiat: saepe etiam, ut adiectivum contrariae significationis ita exprimatur. Interdum pro negatione usurpatur. Atque in hoc usu *contra* fere post aliud nomen, quocum cohaeret, vel primo loco ponitur.

Propert. 1, 11, 25. *seu tristis veniam, seu contra laetus amicis.*

Cic. de Off. 1, 27, 94. *quod enim viriliter animoque magno fit, id dignum viro et decorum videtur: quod contra, id ut turpe, sic indecorum.*

Cic. de Leg. 2, 1, 2. *mirabar te tam valde hoc loco delectari: nunc contra miror te, quum Roma absis, usquam potius esse.* ad Fam. 5, 5. *pro iis rebus nullam mihi abs te relatam esse gratiam, tu es optimus testis: contra etiam esse aliquid abs te profectum, ex multis audivi.* i. e. contrarium mihi.

Cic. Acad. 2, 32, 103. *esse rerum eiusmodi dissimilitudines, ut aliae probabiles videantur, aliae contra.* de Off. 2, 2, 7. *alia probabilia, contra alia dicimus.* nam critici eiecerunt glossam *non probabilia esse:* si vera est illa scriptura, animadvertatur positio verbi non in aliis exemplis obvia. De Inv. 2, 15, 48. *locus communis aut certae rei quamdam continet amplificationem, — aut dubiae, quae ex contrario quoque habeat probabiles rationes argumentandi: ut suspicionibus credi oportere, et contra, suspicionibus credi non oportere.*

Varro de Re r. 1, 8, 1. *contra vineam sunt qui putent sumptu fructum devorare.* 1, 47. *contra herba in pratis ad spem foenisiciae nata non modo non evellenda in nutricatu* etc. Ita Varro saepissime, non item Cicero. Sueton. Caes. 73. *simultates contra nullas tam graves excepit umquam, ut non, occasione oblata, libens deponeret.* Ita recte unus cod. Memm. non *nullos.* Opponuntur verba anteced. *amicos tanta semper facilitate tractavit.* Vitell. 2. Vesp. 16. *sunt contra, qui opinentur* etc.

4. Altera significatio complectitur motum ex adverso loco et actionem, quae ex altera parte dirigitur. Nos dicimus *entgegen.* Quo sensu — nam praepositionis usus ne in his quidem antiquior est — adverbium cum verbis componitur: *contra sonare, contra venire, contra colloqui, contra niti* et alia. Cf. Tom. 1. p. 183. Quorum nonnulla post Augusti tempora ita copulabantur, ut nova compositorum verborum formatio exsisteret. Quod factum est in verbis *contradicere, contraire, contraponere* cum dativis constructis: quae Ciceroni et reliquis antiquis scriptoribus incognita erant.

Plaut. Amph. 1, 1, 72. *contra consonat terra.* Merc. 5, 2, 41. *contra pariter fer gradum et confer pedem.* i. e. *komm mir eben so entgegen.* Pseud. 2, 4, 17. Bacch. 3, 6, 6. Amph. 1, 1, 183. *verum certust confidenter hominem contra colloqui.* Epid. 4, 1, 20. *orationis aciem contra conferam.* Amph. 1, 1, 67. *item hostes contra legiones suas instruunt.* Virgil. 5, 21. *nec nos obniti contra, neque tendere tantum sufficimus.* Sallust. Iug. 35, 8. Cic. Agr. 2, 33, 91. *nihil supererat, de quo certarent: nihil, quod contra peterent. Contra liceri,* i. e. licendo se alteri opponere, Caes. B. gall. 1, 18. *illo licente contra liceri audeat nemo.* Liv. 4, 53, 6. *Maenio contra vociferante.* de altercatione.

Contra rescribere, contra cavere dictiones sunt iurisconsultorum. Vid. Brisson. de Signif. v. p. 261. Curt. 4, 1, 10. *contra respondere* Curt. 7, 9, 1. Virgil. Aen. 6, 23.

Caes. B. gall. 7, 28. *constiterunt hoc animo, ut, si qua ex parte obviam contra veniretur, acie instructa depugnarent.* quae defendit Oudendorp. collato loco B. afric. 45. *contra Caesarem adversus armatusque consistam.* quo nihil comprobatur: alii scripserunt *obviam contraveniretur.* Recte Vrsinus auctoritate codicis sui *contra* abiecit.

Contradicere primus scripsisse videtur Livius. Vid. 8, 2, 2.

Vlpianus in Dig. 9, 2, 29, 4. *si navis alteram contra se venientem obruisset* etc. Cicero aliique *contra aliquem venire* dixerunt pro oppugnare aliquem, de actione contra aliquem instituenda. Cic. p. Mur. 4, 9. *si turpe existimas, te advocato, illum ipsum, quem contra veneris, causa cadere.* ubi vid. Manut. p. Rosc. Com. 6, 18. *quid tu, Saturi, qui contra hunc venis, existimas aliter?* Phil. 2, 2, 3. 8, 6, 18. Adverbium Civ. in Verr. 2, 48, 107. *si de litteris corruptis contra venit? si contra omni ratione pugnavit?* Mencken. Observat. p. 191. De verbis *contra aliquem adesse* vid. Cort. ad Plin. Epist. 1, 23, 3.

5. Qui contra consistit, nec mutat locum, hostilem impetum sustinet aut propulsat: qui adversatur, e contrario loco agit. Quare *contra* usurpatur de certaminis contentione et de quocumque adversandi modo, sive in hostili aggressione, sive in alia quacumque contentione, et ita quidem, ut in verbo *adversus* magis ad animi motum, in *contra* ad ipsum impetum oppugnantem respiciamus. Tamen, ut Charisius ait, haec promiscue accipiuntur. *Adversa* apponuntur *contrariis* ex aequo. Cic. Orat. 19, 65, Cf. T. 1. p. 184. Opponitur interdum *pro*, quod vide. In his vero praepositionis usus recentior est.

Caes. B. gall. 2, 17. *qua* (legione) *pulsa impedimentisque direptis, futurum, ut reliquae contra consistere non auderent.* Catul. 62, 6. *cernitis, innuptae, iuvenes consurgite contra.* i. e. ut certamen ineatis.

Propert. 3, 11, 13. (4, 10, 13.) *ausa ferox ab equo contra oppugnare sagittis Maeotis Danaum Penthesilea rates.* Ovid. Met. 2, 434. vid. Burman. ad Propert. loc. Liv. 8, 15, 2. *eo acrius contra tribuni tendebant.* Vid. Drakenb. ad 8, 13, 4. Terent. Eun. 4, 1, 10. *voluit facere contra huic aegre.* Cic. in Verr. 2, 48, 107. *si de litteris corruptis contra venit? si contra omni ratione pugnavit?* de Orat. 1, 19, 85. *disputabant contra diserti homines.*

Caes. B. gall. 2, 13. *contra populum romanum armis contendere.* Coel. ad Cic. Ep. 10, 9. *nunc te contra victorem Caesarem facere — summae stultitiae est.* Sallust. Iug. 31, 6. *neque ego hortor, — uti contra iniurias armati eatis.* Virgil. Aen. 5, 414. *his magnum Alciden contra stetit.* 5, 370. *solus qui Paridem solitus contendere contra.* Stat. Theb. 9, 16. *aut saevos Libyae contra ire leones.* Cic. Acad. 2, 18, 60. *restat illud, quod dicunt veri inveniendi caussa contra omnia dici oportere et pro omnibus.*

De formula *contra rem publicam facere, sentire* vid. Brisson. de Form. p. 203. Herzog. ad Sallust. Cat. 26, 4.

Plautum dixisse ferunt *vocare contra* pro *in certamen vocare:* at verba Stich. 5, 7, 4. corrupta sunt. Non male emendavit Bothius: *omnis voco cinaedos: contra stetis.*

Plaut. Poen. 5, 6, 18. AG. *num quid recusas contra me?* LY. *advorsum quidem.* In his duae res offendunt, praepositionis usus Plauto incognitus et inanis verborum lusus. Vtrique egregie consuluit Salmasius hac certissima emendatione: *num quid recusas contra?* LY. *ne advorsum quidem.* Atque intelligitur in verbo *adversum* mitior animi recusatio, ut sensus sit: ne adversa quidem mente.

Contra esse non modo de adversariis hominibus usurpatur, sed etiam de rebus, quae non favent, nec approbationem afferunt, sed repugnant et redarguunt: veluti de testimoniis et de argumentis. Nos quoque *gegen einen sprechen, gegen einen seyn.* Cic. de Orat. 3, 20. *quare hoc, quod complector tantam scientiam vimque doctrinae, non modo non pro me, sed contra me est potius.* p. Quint. 24, 76. *tuum testimonium — quoniam contra te est* etc. de Orat. 2, 81, 330. p. Cluent. 36, 102. Senec. de Benef. 6, 31, 6. *sed haec res contra nos est.*

Franc. Robortellus Annot. 1, 37. castigavit Manutium, quod orationes in Verrem a Cicerone habitas inscripserat *contra Verrem:* „nam si quando, inquit, accusat Cicero et reprehendit aliquem acrius nominatum, tunc inscribit orationes suas *in*, ut *in Vatinium, in M. Antonium:* si quando autem disseritur adversus aliquem in senatu, dum dicuntur sententiae, videtur idem Cicero existimasse *contra* debere tunc orationem inscribi. In eo igitur libro qui inscribitur orator (31, 111.) ait: *multae sunt eius totae orationes subtiles, ut contra Leptinem.* Demosthenis oratio inscribitur πρὸς Λεπτίνην, in qua disserit contra illum de lege immunitatis: nulla est accusatio, sed dictio tantum sententiae apud populum. Nec vero me latet Cic. etiam scribere: *ut contra Aeschinem falsae legationis,*

ut contra eumdem pro caussa Ctesiphontis: sed duos ego manuscriptos habeo, in quibus non *contra*, sed *in* est scriptum: et ita omnino legi debere affirmo." In codicibus nemo alius invenit *in*: tamen recte appellatur oratio contra aliquem habita, qua adversarius ipse orator impugnatur. Aliter iudicavit Sigonius Emendat. 1, 19. Sed ipse Cicero *contra dicere* posuit pro *accusare*, pr. Cluent. 48, 133. *si quis contra dicere vellet.* ubi non est *widersprechen*, sed contra C. Licinium dicere: idque Quinctil. 5, 11, 13. reddidit verbis: *nullo accusante*, et Plutarchus Apophtheg. reg. p. 200. E. *μηδενὸς κατηγοροῦντος*.

6. Hinc transfertur ad defensionem, qua quis hostem aut malum qualecumque repellit, aut se tuetur: unde etiam dicitur *firmus, invictus contra aliquid.* Idem notavimus in *adversus* Tom. 1. p. 185.

Cic. de Orat. 1, 39, 177. *quum ego C. Sergii Auratae contra hunc nostrum Antonium iudicio privato caussam defenderem.* p. Mil. 1, 2. *non illa praesidia, — etsi contra vim collocata sunt, non afferunt tamen aliquid, ut* etc. Tacit. Agr. 45. *rubor, quo se contra pudorem muniebat*: ubi Walchius frustra defendit *a quo*. Cic. de Senect. 15, 51. *contra avium minorum morsus munitur vallo aristarum.* Tusc. 5, 7, 19. *ut esset contra fortunam semper armatus.* Plin. Hist. n. 18, 8, 19. *ex omni genere durissimum far et contra hiemes firmissimum.* 23, 1, 22. *minus roboris contraque labores patientiae.* 8, 25, 37. *et unguibus hic armatus est, contra omnes ictus cute invicta.*

7. Atque usus, quem eumdem habet voc. *adversus*, est de remediis adhibendis. Vid. Tom. 1. p. 186.

Plin. Hist. n. 7, 2, 2. *et tamen omnibus hominibus contra serpentes inest venenum.* 5, 1, 1. 20, 8, 27. 7, 1. *totque medicinae contra mala excogitatae.* Pallad. 11, 14, 17. *vinum, quod salutare contra pestilentiam sit, — fieri hoc genere fertur.* 10, 8, 2. *quoniam quaedam animalia subterranea sectis radicibus necant plerumque frumenta, contra haec proderit, si herbae etc.*

8. Sed potest hoc modo etiam res designari, quae non ipsa repugnat aut nocet, sed in quam reiiciendam vel impugnandam aliquis loquitur vel agit.

Cic. de Nat. d. 2, 67, 168. *mala enim et impia consuetudo est contra deos disputandi.* p. Quint. 18, 44. *Q. Hortensius contra caput non didicit dicere.* i. e. de crimine capitali.

Cic. de Off. 3, 19, 77. *se illam rem numquam iudicaturum,*

ne aut spoliaret fama probatum hominem, si contra iudicasset, aut statuisse videretur virum bonum esse aliquem.

9. Dicitur *contra* etiam de eo, quod cursum aut modum rerum naturalem non sequitur, sed adversum tendit, sicut in flumine. Et quum ardua adscendentes etiam adversum agere videantur, etiam de iis ponitur *contra*. Gesnerus in Chrestom. Plin. p. 112. originem dictionis in eo quaerit, quod qui scalas adscendit, eas ante oculos sibi oppositas habet.

Cic. Orat. partit. 13, 46. *illa autem altera argumentatio, quasi retro et contra, prius sumit quae vult eaque confirmat, deinde id, quod proponendum fuit, permotis animis iacit ad extremum.* i. e. inverso ordine: nam simplici ordine primum dicimus, quod defendere volumus, deinde argumenta subiicimus.

Plin. Hist. n. 20, 3, 12. *experimentum eius esse, si contra aquas fluitet vel auro vinctum.* 18, 35, 88. *boves coelum olfactantes, seque lambentes contra pilum.* 27, 4, 5. *capite in sole contra capillum uncto.* Columella 7, 3, 12. *ut contra ventum gregem pascamus.* Pallad. de Re r. 8, 4, 4. Plin. Hist. n. 19, 8, 39. *si — increscentia folia contra ipsas religentur.*

Silius 14, 352. *puppes etiam constructaque saxa feminea traxisse ferunt contra ardua dextra.* Plin. Hist. n. 7, 20, 18. *ducenaria duo humeris contra scalas ferebat.*

10. Ita refertur ad omnem rem, quae non sequitur, sed obvertitur, et a norma aut ab hominum opinione deflectit et distat, vel cum aliqua re pugnat. Nos *wider, entgegen.* Vid. Vorstius de Latin. falso susp. c. 23. p. 233. Opponitur *secundum.*

Cic. de Off. 3, 5, 21. *detrahere igitur alteri et hominem hominis incommodo suum augere commodum, magis est contra naturam quam mors.* Sallust. Cat. 2, 8. Plin. Hist. n. 7, 8, 6. Cic. de Off. 1, 6, 19. *cuius* (veri) *studio a rebus gerundis abduci, contra officium est.* Acad. 1, 10, 37. *officium et contra officium.* Sallust. Cat. 15, 1. *alia huiuscemodi contra ius fasque.* Sueton. Caes. 43. *qui obsonia contra vetitum retinerent.* Cic. de Orat. 3, 19, 70. *aut ex lege aut non contra legem.* in Verr. 2, 10, 26. Plin. Hist. n. 10, 75, 98. *contra consuetudinem somnium.* Cic. ad Att. 9, 7. *contra mehercule meum iudicium et contra omnium antiquorum auctoritatem.*

Caes. B. gall. 6, 30. *celeriter contraque omnium opinionem*

confecto itinere. Sallust. Iug. 75, 9. Fricae. ad Apulei. Met. 10. p. 523. Caes. B. gall. 8, 40. *quum contra exspectationem omnium Caesar Vxellodunum venisset.* Liv. 24, 45, 3. *quumque res romana contra spem votaque eius resurgeret* etc. Solemnis est formula in sepulcrorum inscriptionibus *contra votum.* Vid. Murator. T. 3. p. 1353, 7. p. 1375, 8. Burmann. ad Anthol. lat. T. 2. p. 168. et 689.

Sallust. Iug. 33, 1. *contra decus regium cultu quam maxime miserabili.* 46, 5. *ubi contra belli faciem tuguria plena hominum.* Gaius Inst. 3, 157. *quod contra bonos mores est.* Plin. Hist. 13, 22, 43. *Nero Caesar nocturnis grassationibus converberatam faciem illinens sibi cum thure ceraque, et sequuto die contra famam cutem sinceram conferens.*

Liv. 9, 18, 6. *qui Parthorum quoque contra nomen Romanum gloriae favent.* Sueton. Aug. 78. *ne id contra commodum faceret.* Cic. p. Mur. 23, 47. *quibus aut contra valitudinis commodum laborandum est, aut incommodo morbi etiam ceteri vitae fructus relinquendi.*

Celsus 4, 19. *contra priores auctores Asclepiades affirmavit.*

11. Proprietatem eam, de qua Tom. 1. p. 184. diximus, *contra* ab *adversus* distingui officiendi et oppugnandi notione, antiqui scriptores omnes huic vocabulo servarunt. Plinius tamen, historiae naturalis auctor, usum huius verbi tantopere extendit, ut non sine vitii specie pro *erga* vel *in* poneret.

Plin. H. n. 8, 7, 7. de elephanto: *ipsius animalis tanta narratur clementia contra minus validos, ut in grege pecudum occurrentia manu dimoveat.* Quo modo id factum sit, monstrant dictiones vulgaris sermonis: Plaut. Truc. 1, 2, 4. *et tu fer contra manum.*

Capitol. Maxim. 8. *et ut se habent stultae opiniones, tales eos contra sperabat futuros, quum iam imperator esset.* alii libri *contra se.*

Vlpian. in Digest. 48, 8, 4. *lege Cornelia de sicariis tenetur, qui, quum in magistratu esset, eorum quid fecerit contra hominis necem, quod legibus permissum non sit.*

12. Cognata sive eadem est significatio, qua *contra* etiam diversum et alienum modum, quo quid fiat, indicat. Id vero etiam ad id pertinet, quod exspectationi aut opinioni non respondet. Saepe in his pro simplici negatione dicitur.

Varro de Ling. lat. 8, 41. *quum origo nominatus ostenderet contra.* i. e. aliter. Plin. Epist. 1, 20, 7. *ego contra puto.* Vlpian. in Dig. 9, 2, 21. *licet Celsus contra scribit.* Sallust. Iug. 85, 21. *eorum fortia memorando clariores se putant: quod contra.* i. e. quod aliter se habet.

Cic. ad Fam. 12, 18. *utrumque contra accidit.* Horat. Sat. 1, 3, 27. *at tibi contra evenit.* Cic. p. Cluent. 31, 84. *in stultitia contra est.* Senec. Epist. 7, 3. *contra est.* i. e. aliter quam exspectaveram.

Terent. And. 5, 4, 23. *age nunc iam, experiamur porro contra, ecquid ego possiem blande dicere aut benigne facere.* i. e. aliter et contrario modo.

Cic. de Orat. 2, 81, 330. *ad summam totius caussae pertinet, caute an contra demonstrata res sit.* Acad. 1, 10, 36. *quae autem secundum naturam essent, ea sumenda, et quadam aestimatione dignanda docebat contraque contraria: neutra autem in mediis relinquebat.* Gaius Instit. 2, 78. *si in tabula mea aliquis pinxerit velut imaginem, contra probatur.* i. e. non probatur.

13. Ita coniunguntur in comparatione rerum discrepantium vocabula *contra atque*, *contra quam* pro *aliter ac*, ut *adversus quam*, de quo vide Tom. 1. p. 188. Discrimen inter vocabula *atque* et *quam* intercedens, quod Herzogius ad Sallust. Cat. 60. sempiternum vocat, non ubique observatur, ut ipsa exempla monstrant. Nam et aequiparationi et comparationi locus est in hac sententia.

Varro de Re r. 1, 7, 6. *item contra atque apud nos fieri.* Cic. p. Balb. 3, 7. *si denique aliquid non contra, ac liceret, factum diceretur, sed contra atque oporteret: tamen esset omnis eiusmodi reprehensio a vobis repudianda.* de Divin. 2, 24, 53. *vides tamen omnia fere contra, ac dicta sint, evenisse.* cf. in Verr. 4, 6, 11. Orat. 40, 137. Caes. B. civ. 3, 12. B. gall. 4, 13. Sallust. Cat. 60, 5. *Petreius ubi videt Catilinam, contra ac ratus erat, magna vi tendere* etc. ubi alteram scripturam *quam* non dixerim deteriorem. Cic. Phil. 11, 13, 34. in Catil. 3, 8, 20. *simulacrum Iovis facere maius et in excelso collocare, et contra atque ante fuerat, ad orientem convertere.* p. Sulla 24, 69. Plin. Hist. n. 12, 19, 43. *quem contra atque in cinnamo levari et exinaniri pretium est.* Vid. Hadrian. Cardin. de modis l. l. p. 8.

Cic. de Orat. 2, 20, 86. *clamare contra quam deceat et quam*

possit, hominis est stultitiae suae quam plurimos testes domestico praeconio colligentis. p. Cluent. 5, 12. in Pis. 8, 18. *ut senatus contra quam ipse censuisset, ad vestitum rediret.* de Leg. 2, 5, 11. *quum contra fecerint quam polliciti professique sint.* p. Dom. 47, 122. ad Quint. fr. 1, 1, 1. Liv. 30, 19, 9. *contra quam sanctum legibus est.* Critici restituerunt 30, 10, 4. *contra quam in navali certamine solet.* vid. Gronov. Plin. Hist. n. 10, 53, 74. *aves omnes impedes nascuntur, contra quam reliqua animalia.* 11, 20, 24. Gellius 6, 8. *contra quam nos supra diximus.* Silius 15, 107. *omnia contra experienda manent quam spondet blanda voluptas.* i. e. contraria iis, quae spondet voluptas. Vid. Io. Fort. Ringelberg. de usu vocum, quae non flectuntur. in Oper. Lugd. 1556. p. 125. Schorus in Phras. lat. ling. p. 92. quum barbaros contendisset dicere *contrarium facere quam*, latinos *contra quam*, defensores exstiterunt Cellarius et Bünemannus ad Lactant. Inst. 3, 29, 13. tamen praeter christianos scriptores nullum constituere potuerunt testem.

14. Sed etiam in componendis similibus rebus huic vocabulo conceditur locus. Nam in pendendis et pondere examinandis rebus *contra* proprium est verbum ponderis oppositi. Ita *aes contrarium* dicitur, ut ait Festus, aes grave, *ἀντίῤῥοπον.* vid. Scaliger. ad Plaut. Epid. 3, 3, 30. Vnde facta est proverbialis dictio *auro contra*, et apud recentiores *contra aurum*, i. e. auro contra appenso, pretio auri. vid. Scaliger et Vrsinus ad Varr. de Re rust. 1, 2. Praeterea quaecumque compensatio admittit hanc praepositionem.

Plin. Hist. n. 17, 10, 14. *contra immane pondus attollere se non valet.*

Plaut. Mil. 4, 2, 84. *contra auro alii hanc vendere potuit operam.* Petron. 7, 6. *oneravi vinum: et tunc erat contra aurum.* Schefferus scribendum esse suspicabatur *contra auro*, sine caussa iusta in hoc quidem scriptore. De ablativi ratione vid. p. 108.

Plaut. Epid. 3, 3, 29. *nae tu habes servom graphicum et quantivis pretii. non caru'st auro contra.* Nos er ist nicht mit *Golde zu bezahlen.* Curc. 1, 3, 45. PH. *auro contra cedo modestum amatorem: a me aurum accipe.* PA. *Cedo mihi contra aurichalco, cui ego sano serviam.* conf. Pseud. 2, 3, 23. Mil. 3, 1, 64. Truc. 5, 6, 58. *iam mihi auro contra constat filius: etiamnum me nihil pependit.* Graeci similiter. Alcman apud

Plutarch. Lycurg. 21. ἕρπει γὰρ ἄντα τῷ σιδάρῳ τὸ καλῶς κιθαρίσδειν. Welckerus τῶ σιδάρω scripsit.

Corruptus est locus Varron. de Re r. 1, 2, 10. *huiusce, inquam, pomaria summa sacra via, ubi poma veneunt contra aurum imago.* Ita cod. vet. Victorii et Vaticani. Emendationes a criticis factae omnes ineptae sunt. Voc. *imago* adscriptum videtur ab aliquo, qui antea pinacothecas cum oporothecis comparatas viderat. Trabeae versus, quem Scaliger affert, fraudi Mureti debetur. vid. Fabricii Bibl. lat. 4, 1, 4.

Plin. Hist. n. 7, 1. *cuius (hominis) caussa videtur cuncta alia genuisse natura magna saeva mercede, contra tanta sua munera.* Terent. Eun. 2, 3, 64. *si scias quod donum dono huic contra comparet, magis id dicas.*

Huc refero formulam in inscriptione apud Graterum p. 331. n. 4. *coronato contra omnes scaenicos:* qui n. 6. dicitur *coronatus adversus histriones et omnes scaenicos artifices.*

III. 1. His adiiciamus formulas, in quibus *contra* cum aliis particulis coniungitur. Ac primo notanda est formula *quod contra*, quam nonnulli pro anastrophe praepositionis acceperunt, alii per ellipsin explicuerunt *circa quod negotium.* Ea vero ratio, quam, Ochsnerum sequutus, Beierus ad Cic. Lael. 24, 90. proposuit, ex qua nominativo *quod* addantur verba in appositione aequalia, ob concinnitatis defectum probari non potest. *Quod* nectit sententiam etiam contrariam non alio modo, quam in verbis *si*, *quoniam*, *quia*, et aliis. Vid. not. ad Wopkens. Lect. p. 36. Est enim *in wie fern.* Atque vis eadem est, quae exprimitur *item contra.* Pleonasmus nullus apparet, sed arcta coniunctio. Usum primus observavit Pareus in Lex. Lucret. s. v. *quod.* Cf. Hottinger. ad Civ. de Divin. 2, 62. Goerenz. ad Cic. de Fin. 1, 20, 67. Quod idem Goerenzius ad Cic. de Fin. 1, 6, 19. explicat, *quod* pro *immo hoc* dici, non ad *quod* pertinet, sed ad *contra.*

Cic. Lael. 24, 90. *peccasse enim se non anguntur, obiurgari moleste ferunt: quod contra oportebat delicto dolere, correctione gaudere.* Comma erat delendum post *oportebat.* De Senect. 23, 84. *cuius a me corpus crematum est: quod contra decuit ab illo meum.* Non recte explicat Gernhardus *quum contra.* Lucret. 1, 81. *illud in his rebus vereor, ne forte rearis, impia te rationis inire elementa viamque indugredi sceleris: quod contra saepius illa religio peperit scelerosa atque impia facta.* Cic. p.

Quint. 28, 67. *reliquum est, ut cum nemo iudicio defenderit, Quod contra copiosissime defensum esse contendi.* de Off. 1, 15, 49. *sed in collocando beneficio et in referenda gratia, si cetera paria sunt, hoc maxime officii est, ut quisque maxime opis indigeat, ita ei potissimum opitulari: quod contra fit a plerisque.* Vbi Beierus magnopere errat, quum anastrophen praepositionis exemplis confirmat. Posset quidem *quod* pro *id* accipi: *id vero fit contra:* ut apud Sallust. Iug. 85, 21. *eorum fortia facta memorando clariores sese putant: quod contra.*

2. *Item contra* componit ex altera parte rem aut vicissitudine aut aequali ratione comparandam. Saepe est id quod ex sua altera parte.

Plaut. Aul. Prol. 20. *item a me contra factum est.* i. e. ut ille me neglexit. Pers. 5, 2, 32. Cic. de Fin. 2, 27, 86. *beate autem vivere alii in alio, vos in voluptate ponitis: item contra omnem infelicitatem in dolore.*

Plaut. Cas. Prol. 48. *at eam puellam hic senex amat efflictim et item contra filius.*

Plaut. Amph. 1, 1, 67. *item hostes contra legiones suas instruunt.*

Alio modo Terentius Ad. 1, 1, 25. vid. p. 111.

3. Adverbium et ipsum per se et cum aliis particulis coniunctum inservit oppositioni, qua contraria sententia adiungitur. Ita dicitur *contra vero* in rebus diversis componendis apud recentiores scriptores pro *at vero.* Et comprobatur aliqua enuntiatio apposito contrario: *nam contra, atqui contra.* Et coniunguntur verba *at contra, sed contra;* quibus saepe praemittitur negativa sententia in formulis *non modo non — sed contra, non quo — sed contra.*

Plin. Hist. n. 16, 39, 74. *mirum apud antiquos primo punico bello classem Duillii imperatoris ab arbore excisa LX die navigasse. Contra vero Hieronem regem CCXX naves effectas diebus XLV tradit L. Piso.* Apud Cic. de Off. 1, 27, 94. unus codex *iniusta vero contra*, et paullo post alter *quod vero contra* exhibet praeter Ciceronis morem. Celsus 3, 6. p. 182.

Sallust. Iug. 1, 1. *falso queritur de natura sua genus humanum, quod imbecilla atque aevi brevis forte potius quam virtute regatur. Nam contra reputando neque maius aliud neque praestabilius invenias.* Quinctil. Inst. 1, 1, 1.

Apulei. Apol. p. 287, 24. *tu mihi vitio dabis — quod paucio-*

res ego servos habeo, parcius pasco, levius vestio, minus obsono? Atqui ego contra: quantulacumque tibi haec videntur, multa etiam et nimia arbitror.

Cic. ad Fam. 4, 4. *nos, qui domi sumus, tibi beati videmur: at contra nobis non tu quidem vacuus molestiis, sed prae nobis beatus.* Sallust. Iug. 15, 3. *omnibus modis pro alieno scelere et flagitio sua quasi pro gloria nitebantur. At contra pauci, quibus bonum et aequum divitiis carius, subveniendum Adherbali — censebant.* 4, 7. Sueton. Galb. 15. Tacit. Ann. 5, 28. Alia vide Tom. 1. p. 418. et 444.

Cic. Acad. 1, 10, 35. *Zeno igitur nullo modo is erat, qui ut Theophrastus nervos incideret: sed contra qui omnia, quae ad beatam vitam pertinerent, in una virtute poneret.* Symmach. Epist. 6, 81. *nobis Tiburis aura blanditur, sed contra exasperat animum male gesta ratio villicorum.*

Cic. p. Flacc. 11, 26. *quod quidem ego non modo non postulo, sed contra, iudices, vos oro et obtestor, ut totam caussam quam maxime intentis oculis, ut aiunt, acerrime contemplemini.* ad Att. 9, 15. *non modo autem nulla querela est municipalium hominum ac rusticorum, sed contra metuunt ut crudelem, iratum.*

Cic. de Orat. 3, 24, 93. *quos* (magistros dicendi) *ego censor edicto meo sustuleram: non quo — acui ingenia adolescentium nollem, sed contra ingenia obtundi nolui.*

4. *Et contra, contraque.* His coniunguntur res sibi oppositae. Interdum ita redditur sensus verbi *immo.* Etiam in disiunctione locum habet *vel contra.*

Cic. p. Balb. 22, 51. *atque utinam, qui ubique sunt propugnatores huius imperii, possent in hanc civitatem venire, et contra oppugnatores reip. de civitate exterminari.* Sueton. Cal. 51. *non immerito mentis valetudini attribuerim diversissima in eodem vitia, summam confidentiam et contra nimium metum.* Tit. 7.

Cic. p. Marc. 6, 20. *non enim tua ulla culpa est, si te aliqui timuerunt, contraque summa laus, quod plerique minime timendum fuisse senserunt.* de Fin. 2, 17, 55. *num igitur eum postea censes anxio animo aut sollicito fuisse? nihil minus: contraque illa hereditate dives ob eamque rem laetus.*

Quinctil. 4, 1, 72. de prooemio: *nam et supervacuum aliquando est, si sit praeparatus satis etiam sine hoc iudex. — Contraque est interim prooemii vis etiam non exordio.*

Sueton. Galb. 3. *quod praepinguis fuerit —, vel contra quod tam exilis etc.*

5. *Quin contra.* De hac formula vide in QVIN.

6. *Contra ea* grammatici docent poni pro *contra.* Sed primum distinguenda sunt ea exempla, in quibus *ea* non abundat, sed ad ante dicta respicit, veluti Liv. 3, 57, 1. *contra ea Virginius — aiebat.* cf. 33, 31, 10. Caes. B. gall. 5, 29. Tum vero, praesertim a Livii tempore, quo praepositionis usus invaluerat, nonnulli scriptores dixerunt *contra ea* eodem modo, quo *praeterea, postea, supra ea,* pro *contra* adverbio in opponendis duabus sententiis contrariis: nos *im Gegensatz von diesem, dagegen.* Vicem praestat coniunctionis. Quid sibi Gerlachius voluerit, qui ad Sallust. Iug. 85. *contra ea* gravius dici existimat, equidem non perspicio. Celsus dicere solet *contra id* pro *contra, in contraria parte.*

Liv. 4, 52, 6. *superbe ab Samnitibus, qui Capuam habebant Cumasque, legati prohibiti commercio sunt: contra ea benigne ab Siculorum tyrannis adiuti.* 41, 24, 8. *opportuni propinquitate ipsa Macedoniae sumus: an infirmissimi omnium, tamquam quos nuper subiecit, Dolopes? immo contra ea vel viribus vestris, deum benignitate vel religionis intervallo tuti.* ubi vid. Crevier. et Drakenb. 2, 60, 1. *contra ea in Aequis inter consulem ac militem comitate ac beneficiis certatum est.* 44, 43, 1. 21, 20, 6. *contra ea audire sese* etc. Caes. B. civ. 3, 74. Cornel. Praef. 6. Alcib. 8, 2. Con. 5, 4. Epam. 10, 4. Iph. 3, 4. *pater — Thracem me genuit, contra ea mater Atheniensem.* Epam. 5, 6. *namque ille cum universa Graecia vix decem annis unam cepit urbem: ego contra ea una urbe nostra dieque uno totam Graeciam — liberavi.* Olim legebatur *contra ex una.* Bremius observavit Cornelium *contra* non nisi Alc. 8, 1. Ages. 7, 4. et Epam. 6, 1. *contraque* dixisse. Id fortasse argumentum erit quaestionis de auctore huius libri instituendae.

Sallust. Iug. 85, 1. *sed mihi contra ea videtur.* Hoc omnes critici vel auctoritate codicum vel falso gravitatis nomine defendunt: Cortius explicat: sed mihi id, quod est contra ea, videtur: quod probari non potest. Equidem vero vehementer dubito, an *contra ea* cum verbo passivo coniungi possit: nec ratio suppetit, neque aliud exemplum.

Celsus 8, 4. *sed fere contra id dolor est.* 4, 18. *solet enim contra id tumere.*

7. Recentissimae originis sunt formae *econtra*, vel, ut alii scribunt, *e contra*, et *decontra.* Illud Ger.

Vossius de Vit. serm. 1, 25. p. 108. existimat ortum esse ex verbis *e contrario*, compendio male accepto, vel ex vitiosa corruptione verborum *et contra*, *ecconstra:* at duplicata praepositione constat, cuius generis multa inveniuntur apud scriptores infimae latinitatis. Nemo antiquorum ita loquutus est.

Aurel. Victor de Caes. 39, 45. *honestiorumque provectu et econtra suppliciis flagitiosi cuiusque virtutum studia augebantur.* Fortasse ex librariorum consuetudine. Hieronym. Epist. 12. *aliis vero econtra videtur.* Ep. 138. alia affert Vossius l. c. Gul. Insulani Sylva Observat. 1533. edit. p. 43. „*e contra* non est latinum, sed haec illius vice potius *e diverso* aut *contra*, dum hoc in vim adverbii transit." Goclenii Silv. p. 23. Borrich. Analect. p. 61. Cellar. Antibarb. p. 42. (30.) Curae post. p. 269.

In Taciti Ann. 12, 47. ex cod. florent. restitui voluit Pichena *et erant e contra.* Sed iam I. Fr. Gronovius tribuit id tempori, quo factum est illud exemplar. Etiam 13, 37. in edit. pr. legitur *si copia econtra duceretur.* vid. Iac. Gronov. ad 12, 47. In Apuleii Met. 2. p. 116. nunc correctum legitur *ecce lapis.* Iam Becichemus in Epist. c. 74. „ecce, non *e contra:* qui sermo in ore illiteratorum est: non enim dicimus *e contra* neque *e converso*, sed *contra.* Scio quosdam grammaticos inniti similitudine quadam, quod ita liceat dicere *e contra*, sicut *exadversum:* qui videntur ignorare proprietatem latinae linguae, quae non huiusmodi nugatione, sed observatione et usu excellentissimorum scriptorum nitescit." Non modo in Servii Commentariis, sed etiam in Virgilii carminibus saepe a librariis suppositum esse notavit Burman. ad Aen. 1, 76. Ita etiam in Quinctil. 4, 1, 8. ubi vid. Regius et in Priscian. 1, 9. p. 49. Kr.

Salmasius ad Capitolin. Opil. Macr. 11. affert ex Innocentii libro de casis litter. *de contra sextanea parte aquam vivam invenies.*

8. In praepositione notanda est anastrophe, qua nomen praemittitur, maxime relativum.

Tacit. Ann. 3, 1. *Agrippina Corcyram insulam advehitur, litora Calabriae contra sitam.* cf. ᴀᴘᴠᴅ. p. 416. Cic. p. Mur. 4, 9. *quem contra veneris.* Phil. 2, 8, 18. Orat. 10, 34. *non intelligit eum, quem contra dicit, laudari.* Plin. Epist. 1, 23, 3. *si forte me appellasset, vel ille, cui adessem, vel ille, quem*

contra. Virgil. Aen. 5, 370. *Solus qui Paridem solitus contendere contra.* 10, 567. vid. Ruhnken. ad Vellei. P. 2, 91. Matthiae ad Cic. p. Mur. 4. qui quae affert ex orat. pr. Cluent. 47, 130. nunc aliter leguntur. Ambigue scripsit Cic. ad Att. 10, 8. *non est committendum, ut iis pareamus, quos contra me senatus — armavit.*

Quinctil. 10, 7, 3. *nam saepe ea, quae opinati sumus et contra quae scripsimus, fallunt.* Frotscher cum Wolffio explicat *adversus quae:* at intelligendum est adverbium *quae scripsimus contra.*

*) Confunduntur a librariis *contra* et *circa.* vid. p. 60. et *coram* Lucret. 4, 1084. et *intra.* vid. Drakenb. ad Liv. 10, 5, 11. et mutantur *contra* et *adversus.* vid. Drakenb. ad Liv. Epit. 57. et omittitur ob compendii brevitatem. vid. interpret. ad Cic. Acad. 2, 43, 134.

CORAM.

Mirabilia opinionum commenta grammaticis placuerunt in origine verbi CORAM exploranda. Petrus Nunnesius deducebat a κάρα, C. Scaliger a κόρη, pupilla oculi, nulla ratione habita longae syllabae, quam Baumgarten-Crusius in Clavi Sueton. p. 252. frustra defendit inconstantiae nomine et exemplis alienis: Vossius ex *cor* et *am* compositum putabat, ut esset: circum cor, Martinius in Lex. p. 261. T. 1. esse quasi *coiram* a *coco*, Val. Slothuberus in Diatr. de Caussis casuum lat. p. 164. et Scheidius ad Sanct. p. 234. ex χώρα factum, dici pro κατὰ χώραν, e regione. Cognationem verbi *os* unus Schellerus suspicatus est, tamen non exposuit. Vocabula enim *ora* et *ors*, quod mutatum est in *os*, unam habebant significationem extremae partis vel faciei, quae ad aliquid spectat. *C* littera praefixa illud est augmentum demonstrativum, de quo in CE, CEDO et CEV loquuti sumus. Quare si plenum sensum tenere velis, habebis *in oram*, quod est *in os: ins Angesicht hin, angesichts.* Sicuti Terent. Ad. 2, 4, 5. *vereor coram in os te laudare.* Neque vero ea, quae apud Apuleium legitur, *incoram* antiquior est forma, sed nova ex sensu innato profecta. Vulgus enim *coram* ita acceperat quasi esset nomen *cora*, ideoque fecit *in coram*, sicuti dixerunt *vicem* et *invicem.*

Adverbio ubi nomen adiiciendum est, ablativus aut praemittitur aut postponitur. Praepositio vix potest appellari. Saepissime praecedit ablativo, quocum non cohaeret.

Priscianus 14, 6. p. 998. *coram quoque et palam apud Graecos adverbia sunt, quae propter supra dictas caussas nostri etiam inter praepositiones assumserunt. Sed mihi videtur, quum inter adverbia quoque haec eadem plerique ponant, quippe quod sine casualibus verbis possint adiungi, adverbia ea dicere, quae praepositiva possunt esse etiam casualium.*

Et quum in eo, quod coram agitur, duplex sit ratio, et eius, ante quem aliquis adest, et eius, qui praesens ipse adest, utraque exprimitur uno hoc vocabulo. Quare modo redditur *angesichts*, *vor*, i. e. ante oculos, in conspectu (Servius ad Virg. Aen. 2, 538. comparat *ἐνώπιον*), modo *persönlich*, *in eigner Person*, i. e. praesens.

Terent. Eun. 4, 7, 24. *quae mi ante oculos coram amatorem adduxti tuum.* And. 5, 3, 29. *illum huc coram adducam.* Plaut. Pseud. 4, 7, 43. *quia te ipsus coram praesens praesentem videt.* Cic. de Lege agr. 3, 1, 1. *commodius fecissent tribuni plebis, si, quae apud vos de me deferunt, ea coram potius me praesente dixissent.* Horat. Sat. 1, 6, 56. *ut veni coram, singultim pauca loquutus.* Liv. 2, 47, 4. *Manlius quoque ad restituendam aciem se ipse coram offert.* i. e. in conspectum militum, qui consulem putabant interfectum esse. 43, 5, 6. *si coram eum arguere vellent.* Sueton. Aug. 18. *hunc foedissimo convicio coram prosciderunt.* Tiber. 24.

Tacit. Ann. 4, 54. *nec tamen Tiberii vox coram sequuta, sed obversus ad matrem — ait.* i. e. vox Tiberii non conversa est ad Agrippinam ipsam recto ore. Terent. Ad. 3, 4, 36. *immo hercle extorque —: postremo non negabit: coram ipsum cedo.* i. e. statue ante oculos.

Symmach. Epist. 10, 30. *ut coram vestrum numen advenerer.* quod 10, 27. *augusta ora venerarer.* Idem de praesentia usurpat formulam *coram locatus* 6, 9. 10, 27.

Cic. in Pis. 6, 12. *mihi vero ipsi coram genero meo, propinquo tuo, quae dicere ausus es?* Iuvenal. 10, 22. *cantabit vacuus coram latrone viator.*

Cornel. Epam. 4, 2. *at ille Diomedonte coram — inquit.* Tacit. An. 3, 14. 4, 8. *diis et patria coram obtestor.* et ita semper Tacitus. vid. Heusingeri Emendat. p. 81. et Oudendorp. ad Sueton. Aug. 69. ubi bene emendant *viro coram:*

nam quidquid dicant vulgatae scripturae defensores, ineptus manet sensus.

Opponitur absens. Lentul. ad Cic. 12, 14, 15. *praeterea mihi promiserunt Pansa et Hirtius coram, et absenti mihi scripserunt.* Caes. B. gall. 1, 32. *ne — absentis Ariovisti crudelitatem, velut si coram adesset, horrerent.* Cic. in Verr. 2, 41, 101. *tollit ex tabulis id, quod erat, et facit, coram delatum esse.*

Iurisconsulti vocabulo tribuerunt eam potestatem, ut, si quid coram aliquo factum esse diceretur, id ab illo intellectum esse deberet. vid. Dig. 50, 16, 209. 4, 8, 25, 5.

Opponitur id, quod per epistolas aut per scriptum agatur. Cic. ad Att. 12, 1. *quid ergo opus erat epistola? quid, quum coram sumus?* 1, 20. 7, 3. extr. 6, 1. ad Fam. 11, 16. *quemadmodum coram, qui ad nos intempestive adeunt, molesti saepe sunt, sic epistolae offendunt non loco redditae.* ad Quint. 3, 1, 5. *cum eo enim coram Caesar egerat, ad Oppium scripserat.* ita bene emendavit Ernestius vulg. *coram Caesare.* ad Fam. 5, 12. *coram me tecum eadem haec agere saepe conantem deterruit pudor quidam pene subrusticus: quae nunc expromam absens audacius: epistola enim non erubescit.* Sueton. Tiber. 66. *nullo non damnatorum omne probri genus coram, vel per libellos in orchestra positos ingerente.*

Dura verborum constructio est apud Sueton. Aug. 39. *lenissimum genus admonitionis fuit traditio coram pugillarium,* tradebantur enim in ipsas manus eorum, qui admonerentur.

2. Nec tantum de uno homine, sed etiam de multitudine usurpatur, veluti de populi conventu.

Cornel. Epam. 6, 4. *coram frequentissimo legationum conventu sic Lacedaemoniorum tyrannidem coarguit.* Horat. Art. p. 183. *ne pueros coram populo Medea trucidet.* Sueton. Tit. 10. *in quorum* (spectaculorum) *fine populo coram ubertim fleverat.* Horat. Sat. 1, 4, 73. *non recito cuiquam, nisi amicis, idque coactus, non ubi vis coramve quibuslibet.* Phaedr. 2, 3, 4. *noli coram pluribus hoc facere.* Tacit. An. 13, 32. *propinquis coram.*

3. Verba videndi, audiendi, cognoscendi componuntur cum voc. *coram*, ut sensum exhibeant, rem ipsis oculis, ipsisve auribus perceptam esse.

Cic. de Provinc. 9, 22. *quod intueor coram haec lumina atque ornamenta reipublicae P. Servilium et M. Lucullum.* i. e.

vivos ipse intueor. Virgil. Aen. 2, 538. *qui nati coram me cernere letum fecisti.* Gell. 15, 18. *gemitus, vulnera, proinde ut si ipse in proelio versaretur, coram videre sese vociferatus est.* Cic. Acad. 1, 4, 13. *quod coram etiam ex ipso audiebamus.* Virgil. Aen. 3, 173. *coram agnoscere vultus.*

4. *Coram adesse, coram teneri* formulae sunt, quibus praesentiae tribuitur maior vis.

Caes. B. gall. 1, 32. vide p.128. Virgil. Aen. 1, 595. *coram, quem quaeritis, adsum troius Aeneas.* Curt. 8, 10, 1. *Patrem Liberum atque Herculem fama cognitos esse: ipsum coram adesse cernique.* Cic. pro Cluent. 13, 39. *extrahitur domo latitans Oppianicus a Manilio: index Atilius ex altera parte coram tenetur.* ut praesens adsit.

5. *Coram* non addito nomine ita saepe ponitur, ut ex verbo intelligatur persona, tamquam dictum sit *coram se.* Pronomen librarii addere solebant. vid. Oudend. ad Sueton. Ner. 49.

6. Interdum hoc nomine etiam simpliciter exprimitur vis pronominis *ipse.*

Terent. Phor. 5, 7, 20. *ferme eadem omnia, quae tute dudum coram me incusaveras.* ubi Donatus haec: *nova loquutio coram etc. non, q u a e h i c i n c u s a v e r a s. Belle: ut, si quid neget, contra se ipsum sentire videatur.* Sueton. Claud. 34. *tormenta quaestionum poenasque parricidarum repraesentabat exigebatque coram.*

7. Quod grammatici perhibent, significari publice et palam factam rem, id ad ea quodammodo pertinet, quae ante oculos hominum agi dicuntur. cf. n. 9. Contra etiam ea, quae cum uno homine aliquis separatim aut propius accedens agit, hoc modo designantur.

Sueton. Ner. 41. *ac ne tunc quidem aut senatu aut populo coram appellato, quosdam e primoribus domum evocavit.* i. e. in omnium conspectum, in publicam curiam. Tacit. An. 6, 8. *spectamus porro, quae coram habentur, cui ex te opes, honores, quis plurima iuvandi nocendive potentia.* i. e. quae ante oculos posita sunt. Stat. Achill. 1, 152. *ipsi mihi saepe queruntur Centauri, raptasque domos abstractaque coram armenta.* i. e. ipsis conspicientibus.

Cic. pr. Lege manil. 22, 66. *libenter haec coram cum Q. Catulo et Q. Hortensio disputarem, summis et clarissimis viris.*

Qui non intellexerunt, *eum* eiecerunt. Est vero, praesertim cum Catulo, in privata quasi disputatione.

Afferunt Lucret. 4, 1084. *quod fieri coram totum natura repugnat.* Sed ibi codices praebent *contra.* Ovid. Met. 9, 559. *et damus amplexus et iungimus oscula coram.* i. e. coram aliis. uti Heroid. 16, 225. *oscula quum vero coram non dura daretis* etc. quod paullo ante *me spectante.*

8. Singularis est dictio apud Ciceronem Orat. 27, 95. *e philosophorum scholis tales fere evadunt, et nisi coram erit comparatus ille fortior, per se hic, quem dico, probabitur.* Alii reddunt *illico*, *auf der Stelle:* alii *contra*, *gegenüber:* alii *iuxta*, *propius.* Cicero autem intellexit comparationem in ipsa oratorum duorum contentione institutam, ubi praesentia haud parum valet.

Servius ad Virgil. Aen. 2, 538. *coram, modo: adverbium temporis est, ut* 1, 595. *coram, quem quaeritis, adsum.* Vtroque in loco aliter accipi debere, iam antea diximus.

9. Suetonius etiam propria habet ex recentiori usu. Et saepe ambigua est explicatio. Ponitur enim *coram* de rebus, quae agere non veremur, nec celamus: quare esse potest *coram se*, et hoc pro *illico*, quemadmodum nos dicimus *vor seinen Augen* pro *auf der Stelle:* potest vero etiam intelligi *coram omnibus*, *vor aller Augen.* Servius quidem non errat, quum *coram* et *palam* eo distinguit, quod illud ad personam unam, hoc ad omnes referatur. Nam vulgaris sermo discessit a significatione primitiva, quae certam rationem complectitur. Hinc Vlpianus in Dig. 50, 16, 33. *palam est coram pluribus.*

Sueton. Dom. 23. *senatus adeo laetatus est, ut — non temperaret, quin — scalas inferri, clypeosque et imagines eius coram detrahi et ibidem solo affligi iuberet.* ubi non potest esse *praesente senatu*, sed aut *coram omnibus*, aut *illico.* Aug. 27. *nam et Pinarium, equitem romanum, quum concionante se, admissa turba paganorum, apud milites, subscribere quaedam animadvertisset, curiosum speculatorem ratus, coram confodi imperavit.* Claud. 16. *essedum argenteum, sumptuose fabricatum ac venale ad sigillaria, redimi concidique coram imperavit.*

Hinc formula *coram deprehensus* pro *in flagranti crimine*, ἐπ' αὐτοφώρῳ. vid. Elmenhorst. ad Apulei. Met. 8. p. 131, 2.

habetis itaque reum tot caedibus impiatum, reum coram deprehensum. 9. p. 226, 34. *non quidem coram noxae deprehensus, conscientia tamen pessima permistus lacrimis.*

10. Constructio verborum saepe ita est comparata, ut verbum praepositionem *cum* attrahat, simulque adverbium *coram* secum habeat.

Cic. ad Fam. 5, 12. *coram me tecum eadem haec saepe conantem deterruit pudor.* Liv. 28, 17, 8. *firmandae eius fidem nec dare, nec accipere, nisi cum ipso coram duce romano.* Perizonius interpretatur: cum ipso Laelio coram Scipione; sed recte Drakenborch. unum intelligit Scipionem.

11. Recentiori tempore factum esse videtur *incoram*, quemadmodum *insuper*, *inante* et alia. Vid. Raevardi Var. 3, 3. Burmann. ad Anthol. lat. Tom. 1. p. 157. Sed Apuleius, qui solus hoc nomine utitur, semper coniunxit cum genitivo ita, ut substantivum esse putaret. Quare scribendum est *in coram*.

Apulei. Met. 7. p. 197, 21. *mulierem ibidem in coram omnium gestiebat inscendere.* ubi conf. Oudendorp. p. 488. 9. p. 221, 17. p. 223, 32. *insistens iubebat in coram sui plagas mihi quam plurimas irrogari.* 10. p. 241, 5.

Met. 10. p. 249, 33. *quae mecum in coram publicam populi caveam frequentaret.* Quae corrupta esse nemo negabit. Sed si cum Roaldo transposueris verba *in coram populi publ. c. f.*, desiderabis aptum verbum, sin cum Oudendorpio addideris *coitura*, non conveniet voc. *coram.* Quare videntur mihi plura verba excidisse post *in coram*.

CRAS.

Cras dicitur de die proxime futuro, *αὔριον*, *morgen.* Vnde descendat vocabulum, non apparet in opinione Martinii, qui a *κρᾶσις* derivat: neque ex *coram* factum est, ut Vossius putat. Equidem diversam temporis rationem expressam video in vocibus *her* (*heri*, *hesternus*) et *cer*, unde *ceras*, *cras*: illa diem antecedentem, haec futurum designat.

Significatio una est. Opponuntur *hodie, perendie, heri.* Interdum non diem proximum, sed futurum tempus universum intelligimus.

Cic. ad Att. 13, 30. *quem quidem negat Eros hodie: cras mane putat.* i. e. venturum esse. 12, 44. *scies igitur fortasse cras, summum perendie.*

Horat. Carm. 1, 9, 13. *quid sit futurum cras, fuge quaerere.* ubi vid. Mitscherlich.

Pro futuro verba praesentis temporis coniunguntur, quando certus rei eventus, non temporis ratio spectatur.

Servius in Art. sec. Donati. p. 1791. *item qui dicunt c r a s l e g o l e c t i o n e m, vitiose loquuntur: nam cum l e g o temporis praesentis sit, c r a s vero adverbium futurum, utique haec loquutio non cohaeret. Tractandum est illud, an sana sit loquutio haec c r a s l e g a m, an c r a s l e g o. C r a s l e g o, ut diximus, vitiosum est. C r a s autem l e g a m ideo nonnulli vitiosum iudicant, quoniam duo futura quasi in aliud futurum nos deferunt.* Servius in Arte gramm. p. 516. *similiter soloecismus, si dixero, cras ad te venio et lego tibi: cras enim futuri temporis est, lego praesentis. Dicendum est, cras ad te veniam et legam tibi.* Hanc quaestionem, quam subtilem appellat, Pompeius in Commento artis Donati multis verbis p. 315. persequutus est, id demonstrans, in verbis *cras dicam* utrumque ad unum tempus futurum deferri, non ad duo.

Terent. Eun. 2, 3, 47. *cras est mihi iudicium.* Phorm. 3, 2, 46. *cras mane argentum mihi miles dare se dixit.* Plaut. Most. 3, 1, 125. *abeo: sat habeo, si cras fero.* Horat. Epist. 1, 5, 9. ubi vid. Schmid. Varro apud Non. 2, 336. *cras credo, hodie nihil.*

Quum aptior forma deesset, *cras* dicebatur etiam pro *in crastinum diem, auf morgen.*

Martial. 2, 37, 11. *cras te, Caeciliane, non vocavi.*

Instar substantivi construitur cum adiectivis. vid. Vossius de Construct. p. 562.

Martial. 5, 58, 2. *dic mihi, cras istud, Postume, quando venit?* Pers. 5, 67. *sed quum lux altera venit, iam cras hesternum consumsimus.*

Scriptores recentissimi temporis dixerunt *crastino.* vid. Pricaeus ad Apuleii Met. 1. p. 60.

Gellius 2, 29. *si enim dominus, inquit, messem ad amicos reiicit, crastino seges non metetur.* Apulei. Met. 2. p. 119, 38. *quam largus, inquit, imber aderit crastino.*

CREBRO.

Crebro adverbium, ex *creber* desumptum, a verbo *cresco* derivandum esse, omnes etymologi consentiunt, diversi tamen in distinguenda significatione. Doederlinus nuper Synonym. lat. T. 1. p. 17. demonstrare voluit, *crebro* esse minoris potestatis quam *saepe*, reddique debere per *häufig*: nam crebram dici rem stipatam, quae denso ordine exsistat, *gedrängt*, frequentem autem, cuius larga copia adsit: ideoque verbo *crebro* saepius notari rem vituperandam. T. 3. p. 305. addit *crebro* opponi vocabulo *raro*. Hoc verum puto, non item reliqua. Nam *crebro*, ex *cresco* natum, a verbis *saepe* et *frequenter* ita differt, ut in his ad iterationem et multiplicationem respiciamus, in *crebro* id amplectamur, quod ex iteratione et frequentia prodit et redundat. Itaque id, quod saepe et a multis factum est, crebrum fit. Quare *saepe* et *frequenter* in se habent temporis rationem, *crebro* copiae apparentis. Thucydides apud Cic. de Orat. 2, 13, 56. *creber* fit *rerum frequentia*: *frequentior fama* apud Livium 2, 32. est quae a pluribus circumfertur, *crebrior* apud Plinium Hist. n. 36, 26, 66. quae ampliori ambitu constat: *lucus frequenti silva septus* Liv. 24, 3, 4. multas habet arbores, *creber arundinibus* Ovid. Met. 11, 190. densam silvam. Sic nostrum *oft* indicat temporis successum, *häufig* autem copiam rerum, quae adsunt. Ideoque *crebro* maius quid significat, vertique potest *gar oft*, *recht oft*. Est enim *non raro*, sicuti *saepe* est *non semel*.

Plaut. Pers. 4, 4, 104. *libera eris actutum, si crebro cades.* Tacit. Ann. 15, 73. *crebro vulgi rumore lacerabatur.*

Quamquam vulgari sermoni accurata interdum deest distinctio, sed tamen in iis, quae non raro fiunt, et in quibus, ut multa sint, requiritur, recte adhibetur *crebro*, sicuti coniungitur cum verbis plenitudinis et copiae.

Plaut. Aul. 4, 6, 9. *crebro salicto oppletus.* Cic. ad Att. 6, 5. *obvias mihi litteras quam argutissimas de omnibus rebus crebro mittas.* ad Frat. 3, 1, 2. *urbanam expolitionem urget ille quidem et Philotimus et Cincius: sed etiam ipse crebro interviso.* de Leg. 1, 5, 15. *crebro insistens, interdum acquiescens.* i. e. non raro, ita ut multum esset factum. In his accuratissimus auctor non facile commutasset verba.

Sed p. Coel. 24, 59. *et quum parietem saepe feriens eum, qui cum Q. Catulo fuerat ei communis, crebro Catulum, saepe me, saepissime rempublicam nominabat.* in his variatur oratio, ne idem verbum recurrat.

Crebro adverbium quum semper ad tempus et numerum constipatum referatur, dixerunt quidam *crebre* de loco et de rebus spissis.

Vitruv. 2, 9, 10. *alnus — quod minus habet in corpore humoris, in palustribus locis infra fundamenta aedificiorum palationibus crebre fixa — permanet immortalis.* cf. 10, 14 (20), 3. *crates ex tenuibus virgis creberrime textae.*

Idem Vitruvius pro *crebro* dixit *crebriter* 10, 13 (19), 7.

CVM.

Vix operae pretium est argumentis refellere opiniones, quae maximam partem ineptae de origine et formatione particulae CVM conceptae sunt. Ne dicam de Perizonio, qui ad Sanct. Min. Tom. 2. p. 608. ex hebraeo fonte derivat, aut de Scheidii somniis, quibus *cum*, pro *cume* dictum, ablativum esse censuit nominis *cumis*, a κίκυμαι et κύω, tumeo, mole augeor, deducti, quasi *cum illo* esset illo tamquam cumulo adiecto: Scaliger de Caussis lat. ling. c. 155. graeca esse putabat καὶ σὺν, et quod facilius ad coniunctionem referri posset, praepositioni tribuit. Buttmannus nuper in Lexilogo, Tom. 2. p. 263. docuit, *cum* et graecum σύν coniuncta esse in ξύν ita, ut a primitivo κύν, praefixa σ factum esset σκύν, unde altera littera omissa σύν, quemadmodum cognata essent ξυνός et κοινός. Haec fieri potuisse facilius demonstrabitur, quam facta esse, neo magis audacter Ang. Caninius σ et κ litteras commutatas esse posuit. Quid illud κύν sit, an graecum, an peregrinum, nemo dixit: Graecis scilicet id non opus erat, ut σύν in ξύν mutarent.

Alii in eo laborabant, ut praepositionis et coniunctionis unam esse originem et indolem comprobarent: sed frustra. Eos ante omnia meminisse oportebat, in quacumque lingua haud semel factum esse, ut duae pluresve voces a diversa stirpe profectae similem haberent speciem, nec facile reperiri exemplum praepositionis ad coniunctivum usum simpliciter applicatae. Nam quae

Doelekius in Gramm. p. 214. comparat, *antequam*, *postquam*, alieni sunt generis. Atque in praepositione et in coniunctione diversa apparet caussa: nam coniunctio *quum*, *quom*, *cum* est relativa forma eius stirpis, e qua *tum* demonstrativa, *num* interrogativa forma exit. Inde factum est *cumque*. Praepositio per se constat, non aliunde deducenda, nisi quod similitudinem ad graecum verbum conferamus. Haec vocabula iam ab antiquis temporibus distingui solebant scriptura, quae, in coniunctione ambigua, praepositionem semper per litteram *c* designabat. Id docent grammatici, Quinctilianus 1, 7, 5. Mar. Victorinus p. 2460. Velius Longus p. 2231. Scaurus p. 2261. in eo consentientes, ut pronuntiationis fere nullam diversitatem, unam tamen scripturam praepositionis agnoscerent. Quod enim apud Gruterum p. 509. 6. QVOM SOVEIS VIATORIBVS legitur et alia in aliis inscriptionibus unum hoc monstrant, a sculptoribus alteram formam *com*, antiquis temporibus usitatam, expressam esse litteris in coniunctione adhibendis. In verbis Scauri p. 2262. *alii sic, quoties V sequitur, Q ponendum, ut per quo litteram mequom, tequom, quotus* etc. non inesse video eum, quem alii volunt, sensum, quasi narret, fuisse qui scriberent *mequom*, sed addit exempla, quae, si illud praeceptum probaretur, ita scribenda essent.

Antiqua forma erat *com*, ex osca lingua desumpta: nam in tabula bantina legitur *com preivatud*. i. e. cum privato. Haec servata est in verbis compositis, quae a vocali incipiunt, *comedo*, *comitia*, unde apud Plutarchum Rom. 19. (p. 30. a.) legitur κομῖρε pro *coire*, et ante *b*, *p*, *m* consonantes. Nam ante reliquas consonantes mutari *com* in *con*, falsumque esse omnium fere grammaticorum decretum, quo formam *con* primitivam fuisse statuebant, egregie demonstravit Schneiderus in Gramm. T. 1. p. 306. et 537. Priscian. 14, 3, 29. p. 988. *excepta cum, pro qua con in compositione semper invenitur praeposita, eamdem significationem habens, quam cum praepositio, ut concurro, conficio. Nec scriptura tamen multum discrepat. Antiqui enim pro cum con scribebant. Et saepe tamen m in n sicut n in m converti solet.* Citra compositionem *con* non occurrit, nisi in quibusdam inscriptionibus: *con quem* apud Gruter. p. 325. n. 7. *quicon vixit* p. 751. n. 8. Sed his exemplis, sicuti formula

cum nobis, obscoenitatis nomine suspecta, ea tantum, ut idem Schneiderus vidit, declaratur consuetudo, qua M ante litteras Q, V, N, pronuntiabatur N. *Cun* exstat in inscriptione apud Grut. p. 21. n. 3. CVN FRATRIBVS. Quod legitur p. 315. n. 2. CVNC PETRONIA compendium est verbi *coniunx*, non praepositio.

Terentianus Scaurus de Orthogr. p. 2261. narrat antiquis adverbium *cume* usurpatum fuisse pro *cum*. Id etiam ad praepositionem retulit Meursius Exercit. crit. 1. p. 53. emendans Plauti Capt. prol. 24. *postquam belligerant Aetoli cume aliis.* Dixisse enim veteres *cume, tame, quame*, et interserta D littera, *cumde, tamde*. Vide in QVAM. Sed a praepositione prorsus aliena erat haec formatio. In Plauti verbis *cum* non eliditur.

CVM coniunctionem adsignificat, sive eam rationem, qua alicui rei alia consociatur, coniungitur, construitur, aut aliquo modo cohaeret. Ea non exprimitur simplici casu ablativo, sed addita praepositione propterea, quod localis notio non sufficit ad designandam consociationem. Quare ea, quae in grammaticis dicuntur componi cum dativo pro praepositione *cum* posito, *iunctus alicui* et *aliqua re*, *miscere aliquid alicui rei*, *certare alicui*, *loqui alicui* cognatam quidem, sed nihilominus diversam rationem habent, neque etiam ex graecis desumpta sunt. Id bene intellexit Zumptius. n. 473. non item Ramshornius n. 124. 4. In verbis enim *iunctus* et *coniunctus* ipsis inest notio coniunctiva. Praepositio autem non poterat cum alio casu nisi cum ablativo construi, et quae in inscriptionibus leguntur *cum coniugem* Gruter. p. 1139. n. 13. *cum partem fundi* p. 215. n. 2. *cum quem* p. 523. n. 5. 777. n. 2. *con quem* p. 325. n. 7. p. 757. n. 1. *editori muneris sui cum ferarum libycarum* p. 343. n. 2. (conf. Laurenberg. Antiquar. p. 98. et 115.) ea ineruditorum sculptorum negligentiae debentur. Rationes vero, quas Graeci distinguunt verbis σύν et μετά, quorum illud coniunctionem et consociationem, hoc autem compositionem, qua res se attingunt aut se excipiunt, significat, Latini uno verbo comprehendunt.

1. Igitur primum comitatum et societatem significat; quod notum est. Additur interdum *una*. Atque uno hoc coniunctionis nomine possunt omnia ea comprehendi, quae non ab uno homine, sed coniuncta opera agantur, et quae ad plures homines vel res aliquo modo coniunctas pertineant. Attamen distinguenda

nobis quaedam sunt deinceps ob singularem rationem coniunctionis.

Sueton. Caes. 10. *venationes autem ludosque et cum collega et separatim edidit.* Sallust. Cat. 46, 5. *reliquos cum custodibus in aedem Concordiae venire iubet.* Terent. Eun. 3, 2, 41. *haud convenit una ire cum amica imperatorem in via.* Cic. ad Att. 14, 21. *cum Pansa vixi in Pompeiano.* Catull. 67, 36. *cum quibus illa malum fecit adulterium.* Virgil. Georg. 1, 41. *ignarosque viae mecum miseratus agrestes ingredere.*

Senec. Epist. 58. *quidquid vides, currit cum tempore.* Symmach. Epist. 3, 13. *quia crescunt vitia cum tempore.*

2. In quibusdam dictionibus non tam societas aut coniunctio est, quam respiciamus, quam locus, in quo duo homines simul versantur, et id quod per vocabulum *apud* exprimitur. Sic *habitare, coenare, esse cum aliquo: mecum* pro *apud me, circa me, um mich: dormire cum aliquo* de commercio amoris et vitae coniugalis; *stare cum aliquo* pro stare ab alicuius parte.

Cic. Verr. 1, 25, 64. *eius esse filiam, quae cum patre habitaret propterea, quod virum non haberet.* Paullo aliter ad Att. 14, 21. *vivit habitatque cum Balbo.* Sueton. Dom. 8. *essetne quis intus cum Caesare.* i. e. apud Caesarem. Terent. Eun. 1, 2, 115. *me te obiectes: mecum tota sis.* i. e. apud me.

Virgil. Ecl. 2, 12. *at mecum raucis, tua dum vestigia lustro, sole sub ardenti resonant arbusta cicadis.* Male Burmannus explicat: me etiam cantante. vid. Vossius ad h. l. coll. Stat. Silv. 2, 1, 27.

Horat. Epist. 1, 7, 70. *si coenas hodie mecum.* i. e. apud me. Quod differt ab his Cic. de Sen. 13, 45. *epulabar igitur cum sodalibus omnino modice.*

Ovid. Art. 1, 601. *et bene dic dominae, bene, cum quo dormiat illa.* Remed. 481. Her. 19, 57. Cic. ad Att. 5, 1.

Terent. Phorm. 2, 1, 39. *nam ni haec ita essent, cum illo haud stares.* ubi vid. Ruhnken. Cic. de Fin. 5, 28, 86. *tu vero, inquam, ducas, si sequatur: erit enim mecum, si tecum erit.*

3. Sed etiam de quacumque rerum hominumve coniunctione usurpatur praepositio, ut significet *una cum his* et *pariter*, ideoque idem exprimit, quod *et*. Quare saepe nominibus additur adiectivum et verbum plurali numero. Interdum de multitudine, in qua quis cum aliis versatur, pro *inter* usurpatur. Ceterum pauca

sunt exempla, in quibus inanimatae res coniunctae ita designentur: plurima personas nominant, quibus haec dictio propria esse videtur. In illis saepe temporis communis ratio efficit consociationem in eum modum, ut dicatur, quando illud factum sit, simul et hoc factum esse.

Cic. ad Att. 8, 2. *vagamur egentes cum coniugibus et liberis.* Liv. 21, 60, 7. *ipse dux cum aliquot principibus capiuntur.* 26, 46, 8. *in quam Mago cum omnibus armatis refugerant.* vid. Stroth. ad 22, 21. Schaeferus in Glossario comparat graecum usum. Claudian. in Eutrop. 2, 415. *cum duce mutatae vires.* Florus 3, 10, 8. *Cottam cum Titurio Sabino legato ibi amisimus.* ubi Graevius. Liv. 45, 28, 11. *filiam cum minore filio a Samothrace adcitos Amphipolim omni liberali cultu habuit.* Sallust. Cat. 48, 1. *Lentulus cum ceteris, qui principes coniurationis erant — constituerant* etc. Caes. B. gall. 6, 1. *duplicatoque earum cohortium numero, quas cum Q. Titurio amiserat.* Horat. Art. p. 145. *Antiphaten Scyllamque et cum Cyclope Charybdin.* Sat. 1, 10, 85. *te, Messala, tuo cum fratre.* ubi vid. Heindorf. 2, 3, 58. *honesta soror, cum cognatis pater, uxor.*

Pluralis usum in verbis et adiectivis adiunctis illustraverunt Gronov. ad Liv. 22, 21, 4. in Syllog. Epistol. Burman. Tom. 3. ep. 169. Perizonius ad Sanctii Min. 4, 10. p. 368. Burmann. ad Seren. Samon. 208. ad Ovid. Met. 1, 320. Cortius ad Sallust. Iug. 101. ad Cat. 43. Wopkens. in Miscell. Obs. nou. T. 1. P. 2. p. 9. Oudendorp. ad Apulei. Met. p. 224. Drakenb. ad Liv. 21, 60, 7. 32, 25, 9. 37, 12, 6. ad Epit. 73. Schellerus in Gramm. p. 251, 3. et Broederus 129. tirones monent, ut abstineant ab hac dictione, quam optimus quisque scriptor usurpavit.

Virgil. Geor. 2, 8. *nudataque musto tingue novo mecum direptis crura cothurnis.* Aen. 1, 675. *sed magno Aeneae mecum teneatur amore.* i. e. ut ego eum amo. Nam argumentum, quo Servius hanc explicationem reprobat, nullum est. Ovid. Her. 3, 55. *scilicet ut quamvis veniam dotata repellar, et mecum fugias, quae tibi dantur, opes.* Liv. 38, 48, 16. *negaretis hoc mihi cum diis immortalibus?* ubi vid. Drakenb.

Stat. Achil. 1, 12. *meque inter prisca parentum cumque suo memorant Amphione Thebae.* vid. Barth. ad Silv. 1, 1, 20.

Liv. 6, 41, 11. *fidem abrogari, cum qua omnis humana societas tollitur.* Cic. Tusc. 3, 1, 2. *ut pene cum lacte nutricis errorem suxisse videamur.* de Leg. 2, 14, 36. *neque solum*

cum laetitia vivendi rationem accipimus, sed etiam cum spe meliore moriendi. Liv. 21, 51, 2. *advenienti Hamilcar — praefectus praesidii cum paullo minus duobus millibus militum, oppidumque cum insula traditur.* Plaut. Rud. 5, 3, 6. *una istine cistella exoepta est modo cum crepundiis, quibuscum hodie filiam inveni meam.* i. e. simul cum iis. Perizonius ad Sanctii Min. Tom. 2. p. 250. male explicuit: quorum opera, Bauerus filiam secum habentem crepundia. Sallust. Iug. 85, 3. *neque me fallit, quantum cum maxumo beneficio vestro negotii sustineam.* Graevius et Ciacconius cum Perizonio emendarunt *quum maxime:* sed perperam. Bene Cortius, esse sensum: una cum maximo beneficio vestro maximum etiam negotium me sustinere scio. conf. Baueri not. ad Sanct. p. 251. Liv. 40, 2, 1. *atrox cum vento tempestas coorta.* Curtius 3, 13, 7. *vestes, quas cum pecunia portabant.* 9, 3, 16. *clamor undique cum ploratu oritur.*

Liv. 22, 31, 5. *ad mille hominum, cum his Sempronio Blaeso quaestore amisso.* ita legendum est, non *amissum*, quod quomodo per defectum participii verbi substantivi dici posset, nemo demonstravit. Voc. *amisso* proximo nomini accommodatum est, quamquam ad superius quoque pertinet. Cic. de Orat. 2, 73, 296. *idque memoria teneo — dixisse me cum ceteris tuis laudibus hanc esse vel maximam.*

Goerenzius in Cic. de Fin. 3, 16, 55. reposuit: *nam quia sapientia est conveniens actio, est cum illa pertinenti genere, quod dixi.* quasi ex graecismo quodam dici posset latine *cum genere aliquo esse* pro in genere vel generis esse. At prorsus diversa est ratio graecae dictionis *σύν τινι εἶναι* de iis, qui alicuius partes sequuntur. Et potest dici *cum aliquo alicuius vel eiusdem generis esse*, sed ne cogitari quidem *cum genere esse.* Egregia est Davisii emendatio *est in illo p. genere.*

4. His apertum est, quo modo, ubi res per hanc praepositionem coniunguntur, adiiciantur particulae *etiam*, *quoque.* Atque ita exprimitur qualiscumque rerum communitas.

Liv. 2, 52, 1. *urbi cum pace laxior etiam annona rediit.* 4, 2, 14. *si patribus tribuni cum iure ac maiestate adempta animos etiam eripuerit.*

Cic. in Verr. 4, 28, 64. *qui cum ceteris rebus illud quoque eximium atque pulcherrimum donum in Capitolium afferrent.* p. Mur. 19, 40. *itaque lex haec, quae ad ludos pertinet, est omnium gratissima, quod honestissimo ordini cum splendore fructus quoque iucunditatis est restitutus.*

Varro de Re r. 3, 5, 2. *quidam cum eo adiiciunt praeterea aves alias quoque, quae pingues veneunt carne.* Haec corrupta esse nemo non videt: nam ne Scribonius quidem, quem Schneiderus affert, *cum eo* dixit pro *praeterea*. Equidem arbitror excidisse aliquam sententiam post verba *quidam cum eo*, praesertim quum Vrsinus in codice quodam legisse se narret *quidam cum eo coniiciunt.* Scribonius Comp. med. 135. *videtur autem vinum vetustius ventremque cum eo satis mollit.* Rhodius correxit *bibetur autem* etc. Sed *videtur* dictum est pro *videtur adhibendum*, et *cum eo* pro mixto cum aloë.

5. Communionis ratio in iis quoque intercedit, quae aequalitate et similitudine cohaerent aut comparantur. Quare *cum* locum habet in comparationis formulis post verba *aeque, pariter, iuxta*, et in designanda similitudine atque dissimilitudine (nam ea quoque huius est generis, quamquam Bauerus ad Sanct. Tom. 2. p. 261. id negavit) et in rerum unitate, post vocabula *idem*, *unum*.

De verbis *aeque cum* vide Tom. 1. p. 193, de reliquis suo loco dicemus.

C. Caesar in Vita Terentii: *lenibus atque utinam scriptis adiuncta foret vis, comica ut aequato virtus polleret honore cum Graecis.* Virgil. Aen. 4, 239. *pedibus talaria nectit aurea, quae sublimem alis — rapido pariter cum flamine portant.* Quae ex Homero desumpta sunt Od. 5, 46. ἅμα πνοιῇς ἀνέμοιο.

Apulei. Florid. p. 366, 7. *quibus inter se nos cum die differunt.*

Cic. ad Fam. 2, 13, 5. *genus institutorum et rationum mearum dissimilitudinem nonnullam habet cum illius administratione provinciae.*

Tacit. Ann. 15, 2. *hunc ego eodem mecum patre genitum, in possessionem Armeniae deduxi.* Gellius 9, 10. *Annianus poeta et plerique cum eo eiusdem Musae viri summis assiduisque laudibus hos Virgilii versus ferebant.* vid. Perizon. ad Sanctii Min. 4, 6. p. 260. sq. Horat. Carm. 3, 2, 26. *vetabo, qui Cereris sacrum volgarit arcanae, sub isdem sit trabibus, fragilemve mecum solvat phaselon.* ubi *iisdem* per se intelligi non posse, bene animadvertit Bauerus p. 262. qui tamen errat, quum apud Gellium coniungit verba *cum eo ferebant.*

Caes. B. gall. 2, 3. *qui eodem iure iisdem legibus utantur, unum imperium unumque magistratum cum ipsis habeant.* Graecismum, quo *idem* cum dativo simplici componitur, illu-

strat Heinsius ad Ovid. Am. 1, 4, 1. ubi pro his: *vir tuus est epulas nobiscum aditurus easdem.* restituit *nobis aditurus easdem*, idemque conliciens in Stat. Silv. 2, 4, 5. sed frustra.

Vorstius de Latin. merito susp. p. 32. bene demonstravit, barbaras et ab antiquo verbo alienas esse loquutiones, quibus olim scriptores ex Germanorum gente utebantur: *comparatum est cum aliquo, aliter cum aliquo se habet, eadem ratio est cum hac re.* Tamen fortasse recte dici posse *est huic rei eadem ratio cum illa*, ex superiori declaratione patet.

Scriptores aevi christiani multa exhibent nova et mirabilia. Alcimus Avitus Poem. 3, 230. *quod pelagus gignit, quod terra creat, quod flumina gignunt — portabat pallens auri cum fasce minister.* i. e. pariter atque aurum, quod portabat. Sed nostri temporis scriptores non pauca ex germanica lingua ad latinam transferre solent, quae ab antiqua ratione et usu prorsus abhorrent: veluti: *post hoc vocabulum cum Beckero comma ponendum est.* Schaefer. ad Demosth. T. 1. p. 207.

6. Ad tempus relatum, *cum* indicat duas res eodem tempore simul apparuisse vel factas esse. Quo conficiuntur formulae quaedam ad tempus significandum. Additur *simul*. De constructione, qua *simul* cum ablativo componitur, omissa, ut credunt, praepositione, vide in SIMVL. Saepe tempus designatur nomine rei factae aut faciendae, quae quum exsisteret, aliud quid secum tulisse dicitur.

Plaut. Amph. 2, 2, 111. *egone abs te abii hinc hodie cum diluculo.* Cic. ad Att. 4, 3. *Metellus cum prima luce furtim in campum — currebat.* de Off. 3, 31, 112. *accurrisse Romam et cum primo luci Pomponii domum venisse dicitur.* alii libri omittunt praepositionem: de verbis *primo luci* vide Beierum. Hirt. Bel. afric. 62. *cum primo mane Leptim universa classe vectus.* Sallust. Iug. 106. *Sulla pariter cum ortu solis castra metabatur.* c. 68. *pariter cum occasu solis expeditos educit.* Vid. Vorstius de Latin. falso susp. p. 225. Westerhov. et Bentlei. et Ruhnken. ad Terent. Ad. 5, 3, 55. Cort. ad Sallust. Iug. 68. Burmann. ad Ovid. Am. 3, 14, 7. ad Lucan. 5, 678. Oudendorp. ad Sueton. Claud. 34. ad Hirt. B. afric. 62. et 105. Fabric. et Heusing. ad Cic. de Off. 3, 31, 7. et ad Nep. Eum. 3. Graecum usum comparavit Vechner. Hellenolex. p. 555. Heus.

Lucilius apud Diomed. p. 372. *ergo e somno pueros cum mane expergitus clamo.* Plaut. Merc. 2, 1, 31. *ad portum hinc abii mane cum luci simul.* vid. SIMVL. Virgil. Aen. 3,

368. *interea fessos ventus cum sole reliquit.* i. e. simul quum occidebat sol. Oudendorpius quum in Suet. Vespas. 5. legendum esse coniiciebat, *cum initio secundi consulatus*, non demonstravit, quis umquam ita loquutus esset.

Caes. B. gall. 5, 46. *exiit cum nuntio Crassus.* quod est eodem tempore, quo nuntius abiit. Sed Hirt. B. afric. 12. *et hercule cum eo nuntio pulvis ingens conspici coeptus est.* i. e. quum nuntiaretur. De loco Ovidii Met. 1, 179. vide n. 12.

Liv. 1, 32, 10. *cum his nuntius Romam ad consulendum redit.* Minuc. Felix 4, 5. *et cum dicto eius adsedimus.* vid. Barth. ad Stat. Theb. 4, 679.

Liv. 1, 10, 5. *simul cum dono designavit templo Iovis fines.* i. e. spolia donavit et simul designavit eodem tempore fines templi.

Quod Germani, qui latine scribunt, ex vernacula lingua transferre solent *cum tempore* pro *tempore*, *procedente tempore*, id quam alienum et vitiosum sit, exposuit Vorstius de Latin. merito susp. p. 89. distinguens locos Symmachi et Senecae, quos p. 137. posui. Conf. Scioppius de Stilo hist. p. 133. Cellar. Antib. p. 211.

7. Sed non modo ea, quae cum aliis aguntur, aut una cum aliis exsistunt, hac praepositione signantur, sed ipse nexus, quo duae res in unum compositae sunt et cohaerent. Ita in constructione verborum connectendi, copulandi, componendi, cohaerendi, quae eamdem praepositionem in se habent.

Exempla horum verborum suppeditant lexica.

Tacit. de Orator. 18, 5. *quod alligati cum adulatione, nec imperantibus umquam satis servi videntur, nec nobis satis liberi.* Critici aut abiecerunt praepositionem, aut correxerunt: nemo vero ita prudenter, ut comprobari posset. Quae Osannus nuper contulit, prorsus nihil ad rem. Vnum hoc quaeritur, num recte dici possit *alligati cum adulatione.* Atqui non potest. Litteris cum exprimitur compendium verbi *civium: quod alligati civium adulatione* etc.

II. 1. Aliae sunt dictiones, in quibus Latini hoc consociationis nomine utuntur, ut praesentiam alterius hominis vel rei indicent, quod vel ad communionem, vel ad caussam, vel ad modum propius accedit. Atque haec est ratio variarum loquutionum, quas nunc deinceps illustraturi sumus. Nam quum Caesar de Bell. civ.

1, 38. ait: *Varro cum iis, quas habebat, legionibus omnem ulteriorem Hispaniam tueatur*, non exacte intelligitur dux cum legionibus coniunctus, neque una cum legionibus, neque etiam caussa ipsa, sed adhibitas esse legiones ad hanc expeditionem easque praesentes agendae rei participes fuisse. Idque etiam simplici ablativo exprimitur. cf. Wüllneri Expositio de natura casuum p. 82. *Stare cum aliquo*, ut supra vidimus, est stare ab alicuius parte.

Liv. 1, 5, 7. *Romulus — non cum globo iuvenum, — sed aliis alio itinere iussis certo tempore ad regiam pastoribus, ad regem impetum facit.* Drakenborchio non displicuit codicis neap. scriptura *globo iuvenum:* quam bene, vide n. 8. Saepe recurrunt formulae *cum copiis*, *cum exercitu.* Cic. ad Fam. 2, 10, 5. Tacit. Ann. 1, 34. *quae apud Germanias illis cum legionibus pulcherrima fecisset.* in quibus auxilium operae intelligitur. Conf. II. 14.

Ovid. Her. 20, 106. (103.) *ipse dedit leto, cum quibus ante feras.* i. e. qui ei auxiliabantur in feris caedendis.

2. Tum adhaerere et coniunctum esse cum aliquo homine vel cum aliqua re id dicunt Latini, quo homo vel res exstruitur, aut instruitur, aut completur. Hinc *cum* ponitur in eo designando, quod receptaculum aut vas aliquod continet: sicuti Germani dicunt *ein Faſs mit Wein.* Tum de vestitu hominum et de armatura et de aliis rebus, quibus quis instructus incedit, aut quibus quid praeditum est. Deinde in aliis formulis ponitur *cum*, quae alibi *in* habent. Exempla ablativi non cum praepositione coniuncti vide apud Ruddiman. T. 2. p. 268.

Quaeritur, num recte dicatur *instructus cum aliqua re.* Liv. 1, 51, 5. *non dubitare, — quin prima luce — instructus cum coniuratorum manu armatusque venturus sit.* 3, 14, 4. *instructi paratique cum ingenti clientium exercitu sic tribunos — adorti sunt.* Haec exempla rem non declarant, nec desunt codices, qui praepositionem omittant. Sed exstructionis notionem expressam videmus in Cic. p. Rosc. Am. 46, 133. *familiam vero quantam et quam variis cum artificiis habeat, quid ego dicam?*

Lucret. 5, 365. *at neque, uti docui, solido cum corpore mundi natura est.*

Plaut. Stich. 5, 1, 7. *cadum modo hinc a me huc cum vino transferam.* Pers. 2, 3, 15. *qui salinum servo obsignant cum sale.* Recte Lambinus: id est salinum, in quo est sal.

Most. 1, 3, 91. *cedo mihi speculum et cum ornamentis arculam.* Curc. 1, 1, 82. *eine hic cum vino sinus fertur?* Cato de Re r. 156. *postea ollam statuito cum aqua.* Cic. in Verr. Act. 1, 8, 22. *fiscos complures cum pecunia siciliensi — translatos.*

Liv. 30, 24, 5. *centum onerariae naves cum commeatu — in Africam transmiserunt.* Alia apud Drakenb. ad 30, 36, 2. Cic. Verr. 4, 27, 62. *erat etiam vas vinarium, ex una gemma pergrandi trulla excavata cum manubrio aureo.* Codices plurimi omittunt praepositionem, quod Madvigium commovit, ut in Epist. crit. ad Orell. p. 29. eam non latinam, certe non ciceronianam censeret, ubi res nominaretur, quae non aliam extra addita comitaretur, sed eius pars esset. At manubrium aureum ipsum erat adiectum trullae e gemma factae.

Plaut. Rud. 1, 4, 31. *siccine hic cum uvida veste grassabimur?* Stich. 2, 2, 26. Cic. in Verr. 4, 24, 54. *in hac officina maiorem partem diei cum tunica pulla sedere solebat et pallio.* 5, 13, 31. *quum iste cum pallio purpureo talarique tunica versaretur in conviviis muliebribus.* in Vatin. 13, 31. p. Rabir. Posth. 10, 27. *L. vero Scipionis — non solum cum chlamyde, sed etiam cum crepidis in Capitolio statuam videtis.* Liv. 35, 34, 7. Sueton. Claud. 13. Cal. 12. Florus 4, 2, 45. Silius Ital. 1, 94. *atque Acheronta vocat stygia cum veste sacerdos.* Alia Gronov. ad Liv. 8, 47, 1. et Observat. 4, 25. et ad Gellium 7, 12. conf. Drakenb. ad Liv. 4, 19, 2. et ad 29, 19, 12.

Cic. in Verr. 5, 3, 7. *edicta praetorum fuerunt eiusmodi, ut ne quis cum telo servus esset.* Tusc. 5, 23, 65. *immissi cum falcibus multi purgarunt et aperuerunt locum.* Phil. 2, 8. *quum in hac cella Concordiae — cum gladiis homines collocati stent.* in Catil. 3, 2, 6. Diversa paullo, tamen cognata est dictio *aggredi cum gladio.* cf. n. 12. Petron. 105. *aggrediuntur nos furentes nautae cum funibus.* Cic. p. Caec. 9, 25. *ut in Caecinam advenientem cum ferro invaderet.* Vid. Cortius ad Sallust. Cat. 27, 2. In his si quis instrumentum intelligi dixerit, germanicae linguae rationem tenebit, non latinae. Bremius ad Cornel. Alcib. 10, 4. quod permirum videtur, cum propterea addi putat, quoniam coniunctio multorum hominum armatorum intelligatur. Poetae omittunt praepositionem interdum. Virgil. Aen. 9, 815. *praeceps saltu sese omnibus armis in fluvium dedit.*

Liv. 27, 11, 5. *cum elephanti capite puerum natum.* 30, 2, 11. *equuleus Reate cum quinque pedibus natus.* 27, 4, 11. vid.

Duker. ad Liv. 32, 9, 3. ubi restituenda est praepositio. Sueton. de Rhetor. 4. *quem ferunt olim praecipitatum in fontem fluminis Sarni, paullo post cum cornibus exstitisse.* Plaut. Rud. 2, 2, 15. *cum istiusmodi virtutibus operisque natus qui sit.*

Cic. de Nat. d. 2, 2, 6. *duo iuvenes cum equis albis.* Davisius coniecit *in equis*, quod idem, non melius. Vid. Heindorf. et Wyttenbach. p. 741. conf. Ep. ad Quint. fr. 2, 13. vide infra n. 8.

Liv. 34, 30, 4. *Pythagoras ad imperatorem venit, nullis cum aliis mandatis.* ut alibi *mittere cum mandatis.* vid. Duker. ad Liv. 24, 28, 9. Intelliguntur ii, quibus mandata erant commissa.

Huc referri etiam possunt formulae *cum praesidio equitum,* de qua Oudendorp. ad Caes. B. gall. 8, 2. et 46. *cum copiis,* et similes.

3. Sic etiam verba complendi, inficiendi, ornandi et quae sunt huius generis, alias cum simplici ablativo vel etiam cum dativo composita, construuntur.

Columel. de Arbor. 4, 5. *sulcum cum stercorata terra ad medium completo.* Cato de Re r. 77. *cum melle oblinito bene.* Plin. Hist. n. 7, 19, 20. *vehicula cum culeis onusta.* Cato de Re r. 10, 2. *iuga cum loris ornata.*

Huc refero etiam Virgil. Aen. 6, 359. *ni gens crudelis madida cum veste gravatum — ferro invasisset.*

4. Eodem modo vitae conditio, et quae ei iniunctae sunt proprietates designantur, quasi res et conditio, in qua quis versatur, ipsi adhaereat. Ita ponitur praepositio in iis, quibus, qualis aliquis sit, describitur. Ruhnkenius ad Terent. Ad. 5, 4, 37. videtur hanc formam propriam tribuisse indignationi.

Cic. ad Att. 6, 9. *cognovi ex eo — te Romam venisse — cum febri.* conf. III, 6. de Off. 1, 38, 136. *ira procul absit, cum qua nihil recte fieri — potest.*

Terent. Andr. 5, 4, 37. *dignus es cum tua religione odio.* Phorm. 3, 1, 1. *multimodis cum istoc animo es vituperandus.* Columel. 4, 22, 8. *cuius cum vitio consenuit, nullo modo restituendum censemus.* Ennius apud Cic. de Senect. 1, 1. *ille vir haud magna cum re, sed plenu' fidei.* Sallust. de

Rep. const. 2, 4, 2. *multi praeterea cum spe bona adolescentes.* ubi vid. Cortius.

Terent. Eun. 1, 2, 73. *egon' quidquam cum istis factis tibi respondeam.* Cohaerent verba *tibi cum istis factis*, q. e. qui haec feceris. Cic. Phil. 13, 18, 37. *conservandus civis cum tam pio iustoque foedere.*

Huc pertinent formulae *esse cum imperio*, *cum potestate.* Cic. ad Fam. 1, 1, 7. de Inv. 1, 25, 35. Sensum verborum *cum imperio* illustrant Manut. ad Cic. Epist. 1, 1. p. 37. Popma de Differ. 3. p. 134. Cort. ad Cic. ad Fam. 1, 1, 7. Markland. ad Cic. post Redit. 14. et in Remarks on the epistles of Cicero. p. 257. et permultis exemplis collatis Guntherus Latin. restitut. Part. alt. p. 263. *Cum magistratu* Sueton. Tib. 12. *nemine cum imperio aut magistratu tendente quoquam, quin deverteret Rhodum.* Quum addito adiectivo praepositio omittitur, alia est ratio. Cornel. Milt. 8, 3. *dicuntur tyranni, qui potestate sunt perpetua.* i. e. perpetuae potestatis.

Ennius apud Cic. de Senect. 1, 1. *ille vir haud magna cum re, sed plenu' fidei.* Contrarium Cic. p. Coel. 32, 78. *hominem sine re, sine fide.*

5. Proprie autem conditio animi in eum modum per praepositionem significatur, ut animus affectibus et facultate quasi instructus, et **cum** habitu coniunctus esse videatur, in quo nos Germani dicimus eum versari. Ablativo simplici id exprimitur, ubi accedit adiectivum.

Ennius apud Servium Petri Danielis (vid. Merula p. 320.) *haut temere'st, quod tu tristei cum mente gubernas.* i. e. dum tristis es.

Cic. p. Cluent. 18, 51. *semper equidem magno cum metu incipio dicere.* Liv. 38, 17, 17. *omnis illa, cum qua venerant, mansuefacta est feritas.* Cic. in Catil. 2, 9, 19. *quodsi iam sint id, quod cum summo furore cupiunt, adepti* etc.

Lucret. 1, 288. *molibus incurrit validis cum viribus amnem.* ut Cic. in Arat. 145. *Eridanum cernes — funestum magnis cum viribus amnem.* Cic. de Off. 1, 38, 137. *quae enim cum aliqua perturbatione fiunt, nec constanter fieri possunt, nec iis, qui adsunt, probari.* ubi Heusingerus de abundantia agit.

Ennius apud Donat. ad Terent. Phorm. 3, 1, 1. *omnia cum pulcris animis romana iuventus.* Terent. l. l. *multimodis cum isthoc animo es vituperandus.* Caecilius apud Nonium 1, 33. s. v. *illex: quid narras barbare cum indomitis moribus.* Lucret. 5,

862. *levisomna canum fido cum pectore corda.* 6, 1232. *deficiens animo moesto cum corde iacebat.*

Terent. Ad. 3, 3, 88. *homo antiqua virtute ac fide.* Non poterat dici omisso adiectivo.

6. Praeter eum nexum, quo duo pluresve homines una aliquam rem agunt, saepe communio intercedit, in qua non tam agentes, sed actionem communem spectamus: quae triplicis est generis. Nam aut agimus aliquid, quod alterum tangat, aut alterum nobis adiunctum habemus consentiendo et conveniendo, quod etiam ad rerum rationes congruas refertur, aut denique actio constat mutuo negotio, sicuti in bello et certamine, in quo manus conseruntur et adversarii committuntur. Haec una particula Latini designant: Graeci diversas habent: quemadmodum differunt *στρατεύειν μετά τινος* et *σύν τινι*, *εἶναι σύν τινι* et *μετά τινος*.

* Curt. 4, 10, 30. *cum foeminis ergo agere debemus? Communicare cum aliquo* et similia illustrat Ruddimann. T. 2. p. 217. *dividere aliquid cum aliquo* Plaut. Stich. 5, 4, 15. *factum ego tecum divido.* Horat. Sat. 2, 5, 81. *quae si semel uno de sene gustarit tecum partita lucellum.* Curt. 5, 3, 16. 9, 10, 6. Iustin. 6, 9, 5. ubi multa alia Vorstius.

Cic. ad Att. 2, 4. *interea quidem cum Musis nos delectamus animo aequo.* i. e. cum Musis versantes. Neque aliter de Orat. 2, 14, 61. *cum his me, ut dixi, oblecto, qui res gestas — scripserunt.* Nemo tamen dixit *oblectare se cum aliqua re.* Terent. Hec. 4, 1, 40. *quacum tot consuesset annos.*

Consentire cum aliquo, congruere, convenire et quae huius generis sunt, ad res etiam referenda, e lexicis nota sunt. *Cum aliquo facere* dicuntur, qui ab alicuius parte stant. Cic. ad Att. 6, 8. *cum illo praetores designatos — facere.* de Divin. 2, 57, 118. p. Caecin. 28, 80. Cornel. Ages. 2, 5. vid. Forcellin. Lex. T. 2. p. 268. *Esse alicui cum aliquo* de familiaritate intercedente et de commercio dicitur. Cic. p. Quint. 6, 25. *iussit bona proscribi eius, quicum familiaritas fuerat, societas erat.* Terent. Phorm. 2, 3, 74. *postremo tecum nil rei nobis, Demipho, est.* Vide multa exempla apud Gronov. ad Plaut. Cas. 2, 2, 13. Terent. Eun. 4, 6, 21. *quicum res tibi est, peregrinus est.* Curt. 6, 3, 8. *cum feris bestiis res est.* 8, 14, 14. Sed etiam de rebus. Cic. p. Cluent. 17, 55. *quid mihi, inquit cum ista summa sanctimonia ac diligentia?* In his quoque intelligitur nexus agendi. Sed praeter hanc for-

mulam nullus est usus. Quare Frotscher haud bene coniecit Quinctil. 10, 1, 107. scripsisse: *in epistolis quidem, quamquam sunt utriusque, dialogisve, cum quibus nihil illi, nulla contentio est.* De formula *cum aliquo esse* vide I, 2.

Qui orationem habet, eum cum aliquo esse oportet non tantum, qui audiat, sed quocum agat oratione. Cic. p. Mur. 29, 61. *et quoniam non est nobis haec oratio habenda aut cum imperita multitudine, aut in aliquo conventu agrestium.* alii codd. *in imp. m.* alii *imp. in m.* quo suspecta redditur scriptura. Caes. B. gall. 7, 47. *legionisque decimae, quacum erat concionatus, signa constitere.* Schellerus in Observ. p. 94. coniecit *coram*: alii ex edit. Gryph. ediderunt *qua tum erat comitatus*, alii *commoratus*, *qua tum e. concionatus.* Sufficit in defensionem scripturae codd. Terent. Hec. 2, 3, 21. *hanc habere orationem mecum principio instituit.* Et *concionari* recte dicitur pro habere concionem, agere in concione.

Orare cum aliquo et *queri cum aliquo* dici poterat, quum intelligeretur precibus et querimoniis agere cum aliquo: quare illud in precum perpetuitate, hoc in exprobratione locum habet. Plaut. Asin. 3, 3, 72. *iube petere atque orare mecum.* Cas. 2, 5, 15. Curc. 3, 62. *tecum oro et quaeso.* Terent. Hec. 4, 4, 64. I. H. Vossius ad Virgil. Ecl. 2, 12. explicat, pro *apud* poni: quod aliquanto diversum est. In Caes. B. civ. 1, 22. *cum eo de salute sua orat atque obsecrat.* glossatores scripserunt *agit*: reliqua verba integerrima sunt, nec quidquam redundat. vid. Davis. et Oudend. ad h. l. Pareus in Lex. Plaut. *tecum* et *mecum* pro *te* et *me* ἀρχαϊκῶς posita censebat: Auson. Popma de Vsu antiq. loq. 1, 6. et Ruddimann. T. 2. p. 371. adeo illud *cum* pro syllabica adiectione habebant. In Ennii fragm. apud Festum s. v. *orare* scribendum mihi videtur: *face vero, quod tecum precibus pater orat.* non *te cum precibus.* Cic. ad Fam. 8, 7, 7. *quum diceret te secum esse questum.* Acad. 2, 25, 81. p. Deiot. 3, 9. *quamquam cui sunt inauditae cum Deiotaro querelae tuae?* ubi alii *de Deiotaro.* Coel. ad Cic. 8, 9, 13. *scio eum conquestum esse cum Scipione.* Tibull. 2, 6, 34. *supplexque sedebo, et mea cum muto fata querar cinere.* vid. Cort. ad Cic. Ep. 3, 7, 7.

Liv. 9, 1, 8. *quodsi nihil cum potentiore iuris humani relinquitur inopi.* i. e. in consortione, adversus potentiorem. 6, 14, 8. Curt. 4, 4, 15. *cognationis cum Tyriis memores.* Qua ratione defendam verba Livii 40, 34, 14. *pacemque cum iis populus romanus — praestitit.*

Servare fidem cum hoste Cic. de Off. 3, 29, 107. ubi alii libri substituunt *hosti.* *Firmare fidem cum hoste* Liv. 28, 17, 8.

mutare fidem cum aliquo Terent. Phorm. 3, 2, 27. Haec illustrat Drakenborch. ad Liv. 28, 17, 8. Varia composuit Livius in his 23, 33, 3. *postquam tertia iam pugna, tertia victoria cum Poenis erat.* quibus tamen non vindicatur importuna coniectura 21, 51, 11. a Iac. Gronovio facta.

Ovid. Met. 10, 570. *pedibus contendite mecum.* *Bellum gerere cum aliquo, pugnare cum hoste, certare cum aliquo:* vide exempla in lexicis, in quibus inepte dicitur *cum* significare *contra*. Cf. Ruddimann. T. 2. p. 217. Ceterum notandus est locus Cornel. Chabr. 3, 1. *quod Chabrias adversum regem bellum gereret cum Aegyptiis.*

Dissentire, differre, discrepare cum aliquo. vid. Ruddimann. T. 2. p. 215. Cic. Brut. 49, 185. *itaque numquam de bono oratore aut non bono doctis hominibus cum populo dissensio fuit.* de Orat. 2, 66, 267. *quum stomacharetur cum Metello.* Terent. Eun. 2, 3, 31. ubi vid. Donatus. Vt has dictiones quodammodo explicaret, Herzogius ad Sallust. Cat. 9. rationem hanc posuit, quasi in verbis *cum hostibus simultates exercere* intelligeretur consociatio animi infesti. Quod alienum est. Quodcumque enim actionis consortium Latini per *cum* designant, non tantum eam rationem, quam Herzogius subiectivam appellat.

Cic. p. Deiot. 5, 15. *quonam ille modo cum regno, cum domo, cum coniuge, cum carissimo filio distractus esset, tanto scelere non modo perfecto, sed etiam cogitato?* Heumann. et Orellius explicuerunt praepositionem, ille putans *distractum cum aliquo* dici, qui ex amico eius factus sit inimicus, hic comparans verba *discrepare cum aliquo, dissidere cum aliquo.* Wernsdorfius id fieri posse negat, quum h. l. non sermo sit de societate amicorum olim contracta, neque verba *quonam modo* aptum praebeant sensum. At primum, ut iam Ernestius vidit, nusquam dicitur *regno distrahi*, sed *a regno distrahi*: tum coniunctio cur tam saepe et cum vi repetatur, nulla est caussa, quae adest in locis a Wernsdorfio collatis; denique oratio non potest ita abrumpi nisi praemissis iis, quibus suppleatur, aut in hunc modum conformari: quonam ille modo tale facinus perficere potuit, quum tanto scelere perfecto distractus esset a regno? Neque etiam apponi poterat *ille*. Quare nihil restat, quam ut *distrahi cum aliquo* dici posse statuamus, ut Germani dicunt *mit einem zerfallen, mit einem auseinander kommen.* Seneca Epist. 65, 23. *distraham cum illo societatem.* Atqui inter regem et regnum semper intercedit coniunctio quaedam et necessitudo. *Quonam modo* dictum

est cum admiratione, ut in Epist. ad Att. 8, 16. *quo modo autem se venditant Caesari?*

7. Formularum *cum animo cogitare, investigare, recordari* rationem non bene explicuerunt, qui instrumentum intelligebant. In omnibus enim locis operosam cogitationem ac reputationem his verbis expressam videmus: quare id commercium intelligi necesse est, quo quis cum animo suo ipse consulat et reputando agitet: unde etiam dicunt *agitare cum animo.* Nam quum dicunt *animo agitare* (vid. Cort. ad Sallust. Iug. 84, 4.), eadem fere est res, sed alia ratio. Bene intellexit Bauerus ad Sanct. Min. T. 2. p. 249. comparans Homeri usum.

Plaut. Most. 3, 2, 18. *quo magis cogito ego cum meo animo.* Terent. Ad. 3, 4, 55. Plaut. Aul. 4, 9, 3. *equidem quo eam, aut ubi sim, aut qui sim, nequeo cum animo certum investigare.* Sallust. Iug. 13, 5. *in otio facinus suum cum animo reputans.* 70, 5. Iug. 6, 2. *multa cum animo suo volvebat.* 108, 3. vid. Cort. ad Cat. 32, 1. Oudendorp. ad Apul. Flor. p. 29. Virgil. Aen. 6, 185. *atque haec ipse suo tristi cum corde volutat.* Cic. p. Cluent. 25, 70. *si cum animis vestris longo intervallo recordari C. Staieni vitam et naturam volueritis.* Sallust. Iug. 93, 1. *Marius — anxius trahere cum animo.* sed c. 84, 4. *animis trahere.* Cic. in Verr. 3, 41, 95. *sic habuisti statutum cum animo.* De loquutione *cum animo agitare* vid. Cort. ad (Sallust.) Ep. ad Caes. 2, 1, 4. Drakenb. ad Liv. 8, 25, 2.

Ab his vero aliquantum differunt verba *secum cogitare, secum reputare, secum dubitare,* quibus designatur tacita et occulta cogitatio, qua aliquis non cum aliis agat, sed se cohibens aut in se conclusus. Quare additur saepe *ipse.* Terentius dixit Heaut. 2, 4, 5. *quum egomet nunc mecum in animo vitam tuam considero.*

Plaut. Mil. 4, 8, 65. *quum egomet mecum cogito.* Cic. post Red. 12, 32. *multa mecum ipse reputavi.* Boethius Consol. 1, 1. *haec dum mecum tacitus ipse reputarem.* Sallust. Cat. 32, 1. *multa secum ipse volvens.* Cic. de Off. 1, 32, 118. *diu secum multumque dubitasse.*

Propert. 3, 18, (16) 17. *tolle animos et tecum finge triumphos.* i. e. tibi finge. Terent. Hec. 1, 2, 32. *haud propterea te rogo, ut hoc proferam, sed ut tacita mecum gaudeam.*

8. Quum nec comitatus simplici ablativo, nec caussa per praepositionem *cum* exprimatur, mirum videri potest, quod Caesar et Livius aliique historici scriptores copias et exercitum, quocum dux in aciem descendat aut bellum gerat, omissa praepositione designare solent. Id commune habent cum Graecis, qui στόλῳ, ἵπποις, ναυσὶ dicunt. Vid. Schaefer. ad L. Bos. p. 745. Matthiae Gramm. p. 741. Alii ad ellipsin praepositionis confugiunt, alii cum Hermanno de Ellipsi p. 104. instrumentum intelligunt, uti Heldius ad Caes. B. civ. 1, 41., alii ad modum rei constituendum referunt. Vid. Bernhardi Syntax. gr. p. 100. Seebodii Bibl. crit. 1825. p. 416. Neque vero caussa, neque etiam instrumentum intelligi potest in itinere faciundo, nisi de equis insessis aut navibus, quibus vehimur. Sed Latini, et, ut videtur, etiam Graeci ita loquuntur adiecto alio nomine adiectivo, vel genitivo, quo vel numerus vel genus vel conditio significatur: quare ipse ablativus modum et conditionem indicat non aliter quam in reliquo usu, quem grammatici absolutum vocant. Sicuti *integris signis* apud Cic. in Catil. 3, 3, 6. dicitur non omissa praepositione: ita *magna manu*, *omnibus copiis* intelliguntur, quum magna esset manus, omnes copiae essent collectae. Germani dicunt *bei ganzem Heere*, *unter zahlreicher Begleitung*, magno comitatu. Neque diverso modo apud Livium 22, 9, 5. *praeda — gaudentibus profectus* et 8, 30, 4. *exercitu instructo paratoque profectus*. quod male accipiunt pro *cum gaudentibus*, *cum exercitu*. Neque vero his opponi potest, saepe etiam dici *cum copiis*. Accedente enim adiectivo mutatur ratio, non res: sicuti dicitur *pace advenire* Plaut. Amph. prol. 32. et *cum pace delabi* Horat. Carm. 3, 29, 35. Verba, quae cum hac formula componuntur, designant militares actus proficiscendi, considendi, occupandi, nec tantum ad motum pertinent, ut Heldio visum est.

Exemplis non opus est. Ea congesserunt Cort. ad Sallust. Cat. 51, 4. Perizonius ad Sanctii Min. 4, 6. p. 272. Burm. ad Sueton. Caes. 33. Drakenborch. ad Liv. 1, 14, 7. 2, 26, 2. et 22, 9, 5. 3, 14, 4. 23, 41, 10. 37, 11, 6. Oudendorp. ad Caes. B. gall. 2, 7. In locis Livii his 35, 24, 10, *regem Hellespontum cum exercitu transisse*. 36, 12, 10. *consulem iam cum legionibus mare traiecisse*. in quibus unus codex omittit praepositionem, Drakenborchius attendere debebat ad defectum adiectivi. Apud Statium Silv. 1, 1, 30. *iret — castris non esse*

cum castris, exposui in notis et ad Gronov. Diatr. p. 48. Liv. 9, 13, 10. *alter consul victore exercitu advenit.* Etiam hoc defendi posse puto, quamquam in aliis codd. haud paucis legitur *cum victore exercitu.* Est enim in victore exercitu.

Cic. Catil. 3, 2, 6. *quum iam pontem mulvium magno comitatu legati Allobrogum ingredi inciperent.* Beneckius docet ad h. l. omitti praepositionem, ubi comitatus praeter societatem aliud consilium exsequatur, sicuti Allobroges cum legatis missi essent, ut iis auxilium, si quando opus esset, afferrent. Tale consilium ubique supponere non licet: sufficit praesentiae et conditionis notio. p. Mil. 10, 28. *obviam fit ei Clodius expeditus, in equo, nulla rheda, nullis impedimentis, nullis graecis comitibus, ut solebat — quum hic insidiator — cum uxore veheretur in rheda, paenulatus, magno et impedito, ac muliebri et delicato ancillarum puerorumque comitatu.* de Re publ. 2, 3. *quod si fuit illa manu copiisque facillimum.* Male supplet Creuzerus *cum:* est *bei jener Mannschaft*, quum ei esset illa manus.

Heldius ad Caes. 1. 1. instrumentalem intelligens ablativum, ita exponit rationem, ut statuat duos esse modos, quibus aliquis per copias proficisci aut aliquid agere dicatur: aut esse ducem, qui agat, aut voluntatem omnium uno nomine populi sive exercitus comprehendi, atque eos, qui in agendo consilio versentur, quamquam iidem sint cum istis, tamquam instrumenta et actores suae voluntatis distingui. At his machinis nihil opus esse videtur, nec recte dicitur aliquis p e r o m n e s c o p i a s proficisci seu ire, neque in locis, qualis est Caes. B. gall. 4, 1. *Vsipetes magna cum multitudine hominum flumen Rhenum transierunt.* ne in his quidem locis intelligitur comitatus, sed tantum praesentia magnae multitudinis: quum esset magna multitudo. vid. n. 1.

Vbi ablativus ponitur non adiecto epitheto, alia est ratio, quae instrumentum indicat. Caes. B. civ. 1, 36. *Domitius navibus Massiliam pervenit.* cf. Oudend. ad 2, 24. et Drakenb. ad Liv. 5, 34, 8. Cic. de Off. 3, 21, 84. *quanto plures ei regi putas, qui exercitu populi romani populum ipsum romanum oppressisset.* Heusingerus errat, quum dictum putat pro *cum exercitu.* Nec minus Doeringius in Horat. Epist. 2, 2, 72. *festinat calidus mulis gerulisque redemptor.* intelligens *cum mulis.* Est enim dativus: vehemens in mulas.

9. In rebus agendis ea, quae rem comitari videntur et cum iis coniuncta sunt ita, ut illis apparentibus etiam ipsa appareant, aut ex illis proveniant, aut una conser-

ventur. Germani utuntur praepositionibus *unter* et *bei* et *zu*. Haec non semper communi verbi ratione continentur, sed potest res dici abesse, dum manent ea, quae hoc defectu efficiuntur, ut apud Ciceronem *auferre eum gemitu civitatis*. Ablativus, non addita praepositione, ponitur, ubi res cum alia re comitante cohaeret necessario et proximo nexu, neque haec extrinsecus accessit, sed in unum coaluit: idque fit, ubi cum nomine coniunctum est participium aut adiectivum. Nam ii, qui rationem ablativi absoluti eo explicaverunt, quod res cum alia sive tempore sive caussa coniuncta diceretur (vide Wüllnerum de Casibus p. 99.), non demonstraverunt, quomodo id non fieret nisi adiecto participio aut adiectivo. Id vero fit communi notione, qua esse res cogitantur. Ea enim, quae inest in coniunctione attributivorum, coit cum ea, quae est verbi primarii: in simplici nomine non subest.

Caesar B. gall. 1, 20. *Divitiacus multis cum lacrimis, Caesarem complexus, obsecrare coepit.* i. e. *unter vielen Thränen.* Liv. 8, 33, 23. Cic. in Verr. 1, 24, 63. *ut illo itinere veniret Lampsacum cum magna calamitate et prope pernicie civitatis.* i. e. ut simul exsisteret calamitas. in Catil. 1, 13, 33. in Verr. 1, 19, 49. *hunc ipsum, inquam, Tenem — abstulit magno cum gemitu civitatis.* Caes. B. gall. 1, 10. *id si fieret, intelligebat, magno cum provinciae periculo futurum.* 1, 17. 7, 54. vid. Oudend. ad 7, 14. Plaut. Bacch. 3, 4, 4. *illud hercle cum malo fecit suo.* p. Mur. 1, 2. *ut consul — beneficium populi romani cum vestra atque omnium civium salute tueatur.* i. e. ut civium salus coniuncta sit cum eo, in salutem. Plancus ad Cic. 10, 24, 13. *quae mens eum, aut quorum consilia — ad cogitationem consulatus bimestris summo cum terrore hominum et insulsa cum efflagitatione transtulerint, exputare non possum.* in Verr. 3, 8, 19. Terent. Ad. 4, 1, 3. Vellei. P. 2, 98, 2. vid. Matthiae ad loc. pro Mur. p. 186. Velleius Pat. 2, 88, 3. *nullaque cum perturbatione aut rerum aut hominum oppresso Lepido.* Cornel. Milt. 7, 4. *quo factum est, ut — Miltiades — Athenas magna cum offensione civium suorum rediret.* ubi vid. Guenther. Sueton. Aug. 24. Cic. de Orat. 1, 32, 145. *magna cum exercitatione praecepta gustaram.* ubi egregie Ernestius, non per longam exercitationem, inquit, praecepta a Cicerone percepta erant, immo gustaverat tantum: sed praecepta, quae gustarat, coniuncta fuerant cum magna exercitatione. Liv. 44, 31, 8. *vano cum incepto moenibus pepulissent Romanos.* i. e. ut inceptum Romanorum irritum esset. Aliter

8, 33, 15. *qui foedissimo cum eventu pugnasset.* 37, 16, 12. *Romani cum haud incruenta victoria ad naves redierunt.* Frequens est formula *cum magna spe, cum bona spe.* Cic. p. Rabir. Posth. 2, 5. ad Att. 7, 10. Liv. 7, 7, 2.

Catull. 61, 19. *bona cum bona nubet alite virgo.* 40, 7. *quandoquidem meos amores tam longa voluisti amare poena.* 64, 112. *inde pedem sospes multa cum laude reflexit.* Liv. 5, 26, 8. *praeda ad quaestores redacta cum magna militum ira.*

Caes. B. gall. 3, 1. *quod iter per Alpes, quo magno cum periculo magnisque cum portoriis mercatores ire consuerant, patefieri volebat.* Liv. 43, 23, 1. *rex cum minore vexatione iumentorum hominumque, quam venerat, in Macedoniam rediit,* ubi alia Drakenb. Cic. de Invent. 1, 3, 5. coll. 1, 2, 3.

Cic. de Fin. 4, 22, 61. *quum in republica princeps esse velles ad eamque tuendam cum summa tua dignitate maxime a nobis ornari atque instrui posses.* i. e. ita ut tua dignitas servaretur. de Leg. 1, 24, 62. *qua — consolari possit afflictos factaque et consulta fortium et sapientum cum improborum ignominia sempiternis monumentis prodere.* i. e. ut simul appareat ignominia improborum. Cic. de Off. 1, 28, 97. *nobis autem personam imposuit ipsa natura magna cum excellentia praestantiaque animalium reliquarum.* Virgil. Aen. 1, 55. *illi indignantes magno cum murmure montis circum claustra fremunt.* i. e. ita ut magno murmure resonaret mons. Beierus ad Cic. de Off. T. I. p. 102. contulit varia, quae non nisi rerum coniunctionem indicant. Liv. 7, 10, 9. *in advenientis arma hostis vanum caesim cum ingenti sonitu ensem deiecit.* quae conferantur cum infra p. 156. positis.

Curt. 6, 10, 35. *ego ipse — cum ludibrio credulitatis repulsus sum.* i. e. in ludibrio, inter ludibrium. Liv. 9, 2, 14. *sua ipsi opera laboremque irritum — cum miserabili confessione eludentes.* Liv. 29, 27, 15. *milites sine armis cum ingenti tumultu in terram evasisse.* 7, 10, 9.

Recentiores scriptores interdum aliquid ausi sunt, ut Iustin. 7, 2, 5. *Argaeus moderate et cum amore popularium administrato regno successorem Philippum reliquit.*

Quo iure Herzogius ad Caes. B. gall. 1, 10. elegantiam sermonis latini in eo positam esse censeat, quod *cum* proprie de personis et rebus sensu percipiendis, tum vero in metaphorica dictione de rebus non sensu percipiendis usurpetur, equidem non assequor. Id enim pene omnibus praepositionibus commune est.

Et potest res coniuncta dici, quae tamquam conditio adhaeret, veluti apud Curtium 6, 7, 5. *et ille ratus, nihil, quod etiam cum periurio detegendum foret, indicaturum:* i. e. nihil, quod ut detegeretur necesse esset, etiam admisso periurio. Haec tam similia sunt iis, quae modum rei agendae definiunt, ut vix dignosci possint. Nam quum Livius 22, 32, 1. ait: *consules Fabii artibus cum summa inter se concordia bellum gesserunt*, et conditio comitans intelligitur, et id, quod modum agendi constituit. Et quum Suetonius Caes. 70. *decumanos Romae cum ingentibus minis summoque etiam urbis periculo missionem et praemia flagitantes:* esse potest inter minas et per minas. Nec distinxit haec genera Beierus ad Cic. de Off. 1, 13, 40. p. 102. Saepe idem exprimitur verbis *non sine*, veluti Curt. 6, 7, 33. *veritum, ne iurgium inter amatorem et exoletum non sine risu aliorum detulisset.*

10. Eiusdem generis sunt, in quibus duo substantiva per praepositionem coniunguntur, quorum alterum indicat modum et conditionem alterius rei.

Cic. p. Sext. 45, 98. *id quod est praestantissimum — cum dignitate otium.* i. e. quod secum habet dignitatem. ad Fam. 1, 9, 60. de Fin. 3, 6, 20. *sequitur deinceps cum officio selectio.* i. e. cui iniunctum est officium. Haec non bene explicuit Beierus ad Cic. de Off. 1, 1. p. 102.

11. Modus rerum agendarum ita potest definiri, ut ipse modus ad rem agendam adhiberi et cum ea coniungi dicatur. Quae igitur adverbiis designantur conditiones rei agendae, etiam praepositionem *cum* admittunt, ubi non caussa, sed modus adhibitus significatur. Nam ablativo exprimitur caussa, quasi in uno loco cum ipsa re posita, et cum ea sua sponte cohaerens aut conflata: praepositione adiecta mutatur ratio, dum actionem et modum tamquam duas res ab eo, qui agit, coniunctas videmus. Illa coniunctio percipitur cogitatione, haec autem apparet conspicua in rebus ipsis coniunctis. Quare a bonis quidem scriptoribus haec dictio usurpatur, quando agentis persona in conspectum cadit. Praepositio enim requirit ac constituit notionem eius, qui agit, ablativus autem actionis, quae agitur. Ita fit, ut praepositio personae alicui aliquid tribuens perspicuitatem atque vim orationi addat, et imprimis in

iis locum habeat, quae ad animum eiusque affectus pertinent.

His similia exposuit, nescio an verbis non satis perspicuis, Herzogius ad Sallust. Cat. 51, 38. in eo quidem falsus, quod in praepositione notionem temporis continui expressam putat: nec potest, ut ille voluit, ambitus huius usus certa regula determinari. Alia enim nomina admittunt praepositionem, alia sua natura respuunt. Ita recte dicitur *fide amicitiam colere* et *cum fide*, quod est adhibita fide: non item *cura scribere litteras*, sed *cum cura*: nam curam nos adhibemus in re agenda, fides autem potest amicitiae colendae caussa et auctor esse. Hoc modo a Cicerone dicitur *ratione et via orationem habere*, *ratione philosophari*, et ab aliis *iure aliquid facere*: nam modus intelligitur ipsius rei agendae. Sed regula, quam Zumptius Gramm. n. 472. in usum tironum composuit, quasi simplici substantivo semper addatur praepositio, in adiectivo adiuncto et poni et omitti possit, diversos modos confundit, et ad perversa iudicia deducit. vid. Hessius ad Tacit. Germ. 40, 5. Nam adiuncto adiectivo exsistit ratio diversa eiusdem sententiae, atque conficitur caussae definitio singularis ita, ut, quum Nepos dicit *Epaminondas a iudicio capitis maxima discessit gloria*, sententia sit: discessit, quum esset gloria maxima. Si scripsisset *maxima cum gloria*, videremus Epaminondam una cum gloria, quae maxima erat, i. e. non sine maxima gloria discessisse. Quae Ramshornius in Gramm. p. 252. docuit, equidem non intelligo. Ablativum nominis cum adiectivo coniunctum illustrat Bremi. ad Cornel. Milt. 1, 4.

Cic. de Nat. d. 2, 23, 59. *multitudo nec cessantium deorum, nec ea, quae agant, molientium cum labore operoso ac molesto.* Plin. Epist. 2, 19, 5. *ut ea, quae scripsimus cum labore, cum labore etiam audiri putemus.* Liv. Epit. 81. Iustin. 12, 7, 13. Institut. Prooem. 1. *quorum utramque viam cum summis vigiliis summaque providentia annuente deo perfecimus.* Cic. de Fin. 1, 3, 9. *quem — locum cum multa venustate et omni sale idem Lucilius*, ubi Matthiae *cum* abiiciendum esse putat: est vero admodum venustus: nec pertinet praepositio ad nomen salis. Liv. 38, 19, 4. *Athenienses cum silentio auditi sunt.* Tacit. Ann. 1, 67. Plin. Pan. 83, 8. *non et ipsa cum silentio incedat*, quod Sallust. Iug. 106, 4. dixit *silentio egredi.* Plaut. Amph. 1, 1, 89. *maxumo cum clamore involant.* Liv. 2, 23, 8. *cum clamore in forum curritur.* i. e. clamantes currunt. Alia vide apud Drakenb. ad 24, 31, 10. Caes. B. gall. 8, 52. *summa cum celeritate ad exercitum Nemetocennam rediit.* vid. Oudendorp. ad Bell. hispan. 1, 5. Plaut. Mil. 3, 1, 9 (7). *si*

minus cum cura aut *κατὰ λόγον* locus loquendi lectus est. Liv. 22, 42, 5. *speculatusque omnia cum cura renuntiat, insidias profecto esse.* 38, 18, 7. *cum cura coacto agmine procedebat.* Cic. de Inv. 1, 39, 70. Sallust. Cat. 51, 38. Seneca de Provid. 5, 7. *ut efficiatur vir cum cura dicendus, fortiore fato opus est.* item de Tranquil. an. 14, 6. De Benef. 4, 1, 1. tribuit hanc loquutionem tamquam propriam Sallustio: *nihil tam necessarium, aut magis, ut ait Sallustius, cum cura dicendum.* Seneca loquitur de formula *cum cura dicendum.* Quare Cortius prudenter haec ad fragmenta retulit p. 1010. immerito reprehensus a Ruhkopfio. *Cum cura* saepe dixerunt Livius, Curtius, Tacitus et alii. Permulta exempla contulit Otto in Gifanii Observat. p. 112. Alia sedulo collegerunt Vorstius de Latin. falso susp. p. 226. Cortius ad Sallust. Cat. 51, 38. Iug. 54, 1. Drakenborch. ad 27, 24, 8. et ad 38, 18, 7. et ad 39, 41, 6. Liv. 8, 25, 12. *cogitaret populus romanus potius, cum quanto studio periculoque reditum in amicitiam suam esset.* vid. Drak. ad 39, 39, 11. An vero apud Livium 4, 58, 4. recte dicatur: *quia cum summa vi restare nuntiabantur.* quod Drakenborchio visum est, equidem vehementer dubito.

Tacit. Ann. 3, 76. *quum ferme cunctos proceres cum honore nominavisset.* Plin. Epist. 8, 6, 5. *quod et ipse cum summo honore mentionem eius prosequutus esset.*

Plaut. Most. 3, 1, 129. *nec minus bono cum iure.* Cic. ad Fam. 15, 4, 10. *curavi, ut cum auctoritate regnaret.* Liv. 29, 18, 2. *vidimus enim, cum quanta ceremonia non vestros solum colatis deos, sed etiam externos accipiatis.*

Cum pace et *cum bona pace* aut dicitur de eo, qui sine contentione cum aliis agit. Cic. Tuscul. 5, 29, 83. *sed is ut contra Stoicos, quos studiosissime semper refellebat et contra quorum disciplinam ingenium eius exarserat: nos illud quidem cum pace agemus.* Liv. 21, 24, 5. *cum bona pace exercitum per fines suos transmiserunt:* aut de conditione eum, qui agit, comitante. Liv. 21, 32, 6. *cum bona pace ad Alpes incolentium ea loca Gallorum pervenit.* Alia vide apud Drakenb. ad 28, 37, 3. De formula *cum pace dicere* Drakenb. ad Liv. 3, 19, 7. Horat. Carm. 3, 29, 33. *fluminis — nunc medio alveo cum pace delabentis etruscum in mare.* *Cum bona venia.* Liv. 29, 17, 6. *cum bona venia, quaeso, audiatis, patres conscripti, id quod invitus dicam.* 29, 1, 7. cf. Drakenb. ad 7, 41, 3. Ovid. Trist. 4, 1, 104. *cum venia facito, quisquis es, ista legas.* vid. Frotscher. ad Quinctil. 10, 1, 72. Cic. de Fato 4, 7. *Posidonium — cum bona gratia dimittamus.*

Liv. 1, 25, 13. *Romani ovantes et gratulantes Horatium accipiunt, eo maiore cum gaudio, quo prope metum res fuerat.* ubi vid. Drakenb. et Pricaeus ad Apuleii Met. p. 300. Liv. 9, 11, 3. *te victori cum qua potes fide restituis.* 23, 19, 16. *tum remissi Cumas cum fide.* Cic. de Orat. 2, 85, 345. *quid cum fide, quid cum aequabilitate fecerit.* Curt. 8, 11, 25. *pretium cum fide redditum est.* Tacit. Hist. 2, 98. *Valerius Festus legatus studia provincialium cum fide iuvit.* i. e. fidelis. Sed Ann. 4, 59. *cum fide audiebatur.* i. e. fide sibi habita. Alia Pricaeus ad Apuleii Metam. p. 58. Gronov. ad 28, 32, 1. Drakenb. ad 23, 14, 7. 45, 8, 4. 39, 7, 5. Otto l. l. p. 113.

Cic. de Fin. 2, 11, 34. *vivere cum intelligentia earum rerum.* 3, 8, 29. *honeste, id est cum virtute, vivere.* Quamquam miror a Goerenzio in verbis 2, 16, 50. *virtute vivere* omissam praepositionem substitui. de Off. 1, 38, 136. *ira procul absit, cum qua nihil recte fieri, nihil considerate potest.*

Planc. ad Cic. 10, 17, 6. *sicut adhuc singulari cum benevolentia fecisti.* Liv. 3, 12, 1. *coactus cum multa indignatione prensabat singulos.* Caes. B. gall. 7, 54. *obsidibus summa cum contumelia extortis.* i. e. adhibens modum maxime contumeliosum.

Liv. 27, 18, 2. *cum tanto pavore incidentibus vobis in vallum portasque.* Sallust. Iug. 14, 15. *clausi in tenebris cum moerore et luctu morte graviorem vitam exigunt.* Curt. 7, 5, 16. *totamque eam noctem cum magno animi motu perpetuis vigiliis egit.* Cic. Orat. 52, 174. *quum enim videret oratores cum severitate audiri, poetas autem cum voluptate.* Alia vide apud Oudendorp. ad Apuleii Metam. p. 170. et in Guntheri Latin. restit. P. 2. p. 253.

Sueton. Cal. 16. *cum fide ac sine calumnia repraesentata persolvit.*

Insolentiora haec sunt. Cic. de Fin. 5, 11, 31. *qui — si metuant, ne cum dolore moriantur, idcirco mortem fugiant.* ubi quod Goerenzius dedit *ne, quum dolore m., idcirco m. f.* nullum praebet sensum. ad Quint. fr. 1, 2, 2. *certo enim scio te fecisse cum caussa.* Auson. Epigr. 138, 2. *nomen qui proprium cum vitio loquitur.* Horat. Carm. 1, 33, 12. (Veneri) *placet impares formas atque animos sub iuga aenea saevo mittere cum ioco.* Graeci eodem modo loquuntur. Soph. Philoct. 842. κομπεῖν δ' ἔστ' ἀτελῆ σὺν ψεύδεσιν αἰσχρὸν ὄνειδος. i. e. ψευδῶς. Alciphron 1, 5. εἰ πλουτεῖς, σὺν δικαίῳ πλούτει.

Cum adverbio componitur apud Plin. Epist. 2, 18, 3. *quod quamquam parce et cum delectu daret.*

12. Quod instrumento aliquo adhibito fit, aut ope alicuius rei agitur, id dici potest cum ea agi: quod rationi bene convenit. Nam subest duarum rerum coniunctio. Id grammatici olim ita conceperunt, ut in quocumque ablativo instrumentum significante praepositionem vitandae ambiguitatis caussa omissam intelligerent. Vide Sanctii Min. 4, 6. p. 248. Et miratur Vossius de Constr. 47. p. 498. ablativum apud Latinos refugere praepositionem: quam quum omnes fere linguae exprimant, etiam in latina intelligendam esse. Cuius sententiae adversarii posthac exstiterunt multi. Sed Perottus in Cornu cop. p. 320. et Laur. Valla in Elegant. 2, 6. et Goclenius in Problem. gram. 3, 13. demonstraverant *cum* praepositionem numquam iungi nomini instrumenti, sed comitis, nec latine dici *percussi cum hasta*, sed, sicubi occurreret praepositio, significari comitem. Cf. Bangii Observ. philol. T. 2. p. 875. Perizonius, qui Sanctio plurima exempla aliena aut falsa exprobrat, ipse ne unum quidem attulit, quod cum ratione congrueret. Nec Scaliger de Caussis l. l. 4, 81. p. 189. alia dederat quam Sanctius: sed in Perizonii demonstratione acquieverunt Vrsinus Instit. T. 1. p. 1065. 2. p. 294. et alii multi. Ac Bauerus certe in reprehendenda hac demonstratione pertinaciter est versatus. Ruddimannus autem quum Vallam sequutus negasset, *cum* significare instrumentum, eaque exempla, quae alii adstruxissent, vel falsae vel dubiae lectionis videri, et caussam rei non in evitanda ambiguitate, sed in arbitraria latine loquentium consuetudine quaerendam esse, ipse intellexit, esse utique, in quibus re vera adiungeretur praepositio ablativo instrumenti, sed vel ipsa incerta, vel ex auctoribus latinitatis minus usitatae desumpta. Res ita se habet. Antiquissimo tempore Latini praepositionem usurpabant ad designandum instrumentum adhibitum, sed quum voluntatem et vim agentis, qua instrumenta reguntur, accuratius distinguere et in lingua conformanda ratiocinatione magis quam sensu uti coepissent, omiserunt praepositionem, et ablativo expresserunt caussalem notionem. Tamen antiquus usus mansit in vitae communis sermone et in carminibus poetarum. Quare exempla aut antiquiorum scriptorum sunt, aut eorum, qui artes tradebant vulgares, medicam et rusticam, aut poetarum. Recentissimi scriptores vulgari dictioni adhaeserunt: quare etiam multos locos a librariis in modum

ipsis usitatum interpolatos videmus. Atque sunt, in quibus non facile modus ab instrumento, aut caussa ab ratione distinguatur, et alia quaedam ex vulgari sermone etiam in bonorum scriptorum libros per consuetudinem translata: illud tamen omnibus temporibus commune et elegans et optimo cuique probatum fuisse videtur, ut, ubi aliquid per homines actum esse diceretur, ne deesset aliqua voluntatis coniunctio, pro simplici casu aut pro vocabulo *per* poneretur *cum*, societatem operae significans.

Piget iterum apponere omnia ea exempla, quae Sanctius, Cyr. Guntherus in Latin. restit. P. 2. p. 250., Perizonius aliique perversa interpretatione huc referunt, a nobis suo loco restituta. Pauca sufficiant. Ovid. Met. 1, 179. *terrificam capitis concussit terque quaterque caesariem, cum qua terram, mare, sidera movit.* Perizonius societatem rei vel actionis, Bauerus idem tempus intelligit, quo et caesariem Iupiter concusserit et terram moverit. Ita iam Goclenius Problem. gram. 3, 13. et recte quidem: est simul cum. nec exputo, quid in hac explicatione ineptum videatur Wüllnero de Casib. p. 82. Immo displicet caesaries instrumenti instar adhibita. Conf. locus Plauti Rud. 5, 3, 6. p. 139. Curtius 5, 1, 23. *ipse cum curru urbem, ac deinde regiam intravit.* ubi Cellarius, praepositionis, inquit, insolentior usus videtur pompae et apparatus comitatum significare. Liv. 9, 16, 3. *legatisque missis ad pacem cum precibus petendam.* Frequenter scilicet dicitur *precibus petere pacem* (vid. Drakenb. ad 1, 16, 3.) et caussa intelligitur, sed addita praepositione adhibitae preces dicuntur et modus, quo pax petatur. Cic. ad Att. 11, 15. *Quintus non modo non cum magna prece ad me, sed acerbissime scripsit.* Lactant. de Ira d. 16, 2. *eumque, qui sit dominus ac parens omnium, venerantur cum precibus assiduis ac frequentibus votis.* Alii libri *et precibus*, ut haec cum inferioribus cohaereant. Lactant. Instit. 5, 20, 8. *quibus cum lacrimis, cum gemitu, cum sanguine de membris omnibus fluente libatur.* Quomodo haec explicentur, unum vocabulum *gemitus* ostendit.

Caes. B. gall. 5, 58. *equites tela coniiciunt et magna cum contumelia verborum nostros ad pugnam evocant.* Intelligo et telis et contumelia, inter contumeliosa verba. Virgil. Ge. 2, 423. *ipsa satis tellus cum dente recluditur unco, sufficit humorem et gravidas cum vomere fruges.* Servius ita: *c u m abundat: nam hoc dicit: subministrat fruges vomere, id est, per vomerem. Vrbanus tamen sic accipit gravidas cum vomere, id est, statim post arationem.* Neutrum potest probari. Heynius vidit esse

coniunctionem *quum*. Alia, quae animi conditionem designant, vide p. 156.

Cl. Quadrigar. apud Gell. 9, 13. *extemplo silentio facto cum voce maxima conclamat.* Claudian. Rapt. Pros. 2, 365. *exsultant cum voce pii.*

Ennius apud Servium ad Virg. Ge. 2, 424. *effundit voces proprio cum pectore sancto.* Lucilius apud Non. 4, 69. *acribus inter se cum armis confligere cernit.* Dousa coniecit *inter sese armis.* Conf. quod supra p. 144. posuimus *cum ferro aliquem invadere.* Catullus 98, 3. *ista cum lingua, si usus veniat tibi, possis culos et crepidas lingere carbatinas.*

Nec potest disceptari, si quis malit huc referre Virg. Aen. 5, 368. *continuo vastis cum viribus effert ora Dares.*

Celsus 7, 6, 4. *si morabitur, excuti quoque cum aliquo ferramento poterit.* sed editiones vet. habent *excuti quoque ictum.* Vitruv. 2, 8, 4. *cum ansis ferreis et plumbo frontes vinctae sint.* Vegetius artis veterinariae auctor frequentissime hac dictione usus est. 1, 27, 2. *caede caudam cum tabula aliqua non ponderosa.* 3, 31. *statim eam cum fibulis consuito.* 1, 11, 8. *nec ungere cum vino et oleo tepefacto desit industria.* Festus in Paulli exemplo: *funebres tibiae dicuntur, cum quibus in funere canitur.* Schol. Germanici: *Aquila*] *Dicitur sagitta Apollinis fuisse, cum qua Cyclopas interfecit.* Orosius 7, 33. *ipse imperator cum sagitta saucius* (al. *sauciatus*) *versusque in fugam* etc.

Grammaticorum est formula *vocabulum scribi cum littera quadam.* Varro de Ling. lat. 4, 4. *terra in augurum libris scripta cum R uno.*

Ovid. Met. 6, 614. *aut ego cum facibus regalia tecta cremabo, artificem mediis immittam Terea flammis, aut linguam — ferro rapiam.* Si *cum* coniunctionem esse iudicamus, exsistit intolerabilis languor, nec ferri potest *cremabo*, quod Heinsius mutavit in *cremaro:* sin praepositionem probamus, addi debet copula, quam nonnulli codices suppeditant, *art. et mediis* vel *mediisque:* nam ne vehementia quidem orationis excusabit asyndeton. Art. am. 3, 556. *sed neque victor equum, qui nuper sensit habenas cum paribus frenis, artificemque reget.* alii *comparibus frenis*, quod an in antiquis libris inventum sit, nemo narravit. Virgil. Aen. 9, 816. de flumine: *ille suo cum gurgite flavo accepit venientem.*

Librarii saepe ex suo usu adiecerunt praepositionem. vid. Ovid. Her. 16, 260.

13. In his exemplis, quae diversa ratione distinximus, plurima in se habent verbum eundi, vel proficiscendi, vel veniendi, vel mittendi, vel persequendi, eoque declarant primitivam particulae vim, quae comitatum significat. Illa igitur verba quocumque modo assumunt praepositionem *cum*, etiam ubi instrumentum et caussam intelligas.

Ita, quae supra posuimus, *cum magno periculo ire*, *cum victoria redire*, *cum clamore currere*, *cum mandatis mittere*. Sic Curt. 5, 1, 23. *cum curru intravit*. 3, 6, 8. *cum poculo intravit*. Liv. 38, 18, 23. *traducite in terras cum multis fortibus factis saepe a vobis peragratas*. Curt. 8, 13, 15. *cum gloria abire*. Liv. 34, 30, 4. *cum qua fama venerunt*. et quae Drakenb. ad 43, 23, 1. Liv. 4, 9, 8. *in agros optimatium cum ferro ignique excursiones facit*. Admodum durum est, quod Minucius Felix Octav. 3. scripsit: *cum hoc sermone eius medium spatium civitatis emensi*.

Hinc etiam dicitur *prosequi*. Liv. 39, 55, 4. *prosequuti cum donis legatos sunt*. Alia vide apud Sanctium Min. 4, 6. p. 272. Aliter Cic. ad Q. Frat. 2, 13. *quod eum essent cum equis prosequuti*. In Taciti Germ. 40, 5. *deam — vectam bubus feminis multa cum veneratione prosequitur*. alii libri omittunt *cum*. Hinc Hessius abiiciendum putat, simul negans, substantivo nude posito, id fieri posse: quod quam falsum sit, eum doceat Vellei. Pat. 2, 92, 5. et innumera alia exempla.

Defendendum est ipso elegantiae nomine, quod dixit Tacit. Dialog. de Orat. 7, 3. *habere quod si non in animo oritur, nec codicillis datur, nec cum gratia venit*. Atque eadem ratione explicuerim verba illa Phaedri 2, 5, 25. de quibus vide III, 4. *veneunt* est venum eunt: quod apte coniungitur cum nomine negotiantis: *mecum veneunt*.

14. Quaeritur, num id, quod de adhibitis rebus recte dici ostendimus, etiam ad personas transferatur, atque *cum aliquo* pro *per aliquem* ponatur. Qua in quaestione ante omnia cavendum est, ne aliena confundantur. Scilicet quod supra posuimus p. 151. *cum legionibus*, *cum copiis*, et quod infra illustrabimus *cum volentibus diis*, auxilium attinent praesentiae. Reliqua videntur alius esse rationis.

Tacit. Ann. 1, 43. *tua, dive Auguste, coelo recepta mens, tua, pater Druse, imago, tui memoria iisdem istis cum militibus, quos iam pudor et gloria intrat, eluant hanc maculam*. Sunt

qui explicent: per istos milites. Est potius, adhibitis istis militibus.

Liv. 32, 5, 6. *et cum Achaeis quidem per haec societatem firmabat. Macedonum animos sibi conciliavit cum Heraclide.* interpretantur plurimi, per Heraclidem, Douiatius autem, adiuvante Heraclide. Equidem plura verba excidisse puto: nam ab omnibus antiquis libris absunt verba *sibi conciliavit*, desideraturque expositio caussae, qua Heraclides populo infensus fuisset.

III. Restat, ut proprietatem quarumdum dictionum illustremus. Nam vulgaris sermo, qui in omnibus praepositionibus usum multiplicat, etiam in hac singularia composuit, quae ne boni quidem scriptores repudiaverunt.

1. *Rationem habere cum aliquo* dicitur de eo, qui aliquo nomine coniunctus est cum aliquo et commercium aut rem habet cum aliquo: *im Verhältniſs, im Verkehr mit etwas stehen.*

Cic. ad Att. 2, 5. *nunc vero, quoniam, quae putavi esse praeclara, expertus sum, quam essent inania, cum omnibus Musis rationem habere cogito.* i. q. Tusc. 5, 23, 66. *cum Musis commercium habere.* p. Coel. 20, 50. *si qua mulier sit huiusmodi, — vita institutoque meretricio, cum hac aliquid adolescentem hominem habuisse rationis, num tibi perturpe aut perflagitiosum esse videatur?* de Senect. 15, 51. *habent enim* (voluptates agricolarum) *rationem cum terra.*

Cic. in Verr. 2, 65, 159. *cum statua se eius habuisse temporis rationem, quo posita esset: cum homine vero, quo gereret bellum atque hostis esset.* i. e. rationem, quae inter Rhodios et statuam Mithridatis intercederet, fuisse temporis, quo haec posita esset.

2. *Facere cum aliquo*, praeter eum sensum, quem p. 143. exposui, de eo, qui ab alicuius parte stat, usurpatur in vulgari formula de rebus in usum adhibitis. Alia est dictio: *quid cum hac re?* Et dicunt Latini etiam ablativo et dativo posito: *quid hoc homine facias?* Cic. p. Sext. 13, 29. ubi Manut. et *quid huic homini facias?* Cic. p. Caec. 11, 30. *Hoc homine* est, quum talis sit homo, ut Cic. de Leg. 3, 16, 37. *non quid hoc populo obtineri possit.* Zumptius in Gramm. n. 491. temere negavit usum praepositionis.

Plaut. Capt. 4, 2, 22. *quid hic homo tantum incipissit facere cum tantis minis.*

Phaedr. 3, 19, 8. *medio sole quid cum lumine?*

3. *Deliberare*, quod verbum ab aliis refertur ad personam, *deliberare cum aliquo*, Quinctilianus, primitivam significationem a libella, qua quid perpenditur, derivans, ita usurpat, ut *deliberare cum aliqua re* sit rationem habere alicuius rei, eaque collata et perpensa aliquid constituere.

Quinctil. 3, 7, 16. *utra sit autem harum via utilior, cum materia deliberabimus.* 5, 13, 59. *tamquam perierit haec ratio media et nihil cum ipsius caussae utilitate sit deliberandum.* 7, 10, 10. *quare plurima petamus a nobis, et cum caussis deliberemus.* 9, 4, 117. *occasionibus utendum et cum re praesenti deliberandum.*

4. Brevitatis caussa simpliciter ponitur *cum*, ut significetur id, quod aliquo modo cum re agenda tamquam eius conditio aut pars cohaeret.

Liv. 9, 31, 10. *datum, ut triduum quotannis ornati cum cantu atque hac, quae nunc solemnis est, licentia per urbem vagarentur.*

5. *Mecum, tecum*, et reliqua pronomina personalia multiplicem admittunt verborum coniunctionem.

Secum afferre Cic. ad Att. 10, 13. *semper secum aliquid afferunt tuae litterae.* *Secum habere* et de comitatu, et de continendis ac silentio servandis rebus. Cic. ad Att. 5, 8. *ne illum malus emptor alienus mancipiis, quae permulta secum habet, spoliaret.* de Orat. 1, 18, 52. Sed ad Att. 4, 15. *haec tu tecum habeto.* ad Fam. 7, 25, 4. Nec negaverim cum Ernestio recte scribi Cic. in Verr. 2, 31, 77. *habeatis sane vobiscum istum senatorem.* cf. n. 6. Scripserunt vulgo *vobis.*

Secum esse pro sibi, in sua parte. Liv. 4, 32, 5. *proin memores secum triumphos, secum spolia, secum victoriam esse.* Virgil. Aen. 4, 115. *mecum erit iste labor.* i. e. mihi. Silius 8, 330. *mecum erit haec prorsus pietas.* i. e. in me. Ovid. Am. 1, 6, 37. *erga Amor et modicum circa mea tempora vinum mecum est.* Tum de animo se continente. Cic. de Senect. 15, 49. *secum esse secumque, ut dicitur, vivere.* i. e. animo in se revocato et secum agitante. Horat. Sat. 2, 7, 11. *adde, quod idem non horam tecum esse potes, non otia recte ponere.* ubi Acron Schol. *quum duceris voluptatibus, non se tecum, id est,*

non es sanus. Esset igitur i. q. apud te, in te. Cruquius ad inconstantiam animi vel ad inaequalitatem vitae refert. Potius intelligamus eum, qui libidine et rerum deliciis distractus non secum agit, sed aliena et externa captat.

Secum reputare vide p. 150. De *mecum* pro *apud me* vid. p. 137. Vt verba obscura Phaedri 2, 5, 25. explicarent, critici *mecum* esse *domi meae*, *apud me* demonstrarunt locis Terent. Hec. 1, 2, 99. Phaedr. 3, 5, 15. Cic. ad Att. 5, 8. qui omnes prorsus diversi sunt. Cum Bentleio ego quoque miror ineptam interpretationem, ex qua latine dicatur *multo maioris alapae mecum veneunt* de manumissione nescio cuius pro: libertas apud me maioris venditur. Sensum idem Bentleius bene perspexit. Est vero hic iocus: parva adhuc est tua opera, et ne alapis quidem digna. Quo ego pugnis puniam, maius quid conficiendum erit. Quomodo vero *mecum* his verbis conveniat, vide in II, 13.

6. Muretus ad Catull. 89. (98.) 3. haec: „particula *cum* tacitam quamdam significandae indignationis vim habet, quae percipi facilius quam exprimi potest. Terent. Eun. (4, 3, 9.) *abi hinc quo dignus es, cum donis tuis tam lepidis.* Idem Ad. (4, 6, 2.) *ut, Syre, te cum tua monstratione magnus perdat Iuppiter.*" Ruhnkenius in Praefat. ad Schelleri Lex. (p. 509. Orat. a Friedemanno edit.) addit haec Plaut. Epid. 1, 1, 33. *abi in malam rem maximam a me cum istac conditione.* Mostell. 2, 2, 33. *dii te deaeque omnes faxint cum isto omine.* Liv. 5, 27, 5. *scelestus ipse cum scelesto munere venisti.* et ad Terent. Andr. 5, 4, 38. alia haec Eun. 1, 2, 73. Phorm. 3, 1, 1. Hec. 1, 2, 59. Haec vero indignatio non inest in ipsa particula, sed in eo potius, quod in abominandis hominibus, ipsos cum omni re, quae adhaeret, aut qua illi molesti fiunt, simul comprehendimus. Quare Livii verba aliam habent rationem, et in Terent. Eun. 1, 2, 73. et Phorm. 3, 1, 1. conditio describitur.

7. Quod Graeci dicunt σὺν θεῷ, Germani *mit Gott*, Latinos non expressisse verbis *cum Deo*, sed dixisse *deo iuvante*, *deo auspice*, grammatici quidem docuerunt. Vid. Noltenii Lex. p. 1413. Contra Vossius de Constr. p. 593. etiam in his formulis praepositionem omissam esse putabat. Et additam videmus apud Ennium et Catonem et alios.

Ennius apud Cic. de Off. 1, 12, 38. *deque volentibu' cum magnis dis.* Cato de Re r. 141, 1. *cum divis volentibus quodque bene eveniat.* Liv. 21, 43, 7. *agite cum dis bene iuvantibus arma capite.*

Similiter Plancus ad Cic. Epist. 10, 8, 12. *nam cum deum benignitate ab omni re simus paratiores.*

Claudian. de Cons. Stil. 3, 174. *hanc tu cum superis, Stilicho praeclare, tueris.*

8. Peculiaris est formula *cum eo*, qua et ea conditio significatur, quae cum aliqua re cohaeret innexa sive innata, et ea, quae alicui rei substruitur vel superstruitur, ut sit: hac addita conditione vel exceptione, sub hac lege, sub hac conditione. Intelligitur enim coniunctio, ut dicitur *cum edicto*. Sequitur *quod* et *ut*. Vbi vero sententia aliam praecedentem restringit et singulari conditione vincit, additur *quidem* et *tamen*. Cf. Nolten. Lex. p. 1413. Spalding. ad Quinctil. 2, 4, 30. 10, 7, 13. Ita loquuntur scriptores post Livium, imprimis Celsus (vid. Rhodius ad Scribon. 135. p. 208.): non autem Cicero, nisi in epistolis ad Atticum, et semel quidem aut raro. Cuicumque sententiae potest hoc modo addi conditio.

Liv. 29, 21, 5. *castraque in campo locat, cum gravi edicto, si quis miles* etc.

Quinctil. Declam. 13, 15. *nam et cetera animalia videtur mihi natura usibus nostris genuisse, haec etiam deliciis cum eo, quod in illis, quae vel scindendo solo vel maturando itineri comparamus, multus ante reditus insumitur labor.* Scribon. Larg. Compos. med. 60. *hoc cum eo, quod candidos facit dentes.*

Quinctil. Inst. 10, 7, 13. *nec fortuiti sermonis contextum mirabor umquam —: cum eo, quod, si calor ac spiritus tulit, frequenter accidit, ut successum extemporalem consequi cura non possit.*

Liv. 36, 5, 3. *apud regem gratiam initam volebant cum eo, ut caverent, ne quid offenderent Romanos.* 8, 14, 2. et 8. 30, 10, 21. Celsus 3, 22. p. 169. *sanguis mittendus est, sed paulatim — cum eo, ut cetera quoque eodem modo serventur.* 6, 2.

Columella 5, 1, 4. *obsequar voluntati tuae cum eo, ne dubites id opus geometrarum magis esse quam rusticorum.* Celsus 7, 22. *ramex — adurendus est tenuibus et acutis ferramentis,*

quae ipsis venis infiguntur cum eo, ne amplius quam has urant.

Celsus 2, 17. p. 94. *manentibus vero adhuc febribus, si hae sunt lentae, lienesque iamdiu male habent, recte medicina ista tentatur, cum eo tamen, ne praecordia dura sint.* 3, 5. p. 127. 4, 6. 7, 27. Cic. ad Att. 6, 1. *sit sane, quoniam ita tu vis: sed tamen cum eo, credo, quod sine peccato meo fiat.*

9. Vt exprimerent, quotuplum ex agro vel ex semine rediret, vulgari sermone Latini contractam formulam usurpabant, *cum decimo.* Intelligitur *cum d. grano.* Germani dicunt, *zehnfältig.*

Varro de Re r. 1, 44, 1. *ut ex eodem semine alibi cum decimo redeat, alibi cum quintodecimo.* Cic. in Verr. 3, 47, 112. *ager efficit cum octavo, bene ut agatur: verum, ut omnes dii adiuvent, cum decumo.* Plin. Hist. n. 18, 10, 21. *cum centesimo quidem et Leontini Siciliae campi fundunt.*

Plena dictione Plin. Hist. n. 5, 4, 3. *cum centesima fruge agricolis foenus reddente terra.*

10. Supra notavimus p. 145. dici de corporis conditione *cum febri.* Ita etiam propria fit formula *cum vulnere*, quemadmodum etiam Germani loquuntur.

Liv. 9, 44, 15. *Minucium consulem cum vulnere gravi relatum in castra.* 33, 25, 9. *Tuditanum cum gravi vulnere latum ex proelio haud ita multo post exspirasse.*

11. Grammatici tradunt, in poetarum carminibus praepositionem a suo nomine longius removeri, nec proxime coniungi: tamen quae afferunt exempla, valde dubia esse videntur. Cuninghamus in Animadvers. in Bentl. not. in Horat. p. 144. exemplis demonstrare voluit, a poetis eleganter et fere semper praepositionem *cum* post adiectivum positam esse; in oratione numeris soluta alias adiectivum praecedere, alias sequi. Bentleius contrarium usum Horatii observasse se narrat ad Serm. 1, 10, 49. Elegantia vero, quam dicunt, communis est omnibus praepositionibus monosyllabis: nec certa constat regula.

Horat. Sat. 1, 3, 69. *amicus dulcis, ut aequum est, cum mea compenset vitiis bona, pluribus hisce, si modo plura mihi bona sunt, inclinet.* Interpretes, antiqua scholia sequuti, coniungunt: cum vitiis meis mea bona compenset. Argumenta, quae criticis placuerunt, nimis exilia videntur: nam coniunctivus

recte se habet, ut dixit Cic. de Orat. 1, 38, 174. *tu mihi quum in circulo decipiare adversarii stipulatiuncula — ego tibi ullam caussam maiorem committendam putem.* Et quod existimant dicendum fuisse: *quum compenset vitia mea bonis*, hoc genus verborum compensandi, comparandi, aequandi utramque rationem mutuam admittit, non mutato sensu. Cic. de Fin. 2, 30, 96. *compensabatur cum his omnibus animi laetitia.* Quare nihil impedit, quo minus scribamus: *quum mea compenset vitiis bona.* Apud Lucretium 2, 1167. quem confert Heindorfius, recte legitur: *et quom tempora temporibus praesentia confert praeteritis.* Horat. Ep. 2, 1, 24. *foedera regum vel Gabiis vel cum rigidis aequata Sabinis.* interpretes retrahunt praepositionem, quod non opus esse vidit Marcilius.

Interpositae copulae exemplum habet Cic. Tusc. 5, 23, 66. *cum et diurno et nocturno motu.*

Exempla praepositionis inter adiectivum et substantivum interpositae permulta collegit Cuninghamus l. l. qui adeo corrigenda putat verba Horat. Sat. 1, 8, 50. 2, 3, 112. Art. p. 260. Caesar scripsit B. gal. 5, 43. *summa cum laude*, sed Plinius Ep. 7, 9. *cum summa laude.*

12. Anastrophes in hac praepositione multiplex est usus. Ac primo fere semper post pronomina *me*, *te*, *se*, *nobis*, *vobis* ponitur. Vid. Priscian. 12. p. 949. 14. p. 988. Tum adiungitur pronomini *quo*, *qua*, *quibus*, et *quicum* dicitur pro *quocum* et *quacum*. Priscianus p. 949. *quomodo igitur, si dicam propter te et te propter, idem significo, et cum quibus et quibuscum, sic cum me et mecum. Nam antiquissimi utrumque dicebant: sed in plurali primae personae cacephati caussa solebant per anastrophen dicere nobiscum pro cum nobis. Itaque propter hoc reliquarum quoque personarum ablativos similiter praepostere proferre coeperunt, teste Plinio, qui hoc in II. lib. sermonis dubii ostendit, et Cicerone, qui de oratore his utitur verbis: Noluimus c u m me et c u m te dicere, ne eidem computationi adiungendum esset, c u m n o b i s, sed potius m e c u m et t e c u m et s e c u m et n o b i s c u m diximus, c u m praepositione, quae facit obscoenum, assidue postposita. Antiqui tamen absque observatione naturali ordine haec protulisse inveniuntur.* Ciceronis verba in Oratore 45, 154. aliter se habent sic: *quid? illud non olet unde sit, quod dicitur c u m i l l i s, c u m autem n o b i s non dicitur, sed n o b i s c u m? quia si ita dice-*

retur, obscoenitas concurrerent litterae, ut etiam modo, nisi autem interposuissem, concurrissent. Ex eo est mecum et tecum, non cum me et cum te, ut esset simile illis nobiscum atque vobiscum. Ex his intelligitur, ambiguum usum, quo et *cum te*, *cum nobis* et *tecum*, *nobiscum* dicebatur, a grammaticis iam olim ad praeceptum illud, quo rariora vitari iuberent, revocatum eique praecepto substructam esse rationem speciosam quidem, sed non veram. Nam etiam in Epist. 9, 22. refert Cicero vulgo dici: *cum nos te volumus convenire.* Quod vero in *cum nobis*, liquida littera assimilata, obsoenus sonus resultat, casu fit et potest ab oratore vitari: tamen perversa argumentatione cum Cicerone concluderemus, ob hanc caussam evitandae in *cum nobis* obscoenitatis etiam dictum esse *tecum*, *vobiscum.* Alii grammatici veteres videntur rationem quaesivisse in una collisione litterarum *m* et *n*, quarum illa in hanc transiret ita, ut praepositionis vis et species absconderetur: et recte quidem. Quinctilianus utrumque miro modo coniunxit 8, 3, 45. *iunctura deformiter sonat, ut si cum hominibus notis loqui nos dicimus, nisi hoc ipsum hominibus medium sit, in praefanda videmur incidere* (i. e. obscoena pronuntiare): *quia ultima prioris syllabae littera, quae exprimi nisi labris coeuntibus non potest, aut intersistere nos indecentissime cogit* (i. e. ut coniunctio praepositionis legitima tollatur), *aut continuata cum insequente in naturam eius corrumpitur* (i. e. commutata in *n* exuit naturam suam). Vera et prima ratio cernitur in maiori volubilitate pronominum, quae facilius cedunt in suaviorem, ut tum videbatur, formam. In hac vero compositione utrumque vocabulum uno accentu comprehendebatur, tamquam praepositio facta esset enclitica. Qua de re Priscian. 12. p. 950. *nulla tamen monosyllaba praepositio anastrophen patitur, nisi ea. Ea fortassis ideo enclitici vice fungitur, quia enclitica monosyllaba sunt.* et 14. p. 988. *aliis vero ideo enclitici vice fungi postposita videtur, ne, si acuatur, adverbium esse putetur.*

Dixerunt de hac re Manut. ad Cic. Epist. 9, 22. p. 1042. Bangius Tom. 1. p. 699. et reliqui grammatici fere omnes, in Ciceronis explicatione acquiescentes. Noltenius p. 1415. observasse se narrat veteres pro *cum nonnullis* dixisse *cum paucis.* Idem notat exempla Caes. B. c. 1, 81. *cum navibus* et

Virgil. Aen. 1, 197. et Hirt. B. afr. 23. quae parum in istam sententiam probant.

Locos, in quibus *cum quibus*, *cum quo* posita sunt, collegerunt Drakenborch. ad Liv. 38, 9, 2. Heusinger. ad Cic. Off. 1, 35, 2. Bremi ad Corn. Nep. Milt. 1, 2. Cf. Gernhard. ad Cic. Lael. 1, 2. et 6, 22. Doelekius p. 158. et Ramshorn. p. 378. praeponi praepositionem dicunt, ubi vim habeat peculiarem. Quod quamquam demonstrari posset verbis Cic. de Fato 16, 36. *interesse autem aiunt, utrum eiusmodi quid sit, sine quo aliquid effici non possit, an eiusmodi, cum quo aliquid effici necesse sit.* tamen in hoc loco discrepant libri scripti, nec in reliquis Cic. de Off. 2, 23, 82. Cornel. Att. 4, 2. apparet maior vis. Diversa est caussa apud Cic. ad Fam. 14, 14, 3. *his de rebus cum Pompeio, cum Camillo, cum quibus vobis videbitur, consideretis.* Ibi enim dicitur pro *cum iis, quibuscum.*

13. Quod Drakenborchius ad Liv. 31, 29, 15. observasse sibi visus est hanc praepositionem eleganter bis poni, veluti apud Liv. 9, 9, 12. *cum senatu, cum populo de pace ac foedere agere:* id certe non hoc exemplo probari poterat: ibi enim adscendit oratio per eam formam, quae omnibus verbis communis est. Sed Zumptius quoque n. 744. proprietatem quamdam huius repetitionis notat cum hac conditione, ut altero in loco praepositio annexa esse debeat pronomini: quemadmodum Cic. de Amic. 3, 11. *memini Catonem, anno ante quam mortuus est, mecum et cum Scipione disserere.* Et recte quidem, si quaeritur, num in hac coniunctione omitti possit altera praepositio: quamquam nihil impedit, quo minus etiam aliis nominibus iterum apponatur, si utrumque nomen singulatim pronuntiatur, nec in una notione arctius cohaeret.

Cic. de Amic. 21, 84. *idque faciunt cum desiderio et cum quadam similitudine amoris humani.* Graevius omisit, quae in multis codd. deest, praepositionem. Bene eam tamquam necessariam vindicat Gernhardus: „nam desiderium animantes sentiunt, similitudinem vero insciae gerunt." Orat. 13, 42. *me autem — una cum Socrate et cum Platone errare patiantur.* Editiones vet. omittunt *cum* alterum: recte: nam in antecedentibus Socrates et Plato unam personam tenent. de Fin. 1, 3, 9. *cum multa venustate et omni sale.* supra dixi non attrahi praepositionem.

14. *Quum* coniunctio et *cum* praepositio in una enuntiatione positae nullam habent offensionem ingratam.

Cic. p. Arch. 4, 6. *interim satis longo intervallo et quum esset cum L. Lucullo in Siciliam profectus, et quum ex ea provincia cum eodem Lucullo decederet* etc. ad Fam. 8, 6, 8. *ut mihi, cum illo quum loquerer, tecum loqui viderer.* 2, 6, 1. 15, 2, 7. Quinctil. 6, 1, 25. *mutae tamen res movent, aut cum ipsis loquimur, aut quum ipsas loqui fingimus.* coniecturas multas enarrant editores. Scribendum erat *mutae tantum res movent, aut quum ipsi loquimur* etc. Oederus quidam in Epistola critica Gotting. 1742. edita p. 8. hoc loco et 10, 7, 29. cum semel positum coniunctionis et praepositionis vicem simul sustinere existimabat. Sim. Bosius in Cic. ad Att. 5, 13. coniecerat legendum *quum cum decumanis.* Ineptiarum libelli, quales Melissus grammaticus olim composuit, etiam hodie componi poterunt.

*) In codicibus interdum commutata sunt *cū* et *cā.* i. e. caussa. vid. Drakenb. ad Liv. 4, 44, 10. *cum* et *eum.* vid. Drakenb. ad Liv. 4, 19, 2. 10, 7, 3. 27, 44, 9. Oudendorp. ad Apulei. T. 1. p. 141. et *in.* Drakenb. ad Liv. 9, 30, 10. Cic. de Senect. 1, 1. et *iam.* Burman. ad Lucan. 5, 678. et *tum* ad Virgil. Aen. 6, 185. et praenomen *C.* Drakenb. ad Liv. 4, 52, 4. et *Cn.* ad 8, 18, 13. et *Q.* Duker. ad Flor. 3, 21, 21. et *con* in compositis verbis. Drakenb. ad Liv. 4, 24, 7. Excidit antecedente syllaba *cum.* Drak. ad Liv. 32, 9, 3. et *tum* ad 35, 23, 10. et *iam* ad 36, 12, 10. et sequente syllaba *com* s. *con* ad 3, 7, 7. 3, 69, 5. 6, 14, 12. Addita est ob praecedentem syllabam *cum* ad 9, 17, 9. Et saepe adiecerunt librarii ex suo usu. vid. Ovid. Her. 16, 260. Liv. 38, 25, 7. nam bene dicitur *cum aliquo homine periclitari*, non item *cum aliqua re.* De confusis v. *cum* et *quum* Broukhus. ad Tibull. p. 25. et 317. Burmann. ad Lotich. p. 406.

CVMPRIME. CVM PRIMIS.

Gellius ex Q. Claudii Annal. 17, 2, 14. *Nam M., inquit, Manlius, quem Capitolium servasse a Gallis supra ostendi, cuiusque operam M. Furio dictatore apud Gallos cumprime*

fortem atque exsuperabilem res publica sensit, is et genere et vi et virtute bellica nemini concedebat. Apprime crebrius est, cumprime rarius: traductumque ex eo est, quod cumprimis dicebant pro eo, quod est in primis. In his duplex apparet error, ab omnibus posthac receptus. Primum enim *cumprime* non poterat a *cumprimis* deduci: neque vero comparari diversa vocabuli *apprime* compositio. *Prime*, de quo Sosipater p. 188. et Priscianus dixerunt, fit *apprime*, quod auctam habet vim significationis apposito praeverbio *ad*, sicuti *affatim*, *approbe*, *addecet*. vid. Vol. 1. p. 200. Sed si in similem compositionem adhiberetur praepositio *cum*, formatio esset *comprime*. In *cum-prime*, sive *quum-prime* et *cum-maxime*, sive *quum-maxime* appositum est adverbium, non composita praepositio: nec multum refert, utrum unum vocabulum scribamus, an hyphen interponamus. Significat autem *cumprime* idem quod *quam prime*. Conf. CVMQVE. In *cum primis* habemus praepositionem nomini praemissam, ut sit *in primis*, *inter prima*, *prae ceteris*. Haec recentiori tempore in unum verbum *comprimis*, sicuti *imprimis*, coniuncta sunt, et si qui adeo scripserunt *cumprimis*, ii nativam formam servarunt ex antiqua consuetudine. Inde vero nata est falsa ista deductio verbi *cumprime*.

Cum primis dicitur in comparatione eorum, quae in quoque genere prima sunt, et praecipue excellunt. Ita Turnebus Advers. 30, 19. Sed ponitur etiam de ordine et principio, pro *primum*, *ante alia*.

Plaut. Truc. 3, 1, 15. *eradicare est certum cum primis patrem, post id locorum matrem.* Lucret. 2, 849. *cum primis quaerere par est.* 5, 337. *et hanc, primus cum primis ipse repertus nunc ego sum, in patrias qui possim vortere voceis.* Virgil. Geo. 1, 178. *area cum primis ingenti aequanda cylindro.* ubi Servius: *interea quod maxime necessarium est, vel inter prima opera et officia.*

Lucret. 1, 717. *quorum agragantinus cum primis Empedocles est.* opponuntur v. 735. *inferiores.* 2, 537. 3, 929. *tamquam in morte mali cum primis hoc sit eorum.* 5, 620. 6, 260. Novissimus editor cur in quibusdam locis 2, 848. 3, 929. 6, 260. coniunctam scripturam praetulerit, non exputo.

Cic. de Divin. 1, 32, 68. *Coponium ad te venisse — cum primis hominem prudentem atque doctum.* in Verr. 1, 52, 137.

2, 28, 68. *homo domi suae cum primis locuples atque honestus.* Sed Brutus apud Cic. de Orat. 2, 55, 224. *sapiens videlicet homo cum primis nostrae civitatis norat hunc gurgitem.* coniunge *cum primis nostrae civitatis.* i. e. inter primos.

Gellius 1, 13. *cumprimis autem respiciendum putaverunt ingenium.* Apulei. de Deo Socr. p. 54, 7. *sed comprimis mirandum est.* ubi vid. Oudendorp. p. 170.

Ios. Scaliger in notis ad Festum p. 105. Dac. existimasse videtur *cumpartim* ab antiquis scriptoribus dictum esse in modum verborum *cumprime*, *impraesentiarum.* Quod falsum est. Vid. Gellius 10, 13. qui demonstrat, *partim* cum praepositione coniungi instar nominis in casus inclinati.

CVMQVE.

Vocabulum CVMQVE sive CVNQVE quamquam ad coniunctionem *quum* pertinet, quam etiam scriptura distinguimus, tamen quia veteres scriptores praeter pauca exempla, in compositis certe verbis, semper videntur scripsisse *cumque*, non *quumque* aut *quomque*, hoc ordinis loco dicendum est de eo. Atque pronuntiatio una erat, sicuti in praepositione, nec subsidio scripturae opus erat, quo adverbium et praepositio inter se discriminarentur. Apud Gruterum quidem p. 629. in antiqua tabula legitur QVOSQVOMQVE, et in Lucretio 2, 21. et 113. nescio, an cum antiqua auctoritate ediderint *quomque:* in codice britann. 2. apud Wakefieldum legitur 1, 326. *quaecomque*, 1, 263. *quaeconque*, in editione veneta 1, 434. *quodquumque.*

Quum coniunctio significat, id, quod dicitur, aut temporis aut caussae rationi esse subiectum: *que* syllabicum vocabuli, cui adhaeret, ambitum et vim extendit, et in relativis verbis *quisque, ubique* et aliis ita, ut omnes res alicuius generis comprehendantur, quod Germani dicunt, *wer immer*, *wer*, *wo*, *wie auch es sey*, et in demonstrativis vocabulis, veluti in *itaque*, ut tota res contineatur et definitius designetur (nos *so überhaupt*, *so eben*): quare *cumque* proprium sensum habet verborum, *wie immer*, *wie auch* et *wann immer*, indicatque omnem, qui cogitetur, modum, omneve tempus.

Vniversitatem huic nomini propriam iam Gesnerus in Thes. notavit. Lindemannus de Adverb. 1. p. 19. comparat graecum τέ in ὅστε, εἶτε: in quo equidem non assentior.

Duplex est huius vocabuli usus. Componitur enim cum formis relativis *quicumque*, *qualiscumque*, *ubicumque*, et quae sunt reliquae, suo loco explicandae, in quibus saepe admittitur tmesis. Tum vero etiam ipsum *cumque* a poetis antiquioris temporis usurpabatur solum, vel ad tempus relatum, ut significaret *quandoque, quoquo tempore*, vel de modo ac ratione rei universa, *quoquo modo*, ut idem sit atque *in universum, überhaupt*.

Lucret. 2, 20. *pauca videmus esse opus omnino, quae demant quomque dolorem.* Lambinus edidit *quemque*. Verto, *was den Schmerz überhaupt benehme.* 2, 113. *contemplator enim, quom solis lumina quomque insertim fundunt radios per opaca domorum.* 6, 84. *sunt tempestates et fulmina clara canenda, quid faciant, et qua de caussa, quomque ferantur.* i. e. *weshalb irgend.* 5, 312. *non monimenta virum dilapsa videmus? quaerere proporro sibi quomque senescere credas.* i. e. quoquo modo. sed vid. Forbiger ad h. l. Horat. Carm. 1, 32. *o decus Phoebi et dapibus supremi grata testudo Iovis, o laborum dulce lenimen, mihi cumque salve rite vocanti.* ubi Schol. *quotiescumque te vocavero, quandocumque.* Bentleius, „scio,“ inquit, „quid interpretes de *cumque* illo sic nude posito dixerint, quorum ego mentem et industriam laudo: neque tamen quisquam quod sciam vel ex omni qua patet, latinitate simile exemplum proferre potuit: neque quidquam de tam singulari loco habent grammatici veteres.“ Cuninghamus vero Animadv. p. 239. praeter Lucretii locum affert cod. Theodos. de Susceptoribus 12, 6, 32. *aurum sive argentum cumque a possessore confertur, arcanus vel susceptor accipiat.*

Cic. de Leg. 3, 3, 9. *equitem cumque qui regat, habeto.* Ita scripserunt Turnebus, Goerenzius et alii, quod Orellio ne latinum quidem esse videtur: immo inepta exit sententia, si coniungis *quicumque*. Cod. unus paris. praebet *equitatum cumque qui regat* et similiter exc. Victor. Hoc verum puto, et in eum modum dictum, quo Lucretius supra *quae demant quomque dolorem*: ut intelligatur, qui universo imperio equitatum regat, sive qui universum equitatum regat. Sic Lucret. 3, 548. *velut aures atque oculei sunt atque aliei sensus, quei vitam quomque gubernant.* ubi haud facile coniunges *quicumque*, nisi simul comprehendas gubernandi negotium universum. conf. 4, 739. 6, 1017. Turnebo indigna erat opinio, qua connecti posse putabat *cum habeto.*

Tmesin in compositis vocabulis non tantum poetae, sed

etiam oratores saepe usurpant. Terent. Andr. 1, 1, 38. *cum quibus erat cumque una.* Lucret. 2, 465. *quae amara atque aspera quomque videntur.* 2, 865. 5, 290. Cic. de Orat. 3, 16, 59. *quam se cumque in partem dedisset.* de Fin. 4, 25, 69. de Div. 2, 2, 7. de Orat. 2, 23, 97. *quantulum id cumque est.* p. Sext. 31, 68. *quocumque venerat, quod iudicium cumque subierat.* Alia collegit Cortius ad Sallust. Cat. 52, 10.

Lexicorum auctores mirabile formant vocabulum *cumcumque*, allato loco Lucretii 2, 113. in quo tmesis, etiam a Doederlino Synonym. 1. p. 16. approbata, nullum habet locum.

CVR.

Antiqui grammatici iam docuerunt, CVR contractum esse verbum *quare.* Velius Longus p. 2231. *est enim cui rei, quod significat ob quam rem: ex hoc retinuit consuetudo hodierna, ut diceremus quare: quo una syllaba castigatum fit cur, quod nos contenti sumus per C scribere,* Schellerus, ut transformationem persequeretur, collocavit voces *quare, quar, quur, cur,* contulitque *quatio* et *cutio.* His vero addi posset, *qui* ab antiquis dictum fuisse pro *qua*, et litteram I creberrime transire in V. Tamen probabilior mihi videtur esse altera Gerh. Vossii sententia in Etymol. s. v. *cum* et de Analog. 4, 21. p. 254., contrahi verba *cui rei:* qua et antiquioris scripturae ratio *quor*, i. e. *quoi rei*, facilius intelligitur, et primitiva significatio demonstrari potest: quamquam in antiquissima lingua, ubi nullum erat dativi et ablativi discrimen, *quoi rei* et *qui re* proxima cognatione cohaerebant.

Antiquos *quor* scripsisse narrat Velius Longus p. 2236. *quasdam vero scriptiones antiquis relinquamus, ut in eo, quod est cur. Illi enim per quor scribebant.* Primitivum sensum expressit Plautus Poen. 3, 31. AN. *Viscum legioni dedi fundasque: eo praesternebant folia farferi.* LY. *Quoi rei?* AN. *Ne ad fundas viscus adhaeresceret.* Est igitur *cur* relativa forma: *in quam rem, zu was:* quae non primitus interrogationi inservit, sed per contractam orationem. Nam dicitur in interrogatione pro *quid est, cui rei.* Vnde intelligitur discrimen, quo distinguimus *quare.* Id enim ipsam rem efficientem notat, *cur* autem caussam, quae cogitatur, et rem, qua aliquid esse cognoscitur, *den Grund.* In li-

bro de Differentiis vocab. qui Frontoni tribuitur p. 2191. (p. 466. Mai.) *cur simpliciter percontatur: quare caussam rationemque desiderat.* nec male: nam qui *cur* quaeritat, saepius non distinctam vult caussam, sed aut in universum de re facta rogat, aut rem tantum ad aliquam caussam refert. Haec tamen rursus omnia miscet usus vulgaris.

I. 1. Primitivam significationem ponamus relativam eam, qua aliquid ad caussam referatur, quae ad rem agendam excitet et commoveat: quod nos dicimus *weshalb*, Latini *quam ob rem:* ideoque hoc vocabulo etiam designari finem et consilium, cui aliqua res inserviat, *in quam rem*, *wozu*. Pertinet igitur ad animum et voluntatis caussam, quam nos *Beweggrund* vocamus, et ad argumentum sententiae. Tum aut praemittitur nomen *caussae*, *argumenti*, *rationis*, quo referatur *cur*, aut omittitur. Quod fit etiam post omnia verba, quae ratiocinationis atque iudicii vel sensus et affectus notionem exprimunt aut secum afferunt inclusam, veluti *accusare*, *mirari*, *irasci*, *dolere*.

Cic. p. Rosc. Com. 16, 49. *non fuit caussa, cur tantum laborem caperes.* p. Rosc. Am. 50, 146. *quodsi tibi caussa nulla est, cur hunc miserum tanta calamitate affici velis: si tibi omnia sua praeter animam tradidit: quae ista tanta crudelitas est.* de Orat. 2, 45, 189. de Nat. d. 3, 4, 9. *cur contuerere autem altero oculo, caussa non esset.* ad Fam. 15, 20, 3. *quamquam duae caussae sunt, cur tu frequentior in isto officio esse debeas quam nos.* Cic. Lael. 13, 48. *quae caussa est, cur amicitiam funditus tollamus e vita?* Codices multi praebent *ut.* ad haec vero Gernhardus: „*cur* ipsum effectum ab ipsa eius caussa suspensum ostendit.“ De Orat. 2, 45, 189.

Cic. de Nat. d. 1, 23, 62. *id satis magnum esse argumentum dixisti, cur esse deos confiteremur.* 3, 4, 10. de Div. 1, 3, 5. Cic. ad Fam. 6, 8, 2. *negare et afferre rationem, cur negarent.* Neque alienum est, quod Tacit. Ann. 1, 76. *cur abstinuerit spectaculo ipse, varie trahebant.* nam *trahere* significat ad rationem referre, *beziehen.*

Vulgares sunt formulae *est cur*, *non est cur*, *nihil est cur.* Ovid. Met. 2, 518. *est vero, cur quis Iunonem laedere nolit.* Plaut. Stich. 1, 1, 51. *neque est, cur non studeam has nuptias mutarier.* Ovid. Her. 10, 144. *non tamen est, cur sis tu mihi caussa necis.* vid. Burmann. ad Petron. 176. extr. Cic. ad Fam. 9, 6, 4. *quod ego cur nolim, nihil video.*

Cic. in Verr. 3, 7, 16. *qua in re primum illud reprehendo et accuso, cur in re tam veteri, tam usitata, quidquam novi feceris.* ad Att. 3, 13. *quod me saepe accusas, cur hunc meum casum tam graviter feram.* quod dixit ep. 12. *hic tu me accusas, quod me afflictem.* p. Sext. 37, 80. *maledicito Sabinio, homini reatino, cur tam tempori exclamarit occisum.* Plin. Epist. 3, 5, 16. *repeto, me correptum ab eo, cur ambularem.* ubi vide Schaeferum. Tacit. Ann. 6, 4. *Haterius Agrippa consules anni prioris invasit, cur, mutua accusatione intenta, nunc silerent.*

Cic. de Fin. 5, 27, 80. *non pugnem cum homine, cur tantum habeat in natura boni.* in quibus corruptelam latere censet Orellius: at sana sunt haec: quid sit, cur tantum boni habeat.

Cic. ad Fam. 7, 27. *miror, cur me accuses, quum tibi id facere non liceat.* i. e. miror, quid sit, cur. Philip. 2, 20, 49. ad Fam. 5, 12, 30. Terent. Heaut. prol. 1. *ne cui sit vestrum mirum, cur partis seni poeta dederit, quae sunt adolescentium.* Horat. Epist. 1, 8, 9. *irascar amicis, cur me funesto properent arcere veterno.* i. e. cogitans, quid sit, cur. Horat. Carm. 1, 33, 3. *Albi, ne doleas plus nimio, memor immitis Glycerae, neu miserabiles decantes elegos, cur tibi iunior laesa praeniteat fide.* i. e. quid sit, cur.

2. Sed haec orationis contractio ad alia quoque verba adhibetur, quae non ipsa rationem vel caussam attingunt. In loco Horatii Carm. 1, 33, 3. modo allato brevior erat explicatio. Sed quum Livius 41, 24, 11. ait: *fecerit aliquid Philippus, cur adversus eum armatum et bellum gerentem hoc decerneremus: quid Perseus, novus rex, omnis iniuriae insons, — meruit?* haec intelligi debent ita: fecerit aliquid, quod caussae esset, cur hoc decerneremus. Quod nos dicimus, *weshalb.* Est igitur *cuius caussa, propter quod.* Atque hanc dictionem rariorem dixerim, non item illam antea explicatam, auctore Lambino. Recentiore aetate caussam cuiusvis generis Latini ita designabant. Apud antiquiores inveni verba *facere, committere, accidere,* et similia.

Non perspicio, cur Schmidius ad Horat. Ep. 1, 8, 10. in his omnibus breviloquentiam agnoscere noluerit: modo ne intelligat verbum quaeritandi.

Liv. 5, 46, 6. *Caedicius negare, se commissurum, cur sibi*

aut deorum aut hominum quisquam imperium finiret potius quam ipse memor ordinis sui posceret imperatorem. Cornel. Arist. 1, 3. *quid Aristides commisisset, cur tanta poena dignus duceretur.* Sueton. Cal. 15. *nihil sibi admissum, cur cuiquam invisus esset.* Ovid. Am. 1, 3, 1. *quae me nuper praedata puella est, aut amet, aut faciat, cur ego semper amem.*

Liv. 10, 18, 14. *malle frustra operam insumptam, quam quidquam incidisse, cur non satis esset Etruriae unus consularis exercitus.* i. e. quod caussae esset, cur etc.

Sueton. Galb. 3. *qui primus Sulpiciorum cognomen Galbae tulit, cur aut unde traxerit, ambigitur.* Horat. Epist. 1, 9, 7. *multa quidem dixi, cur excusatus abirem.* Schol. Cruq. *cur i. e. ut.* Quod facile alios decepit. Sensus est: multa dixi de rebus, quarum caussa, seu quibus excusarer.

In his omnibus coniunctivum requiri, grammatica docet. Tamen exstiterunt, qui indicativum defenderent. vid. Ramshorn. p. 497. Sed iam Tom. 1. p. 359. dixi aut corrupta aut aliena esse exempla. Interim de hac re disputavit Buschius in Diar. scholast. a. 1828. p. 691. Omnia ad unum hoc referri debent: indicativo nullum esse locum in oratione pendente, qua rei notio constituatur, sed per eum indicari rem, quae in se constet et ipsa definita subiiciatur sententiae non definitae. In Cic. Verr. 3, 26, 64. *iam omnes intelligunt, cur universa provincia defensorem suae salutis eum quaesivit, cuius iste fidei, diligentiae, perseverantiae nulla ratione eripi possit.* recte correxerunt *quaesiverit.* vid. Herelius in Commentat. philolog. a Rupertio editis Vol. 4. p. 95. Apud Priscian. 1. (5, 25.) p. 548. interpungas: *quaeritur: cur in vah, ah post vocales ponitur aspiratio?*

3. Haec locum habent in ipsa interrogatione vel recta vel obliqua post verba quaerendi. Vnde formula *quid est, cur,* ut dicitur *quid est, quare: quid est, quam ob rem.*

Cic. p. Cluent. 53, 147. *quid est, cur tu in isto loco sedeas?* de Fin. 1, 10, 34. *hanc ego quum teneam sententiam, quid est, cur verear, ne ad eam non possim accommodare Torquatos nostros?* Liv. 21, 43, 12. ubi Gronov. et Drakenb. p. Cael. 20, 50. p. Flacc. 2, 5. *quid est caussae, cur non is, qui Catilinam ex urbe expulit, pertimescat?* ad Fam. 2, 18, 6. de Orat. 3, 48, 185.

Cic. ad Fam. 2, 16, 10. *quid ergo accidit, cur consilium mutarem?* Liv. 3, 38, 8. *quidnam incidisset, cur ex tanto intervallo rem desuetam usurparent.* Terent. Andr. 1, 1, 76. *quid obstat, cur non verae fiant?*

Catull. 14, 4. *nam quid feci ego, quidve sum loquutus, cur me tot male perderes poetis?*

Cic. p. Cluent. 61, 169. *in quo primum illud quaero, quae caussa Avito fuerit, cur interficere Oppianicum vellet.* ad Fam. 9, 2, 5. *quaeres fortasse, cur, quum haec in urbe sint, non absim.* p. Arch. 6, 12. p. Sulla 1, 3. de Nat. d. 1, 22, 60. *quum — Hiero requireret, cur ita faceret.* Sueton. Caes. 74. *interrogatusque, cur igitur repudiasset uxorem — inquit* etc.

Hadrianus Cardinalis bene observavit antiquum usum elegantiorum scriptorum, qui non dicebant: *aliquam caussam quaero, propter quam*, aut *ob quam me domo extrudas:* neque etiam: *quid est, quod me videre non potes?*

II. 1. Interrogatio, quae de caussa actionis et consilii quaerit, proprie designatur particula *cur.* Nam logici quidam subtiliore distinctione constituunt rationem sufficientem agendi: quae quidem a ratione, qua quid fiat rerum nexu, aliquantum differt. Atque multiplex est usus huius interrogationis ad exprimendum animi sensum. Nam primum ea a dubitatione et ab incerta sententia proficiscitur, in qua de ratione agentis ita quaeritur, ut vel caussa, quae agentem commoverit, vel consilium, quod quis amplexus sit, declaretur.

Plaut. Poen. 1, 2, 140. *cur mihi haec irata est?* Sabinus Massurius apud Gellium 4, 20. *et cur, inquiunt, ita est, ut tu sis quam equus curatior?* Liv. 6, 15, 12. *nam quod ad thesauros gallicos attinet, rem suapte natura facilem, difficilem interrogatio facit. Cur enim quaeritis, quod scitis? cur quod in sinu vestro est, excuti iubetis potius, quam ponatis, nisi aliqua fraus subest?* Liv. 2, 34, 9. *cur ego plebeios magistratus, cur Sicinium potentem video sub iugum missus?* Terent. And. 1, 1, 107. *quid agis? cur te is perditum?*

Cic. de Leg. 1, 1, 4. *quorsum tandem, aut cur ista quaeris?* i. e. quo tendis hac quaestione, aut potius quae est caussa quaestionis? Male igitur quidam scripserunt *ac.* Terent. Eun. 3, 3, 17. *haec cur quaeritat?*

Cic. p. Cluent. 60, 167. *quod autem tempus veneni dandi illo die? unde sumptum? quae deinde interceptio poculi? cur non de integro autem datum?* Terent. Phorm. 4, 3, 15. *cur*

non, inquam, Phormio, vides, inter nos haec potius cum bona ut componantur gratia quam cum mala? Liv. 8, 4, 3. *cur non omnia aequantur? cur non alter ab Latinis consul datur?*

2. Deinde eius est, qui alium vel se ipsum reprehendit, et cum indignatione non sufficere aut deesse caussam coarguit. Negatione adiecta querimur de re, ut videtur, temere omissa.

Cic. ad Att. 7, 3. *cur imperium illi, aut cur illo modo prorogatum est? cur tantopere pugnatum est, ut de eius absentis ratione habenda decem tribuni plebis ferrent?* de Div. 2, 30, 65. *cur autem de passerculis coniecturam facit, in quibus nullum erat monstrum: de dracone silet, qui — lapideus dicitur factus?*

Terent. Andr. 5, 3, 15. *Sed quid ego me autem excrucio? cur me macero? cur meam senectutem huius sollicito amentia?* Eun. 5, 4, 42. (5, 22.) *atque adeo autem cur non egomet intro eo?* Horat. Carm. 2, 17, 1. *cur me querelis examinas tuis?*

Terent. Heaut. 5, 5, 3. *ehem, Menedeme, cur non accersi iubes filiam, et quod dotis dixi, firmas?*

Apud Plautum saepe occurrit formula *cur ausus es.* Men. 3, 2, 28. Mil. 5, 9. Pseud. 1, 3, 114. al.

3. Haec interrogatio inservit et dolori exprimendo et desiderio, quasi cum indignatione obscuram fati rationem reddendam flagitemus.

Cic. Phil. 7, 4, 14. *heu me miserum! cur senatum cogor, quem laudavi semper, reprehendere?* ad Fam. 2, 7, 5. *dii immortales, cur ego non adsum vel spectator laudum tuarum, vel particeps vel socius vel minister consiliorum?* ad Att. 16, 6. 2, 19. *me miserum! cur non ades? nihil te profecto praeteriret.*

Terent. Andr. 3, 5, 17. *ei mihi: cur non habeo spatium, ut de te sumam supplicium?* Sed Faernus et alii omnes scripserunt *quum non habeo.* quod valde dubito an non praestet. Hec. 1, 1, 17. *eheu me miserum, cur non aut isthaec mihi aetas et forma est, aut tibi haec sententia?*

4. Vtitur hac formula, qui nullam caussam vel rationem agendi adesse indicaturus, se ipsum vel alium excusat. Id per coniunctivum exprimitur.

Cic. ad Fam. 2, 18, 5. *cur ego te velim incidere in terrores tribunitios?* i. e. *warum sollte ich wollen?* Plaut. Pers. 4, 4, 68.

cur ego id mirer, mi homo? Poen. 1, 1, 24. Most. 2, 2, 24. *cur non tangerem?*

Caes. de B. gall. 1, 40. *Ariovistum, se consule, cupidissime populi romani amicitiam appetisse: cur hunc tam temere quisquam ab officio discessurum iudicaret?*

Cic. p. Coel. 29, 68. *at propinquis placuit. Cur non placeret, quum rem — a te ipsa compertam deferre diceres?* Planc. ad Cic. 10, 23, 15. *quidquid aliquando futurum fuit in castris perditorum contra patriam, hoc omne iam convenit. Pro urbis vero salute cur non omnibus facultatibus, quas habemus, utamur?*

Locus est Cic. Tusc. 5, 27, 76. *sint sane illa genera bonorum, dum corporis et externa iaceant humi et tantummodo, quia sumenda sint, appellentur bona: alia autem illa divina longe lateque se pandant coelumque attingant: ut ea qui adeptus sit, cur eum beatum modo et non beatissimum etiam dixerim.* Etiam iis cognitis, quae Orellius ad infringendam defensionem horum verborum protulit, in ea confidenter persistam: nam mutationis subitae caussa cernitur in interrogatione incidente. vid. ad Wopkens. Lect. p. 150.

5. Omissis reliquis verbis, tota interrogatio interdum una voce constat. Ellipsis est per se clara.

Terent. Eun. 3, 1, 46. G. *immo auge suspicionem.* TH. *cur?* G. *rogas?* 3, 3, 28. PY. *at tu apud nos hic mane, dum redeat ipsa.* CH. *nil minus.* PY. *cur, mi Chreme?* Plaut. Aul. 2, 4, 24. Capt. 4, 2, 82. Cas. 3, 1, 3. *cur autem?*

Terent. Heaut. 1, 1, 110. CH. *apud me sis volo.* ME. *non possum.* CH. *cur non?* Ad. 4, 7, 30. Eun. 5, 2, 58. *hunc tu in aedis cogitas recipere posthac?* TH. *cur non?*

6. Saepe ex sententia, quae assumptionem aut conditionem in se habet, oratio transit ad interrogationem. Praecedunt igitur coniunctiones *si*, *quum*.

Cic. de Nat. d. 3, 39, 93. *fac esse distentam, coelum versantem, terram tuentem, maria moderantem: cur tam multos deos nihil agere et cessare patitur? cur non rebus humanis aliquos otiosos deos praeficit?* Terent. Phorm. 2, 3, 53. *tum id si falsum fuerat, filius cur non refellit?* Cic. ad Att. 7, 3. *si respublica defenditur, cur ea consule isto ipso defensa non est?* de Nat. d. 1, 11, 28. *cur autem quidquam ignoraret animus hominis, si esset deus?* Cornel. Eum. 11, 4. *quid tu? inquit, animo si isto eras, cur non in proelio cecidisti potius, quam in potestatem*

inimici venires? ubi Bremius falsam interpunctionem commendat: *quid? tu, inquit, animo* etc. Plautus eodem modo Truc. 4, 3, 23. Ovid. Fast. 1, 257. *quum tot sint Iani, cur stas sacratus in uno?* Cic. Acad. 2, 17, 55. *cur enim, inquies, quum ex illis individuis — in reliquis mundis — innumerabiles Q. Lutatii Catuli non modo possint esse, sed etiam sint, in hoc tanto mundo Catulus alter non possit effici?*

7. Ea, quam in AN Tom. 1. p. 349. illustravimus, argumentatio, a minore ad maius progrediens, ut vocant logici, etiam per *cur* conficitur. Quaeritur, qua de caussa alterum locum suum teneat, alterum vero non teneat.

Cic. Orat. 41, 142. *cur igitur ius civile docere semper pulchrum fuit, hominumque clarissimorum discipulis floruerunt domus: ad dicendum si quis acuat aut adiuvet in eo iuventutem, vituperetur?*

8. Non raro praemittitur interrogatio per *quid* efformata, et altera sequitur negativae formae *cur non*.

Terent. Eun. 1, 2, 7. *quid hic stabas? cur non recta introibas?* 3, 2, 12.

9. Alteram interrogationem altera interdum sequitur negativa.

Plaut. Pseud. 1, 5, 75. *cur haec, ubi tu rescivisti, illico caelata me sunt? cur non rescivi?* Merc. 2, 4, 8. *cur ego vivo? cur non morior?*

10. Plures interrogationes ita formatas continuo ordine componi posse, omnes Ciceronis orationes comprobant. Sed coniunguntur obliquae et rectae etiam interpositis particulis *que* et *ve* et *aut*.

Ovid. Fast. 1, 219. *tu tamen auspicium cur sit stipis utile, quaeris, curque iuvent nostras aera vetusta manus.* Ita legendum ex antiq. libris. Vide quae dixi in Ephem. litter. Lips. a. 1813. p. 2087.

Ovid. Trist. 5, 8, 3. *quae tibi res animos in me facit, improbe? curve casibus insultas, quos potes ipse pati?*

Plaut. Amph. 1, 1, 253. *quid igitur ego dubito? aut cur non introeo in nostram domum?* Asin. 1, 1, 33.

11. Particulae interrogationi propriae *nam, enim, igitur* saepe apponuntur, etiam in obliqua oratione.

Plaut. Amph. 2, 1, 33. AM. *Pestis te tenet.* SO. *nam cur istuc dicis?* Aul. 1, 1, 3. *nam cur me miseram verberas?* Sueton. Claud. 4. *cur enim non praeficitur urbi, si potest fratrem suum sequi in montem?* Cic. Acad. 2, 17, 55. *cur enim, inquies,* etc. Terent. Andr. 1, 1, 21. *cur simulas igitur?* Plaut. Amph. 2, 2, 98.

Sueton. Cal. 34. *cur enim sibi non licere dicens quod Platoni licuisset.* Caes. 74. *interrogatus, cur igitur repudiasset uxorem.*

12. De ordine verborum hoc tenendum est. Quando vocabulum aliquod maiori vi praevalet, particula secundum vel tertium obtinet locum. Qua in positione elegantiam nescio quam reconditam viderunt grammatici. Vid. Nolten. Lex. antib. p. 1771. Sicuti Graeci πῶς et τίς adeo in fine sententiae locant, ita etiam poetae latini.

Plaut. Stich. 5, 4, 23. *stratege, noster cur hic cessat cantharus?*

Horat. Sat. 2, 7, 104. *obsequium ventris mihi perniciosius est cur?* 2, 3, 187. *ne quis humasse velit Aiacem, Atrida, vetas cur?* vid. Heindorf. ad 1, 2, 111.

13. Negatio ubi additur, ut quaeratur de re non facta, coniungitur ea proxime cum particula interrogativa, nisi intercedit aliquod vocabulum parum validum, veluti *enim*, *igitur*. Vt voc. *quidni* ab his distinguerent, alii dicebant, *quidni* esse affirmantis et admirantis cum quadam ironia coniunctum, Zumptius autem praecepit, in *cur non* responsionem requiri, per *quidni* non nisi orationem in affirmationem converti. Vid. Habichti Lex. synon. p. 227. Illud non quadrat: hoc verum est.

DE.

Vt plurimarum praepositionum significationes ab observatione motus proficiscuntur, ita etiam DE proprie declarat motum, quem alicunde procedentem sequimur. Nam motum duplici ratione observamus oculis vel sensu, aut in eo loco, a quo incipit et exit, aut in eo, ad quem profertur. In illo consideramus et originem vel exitum, et id quod removetur vel separatur: in hoc autem et ipsum motum et eam rationem, qua locum relinqui, et alteram rem cum altera antea co-

haesisse videmus. Illud per *a* designatur, quod est *von da aus, von da hin*, hoc per *de*, quod est *von da her*. Nam in *de* non spectamus initium motus, nec rem ex alio in alium locum iam esse translatam, sed persequimur motum, rem ad alium locum quasi perducentes ita, ut nexus, qui inter locum, unde motio fit, et rem motam intercedat, non omnino tollatur. In *a* apparet separatio rerum simplex, in *de* adhibemus rationem loci vel rei, quacum id, quod removetur, coniunctum erat. Primitiva igitur vocabuli notio posita est in deductione.

A castris (vid. T. 1. p. 50.) est *vom Lager aus*, *de castris* apud Sallust. Cat. 61, 8. *vom Lager her*: *a tergo* est *im Rücken*, sed *de tergo* (Iustin. 20, 5, 5.) *vom Rücken her*. *A principio*, quod vulgo dicitur, est *vom Anfang*: *de principio* apud Cic. p. Sulla 24, 69. *vom Anfange her*. Nec sine ratione factum est, ut Latini dicerent *ab aliquo* vel *ex aliquo loco redire*, non *de aliquo loco*.

Ex his intelligitur falsam esse opinionem vulgarem, qua grammatici plurimi *de* dicunt proprie esse *deorsum*. Nam haec notio superioris loci accedit, atque etiam per *a* exprimitur. Tum vero *a* significat *hinab*, *de* autem *herab*, quod utrumque saepe in unam rem quadrat. In verbis *videre ab aliquo loco*, *deiicere ab aliquo loco* (vid. Tom. 1, p. 14.) proprie intelligimus eum, qui videat aut deiiciat, in superiore loco stare. Et quum, quae longe absunt, supra sita esse videantur, et quum in iis designandis per continuum spatium ad inferiora quasi descendamus, haec ad eandem notionem referri possunt. Quemadmodum *descendere* pro *prodire* usurpatur. Vid. Garaton. et Wernsdorf. ad Cic. Phil. 2, 6. Neque vero eorum sententia comprobari potest, qui omnia ad notionem partis ex aliqua re desumptae revocant ita, ut in verbis *dicere de aliquo* intelligant: aliquam partem alicuius personae vel rei sumere dicendam. Quod absurdum est. Scaliger vero, ex etymologia aliquid lucri petens, de Caus. lat. ling. c. 155. docuit *de* esse ex *di* factum, sicut *prae* ex *pri*, *ne* ex *ni*. Atque illud *di* alii a graeco διά, alii a δίς deducebant, et verba composita comparabant, in quibus *di* nihil nisi sumptionem significare videretur, ut sunt *dilectus*, *dirigere* et alia. Quae aliter constituenda sunt. Triplex enim fuit forma, *de* et *di* longa syllaba, ex διά

natum et *dis* brevis syllabae, ex δὶς factum. Sed prima illa, quae deductionem (*von wo weg*) significat, et altera, quae dissipationem (*aus einander*) indicat, cum tertia, quae rem duplicatam declarat, cognatione sua tam prope cohaerebant, ut pronuntiatione et liberiore verborum compositione saepe commutarentur.

Quod Scaliger narrat, se aliquando in eo fuisse, ut *de* a δεῖ deduceret, id non magis ridebimus, quam quod Burgessius in Annot. ad Dawesii Misc. crit. p. 517. (434.) opinatus est, *δέ* et *δή* et *dei* facta esse ex *δέω*, quod esset *I am going to.*

Multa in hac praepositione miscuit vulgaris usus, sed praeter antiquissimos scriptores, quibus nondum corroborata erat lingua, et praeter recentissimos, qui antiquitatis libertatem affectabant, plurimi tamen discrimina servarunt. Et quod Lucilius dixerat: *solus iam vim de classe prohibuit Vulcaniam.* id singulare exemplum, quo *de* pro *a* dictum esset, iam Nonius 12, 35. notavit.

De vulgari recentioris aevi more Papinianus in Digest. 36, 1, 57, 2. dixit: *peto de te, uxor carissima, uti, quum morieris, hereditatem meam restituas filiis meis.* Et Hyginus Fab. 54. *Prometheus — de monte Caucaso est solutus.*

I. 1. Primum igitur haec praepositio usurpatur de motu, quo aliqua res secedit vel ad alium locum prodit, ideoque cum locorum nominibus componitur, unde aliquid promovetur aut promitur. Qui *abiit*, non adest et mutavit locum, sed qui *decessit*, reliquit locum, in quo erat aut esse debebat: quod *abest*, non reperitur, quod *deest*, desideratur. Plautus dixit Poen. 4, 2, 107. *dum herus advenit a foro, opperiar domi.* i. e. exiens a foro. Sed Cicero Verr. 4, 65, 147. *itaque tum de foro, quum iam advesperasceret, discessimus.* i. e. reliquimus forum. Illud nos Germani vocamus *von wo hin, den Ausgang*, hoc *von wo her, weg von, den Weggang*. Nec tantum verba, quae eamdem in se habent praepositionem, iunguntur, sed ea etiam, quibus adhaerent *a* et *ex*. Quibus in dictionibus remotio et exitus comprehenditur una cum notione relinquendi. Atque hae diversae praepositiones saepe copulantur varietatis caussa, saepe eaedem ob similitudinem.

Ovid. Her. 4, 96. *ibat ad hunc sapiens a sene diva viro.* codices non pauci praebent *de*, quod certe significantia prae-

stat. Relicto enim Tithono Aurora se convertit ad Cephalum. Nos *sie ging von ihm weg.*

Sallust. Cat. 61, 8. *qui de castris visundi aut spoliandi gratia processerant.* ubi vid. Cortius.

Decedere de provincia apud Cic. Verr. 2, 20, 49. idem est quod 65, 157. *decedere ex provincia.* Cic. ad Att. 2, 7. *nunc vero quum cogar exire de navi* etc. de Orat. 2, 65, 263. *quando tandem, Galba, de triclinio exibis.* Curt. 8, 1, 51. *de convivio exire.*

Num quis bonorum scriptorum umquam dixerit *abire de aliquo loco*, vehementer dubito, de Cicerone nego. Quare in verbis ad Fam. 14, 1, 7. *de familia, quomodo placuisse amicis scribis, faciemus: de loco nunc quidem abiit pestilentia, sed quamdiu fuit, me non attigit.* intelligamus commate interposito: de loco quod quaeris. vid. II. 8. Sed Vlpian. in Dig. 3, 3, 35, 2. *cogi eum etiam in provinciam de Roma abire, vel e contrario, vel a provincia in aliam provinciam, et defendere durum est.* Hygin. Fab. 261. *quum de Graecia ad Aulidem Danai venissent* etc. Cf. Astron. 2, 5.

Dicitur *secedere de via*, Plaut. Curc. 2, 3, 2. sed ubi ipsa distantia et remotio intelligitur, *secessisse ab aliqua re.* Ovid. Fast. 6, 279. *tantum secessit ab imis terra.* Sallust. Cat. 33, 3. *saepe ita plebes — armata a patribus secessit.* Plaut. Trin. 2, 4, 80. *decedam ego illi de via, de semita, de honore populi.*

Cic. p. C. Rabir. perd. 11, 30. *qui iam de vita decesserunt.* Lael. 4, 15. *quem fuerat aequius, ut prius introieram, sic prius exire de vita.* Sed 3, 12. *pridie quam excessit e vita.* tres quatuorve codd. habent *de* et de Fin. 3, 18, 60. duo *de vita excedere.* Attamen Goerenzius in Iahnii Annal. phil. I. 2. p. 297. negat e Ciceronis et aliorum bonorum scriptorum usu dici posse *excedere de vita*: quamquam dictum sit *exire de vita.* Ratio me quidem fugit.

Cic. ad Fam. 10, 1, 1. *de medio cursu reipublicae voce revocatus.*

Quinctil. 6, 1, 19. *fugiendum de civitate, cedendum bonis.* Cic. p. Rosc. Am. 52, 151. *arbitrantur isti bonorum emptores vos hic tales viros sedere, qui excipiatis eos, qui de suis manibus effugerint.* Phaedr. 1, 17, 6. *de conspectu fugere veloci impetu.* quod Terentius *e conspectu.*

2. Ex his verbis, quae cum *de* iunguntur, non pauca assumunt *ex*, sensu non diverso: quare librarii

haec vocabula commutaverunt, ubicumque libuit, poetae autem non raro *de* pro *ex* posuerunt, ubi concursus vocalium alterum hoc non admisisset. Atque adeo ea, quae rem aliquam internam significant, de suo loco dicuntur depromi. Hinc grammaticorum praecepta, quibus *de* pro *ex* poni docuerunt. Cf. Cortius ad Sallust. Cat. 61, 8. et ad Lucan. 1, 534. 7, 741. Heumanno vero videbantur Afri ita loqui, non Romani. Ei obloquutus est Bünemann. ad Lactant. 5, 9, 1. Latinis deest vocabulum, quo nostrum *wegnehmen*, *weggeben* exprimant: quare dicunt *auferre*, *tollere de aliqua re*: non habent *desumptionem*. *Solvere*, quod cum *a* vulgo componitur, attrahit *de*, ubi intelligitur: solvere et deducere.

Cic. de Fin. 2, 7, 22. *iam doloris medicamenta illa epicurea, tamquam de narthecio proment.* Iuvencus 2, 120. *haec divino de pectore promit.* Cf. Cort. ad Lucan. 2, 285. Cic. de Orat. 1, 60, 252. *iuris utilitas — vel a peritis vel de libris depromi potest.* Duae rationes in his coniunguntur uno verbo: aliud enim desideratur post voc. *a peritis*. Columel. 12, 11, 1. *quum secundarium mel de favis fuerit exemptum.* 12, 49 (47), 8. *quum exeunt de muria.* Cornel. Paus. 4, 4. *hic quum semianimis de templo elatus esset.* ubi Tzschuckius, significantius, inquit, quam *e templo*: fuit enim in loco edito. At templum hoc Minervae in acropoli situm fuisse, non ipsa praepositio indicat. Ovid. ex Pont. 3, 2, 94. *de templo rapiunt simulacra Dianae.* Hygin. Fab. 77. Cic. ad Att. 2, 7. vid. p. 186.

Cic. p. Sext. 33, 72. *nomen suum de tabula sustulit.* de Nat. d. 3, 3, 84. *iam mensas argenteas de omnibus delubris iussit auferri.* Senec. Epist. 81, 12. *quantum autem existimas interesse, utrum aliquis de arca, quod praestabat, sumserit, an beneficium acceperit, ut daret?* Petron. 71. *nummos in publico de sacculo effundentem* (facias). Ovid. ex Pont. 3, 5, 19. *magis adducto pomum decerpere ramo, quam de caelata sumere lance iuvat.* Tibull. 1, 6, 80. *tracta de niveo vellere ducta putat.* Ovid. Fast. 3, 8, 21. *qui maculas laesis de vestibus aufers.* Her. 18, 103. *deque tuis demptos humeris mihi tradis amictus.*

Cic. Tusc. 1, 32, 77. *me nemo de immortalitate depellet.*

Cic. in Verr. 4, 20, 44. *praeda de manibus amissa.* ad Fam. 7, 5, 11. *hominem tibi ita trado de manu, ut aiunt, in manum.* Plautus dixit Trin. 4, 2, 47. *e manibus dedit in manus.*

Cic. p. Font. 17, 36. *num etiam de matris hunc complexu — avellet atque abstrahet?* Stat. Theb. 8, 101. *nec alma sic me-*

rui de luce rapi. Tacit. An. 1, 37. *quum fisci de imperatore rapti inter signa interque aquilas veherentur.* Quae quomodo intelligantur, ipsa praepositio monstrat. Non erat pecunia imperatoris, sed militum, quae apud imperatorem deponebatur ad signa. Est igitur *von dem Feldherrn wegnehmen.*

Goerenzius ad Cic. de Leg. 3, 19, 42. contendit, a Cicerone *de* pro *e* poni, si quando altera haec particula ambiguitatem afferat: quare eum p. Arch. p. 10, 22. scripsisse *non hunc Heracleensem de nostra civitate eiiciemus?* ne intelligeretur: *in exsilium mittemus.* Hoc consilium fuisse Ciceronis equidem non crediderim. Optimus quisque scriptor *de aliquo loco eiicidixit* de excludendis: quamquam interdum etiam de expellendis. Martial. 14, 166. *de pompeiano saepe est eiecta theatro.* Hygin. Astron. 2, 34. *de insula eiectus existimatur Lemnum ad Vulcanum pervenisse.* Sed Matthiae nunc ad Orat. pr. Arch. haec: „omnino tam saepe *de* et *e* inter se permutantur, ut incertum sit, an verba *e* praepositione iuncta umquam cum *de* consociaverit Cicero.“ Ipse affert Catil. 2, 1, 2. *de manibus extorsimus:* et sufficiunt exempla p. 186. allata. Accedit, quod Cicero semper dicit *de civitate eiicere, delere,* non *e civitate,* sicuti *de collegio.*

Cic. in Verr. 5, 11, 28. *ut alius inter manus e convivio, tamquam e proelio, auferretur.* Sed de Fin. 2, 8, 23. *qui de conviviis auferantur.*

Propert. 1, 3, 21. *modo solvebam nostra de fronte corollas.* Petron. 11. *lorum de pera solvit.*

Vtramque praepositionem coniunctam habent Plin. Epist. 9, 7, 4. *possis — piscari hamumque de cubiculo ac pene etiam de lectulo, ut e navicula, iacere.* Tertullian. advers. Iud. 9. p. 192. c. Rigalt. *nec ex equo vel de muro, sed de nutricis et gerulae suae dorso sive collo hostem destinaturus.*

Ex metrica necessitate pendent haec. Martial. Spect. 12, 3. *exsiliit partus miserae de vulnere matris.* Epigr. 1, 14. *gladium, quem de visceribus traxerat ipsa suis.* Ovid. Fast. 3, 433. *o quam de tenui Romanus origine crevit.* 3, 194. *aliquam de qua procreet, anguis habet.* 3, 841. *quia de capitis fertur sine matre paterni vertice prosiluisse.* Ex Pont. 3, 8, 16. *terraque de fructu quam sit amara docet.* Cf. Tom. 1. p. 34. 8.

3. Haec vero est ratio, qua plurima verba sumendi, capiundi, excipiendi, petendi cum hac praepositione coniunguntur, ubi partem a toto deductam intelligimus. Non copia, unde quid sumatur, est, quam solam respiciamus, uti Perizonio videbatur ad Sanct. Min. T. 2.

p. 266. sed ipsa sumendi actio, in qua aliquid deducitur, reliquum manet.

Cic. p. Sull. 1, 2. *existimavit — aliquid se de auctoritate meae defensionis posse detrahere.* Petron. 26. *sciat, quantum de vita perdiderit.*

Cic. de Lege agr. 3, 1, 3. *si ostendo, non modo non adimi cuiquam glebam de Sullanis agris, sed etiam* etc. Plin. Epist. 9, 40, 2. *multumque de nocte vel ante vel post diem sumitur.* 3, 2, 9. ad quos loc. vid. Cort. Horat. Sat. 1, 1, 55. *magno de flumine malim quam ex hoc fonticulo tantumdem sumere.* Ovid. Fast. 2, 264. *de nullo gelidae fonte bibantur aquae.*

Tibull. 1, 1, 34. *de magno est praeda petenda grege.* Contra Ovid. Fast. 3, 423. *de veteris Troiae dignissima praeda favilla.*

Plin. Hist. n. 31, 10, 46, 2. *minus de flumine addunt,* i. e. minorem partem aquae fluvialis. Flor. 3, 3, 9. *de cruento flumine non plus aquae biberit quam sanguinis barbarorum.*

Cic. in Verr. 4, 9, 20. *quod hoc non de summa frumenti detractum est.*

4. Neque vero ubique intelligitur copia sive pars totius rei, sed saepe etiam locus, unde aliquid sumitur vel hauritur, et res, unde quid transfertur. Quo pertinent verba *cognoscere, habere, satisfacere de aliqua re.*

Curius ad Cic. Epist. 7, 29, 4. *nec solere duo parietes de eadem fidelia dealbare.* i. e. ex eodem urceo. Cic. de Orat. 1, 59, 252. *iuris utilitas ad quamque caussam quamvis repente vel a peritis vel de libris depromi potest.* Augustin. de Civ. dei 7, 26. *quae proferremus de libris.* Lactant. 1, 6, 5. *superest de responsis carminibusque sacris testimonia, quae sunt multo certiora, proferre.* Alia ex hoc scriptore contulit Bünemann. ad 1, 5, 1. 5, 9, 1.

Cic. de Off. 3, 31, 82. *ipse autem socer in ore semper graecos versus de Phoenissis habebat.* de Orat. 3, 35, 141. *versumque quemdam de Philocteta paullo secus dixit.* Quinctilianus de eadem re. 3, 1, 14. *versu ex Philocteta frequenter usus.*

De verbis *cognoscere de aliqua re* vid. infra. Similiter Cic. de Orat. 2, 74, 299. *facit enim de se coniecturam.* i. e. ex se sumptam.

Hygin. Fab. 75. *quis magis de re veneream voluptatem caperet.* Asin. Poll. ad Cic. Epist. 10, 32. *maiore argenti coacto de publicis exactionibus.*

Habere de aliqua re. Ovid. ex Pont. 4, 10. *quae* (marina unda) *mixto de sale pondus habet.* Apulei. Met. 9. p. 220, 7. *nisi eos putas aes de malo habere.* vid. Oudendorp. p. 604. Ovid. Fast. 1, 582. *hic ubi pars urbis de bove nomen habet.* 3, 870. *quum de se nomina fecit aquae.* Alia ratione *vocari de aliquo nomine* vid. infra.

Satisfacere, supplicium dare de aliqua re, quae alii male reddiderant, propter rem, explicuit Cortius ad Lucan. 4, 805. Intelligitur id, unde poena sumatur. Cic. ad Frat. 1, 3. *quum de visceribus tuis et filii tui satisfacturus sis, quibus debes.* Liv. 2, 35, 1. *nisi de tergo plebis romanae satisfiat.* Plaut. Trin. 2, 4, 25. *dabitur pol supplicium mihi de tergo vestro.* Mil. 2, 6, 22. *nisi mihi supplicium virgarum de te datur.* Terent. Heaut. 1, 1, 86. Gronov. ad Senec. de Const. 14. Senec. Suasor. 7. p. 57. *afferri protinus flagra iussit et Ciceroni, ut oportuit, de corio Cestii satisfecit.* i. e. petens de Cestii corio satisfactionem. Lucan. 4, 805. *has urbi miserae vestro de sanguine poenas nempe datis.*

5. Ex his intelligitur, ubi personae nomen ponitur, *capere de aliquo* proprie non esse *accipere ab aliquo*, sed quod nos dicimus *von einem, einem wegnehmen.* Idque saepe redit ad simplicem sumendi notionem, quam nos designamus *von einem entnehmen.* Quare proprius est usus verborum *de aliquo aliquid habere* de conducendis rebus: quamquam etiam ad alia refertur, quae alicunde aliquid recipiunt.

Cic. p. Dom. 49, 128. *ut imperator agros de hostibus captos consecraret:* i. e. *den Feinden weggenommene Aecker.* Liv. 27, 1, 1. *Marcellus — Marconeam et Meles de Samnitibus vi cepit.* 1, 38, 5. *haec de priscis Latinis aut qui ad Latinos defecerant, capta oppida.* Hinc Curt. 9, 1, 2. *obsoleta esse spolia de Persis.* 8, 8, 9. 9, 10, 12.

Terent. Andr. 4, 1, 27. *quid istuc tam mirum, de te si exemplum capit?* Similiter Caes. B. gall. 8, 31. *Caninius ad eos persequendos contendit, ne de detrimento aut timore provinciae magna infamia — caperetur.* Ita recte legitur in codd. Lactant. de Ira dei 17, 3. *dum membra saturentur ac vigorem capiant de quiete.* ubi vid. Bünemann. De quibus iterum V. 4.

Plaut. Pseud. 4, 7, 127. *de improbis viris auferri praemium et praedam decet.*

Terent. Phorm. 2, 3, 17. *ibi agrum de nostro patre colendum habebat.* Ager enim patri manebat, sed filio tradebatur in usum. Cic. de Div. 2, 21, 47. *redemptor, qui columnam*

illam de Cotta et Torquato conduxerat faciendam, *non inertia aut inopia tardior fuit.*

Apulei. Met. 6. p. 178, 11. *quoad de solis flagrantia mutuatae calorem.* ubi Oudend. p. 403.

6. Refertur ad personas, a quibus aliquid accipitur, aut quarum ex parte ad aliam aliquid ducitur, in verbis *emere*, *quaerere*, *audire*, *discere*, quae saepius cum praepositionibus *a* et *ex* construuntur. *Audire de aliquo homine* de iis usurpatur, quae audiuntur ex ipsis loquentibus „ *aus eignem Munde.* Graeci habent παρά, quod proprie ad personas adhibetur. Recentior aetas etiam alia verba *impetrare*, *petere* huic rationi accommodabat haud probabili modo.

Cato de Re r. 1, 4. *de domino bono colono bonoque aedificatore melius emetur.* Plaut. Capt. Prol. 34. *emit hosce de praeda ambo de quaestoribus.* Epid. 3, 4, 59. *mercatus te hodie est de lenone Apoecides.* Cic. p. Flacc. 20, 46. *fundum cymaeum Romae mercatus est de pupillo Meculonio.* ad Fam. 5, 6, 4. ubi Manutius. ad Att. 13, 31. Quomodo eadem verborum constructio ad emporium referatur, vide post.

Cic. ad Att. 1, 14. *postea Messala consul in senatu de Pompeio quaesivit*, *quid de religione — sentiret.* de Div. 1, 24, 49. *et eum admiratum quaesisse de deo, quodnam illud esset tale monstrum.* p. Deiot. 15, 42. *exquire de Blesamio.* 1, 3. *quum more maiorum de servo in dominum ne tormentis quidem quaeri liceat.* Diverso sensu: Orat. partit. 34, 118. *qui quum de servis in dominos quaeri noluissent*, *de incestu tamen et coniuratione — quaerendum putaverunt.* Cf. Matthiae ad Cic. p. Mil. 22, 59.

De discrimine verborum *audire ab aliquo* et *de aliquo* dixi Tom. 1. p. 17. Sunt tamen optimorum scriptorum loci, in quibus *de* pro *ex* dictum est, ut proximum commercium intelligeretur. Cic. p. Balb. 5, 11. *audivi hoc de parente meo puer.* de Orat. 3, 34, 133. *equidem saepe hoc audivi de patre et de socero meo.* de Rep. 2, 15. ad Att. 1, 11. *verum haec audies de Philadelpho.* i. e. ex ipso Ph. ad Fam. 11, 12, 4. *qui si ita se habet*, *ut*, *quemadmodum audiebam de Graecela*, *confligi cum eo sine periculo non possit*, *non ille mihi fugisse a Mutina videtur*, *sed locum belli gerendi mutasse.* Acad. 2, 4, 11. *aderant mei familiares*, *docti homines*, *P. et C. Selii et Tetrilius Rogus: qui se illa audisse Romae de Philone et ab ipso illos duos libros dicerent descripsisse.* Goerenzius, cui hic abusus, ut vocat, magnopere displicet, ita interpretatur: non ipsum quidem Philonem audisse, sed ex aliis, quae ille sen-

tiret, accepisse. Immo ineptus esset scriptor, qui hoc sensu adderet nomen *de Philone*. ad Att. 1, 1. *agere coepit —, de iis rebus, quas eum dolo malo mancipio accepisse de Vario diceret.*

Sueton. Ner. 46. *de mausoleo, sponte foribus patefactis, exaudita vox est nomine eum sciens.* De consilio ita scripsit, ut indicaret, ex ipso mausoleo provenisse vocem.

Terent. Eun. 2, 2, 31. *ut sibi liceret discere id de me.* Arrusianus Messus in Elucidat. Virgil. nondum editis: *disco de illo.*

Liv. Epit. 51. *uxor eius, quae paucis ante diebus de marito impetrare non potuerat, ut* etc. *Petere de aliquo*, quod primitivo sensu locum designat, ut apud Ovid. Fast. 4, 822. *de vicino terra petita solo.* id de precibus non usurpatur nisi a malis scriptoribus. Papinian. in Dig. 36, 1, 57, 2. *peto de te, uxor carissima, uti, quum morieris, hereditatem meam restituas filiis meis.* Apulei. Met. 6. p. 179, 40. *petit de te Venus.* ubi Oudend. p. 412. Martian. Cap. 2. p. 47. *poscit de Iove.* Apulei. Met. 2. p. 122, 25. restituit Oudend. *forte quadam die de me magno opere Byrrhaena contendit.* Cf. Oudendorp. ad Met. 8. p. 583.

Quod vulgo dicitur *stipulari ab aliquo*, interdum etiam *de aliquo.* Paullus in Dig. 47, 2, 68, 5. Africanus 7, 1, 37.

7. Deductionis ratio saepe transfertur ad loca superiora, ut descensum significans *de* sit *deorsum*, *von — herab*, *κατά τινος.* Sed ipse descensus, ut antea iam dixi, non primitiva significatione huius particulae exprimitur, sed reliquis verbis, atque *de coelo lapsus* est proprie *vom Himmel her gefallen*, quod secundum rei naturam intelligitur *vom Himmel herab.* Nam etiam res, unde quid assurgat, eodem modo dicitur: sicuti Ovid. Fast. 2, 354. *membraque de dura vix sua tollit humo.* 5, 228. *de quorum per me vulnere surgit honor.* Ubi descensus erat significandus, fere semper dicebatur *de*, non *a*, quod in iis, quae Tom. 1. p. 14. dedi, non descensum, sed regionem et fixam sedem declarat. Tamen vulgaris consuetudo in hac quoque re multa negligenter confudit. Poetae omittunt praepositionem. vid. Ovid. Fast. 3, 317. et 327. Ceterum verba *de coelo* etiam de tractu in longitudine dicuntur: quod nos *am Himmel her*, Graeci etiam in aliis verbis per *κατά* cum accusativo coniunctum exprimunt.

Plaut. Rud. 3, 5, 5. *de ara capillo iam deripiam.* quod esse

potest *vom Altar weg.* Tibull. 1, 2, 84. *num feror — serta de sanctis deripuisse focis?*

Ovid. Fast. 6, 387. *in medios de summis arcibus hostes mittite.* Am. 3, 2, 14. *deque meis manibus lora remissa fluent.* Curt. 10, 2, 30. *desiluit deinde frendens de tribunali.* Cic. Verr. 2, 30, 75. *ita properans de sella exsiluit.*

Vsus vitae communis in his mutat rationes. Sic Sueton. Caes. 9. *togam deiicere de humero*, sed Aug. 52. *deiicere ab humeris togam.* cf. Burmann. ad Domit. 10. Et *deiicere de aliquo loco* dicitur duplici modo, et de eo, qui in superiore loco ipse stat, et de eo, qui ex aliquo loco aliquid ad se deorsum trahit. Caes. B. civ. 1, 18. *Lucretius et Attius de muro se deiecerunt.* Sed Livius 28, 6, 10. *venti ab utriusque terrae praealtis montibus se deiiciunt.* Id regionem indicat: *von wo aus herabstürzen. De saxo deiicere* saepe apud Livium. Plaut. Stich. 2, 2, 31. *hinc araneas de foribus deiiciam et de pariete.*

Prospicere, quod componitur cum *ab*, Virgil. Aen. 8, 648. et cum *ex*, Catull. 64, 61., saepe secum habet *de.* Stat. Theb. 9, 895. *frustra de colle Lycaei anxia prospectas.* Exempla collegit Cort. ad Lucan. 3, 88.

Virgil. Ecl. 1, 17. *de coelo tactas memini praedicere quercus.* Sed Cic. de Div. 1, 42, 94. *quodque propter aëris crassitudinem de coelo apud eos multa fiebant.* i. e. meteora, quae per coeli spatia fornicata apparent. Ita Philip. 2, 32, 81. *quisquamne divinare potest, quid vitii in auspiciis futurum sit, nisi qui de coelo servare constituit?* de Prov. cons. 19, 46. p. Sext. 36, 78. Garaton. ad Phil. 2, 32. Plin. Hist. n. 2, 26, 33. *lumen de coelo noctu visum est.*

8. Propria est huius praepositionis vis, ut exitum rei una cum nexu indicet, quo res mota antea cohaeserit. Hinc ei tribuitur etiam illa potestas, quae declarat aliquid proxime ab aliqua re solvi, vel ex ipsa re exire. Florus quum 2, 16, 15. ait: *subita de cineribus flamma prodibit.* sensus est: ex ipsis cineribus flamma surget. Palladius de Re rust. 4, 10, 1. *seritur plantis de matrum radice devulsis.* quod vertas *unmittelbar von der Wurzel abgelöst.* Neque alia est caussa, qua multae dictiones hac voce formantur, in quibus Germani ponunt *an.* Id etiam fieri in particula *a*, dixi Tom. 1. p. 14. Dicitur *ab aliqua re pendere* de affixa re, in aliquo loco adhaerente, sed in *de* videmus hanc affixam rem quasi moveri et descendere. Transfertur enim motus, qui est

in oculis percurrentibus, ad rem non motam. Tamen inepta est opinio eorum, qui existimant *de* significare *in*. Vbique enim subest aliqua motionis species.

Cic. Verr. 4, 34, 72. *sagittae pendebant ab humero.* Petron. 30. *lucerna de camera pendebat.* Ovid. Fast. 2, 760. *deque viri collo dulce pependit onus.*

Ovid. Fast. 1, 151. *tunc est nova temporis aetas, et nova de gravido palmite gemma tumet.* Intellige ex palmite proveniens. Plin. Hist. n. 28, 8, 27. *dentes si de sinistra parte rostri eruti sint* etc. ne quis accipiat pro *in sinistra parte*, ratio verbi *eruere* vetat.

Ovid. Her. 21, 100. *miror — de qua pariens arbore nixa dea est.* ubi critici mirifice falluntur. Lennepius comparat verba *de sella agere, de via clamare:* at nemo sanus umquam dicet *von einem Orte aus gebähren.* Latona vero, ut narratur in hymno homerico 1, 115., non tergo reclinata, sed genubus in terram innixa parturit, brachia circumdans palmae, de qua pendere videbatur.

Varro de Re r. 3, 9, 14. *quando de clunibus coeperint habere pinnas, e capite et e collo eorum crebro eligendi pedes.* Haec corruptione laborare, nemo non videt. Ipsum voc. *eorum* indicat aliqua excidisse, quae restituere vix licebit. Veget. Art. veterin. 3, 54, 1. *orthocola — de capitibus ungularum calcant, et sunt rigidis articulis, ut planas ungulas in terram ponere non possint.* Si integra sunt haec verba, auctor ab elegantia alienus indicare voluit, iumenta illa deflexis ungulis, non planis calcare.

Interdum substitui potest praepositio *in*, ubi Germani dicunt *an*. Sic in verbis *fieri de aliquo*. vid. n. 11. Sallust. de Rep. ordin. 2, 9, 5. *si quid adversi coortum est, de illis potissimum iactura fit, quia pretii minumi sint.* i. e. *an ihnen wird der Auswurf vorgenommen.*

9. Sed in universum designatur omnis locus, unde aliquid agitur: id quod etiam per *ex* exprimitur. Est *von wo her, von wo aus*, quod quidem proprie dicitur *a* de eo, qui in ipso loco stat. vid. Tom. 1. p. 16. Sed haec usu confunduntur, neque tantum loca superiora intelliguntur, sed ne metaphora quidem ab iis translata est semper, ut nonnullis videbatur. Quaedam verba propriam sibi vindicant hanc praepositionem, in aliis aperta est commutatio vocabulorum *de* et *ex*.

Cic. Verr. 2, 38, 94. *palam de sella ac tribunali pronuntiat.*

4, 40, 86. *agebantur in conventu palam de sella et de loco superiore.* Cornel. Timol. 4. *veniebat in theatrum — propter valetudinem vectus iumentis, atque ita de vehiculo, quae videbantur, dicebat.* Quae superioris loci ratio in aliis evanescit: Cic. in Verr. 5, 7, 16. *ad se vocari et de tribunali citari iussit.*

Cic. de Off. 1, 30, 109. *qui nihil ex occulto, nihil de insidiis agendum putant.* Librarii scripserunt *ex insidiis*, sed vid. Heusing. Tibull. 1, 1, 37. *neu vos de paupere mensa dona, nec e puris spernite fictilibus.* ubi Broukhusius bene restituit *de.* vid. Wunderlich. Intellige dona de mensa sumenda. Ita Columel. 9, 1, 1. *semper de manu cibos et aquam praebere.* recte Perizonius ad Sanctii Min. T. 2. p. 254. explicuit: de manu sumendos: ne quis coniungeret *de manu praebere.* cf. Ruddimann. T. 2. p. 267.

Lucan. 3, 610. *ausus romanae graia de puppe carinae iniectare manum.* Cic. ad Att. 1, 13. *quam* (epistolam) *de phaselo dedisti.* Paullus in Dig. 12, 1, 40. *me accepisse a Publio Maevio quindecim mutua numerata mihi de domo.*

Cic. in Pis. 15, 35. *praeter deos de lapide emptos tribunos plebis.* Apulei. Apol. p. 285, 16. *iussisse duos pueros in foro de mensa emi.* Met. 8. p. 213, 35. *erat quidam iuvenis satis corpulentus — collatitia stipe de mensa paratus.* de quibus locis vid. interpret. coll. Gronovii Observat. 4, 24.

Possunt etiam huc referri verba, quae supra posuimus, Curii ad Cic. Epist. 7, 29, 4. *nec solere duo parietes de eadem fidelia dealbare.*

Terent. Andr. 3, 2, 10. *sed postquam egressast, illis, qui sunt intus, clamat de via.* i. e. ex via in domum.

Hac ratione constant formulae *de scripto dicere, de libello recitare.* Illud est non memoriter, sed libro adhibito. Consuetudo haec fuit senatorum, quum sententia ferenda erat de re, quae impensiore cura egere videbatur. Vid. Markland's Remarks on the Epistles of Cicero to Brutus p. 243. apud Wolfium in Cic. Orat. p. 64. Praef. Cic. ad Fam. 10, 13, 2. *a me de scripto dicta sententia est.* Phil. 10, 2, 5. *ita enim dixisti et quidem de scripto.* ad Att. 4, 3. med. Brut. 12, 46. Plin. Hist. n. 28, 2, 3. *de scripto praeire aliquem.* Cic. in Verr. 3, 53, 124. *recita de epistola reliqua.*

Sic etiam formula *de plano*, qua utuntur imprimis iurisconsulti. *De plano cognoscere, discutere, interloqui.* quod est ex aequo loco, non ex superiore cognoscere, non ex tribunali, sed inter viam. Praetores controversias faciles de plano diiudicabant. Sic χαμόθεν opponitur verbis πρὸ βήματος apud

Modestin. in Dig. 27, 1, 13, 10. Vid. Lambin. ad Lucret. 1, 412. p. 66. Vlpian. in Dig. 1, 4, 1. *vel de plano interloquutus est, vel edicto praecepit.* 1, 16, 9, 3. *poterit de plano similiter et libertum non obsequentem emendare aut verbis aut fustium castigatione.* Alia vid. apud Brissonium de Verb. sign. p. 1062. Cf. Torrent. ad Sueton. Tiber. 33. Gesner. in Thes. p. 908. Hinc i. q. facili negotio, non multa opera adhibita: Lucret. 1, 412. *hoc tibi de plano possum promittere.* i. e. non solemniter, sed simpliciter. Inscript. ant. apud Gruter. p. 406. *ut paucis iam onerosa honeste de plano compartiamur.* Lingius in Quaest. Plaut. p. 66. cum Wakefieldo accipit pro adverbio et explicat *prorsus, penitus.*

Eadem est ratio formulae *de plano legi posse.* Vlpianus in Dig. 14, 3, 11, 3. *proscribere palam sic accipimus claris litteris, unde de plano recte legi possit, ante tabernam scilicet.* Auson. Grat. act. p. 294. Bip. Vid. Cuiac. Observ. 7, 29. Senec. Nat. quaest. 1, 4, 2. *nos interim repetamus alias probationes, quae de plano legi possint.* Etiam Ciceronem auctorem laudat Heineccius Epist. ad Att. 9, 27. Locum non invenio.

10. Regionem haec praepositio potest denotare, ubi ea alicunde ad aliquem locum vergit. Sic dicitur *de tergo*, quod est *von hinten.*

Iustin. 20, 5, 5. *de tergo intentis in proelium hostibus.* Plaut. Asin. 2, 2, 10. *de tergo ducentas plagas praegnantis dabo.* Sed alio sensu 2, 4, 75. Vide supra p. 190.

11. Illa vero notio deductionis alios quoque modos regit. Atque ut genus alicuius rei designemus, duplicem viam inire possumus. Nam aut rem dicimus a suo genere proficisci et ex suo genere provenire, aut cum eo cohaerere et inde deduci. Quare *de* non significat partem ex toto separatam, quemadmodum *ex*, sed rem esse alicunde sumptam, eoque pertinere. Nexus igitur firmior est, et relatio fit paullo distinctior ad id, quo res pertinet. Pauca exempla, quae exstant in *a* praepositione, notavi Tom. 1. p. 34.

Ex hac ratione *de* ponitur in genere constituendo, quod est vel gens, vel classis, vel gradus, vel conditio. Vid. Burmann. ad Petron. 44. et alii quos laudat Drakenborch. ad Liv. 35, 29, 8. Nos dicimus *von, einer von.* Saepe componuntur vocabula *unus, aliquis* et numeralia. Interdum sensus exsistit, quem reddas praepositione *inter*: veluti *de aliquibus praestare aliqua re.*

Cic. ad Att. 8, 1. *hominemque certum misi de comitibus meis.* Varro de Re r. 2, 8, 3. *de asinis quam amplissimum formosissimumque possunt, eligunt.* Cic. ad Fam. 15, 2, 14. *quum rex a me equitatum cohortesque de exercitu meo postularet.* Sueton. Ner. 20. *qui de novo commeatu Neapolim confluxerant.* Alia multa acervavit Schorus Phras. p. 96.

Cic. p. Mil. 24, 65. *postea se gladio percussum esse ab uno de illis.* Horat. Carm. 3, 11, 33. *una de multis face nuptiali digna.* Alia Burmann. ad Petron. 44. Oudendorp. ad Sueton. Aug. 101. Cic. ad Att. 5, 18. *mitte tamen ad nos de tuis aliquem tabellarium.* p. Caec. 19, 55. p. Flacc. 4, 9. *nam si quis umquam de nostris hominibus a genere isto, studio ac voluntate non abhorrens fuit, me et esse arbitror et magis etiam — tum fuisse.* Iuvenal. 6, 385. *quaedam de numero Lamiarum.* De formula *de numero* vid. Garaton. ad Cic. Philipp. 2, 6.

Cic. Brut. 33, 125. *istum de superioribus pene solum lego.*

Cic. de Off. 1, 30, 108. *de Graecis autem dulcem — in omni oratione simulatorem — Socratem accepimus.*

Sueton. Aug. 17. *Antonium iuvenem, maiorem de duobus Fulvia genitis — interemit.*

Cic. de Opt. gen. 4, 9. *quod qui ita faciat, ut, si cupiat uberior esse, non possit, habeatur sane orator, sed de minoribus.*

Poetarum est formula *de gente.* Virgil. Aen. 10, 350. *tres quoque Threicios Boreae de gente suprema.* 9, 281. *genetrix Priami de gente vetusta est mihi.* Stat. Silv. 5, 3, 126. ubi Markland.

Cic. Brut. 34, 131. *atque eodem tempore accusator de plebe L. Caesulenus fuit.* Liv. 7, 17, 6. *adversus cum terrorem dictator C. Marcius Rutilius de plebe dictus magistrum equitum item de plebe C. Plautium dixit.* Ovid. Fast. 5, 20. *ausus de media plebe sedere deus.* 6, 781. Ita *homo de plebe:* vid. exempla admodum multa apud Drakenb. ad Liv. Epit. libr. 2. Vossius de Vitiis serm. 1, 33. demonstrare voluit, quo magno discrimine differrent *homo de plebe* et *plebeius*, quasi illud ordinem, hoc significaret genus: at etiam genere plebeio nati dicebantur *de plebe.* De significatione sortis abiectae vid. Burm. ad Ovid. Amor. 1, 7, 29. Cic. p. Arch. 10, 25. *quum ei libellum malus poeta de populo subiecisset.* ubi vid. Matthiae.

Cum nominibus quantitatis et numeri. Cic. Parad. 1, 1, 8. *cuius quum patriam Prienen cepisset hostis ceterique ita fugerent,*

ut multa de suis rebus secum asportarent. de Div. 2, 65, 134. *misit coniectori quantulum visum est de argento.* Cornel. Thras. 2, 1. *non plus habuit secum, quam triginta de suis.* Cic. p. Rosc. Am. 35, 99. *de tribus et decem fundis tres nobilissimos fundos eum video possidere.* Vid. Bremi ad Cornel. Them. 4, 3. Drakenborch. ad Liv. 22, 49, 16.

In negatione Cic. Verr. 2, 46, 113. *ut — nullum ornamentum, nihil ex sacro, nihil de publico attingeres.* de Off. 3, 7, 34. *neque enim quidquam de hac parte post Panaetium explicatum est, quod quidem mihi probaretur ex iis, quae in manus meas venerint.* ubi vid. Heusing. de Orat. 1, 43, 191. *nemo de iis, qui peritissimi sunt.* p. Rosc. Am. 9, 24. *cui de tanto patrimonio praedo iste nefarius ne iter quidem ad sepulcrum patrium reliquisset.* Plaut. Most. 1, 2, 72. *quo neque industrior de iuventute erat.*

Adiectis numeralibus. Cic. de Off. 2, 9, 32. *de illis tribus, quae ante dixi, benevolentiae praecepta videamus.* Ita bene interpunxit Beierus. Columel. 5, 6, 16. *de ternis pedibus super positis alii rami submittendi sunt.* Sueton. Aug. 101. *de tribus voluminibus uno mandata de funere suo complexus est: altero indicem rerum a se gestarum —: tertio breviarium totius imperii.* Nemo, puto, ita loquitur enumeratis omnibus rebus singulis: nec potest esse: quod attinet ad tria volumina. Sed meliores arbitror codices eos, qui praepositionem omittunt.

Intelligi potest *inter* in his. Propert. 2, 24, 30. (19, 14.) *iam tibi de timidis iste protervus erit, qui nunc se in tumidum iactando venit honorem.* i. e. apparebit eum, qui se nunc iactando attollit, inter timidos non nisi protervum esse. Sueton. Dom. 13. *precantes, ut Palfurium Suram restitueret, pulsum olim senatu, ac tunc de oratoribus coronatum.* i. e. inter oratores, ut orator: quem ad modum legitur in inscriptione apud Gruter. p. 332, 3. *coronatus est inter poetas latinos.* Alii aliter, quasi victoria de oratoribus intelligatur. Varro de Re r. 1, 38. *stercus optimum scribit esse Cassius volucrium. — De hisce praestare columbinum, quod sit calidissimum.* Cic. ad Q. Fr. 1, 1, 3. *de quibus honore et dignitate et aetate praestat Tubero.*

Singularia haec sunt: Cic. ad Fam. 16, 1, 7. *de tuis innumerabilibus in me officiis erit hoc gratissimum.* Ovid. Her. 2, 43. *si de tot laesis sua numina quisque deorum vindicet, in poenas non satis unus eris.* Pompon. Mela 2, 7, 17. *de omnibus Himera referendus.* Tacit. Ann. 15, 54. *ut plerique tradidere de consequentibus.* Sed haec non uno nomine suspecta sunt. *Consequentes* enim non possunt nominari scriptores posteri,

neque interposito verbo nomina separari. Quidam codices in Cic. de Leg. 2, 15, 37. exhibent: *ut — quidam alii dii de peregrinis iudicati e civitate eiiciantur*, quasi ita dici posset pro *alii de diis peregrinis*.

In omni hoc usu librarii saepe supposuerunt *ex* vid. Burm. ad Virgil. Aen. 3, 602. ad Sueton. Dom. 12. ad Ovid. Met. 11, 6. Drakenb. ad Liv. 21, 6, 5. 35, 29, 8. Garaton. ad Cic. Phil. 2, 6.

12. Non alia est ratio, qua materiam designamus, ex qua aliquid sumptum aut factum sit, aut fiat. Quare recte dicitur *de aliqua re aliquid facere*, et saepe adiectivi vicem praestat nomen praepositione coniunctum. Idem exprimitur vocabulo *ex*. Et dicitur de rebus vel componendis vel immutandis. Aliquantum differt formula *quid faciam de hac re?* qua non materia, sed ipsa res significatur: in hac re, ad hanc rem quod attinet.

Ovid. Met. 14, 313. *niveo factum de marmore signum*. 5, 183. *in hoc haesit signum de marmore gestu*. Cic. ad Att. 13, 37. *de eodem oleo et opera exaravi nescio quid ad te*. Ovid. Met. 1, 127. *de duro est ultima* (aetas) *ferro*. Virgil. Ge. 3, 13. *viridi in campo templum de marmore ponam*. Plin. Hist. n. 26, 4, 11. *succus de quinquefolio*. Ovid. Fast. 3, 184. *adspice de canna straminibusque domum*. 3, 254. Priapei. 42, 2. *de cera facili dat tibi poma*. Ita Scaliger emendavit vulgatum *de cera facta*. Palladius de Re r. 1, 43, 4. *paremus — ocreas manicasque de pellibus*.

Ovid. Fast. 4, 725. *certe ego de vitulo cinerem — saepe tuli plena manu*. Scribon. de Comp. 245. *cinis de filice facta*. Pallad. de Re r. 1, 35, 3. *aliqui cinerem de fico super erucas spargunt*.

Tibull. 2, 1, 59. *rure puer verno primum de flore coronam fecit*. 1, 1, 3. *fictilia — fecit agrestis pocula, de facili composuitque luto*. Ovid. Fast. 5, 223. Iustin. 7, 2, 11. *captivum de rege facturi videbantur*. Petron. 105. *ne viderer de nave carcerem facere*. Ovid. Fast. 5, 616. *inque deum de bove versus erat*. Flor. 2, 6, 32. *quum — mediam de Italia Africam facerent* etc. Vid. Burm. ad Ovid. Her. 14, 86. et ad Am. 1, 10, 8. *quidquid magno de Iove fecit Amor*. Iuven. 7, 197. *si Fortuna volet, fies de rhetore consul*. De loco Cic. Philip. 5, 7, 18. *de templo carcerem fieri*, ubi alii codd. *e templo*, vide Garaton.

Florus 3, 20, 8. *nec abnuit ille de stipendiario Thrace miles*,

de milite desertor. Manil. 4, 46. *quod consul totiens exsul, quod de exsule consul.* de quo loco vid. Gronov. Observ. 4, 20. Minuc. Fel. 20, 4. *de hominibus aves et feras homines et de hominibus arbores et flores.* Petron. 72. *de una die duas facere.*

Cornel. Them. 2, 6. *miserunt Delphos consultum, quidnam facerent de rebus suis.* quod Heynius ad Tibull. 1, 1, 37. temere tentavit. Terent. Ad. 5, 9, 39. *sed de fratre quid fiet?* Sallust. Cat. 50, 3. *refert, quid de his fieri placeat.* Cic. ad Att. 2, 5. *rescribe — quid de P. Clodio fiat.* vid. Sciopp. Susp. Lect. 2, 13. et 20.

Cic. de Orat. 1, 19, 83. *artificium — cuiusmodi de ipso iure civili hesterno die Crassus componi posse dicebat.* Schwartzius et alii coniungebant *componi de iure civ.* Ad cohaerent *dicebat de iure civ.*

13. Nec tantum materia ita declaratur, sed omne id, unde aliquid suppeditatur, vel quo quid constat. Quare etiam de quocumque impendio.

Plaut. Epid. 1, 1, 62. *amatne illam, quam emit de praeda.* Flor. 1, 7, 8. *de manubiis captarum urbium templum erexit.* ubi vid. Duker.

Ita *de aliquo vivere.* Plaut. Truc. 5, 61. *de vestro vivite.* Idem quod *ex aliquo vivere* Ovid. Met. 1, 144. Cic. ad Fam. 9, 17. *quia de lucro prope iam quadriennium vivimus.* i. e. ex beneficio. Vid. Sigonius ad Liv. 40, 8, 2. qui egregie emendavit: *de lucro tibi vivere me scito.*

Ovid. Fast. 5, 282. *iam de vetito quisque parabat opes.*

Plin. Hist. n. 33, 4, 24. *Augustum de crure eius* (statuae aureae) *coenare.*

14. Peculiares igitur sunt formulae de impensis cuiusvis generis, praesertim de pecunia *de meo, de suo, de alieno, de publico,* quae etiam praepositionem *a* assumunt. Cf. T. 1. p. 16. Vavassor de Vi verb. p. 517. Scheffer. ad Phaedr. 4, 19, 26. Schwarz. ad Plin. Pan. 26. Drakenb. ad Liv. 4, 60, 4. Arntzen. ad Aur. Victor. Epit. de Caes. 48, 17. Graeci dicunt *τίνειν παρά τινος.*

Cic. ad Fam. 4, 3, 5. *nam quod exemplo fit, id etiam iure fieri putant: sed aliquid, atque adeo multa addunt et afferunt de suo.* i. e. a sua parte, sine exemplo multa faciunt. Plaut. Mil. 3, 3, 31. *ad tua praecepta de meo nihil his novum apposivi.* Men. 1, 2, 40. Plin. Epist. 4, 13, 6. *qui fortasse de alieno negligentes certe de suo diligentes erunt.*

Terent. Ad. 1, 2, 37. *obsonat, potat, olet unguenta de meo: amat: dabitur a me argentum.* Plaut. Bacch. 1, 1, 64. *nam id flagitium sit meum mea te gratia et operam dare mihi et ad eam operam facere sumptum de tuo.* Cic. ad Att. 16, 16. Planco: *Atticus, qui civitatem conservatam cuperet, pecuniam numeravit de suo.* Plaut. Truc. 1, 2, 11. *de nostro saepe edunt.* Liv. 6, 15, 10. *sed quid ego vos de vestro impendatis hortor?* ubi Drakenb. Suet. Caes. 19. Ovid. Fast. 3, 828. *munera de vestris pauca referte deae.*

Liv. 3, 1, 3. *possessores et magna pars patrum, tribuniciis se iactare actionibus principem civitatis et largiendo de alieno popularem fieri querentes.* Iustin. 36, 3, 9. 8, 34, 3. vid. Drakenb. ad Liv. 4, 60, 4.

Quod Plaut. Men. 3, 3, 21. *da sodes abs te.* id Terent. 5, 8, 17. *de te largitor, puer.* i. e. de tuo. Acutius hoc appellat Donatus.

Cic. Verr. 3, 44, 105. *memoria tenetis — quotidie solitum esse non modo in publico, sed etiam de publico convivari.* Liv. 4, 59, 11. *additum — ut decerneret senatus, ut stipendium miles de publico acciperet, quum ante id tempus de suo quisque functus eo munere esset.* 1, 20, 3. *his — stipendium de publico statuit.* 2, 16, 7. *P. Valerius — anno post — moritur copiis familiaribus adeo exiguis, ut funeri sumptus deesset: de publico est elatus.*

15. Potest esse etiam locus, in quo aliquis habitat vel versatur, unde aliquis arcessitur vel ducitur: imprimis ubi genus hoc modo constituitur. Conf. Vorst. de Lat. falso susp. 19. p. 196.

Ennius apud Cic. de Div. 1, 58, 132. *non habeo denique nauci marsum augurem, — non de circo astrologos.* Cic. p. Cluent. 59, 163. *A. Binnium quemdam, coponem de via latina, subornatis.* p. Mil. 24, 65. *popa Licinius, nescio qui de circo maximo.* Librarii correxerunt *in* et *ex.* vid. Garaton. Iuvenal. 14, 134. *aliquis de ponte.* i. e. mendicus.

Cic. Orat. 15, 47. *non enim declamatorem aliquem de ludo aut rabulam de foro, sed doctissimum et perfectissimum quaerimus.* i. e. forensem. de Orat. 2, 7, 28. *hominem enim audietis de schola atque a magistro — eruditum.* Sueton. Aug. 98. *nautae de navi alexandrino.* Ovid. Fast. 2, 209. *libyca de rupe leones.* Tibull. 1, 1, 15. *nostro de rure corona.* Iuvenal. 6, 344. *vaticano fragiles de monte patellas.* 1, 137. *nam de tot pulcris et latis orbibus et tam antiquis una comedunt patrimonia mensa.*

Nemes. Ecl. 1, 66. *dant Fauni — de vite racemos, de campo culmos, omnique ex arbore fruges.*

Huius generis est Plaut. Aul. Prol. 28. *nam compressit eam de summo adolescens loco.* Capt. Prol. 30. *quoniam heri indaudivit, de summo loco summoque genere captum esse equitem Alium.* Poen. 3, 1, 13. De loco Cic. Tusc. 2, 6, 15. vide infra.

Ita igitur tantum de locis usurpatur, non de urbibus. Tamen Martial. 1, 42, 12. *quod de Gadibus improbus magister.* Intelligitur ex Gadibus arcessitus.

16. Genitivus quum rationem exprimat, qua aliquid ex alia re pendeat, sive ei inhaereat, sive sit inde sumptum, in graeca et latina et in aliis linguis fit, ut idem sensus etiam per praepositiones exprimatur, quae sunt *ἀπὸ* et *ἐκ*, *a* et *de*. vid. Tom. 1. p. 35. Id ex usu communi demonstravit Cortius ad Sallust. Cat. 35, 2. Recentior aetas quo longius ab antiqua simplicitate recesserat, eo frequentius praepositionem adhibuit ad exprimendam vim casus genitivi. Mirabilia atque adeo absurda exempla habet romana lingua rustica, cui Francogalli modum debent, quo ipsum genitivum hac particula *de* apposita designant. Latini scriptores antiqui et meliores abstinebant ab hac dictione minus adstricta, nisi in collocatione duorum genitivorum ambiguitas evitanda erat praepositionis auxilio. Sic Cicero Verr. 1, 12, 32. *concedite pudori meo, ut aliquam partem de istius impudentia reticere possim.* Poetae, metri necessitate adstricti, et comici, vulgarem consuetudinem tenentes, saepius hac forma utuntur, certe in quibusdam nominibus. Ab his autem distant dictiones optimis scriptoribus probatae, in quibus verbum constructionem regit non uno modo ita, ut et genitivus et praepositio ad aequalem sensum perducat.

Herzogius nuper ad Sallust. Cat. 35, 2. negare voluit veritatem huius observationis, quasi verba: *satisfactionem ex nulla conscientia de culpa proponere decrevi*, non significarent, *wegen keiner Mitwissenschaft um ein Verbrechen*, sed *wegen k. M. um irgend etwas, was Verbrechen hieſs.* quae quomodo differant, equidem non exputo. Neque *conscientiam* Sallustius intellexit societatem sceleris, sed animi scientiam, *das Bewuſstseyn einer Schuld.* Et dicitur *conscium esse de aliqua re* Cic. ad Att. 2, 24. et *alicuius rei.* Vid. Kritzius ad h. l. Sed de his infra. Nec aliter *mentionem facere alicuius rei* Cic. in Pis. 10, 23. et *de aliqua re* Cic. pr. Quint. 11, 39. *memi-*

nisse de al. Cic. ad Att. 15, 27. recordari de al. Tusc. 1, 6, 13.

Homines plebis dicebantur *homines de plebe* Drakenb. ad Liv. Epit. libr. 1. Quae apud Cic. Phil. 2, 27, 65. *persona de mimo*, est persona mimi: sed sarcasmus inest.

Terent. Heaut. 4, 1, 39. *si moreretur, ne expers partis esset de nostris bonis.* Ovid. Fast. 4, 19. 2, 748. *quantum de bello dicitur esse super.* 2, 567. 6, 809. *venit in hos annos aliquid de more vetusto.* Gratii Cyneg. 17. *centum omnes nemorum, centum de fontibus, omnes Naiades.* Perquam imprudenter Burmannus quaesit, cur poeta non *fontium* scripserit. Vopisci Firmus 3. *tantum habuisse de chartis, ut publice saepe diceret, exercitum se alere posse papyro.* Ovid. ex Pont. 4, 13, 23. *laudes de Caesare dixi.* Tacit. Ann. 1, 12. *addidit laudem de Augusto.* Muretus correxit *de laudibus Aug.*, Wolfius *laudem Augusti*: hic tamen etiam liberiorem usum particulae *de* saepe se notasse narrat, nullo exemplo addito. Neque vero tanta erat bonis scriptoribus libertas. Intelligi debet laus, quae argumento ex Augusti meritis sumpto, simul Tiberium efferret. Comparari possunt verba Caesaris B. gall. 5, 41. *addunt etiam de Sabini morte.* Sed potest etiam particulae tribui ea vis, quam habet dictio: *spolia de hostibus*, *spolia de Persis.* Curt. 8, 8, 9. 9, 1, 2. Tertullian. de Testimon. an. 1. *sed ne suis quidem magistris alias probatissimis atque rectissimis fidem inclinavit humana de incredulitate duritia.* quae vindicat Gronov. in Diatrib. p. 560. (368.) comparans graeca σκληρὸν τῆς ἀπιστίας. Minuc. Fel. 7, 2. *specta de libris memoriam.*

Formula Lucretio saepe usurpata est *cetera de hoc genere.* 4, 592. 462. 746. 5, 38. 165. Horat. Sat. 1, 1, 13. Cicero, quod saepe dixit *quae sunt eiusdem generis*, Tusc. 4, 7, 16. expressit: *si quae sunt de eodem genere.*

Recentiora exempla: *caput de aquila*, *vestes de altari* vide apud Salmas. ad Volcat. Gallicani Avid. Cass. 5. Minuc. Felix 25, 3. *mox alienas virgines iam desponsatas — et nonnullas de matrimonio mulierculas sine more rapuit, violavit.* i. e. maritatas.

II. 1. Accedo ad tempus, cui designando etiam haec praepositio inservit. Atque plerique grammatici praecipiunt, duplicem illam rationem, quam in *a* observavimus T. 1. p. 20. etiam per *de* exprimi, idque et temporis certi initium et perpetuitatem significare. At illa initii notio prorsus abhorret ab hoc vocabulo, neque umquam a bonis scriptoribus *de nocte* dictum est pro *a nocte*, *a*

prima nocte. Alii, quibus nuper Boettigerus accessit, intellexerunt diem consumptum, ut, qui *de die* potaret, tempestivo convivio diceretur aliquantum carpere de die negotioso. Quod speciosum argumentum fallit, nec quadrant omnia exempla. Quid enim dixisset Plaut. Asin. 3, 1, 13. *ergo una pars orationis de die dabitur mihi?* *De* enim indicat tractum temporis, quem quasi sequimur, atque formulae *de die*, *de nocte* significant *vom Tage her*, *procedente die*, *p. nocte: im Laufe des Tages.* Quod fere idem est quod *die*, *nocte: am Tage, in der Nacht.* *De media nocte* est tempore mediae noctis. Interdum *de die*, *de nocte* idem significant quod *per diem*, *per noctem.*

Boettigerus dixit de hac re in Libellis vespertinis Dresdens. 1830. n. 5. ubi addit, Horatii verba Carm. 1, 11, 8. *carpe diem* ex eadem ratione dici de parte negotiosi diei carpenda: quod quomodo cum Leuconoës vita convenerit, equidem non perspicio. Femina carpit diem sic, uti flores et fruges. Lambinus ad Horat. Epist. 1, 7, 88. *de* acceperat pro aliquanto post. Burmann. ad Phaedr. 3, 10, 20. *de nocte* docuerat notare non primam aut quamvis partem noctis, sed mediam. Quod quomodo fieret, non demonstraverat. Tamen Ernestius in Clavi Cic. p. 439. *de nocte* esse exposuit, statim a media nocte, seu multa adhuc nocte, *de die* esse statim a meridie. Quem Ruhnken. ad Terent. Ad. 5, 3, 55. et alii multi sequuti sunt: quamquam mediae noctis nullum adest indicium. Sed Bentleius disertis verbis ad Horat. Epist. 1, 18, 91. *media de nocte* fieri ait, non quod eo usque producitur, sed quod tum primum incipitur. Vtrumque falsum est. Salmasius, quem referunt ad Solin. p. 456. dixisse, *de die* interdum esse etiam a mane, nihil de hac re. Censorinus quod dicit de Die nat. 24.: *tempus, quod mediae nocti proximum est, vocatur de media nocte.* non ita accipiendum est, quasi sit inde a media nocte, sed per eam noctis partem, quae a media nocte est ad gallicinium. Recte igitur Gesnerus in Thes. T. 2. p. 12. „*de* cum nominibus temporis significat, illud tempus nondum plane effluxisse." Id animadvertit Matthiae ad Cic. p. Mur. 19, 22. cf. Drakenb. ad Liv. 8, 23, 15. ubi legendum est: *consul oriens de nocte:* et Oudendorp. ad Suet. Vesp. 21. Bremi. ad Suet. Oct. 97. Herzogius ad Caes. B. g. 1, 12. miscuit varias notiones.

Terent. Ad. 5, 3, 54. *ceterum rus cras cum filio cum primo lucu ibo hinc.* M. *(immo) de nocte censeo.* i. e. *noch in der*

Nacht. nondum exhausta nocte. Cic. ad Att. 4, 3. *in comitium Milo de nocte venit.* idem est quod paullo ante *nocte.* 8, 6. *obsignata iam epistola, quam de nocte daturus eram, sicut dedi (nam eam vesperi scripseram) C. Sosius praetor in Formianum venit.* Horat. Epist. 1, 2, 32. *ut iugulent homines, surgunt de nocte latrones.* quod reddunt: *tief in der Nacht.* Hoc nimium est: sufficit, nocturno tempore. Frontin. Strat. 4, 3, 7. *Hannibal surgere de nocte solitus, ante noctem non requiescebat.* i. e. ante diem. Ineptum esset: statim a media nocte. Cic. p. Mur. 33, 69. *prope de nocte* opponitur horae tertiae. 19, 22. *vigilas tu de nocte, ut tuis consultoribus respondeas.* i. e. nocturnis vigiliis. sed ad Q. frat. 2, 15. *evenit, ut, si serius, quam voluerunt, forte surrexerint, properando etiam citius, quam si de multa nocte vigilassent, perveniant, quo velint.* i. e. multam noctem. Sueton. Vesp. 21.

Plaut. Rud. 4, 2, 10. *ut de nocte multa impigreque exsurrexi.* Caes. B. gall. 7, 45. *Caesar mittit complures equitum turmas eo de media nocte.* 7, 88. Sueton. Cal. 26. Cic. ad Att. 7, 4. *multa de nocte profectum esse ad Caesarem.* i. e. diu ante lucem. ad Q. frat. 2, 9. p. Sext. 35, 75. *quum forum, comitium, curiam, multa de nocte armatis hominibus ac servis quoque occupavissent* etc. quod paullo ante: *templum aliquanto ante lucem occupavit.* Et de Petit. consul. 13. *domus ut multa nocte compleatur.* Quae omnia Bentleius si reputasset, abstinuisset ab inopportuna correctione in Horat. Epist. 1, 18, 91. nam *potores bibuli media de nocte falerni* sunt, qui per mediae noctis tempus bibunt.

Formula *de die* vulgo explicatur *a media die:* quo facto etiam opus est, ut *diem* pro media die dici statuant. At *de die* nihil est nisi die, lucente die: *am Tage, am hellen Tage:* non eo tempore, quo convivia et potationes apud Romanos antiquos habebantur, quod erat teste Martiale 4, 7: post nonam horam: unde formulae *de die potare, convivium de die apparare.* Plaut. Asin. 4, 2, 16. *unam ad amicam de die potare.* Terent. Ad. 5, 9, 8. *scortum adducere, apparare de die convivium.* Catull. 45, 5. *vos convivia lauta sumptuose de die facitis.* Horat. Epist. 1, 14, 34. *quem scis — bibulum media de luce falerni.* ubi non licuit verborum ratione graeca loquutio comparari ἀφ' ἡμέρας πίνειν. Haec enim, ut bene intellexit Toup. ad Suidam T. III. p. 495. Lips. significat a mane poculis indulgere. Conf. Salmasius ad Vopisci Florian. 6. Westerhov. ad Terent. loc. Lips. in Excurs. ad Tacit. Ann. 14, 2. Vales. ad Plaut. Asin. 4, 2, 16. Cellar. ad Curt. 5, 7, 2. Sueton. Dom. 21. *lavabat de die prandebatque ad satietatem.*

Forcellinus explicat: orto iam die, mane, mature: quod falsum. Alia collegit Gesnerus in Thes. p. 11.

Apud Hirtium Bell. Afr. 63. *in salo in anchoris ea nocte commoratus.* quum codd. quidem praeberent *eadem*, Oudendorp. coniecit *ea de nocte.* At nemo ita loquutus est, neque allata exempla habent pronomen.

Horat. Epod. 13, 3. *rapiamus, amici, occasionem de die.* Qui cum Porphyrione tempestiva convivia intelligentes interpretati sunt *primo mane*, vehementer errant. Sufficit consumendi notio. Donatus in Terent. Ad. 5, 9, 8. explicat: *repente, neque ante praedictum, nec pridie constitutum.* quasi sit *hoc ipso die.* Respexit enim ad formam *de tempore coenare*, de qua paullo post.

Cic. Phil. 2, 34, 87. *cum perditissimis latronibus non solum de die, sed etiam in diem vivere.* de quo loco longae exstant expositiones. Plerisque Graevius persuasit, verbi *vivere* duplicem esse significatum, voluptatibus indulgere et vitam instituere. At nemo umquam dixit *de die vivere* pro *de medio die coenare.* Nec rectius Wernsdorfius vertit: *dafs du mit den verworfensten Strafsenräubern in Lüsten lebst von Tages Anbruch.* Forcellinus cum Abrahamo interpretatur: palam omnibus videntibus, *pubblicamente.* Equidem video, Ciceronem lusisse verbis *in diem*, iisque opposuisse *de die*, quod esset *per diem.* Ceterum Ernestius ad Sueton. Ner. 27. observavit, non dici *de medio die*, sed *de die* et *a medio die*: quare recte legi: *epulas a medio die ad mediam noctem protrahebat.* Caussa vero cernitur non in voc. *medio*, quod Horatius quoque addidit, sed in significatione initii, *inde a — usque ad.*

Cic. ad Q. frat. 2, 1. ext. *fac, si me amas, ut considerate diligenterque naviges de mense Decembri.* i. e. mense Decembri. Caes. B. civ. 1, 63. *quum de tertia vigilia Petreius atque Afranius castra movissent, repente sese ad novissimum agmen ostendunt.* i. e. *im Verlauf der dritten Stunde.* Non bene explicant: tertia vigilia transacta, post tertiam vigiliam. Recte Gronovius ad Liv. 9, 44, 11. ante tertiam vigiliam transactam. Permulta exempla collegit Drakenborch. ad Liv. l. c. et bene explicuit ad 8, 23, 15. Petron. 45. *accidit de lucerna equites.*

Ruddimannus 2. p. 290. observat, *de* cum minori fere temporis specie, *de die*, *de tertia vigilia*, raro cum maiore, *de mense*, iungi; nec dici posse *de anno proximo venit*, *claruit de olympiade sexagesima*: sed in his dominari consuetudinem, ut non perinde ac *de tertia vigilia*, ita *de hora tertia profectus*

est dicatur. Illud, si verum esset, ipsum refragaretur sententiae eorum, qui partem temporis consumptam intelligebant. Apud Columel. 2, 4, 9. *deinde de Aprili media usque in solstitium iterandi.* codd. auctoritate correctum est *ab Aprili.*

2. Vulgaris est opinio, *de* significare tempus, post quod aliquid fiat. Quod probari non potest nisi in iis, quae consequentiam exprimunt continuato tractu. Quum Plautus Most. 3, 2, 8. ait: *non bonus somnus est de prandio:* nos reddimus *nicht gut ist der Schlaf gleich von Tische weg*, intelligentes eos, qui de prandio decedunt. Neque aliter in formulis *diem de die prospectare, diem de die differre.*

Cic. ad Att. 12, 8. *velim scire, hodiene statim de auctione aut quo die venias.* Hic et verbum *venire* et vocabulum *statim* explicationem confirmant.

Liv. 5, 48, 6. *interim capitolinus exercitus — diem de die prospectans, ecquod auxilium ab dictatore appareret.* 25, 25, 4. *quum is diem de die differret* etc. Iustin. 2, 15, 6. *diem de die proferendo.* Aliter *diem ex die exspectare* Cic. ad Att. 7, 26.

Formulam *de die in diem, von Tag zu Tag*, ex Vulgata scripturae sacrae versione in usum deductam esse notavit Cellarius Antibar. p. 192. Cur. post. p. 294. Noltenius ut hebraismi notam deleret, attulit Plin. Hist. n. 21, 1, 1. *flores vero odoresque de die in diem gignit.* et Cyprian. Ep. 8, 11. extr. *ut omnes sciant, schismatici huius et haeretici dolum et praevaricationem de die in diem evacuari.* In Plinii loco veteres editiones exhibent verba a librariis interpolata: Cyprianus autem ex Epigeorum potius rivulis quam ex latinis fontibus hausisse videtur. Heusingero in Observat. p. 465. Saepe librarii haec suo more corruperunt, sicuti in verbis *de verbo ad verbum:* de quibus Noltenius p. 1427. et Goclenii Analect. p. 396. Cellar. Cur. post. p. 349.

Ad tempus male referunt Virgil. Aen. 2, 662. *iamque aderit multo Priami de sanguine Pyrrhus.* quasi sit: post caedem Priami et Politae filii. In *aderit* inest notio veniendi.

Barbari dicunt *de facto.*

3. *De tempore* pro *tempore* in uno loco Belli hispan. 33. legitur: *ipse de tempore coenavit.* quod Schaeferus in Glossar. Liv. p. 188. idem esse dicit, quod *de die coenare.* At repugnat ipsa sententia auctoris, qua di-

citur Scapula coenasse statim apparata coena. Alia, sed iusta caussa est loquutionis *ex tempore*.

III. 1. Illa, quam antea illustravimus, notio deducendi propinquam sibi habet in re persequenda vel agenda. Quum enim de aliqua re agimus, alicunde cogitationis vel orationis materiam petimus, aut cogitationem ad certum finem ita perducimus, ut ex aliquo loco exeuntes decurrere videamur. Itaque *de* materiam et caussam rei agendae indicat: de quo iam dictum est Tom. 1. p. 34. Notissima sunt, quae ad verba cogitandi, dicendi, disserendi, narrandi pertinent, et argumentum indicant. Alia metaphora Latini dicunt *super*, Germani *über*. In *de* quasi per campum rei dicendae vel cognoscendae descendimus. *A* significat agentem, *de* rem agendam. Plin. Ep. 4, 7, 7. *credas non de puero scriptum, sed a puero.* Charisius p. 209. *at vero de ad id* (referunt), *quod Graeci περὶ dicunt, quasi de Marcello, ut Cic. de amicitia* (1, 1.) *Q. Mutius augur multa narrare de C. Laelio socero suo memoriter et iucunde solebat.* Conf. Priscian. p. 996.

Cic. de Fin. 1, 7, 22. (Epicurus) *nihil de dividendo ac partiendo docet.* Caes. B. gall. 7, 10. *itaque cohertatus Aeduos de supportando commeatu, praemittit ad Boios, qui de suo adventu doceant.* Sueton. Caes. 9. *de[illegible]at significare videtur et Cicero.* Sallust. Cat. 51, 19. *de timore supervacaneum est disserere.* ubi Cort. Curt. 4, 8, 12. *Rhodii et Chii de praesidio querebantur.* Caes. B. g. 7, 55. *quum — de statu civitatis cognossent Livaticum Bibracte ab Aeduis receptum etc.* Horat. Carm. 4, 7, 21. *quum semel occideris et de te splendida Minos fecerit arbitria.* Cic. ad Att. 7, 2. de epistola: *erat enim de re publica, de opinione.* de Div. 2, 1, 3. *tres libri perfecti sunt de natura deorum.* Paullo ante: *primus est enim de contemnenda morte,* de Inv. 1, 20, 29. *quae praecepta de brevitate sunt.*

Sallust. Cat. 5, 9. *de moribus civitatis tempus admonuit.* Caes. B. gall. 5, 41. *addunt etiam de Sabini morte.* Sallust. Cat. 4, 3. *de Catilinae coniuratione — paucis absolvam.* Tacit. Hist. 4, 48. *ea de caede quam verissime expediam.* vid. Cort. ad Sallust. loc. Sueton. Tib. 17. *sed de cognomine intercessit Augustus.* Cic. de Orat. 2, 19, 83. *artificium esse hoc quoddam non dissimile ceterorum, quiusmodi de ipso iure civili hesterno die Crassus componi posse dicebat.* Terent. Heaut. 2, 3, 22. *hic de nostris verbis errat, quae hic loquuti sumus.*

Plaut. Most. 3, 1, 26. *etiam fatetur de hospite.* Sallust. Cat. 45, 4. *multa prius de salute sua Pomtinum obtestatus.* Cic. ad Fam. 1, 9, 3. *in omni actione atque administratione reip. floruissemus, de qua ostendam equidem paullo post, qui sit meus sensus et status.* Cornel. Dat. 7, 1. *Scismas — de defectione patris detulit.* Similiter *de aliqua re polliceri* Liv. 1, 47, 7. Cic. p. Planc. 42, 101.

Huc pertinent etiam verba *dissentire*, *assentire*. Cic. Phil. 2, 15, 29. *de summa re dissentientes.* ubi vid. Garaton. Liv. 29, 20, 1. *de ceteris Maximo assensus, de Scipionis caussa dissentit.* *Dubitare de aliqua re* Cic. ad Fam. 8, 10, 15.

2. Verba activa sentiendi, iudicandi, cognoscendi, postulandi et alia, quae fere accusativum secum habent, componuntur cum praepositione *de*, quae materiam significat, accusativo non apposito. Id imprimis tum fit, quum res non tota simul comprehenditur, sed tractatur separatim per singulas partes: quod alias *circa*. Cf. Held. ad Caes. B. civ. 1, 32. Similiter verba neutra. Herzogius ad Sallust. Cat. 3, 2. comparat graecum τὰ περί. *Cognoscere aliquid* est rem ipsam unam et totam cognoscere, sed *de aliqua re cognoscere* partes ad eam pertinentes.

Caes. B. gall. 5, 32. *posteaquam ex nocturno fremitu vigiliisque de profectione eorum senserunt.* Cic. ad Fam. 4, 4, 7. *uno te vicimus, quod de Marcelli, collegae tui, salute paullo ante quam tu cognovimus.* Ovid. Trist. 1, 9, 27. *de comite argolici postquam cognovit Orestae.* Caes. B. gall. 1, 35. *ut — gravaretur, neque de communi re dicendum sibi et cognoscendum putaret.* Sallust. Iug. 95, 3. *nisi quod de uxore potuit honestius consuli.* ubi vid. Cort.

Sallust. Cat. 47, 1. *dissimulare de coniuratione.* Iug. 84, 3. *de ullo negotio abnuere audebat.* ubi vid. Cortius. Cat. 30, 6. *si quis indicavisset de coniuratione.* Cic. p. Quint. 9, 33. *iudicium esse non de re pecuniaria, sed de fama fortunisque P. Quintii vides.*

Ita etiam verba superioribus illis similia *certare de aliqua re* Cic. Lael. 8, 28. *dimicare* p. Arch. 11, 29. *pugnare* Flor. 1, 11, 5. *contendere* Cornel. Arist. 1. Ita *mereri de aliquo* Cic. p. Mil. 34, 93.

Terent. Heaut. 4, 2, 4. *quod de argento sperem, nihil est.* Sic *gaudere, dolere de aliqua re*, vide infra. *De aliqua re cavere* et *ab aliqua re cavere* quo differant, docent exempla

Caes. B. gall. 6, 2. Cic. de Lege agr. 1, 4, 10. Sueton. Caes. 8. Sallust. Iug. 108. Cic. Verr. 2, 23, 55.

3. Hac dictione boni scriptores saepe utuntur ita, ut, quae iam aliis verbis expressa sunt, adiecto argumenti nomine distinctius designentur, aut ut praemisso rei nomine id, quod de ea praedicetur, addatur per formam accusativi cum infinitivo.

Caes. B. civ. 2, 17. *quaeque postea acciderant, de angustiis rei frumentariae accepit.* 1, 21. *quae ignorabant, de L. Domitii fuga cognoscunt.* 3, 58. *postquam non modo hordeum pabulumque omnibus locis herbaeque desectae, sed etiam frondes ex arboribus deficiebant, — conandum sibi aliquid Pompeius de eruptione existimavit.* Cic. Brut. 45, 165. *quod idem de C. Coelio dixerim industriam in eo summam fuisse.* 15, 57. 72, 252. Tusc. 5, 20, 57. *de hoc homine a bonis auctoribus sic scriptum accepimus, summam fuisse eius in victu temperantiam.* ad Att. 9, 7. *de pace idem sentio quod tu, simulationem esse apertam.* in Verr. 2, 71, 174. 4, 18, 28. Lactant. 5, 9, 1. *de suis moribus meritisque coniectant abesse iustitiam.*

Interdum ita ponitur nomen cum hac praepositione, ut simul subiectum sit verbi, quod sequitur. Cic. in Verr. 3, 33, 76. *de accessione dubito, an Apronio ipsi data sit.*

4. Non alia est ratio, qua verba *mittere*, *legare* cum hac praepositione componuntur, ut indicetur res, cuius agendae caussa aliquis mittitur. Quae propius accedunt ad ipsam caussae notionem.

Cic. de Off. 1, 13, 39. *Regulus — quum de captivis commutandis Romam missus esset* etc. Coelius ad Cic. 8, 8, 31. *rem, de qua misi, velim curae habeas.* Brut. 90, 312. *dictatore enim Sulla legatus ad senatum de Rhodiorum praemiis venerat.* Caes. B. gall. 2, 6. *qui legati de pace ad Caesarem venerant.* Tacit. Ann. 1, 22. ad q. 1. Wopkens. in Act. soc. Trai. Tom. 2. p. 27. Cf. infra p. 212.

5. Nexus, qui in his intercedit inter verbum et nomen cum praepositione coniunctum, in aliis abest. Nam in verbis *celare aliquem de aliqua re* omitti potest nomen rei, quam ipsa dissimulatio tangit: aut quum dico *facere aliquid de aliqua re*, id proprie significat *facere ex aliqua re:* sed potest etiam esse facere aliquid sumpta ex aliqua re caussa vel occasione; ob aliquam rem, pro aliqua re. Igitur ut rationem, qua actio regitur, indicent, Graeci ab amplectendo dicunt

περὶ (vid. Stallbaum. ad Plat. Menon. p. 105.), Germani a convertendo *in Hinsicht*, Latini contrario modo a deducendo appellant *de*, quod est *von wo her*, et ponitur pro *quod attinet ad*, *in Betreff*. Similiter Germani *von wegen*. Hoc modo saepe exprimitur vis genitivi. Nam quod ad aliquam rem attinet, eius esse potest pars aut pendet ex ea. Nec refert, utrum accusativus adiiciatur, an absoluto usu ponatur verbum. Sunt vero loquutiones, in quibus deductionis notio pressius teneri possit: veluti Quinctil. 8, 2, 19. *quidam — de figuris idem vitium consequuntur.* quod explicare licet *ex figuris, parte figurarum.* Atque hoc modo fit, ut multa huius generis exempla etiam ad rationem supra expositam referri possint.

Caes. B. gall. 5, 27. *neque id, quod fecerit de oppugnatione castrorum, aut iudicio aut voluntate sua fecisse.* Sallust. Cat. 50, 3. *refert, quid de his fieri placeat, qui in custodiam traditi erant.* cf. Cic. ad Fam. 14, 1, 7. de Leg. 3, 1, 2. *sicut de religionum lege fecisti.* ubi Davisius temere scripsit *in relig. lege.* Terent. Heaut. 2, 2, 1. *si mihi secundae res de amore meo essent, iam dudum, scio, venissect.* Caes. B. gall. 6, 19. *de morte si res in suspicionem venit.* cf. Held. ad 5, 27. Herzogius ad Sallust. Cat. 45. varia exempla miscuit.

Cic. ad Fam. 1, 1, 6. *Hortensii et mea et Luculli sententia cedit religioni de exercitu.* Caes. B. gall. 6, 36. *diffidens de numero dierum Caesarem fidem servaturum.* Cic. ad Att. 9, 9. *recte non credis de numero militum.* Liv. 3, 60, 4. *postquam concessum propemodum de victoria credebant.* 6, 42, 11. *concessum ab nobilitate de consule plebeio.* ubi vid. Drakenb. pr. Rosc. Am. 40, 118. *num videtur — iste discipulus magistro tantulum de arte concedere?* Verr. 2, 40, 108.

Plaut. Merc. 3, 2, 22. *de lanificio neminem metuo, una aetate quae sit.* Pseud. 1, 1, 121. *de istac re in oculum utrumvis conquiescito.* Cic. ad Fam. 1, 9, 11. *neque de monimentis meis ab iis adiutus es, a quibus debuisti, neque de vi nefaria, qua cum fratre eram domo expulsus.* Quinctil. Declam. 2, 13. *exiguum argumentum, noverca, de magna facilitate fecisti.* Ovid. Fast. 4, 581. *solem de virgine rapta consule.*

Terent. Hec. 3, 3, 31. *ceterum de reducenda id facias, quod in rem sit tuam.* Liv. 36, 31, 9. *si qua haberent, de quibus aut recusare aut in posterum caveri sibi vellent, Corinthum ad se venirent.* Terent. Eun. 3, 1, 44. *purgon' ego me de istac Thaidi?* Plaut. Epid. 5, 2, 41. *quomodo me ludifecisti de illa con-*

ducticia fidicina? Cas. 2, 6, 20. *de istac Casina huic nostro villicó gratiam facias.*

Plaut. Most. 3, 1, 40. *spes est de argento.* i. e. argenti. Cic. p. Sext. 33, 72. *quae etiam collegae eius moderatio est de me.*

Plaut. Amph. 2, 2, 169. *illud non placet principium de osculo.* Cic. p. Domo 18, 47. *collegia, quae coeant de hominum locupletissimorum bonis.* An vero ipse Cicero alibi ita loquutus sit, dubito. Varro de Re r. 3, 2, 3. vide infra V. 1.

6. Hoc eodem modo adiectiva, quae alias genitivum assumunt, per *de* cum nominibus coniunguntur.

Cic. ad Att. 2, 24. *his de rebus conscium esse Pisonem.* Sallust. de Rep. ord. 2, 1, 1. *quum — neque de futuro quisquam satis callidus satisque prudens sit.*

7. Rarior est et a Graecis acceptus usus, quo adiectiva cum nominibus, quae conditionis rationem indicant, per hanc vocem componuntur. Graeci dicunt *κατά*: *κατὰ γνώμαν ἴδρις* Soph. Oed. R. 1086.

Plaut. Men. 5, 5, 33. *modestior nunc quidem est de verbis.* i. e. ad verba quod attinet.

8. Breviata oratione saepe ita *de* ponitur, ut verbum dicendi vel agendi intelligatur. Quo idem sensus exsistit, quem reddas verbis *quod attinet ad*, germanicis *von wegen*, *in Hinsicht*, *was anlangt.* Atque, ut fit in ellipticis dictionibus, verba haec per se constant, saepe commate distinguenda. Praemittuntur enim reliquis, in transitu ad aliam rem commemorandam. Qua forma Cicero utitur frequenter in epistolis, Varro in libris de re rustica: saepe etiam Caesar et alii. Prae ceteris insignis videtur esse formula *de me*, *de te.*

Plaut. Rud. 2, 7 (8), 3. *de illo vidulo, si sapias, sapias.* Terent. Andr. 3, 4, 46. *de uxore, ita ut possedi, ni mutat Chremes.* i. e. de uxore ut dicam. Quod per ellipsin Ad. 2, 1, 50. *de argento somnium.* id verbo expressit poeta Heaut. 4, 2, 4. *quod de argento sperem, nihil est.* vid. Ruhnken. ad h. l.

Varro de Re r. 1, 59, 1. *de pomis, conditiva mala struthea — servari recte putant.* 2, 2, 3. *de forma, ovem esse oportet corpore amplo.* 2, 9, 11. Cic. ad Att. 9, 12. *de Dionysio, sum admiratus.* 2, 17, 3. *de rationibus referendis, non erat incommodum te nullam referre.* ubi Cort. ad Att. 9, 9. *de septentrione, plane ita est.* 12, 43. *de Othone diffido fortasse,*

quia cupio. 9, 7. *de triumpho, tibi assentior.* 10, 1. *de pace, idem sentio quod tu, simulationem esse apertam.* 14, 1, 7. *de familia, quomodo placuisse amicis scribis, faciemus.* Similiter in formulis *de cetero*, *de reliquis*, quas vide infra.

Cic. ad Fam. 3, 12, 3. *de me autem suscipe paullisper meas partes.* Propert. 2, 8, (14,) 29. *de me mi certe poteris formosa videri.* Martial. 1, 19, 5. *de nobis facile est: scelus est iugulare falernum.* Cic. de Orat. 2, 8, 33. *atque utinam — possim vobis exponere. Sed de me videro.* i. e. quantum in me est, a mea parte.

Cic. de Off. 1, 15, 47. *de benivolentia autem, quam quisque habeat erga nos, primum illud est in officio etc.* ubi Heusinger. 3, 2, 9. *de quo alterum potest habere dubitationem, — alterum dubitari non potest.* ubi vid. Heus. de Fin. 4, 5, 12. *in hac ratione tota de maximis fere rebus Stoici illos secuti sunt.* Terent. Hec. 2, 1, 36. *de te quidem, satis scio, peccando detrimenti nil fieri potest.* i. e. tu, satis scio, peior fieri non potes. Propert. 2, 32, 21. (23, 71.) *sed de me, minus est.* i. e. me quod attinet. ubi cf. Burm. Sciopp. Susp. Lect. 5, 24. Graeci quoque περὶ ita absolute ponunt. vid. Heindorf. ad Plat. Phaedr. 65. Bremi ad Demosth. Olynth. 1. p. 210. Schaef.

Cornel. Them. 9, 4. *ea autem rego, ut de his rebus, quas tecum colloqui volo, annum mihi temporis des.* Quae nemo explicuit. Nam etiamsi recte dicatur *loqui aliquid*, numquam tamen *cum aliquo aliquid colloqui.*

Alia ellipseos exempla haec sunt: Cic. de Divin. 1, 27, 57. *unum* (somnium) *de Simonide* (agens). ad Frat. 2, 13. *ut sitis de Dionysio delectat.* int. librum de Dionysio scriptum. vid. Victorii Var. Lect. 32, 19. cf. infra V. 9. Liv. 45, 14, 8. *de altero Masinissae filio Misagene litterae allatae sunt.* 10, 8, 1. *tamquam integra sit causa patriciorum de sacerdotiis.* Sueton. Caes. 34. *appellatis de republica patribus.*

Iurisconsulti in formulis suis breves fuerunt semper. Atque ex eorum consuetudine in communem usum transierunt ea omnia, quae crimina et actionum argumenta designabant. Hinc dicebatur *de crimine aliquo condemnari:* quod Zumptius in Gramm. n. 446. commutatione genitivi et praepositionis explicandum arbitratur. Quam opinionem si probaverimus, magna tamen obscuritas manebit isti genitivo, in quo exponendo grammatici admodum dissentiunt. Nam aut substituunt *nomine* vel *crimine* (vid. Ramshorn. Gram. p. 188.), aut significationem existimant esse caussalem (vid. Wüll-

ner. de Casib. p. 34.) aut ad compensationis nescio quem modum (vid. Bernhardi Syntax. p. 178.) referunt. Quo vero modo verba *condemnare aliquem de aliqua re*, *accusare de aliqua re*, *reus de vi*, et quae sunt huius generis, intelligantur, Cicero monstrat, quum Philipp. 2, 23, 50. Licinium Denticulam appellat *de alea condemnatum*, sed paullo post *lege, quae est de alea, condemnatum*. Qua enim ratione lex esse potest de alea, eadem etiam condemnatio de alea. Haec contrahuntur. Et quum Cic. p. Rosc. Am. 32, 90. ait: *de veneficiis accusabant*, est accusabant accusatione, quae est de veneficiis. Sic Coel. ad Cic. 8, 8, 2. *Tuccium — reum lege plotia de vi fecit.* i. e. quae est de vi. Sed contracta oratione p. Sext. 35, 75. *Sextius, is, qui est de vi reus.* i. e. in actione de vi.

Quinctil. 4, 2, 30. *qui cynicum apud censores reum de moribus facit?*

Latina lingua quoniam plurimas notionum inter se connexarum relationes casibus indicat, nec facile duo substantiva praepositionibus coniungit simpliciter, etiam in *de* rara sunt huius generis exempla, quae aut a brevitate caussam habent, aut ad eum posterioris aetatis usum referri possunt, quo genitivus etiam praepositionibus circumscribebatur, de qua re dixi p. 202. Illud vero genus usitatum erat iam antiquis scriptoribus, et maxime in nominibus, quae a verbis deducuntur.

Cic. in Verr. 1, 8, 22. *pluribus verbis vobiscum agere coëgit non timor meus de vestra fide, sed spes illorum nova.* p. Mil. 35, 98. *non solum fama iam de illo, sed etiam laetitia peragravit.* ad Fam. 11, 2. *maximo de nobis timore afficiuntur amici nostri.* in Verr. 3, 12, 29. *ut intelligatis — cuiusmodi istius de cohorte recuperatores existimati sint.* Sueton. Caes. 53. *urgentibus de Pharnace nuntiis.* cf. c. 57. Aug. 55. *etiam sparsos de se in curia famosos libellos nec expiavit nec magna cura redarguit* Cic. ad Tusc. 1, 22, 53. *a me autem posita est in sexto libro de re publica.* Brut. 8, 31. *philosophia, non illa de natura, quae fuerat antiquior, sed haec, in qua de bonis rebus et malis — disputatur.*

IV. 1. Propriam vim verbi in iis agnoscimus, in quibus significat *secundum*. Nam quod *de aliqua re* fit, ex ea deducitur, eiusque modum sequitur et decurrit quasi per regionem eius. Sequendi notionem Germani

tenent in verbo *nach*, Graeci exitum in ἀπό: v. gr. ἀπὸ ξυμμαχίας αὐτόνομοι Thucyd. 7, 57. Huc pertinent formulae *de sententia alicuius*, i. e. *nach eines Meinung*, *de consilio*, *de voluntate*, *de exemplo*, *de more*, *de compacto*, *nach Verabredung*. De ablativo simpliciter posito vid. Cortius ad Cic. Epist. 4, 1, 11. Quae ex his etiam praepositionem *ex* admittunt, originis, unde quid proveniat, rationem magis efferunt: quamquam saepe promiscue usurpantur.

Plaut. Bacch. 4, 9, 115. *fecisse dicas de mea sententia.* Capt. Prol. 48. Cic. p. Rosc. Am. 10, 27. *de amicorum cognatorumque sententia Romam confugit.* de Fin. 2, 31, 101. *quaero autem, quid sit, quod — sanciat, ut Amynomachus et Timocrates heredes sui de Hermarchi sententia dent, quod satis sit* etc. Ita *de senatus sententia* Cic. de Div. 1, 2, 4. *de consilii sententia* Cicero saepe: ad Att. 4, 2. in Verr. 5, 21, 53. Plin. Hist. n. 36, 5, 4, 11. Sueton. Tib. 18. Cic. ad Att. 4, 2. *tum M. Lucullus de omnium collegarum sententia respondit.* de Off. 3, 20, 80. *ut res nummaria de communi sententia constitueretur.* Alia multa Schorus Phras. p. 96. Cic. p. Coel. 29, 68. *de suorum propinquorum — sententia atque auctoritate fecisse.* Hac auctoritatis significatione etiam Tusc. 2, 14, 34. *Cretum leges, quas sive Iupiter sive Minos sanxit de Iovis quidem sententia.*

Terent. Phorm. 3, 1, 16. *id aiebat de eius consilio velle sese facere.* Cic. ad Fam. 12, 3. *de me quidem non dubitanter* (dixit), *quin omnia de meo consilio et vos fecissetis et Canutius faceret.* ad Att. 6, 3. *Q. Cicero puer legit — epistolam inscriptam patri suo. Solet enim aperire, idque de meo consilio.* i. e. ex mea voluntate. Caes. B. gall. 8, 54. *de voluntate adversariorum suorum.* B. civ. 3, 4. Cic. ad Att. 4, 2. med. Plaut. Most. 3, 2, 86. *de exemplo meo ipse aedificato.*

Virgil. Aen. 11, 142. *de more vetusto funereas rapuere faces.* Lucan. 1, 584. ubi Cort. Ovid. Met. 12, 11. *hic patrio de more Iovi quum sacra parasset.* Virg. Aen. 10, 831. *terra sublevat ipsum, sanguine turpantem comtos de more capillos.* 7, 357. Sueton. Galb. 18. *castrensem sellam de more positam pro tribunali* etc. Tit. 5. Plin. Hist. n. 7, 30, 31. *fores percuti de more a lictore vetuit.* Plin. Pan. 5, 3. *tibi adscendenti de more Capitolium — civium clamor ut iam principi occurrit.* addidit illa verba, ne Traianus ipse captasse videretur occasionem. Cicero non ita dicit, sed *more.* Ovid. Fast. 6, 121. 619, 2, 361.

Plaut. Capt. 3, 1, 24. *scivi extemplo rem de compacto geri.*

quod v. 29. *compacto.* Pseud. 1, 5, 126. *de compacto faciunt consutis dolis.* Lingius in Lection. Plaut. p. 66. adverbium esse censet.

In verbis *de opinione* potius intelligas sumptum ex opinione. Plaut. Rud. 4, 4, 48. *hic nisi de opinione certum nihil dico tibi.* Quem usum negavit Wolfius, quum in Ephemer. Ienens. a. 1791. 115. p. 561. reprehenderet verba Ruhnkenii: *ut — plurium etiam verborum lacunas de coniectura suppleret.*

2. Peculiaris est forma *vocare de aliquo nomine.* Ea non potest comparari cum iis, quae supra posuimus, *nomen habere de aliqua re, nomen facere.* Neque cum aliis dixerim abundare praepositionem. Intelligitur enim non ipsum nomen, sed exemplum eius: *nach einem Namen nennen.*

Lucret. 6, 909. *quem magneta vocant patrio de nomine Graeci.* Ovid. Fast. 3, 77. *patrioque vocat de nomine mensem.* Sed antea v. 76. *primus de patrio nomine mensis eat.* non est incipiat a patrio nomine, sed primus sit mensis, appellatus de patrio nomine.

V. 1. Caussam hac praepositione declarari, omnes grammatici affirmant. Sed errant, si originem et proximam caussam intelligunt, eamque ad omnium scriptorum usum referunt. *De* non ipsam caussam significat, sed deductionem ex caussa faciendam. Atque in hac quaestione distinguere licet triplex genus caussae: *ob quam, per quam, ex qua.* Primum veteres Latini caussam agentem distinguunt a caussa commovente, et hanc per *de,* illam per *a* vel ablativo simplici exprimunt. Nam quum dico *hac de caussa,* intelligo rem, ob quam aliquid factum sit. Est igitur *propter, von wegen.* Ac saepe ita rem tamquam fontem actionis designamus.

Cic. ad Att. 7, 7. *nam id nisi gravi de caussa non fecisset.* Liv. 45, 23, 6. *qui de quacumque caussa tum aspernati nostra auxilia estis.* Coel. ad Cic. 8, 15, 6. *adeo quod Intemelii in armis sunt, neque de magna caussa.* de Orat. 1, 41, 186. Manut. ad Cic. Epist. fam. 9, 6. Cortius ad Sallust. Cat. 37, 5. Cic. p. Rosc. Com. 4, 12. *de quo nomine ad arbitrum adiisti, de eo ad iudicium venisti.*

Varro de Re r. 3, 2, 3. *aves — quas mihi apposuisti — ad lacum Velini eunti de controversia Interamnatium et Reatinorum.* cf. p. 26. Curt. 10, 5, 13. *non de regno Asiae, sed de*

rege ipsis sanguinem esse fundendum. Ovid. Fast. 6, 76. *unicus est, de quo sollicitamur, honor.* Propert. 1, 5, 26. *quum cito de tanto nomine rumor eris.* i. e. propterea quod tantum tibi sit nomen. Terent. Eun. 3, 2, 3. *ecquid nos amas de fidicina isthac?* i. e. propter.

Cic. Somn. Scip. 1. *ut cubitum discessimus, me et de via, et qui ad multam noctem vigilassem, artior, quam solebat, somnus complexus est.* sed vide n. 5.

Cic. ad Att. 11, 3. *provide, ne quid ei desit, de qua scis me miserrimum esse.* in Verr. 1, 30, 76. *flebat uterque non de suo supplicio, sed pater de filii morte, de patris filius.*

Saepissime usurpant praepositionem hoc sensu Tertullianus et alii scriptores aevi infimi. Venant. Fortunat. Hym. de Resurr. 119. *una corona tibi de te tribuatur ab alto, altera de populo vernet adepta tuo.*

2. Eiusdem rationis est caussa, quae non proxima, sed, ut ita dicam, caussa caussae, ut aliquid fiat, antecedens vel intercedens efficiat. Ceres apud Ovidium Fast. 4, 587. quum dicit: *si memor es, de quo mihi sit Proserpina nata.* intelligitur *de quo a me nata.* Et apud eumdem 1, 162. si legitur *de Iove crimen habet,* Callisto dicitur per Iovem incidisse in crimen: sin corrigitur ex nonnullis codd. *a Iove,* auctor est Iupiter.

3. Hoc modo dictio oritur, qua liberi *de aliquo* et *de aliqua nati* dicuntur pro *ex aliqua.*

Ovid. Fast. 4, 54. *Ilia cum Lauso de Numitore sati.* Sueton. Aug. 17. *etiam de Cleopatra liberis inter heredes nuncupatis.* Caes. 52. *non esse Caesaris filium, quem de Cleopatra dicant.* ubi alii correxerunt: *quem Cleopatra dicat.* Vid. Misc. Observ. T. 9. p. 331. Aliter Priap. 1, 4. *nec quae de patrio vertice nata dea est.* i. e. ex patris capite. Flor. 1, 18, 19. *cui* (Herculi) *tot caesa hostium capita de sanguine suo renascuntur.*

4. Hinc dicitur *de* pro *per,* quando intelligitur id, unde aliquid exierit, aut unde aliquid capiatur.

Ovid. Fast. 3, 233. *quod erat de me feliciter Ilia mater.* i. e. per me. Hygin. Fab. 66. *Laio ab Apolline erat responsum, de filii sui manu mortem ut caveret.* Caes. de B. gall. 8, 24. *ne quod simile incommodum accideret de incursione barbarorum ac superiore aestate Tergestinis accidisset.* alii librarii scripserunt *accideret decursione barbarorum.* 8,

30. *ne de detrimento aut timore provinciae magna infamia perditorum hominum caperetur.* Sed vide p. 190.

Nemes. Cyneg. 16. *quis non Semelen ignemque iugalem letalemque simul novit de pellicis astu.* coniunge: letalem de astu pellicis. Vulgo interponitur comma. Statius Theb. 4, 72. *trunca vident de vulnere multo cornua.*

Terent. Ad. 5, 3, 30. *quod hinc accesserit, id de lucro putato esse omne.* Supra p. 200. posuimus formulam *de lucro vivere.* Priap. 40, 2. *quae, puto, de quaestu libera facta suo est.* Intelligitur ex lucro desumptum.

In his multa sunt, quae reguntur ratione verbi. Sic *solatium de aliqua re tribuere.*

Apulei. Met. 4. p. 145, 25. *tam periculosis laboribus solatium de tam sera refectione tribues?* 3. p. 132, 35. *nostrae — solitudini de vindicta solatium date.*

5. Denique quae caussa continet originem rei vel conditionis, ea potest hoc modo exprimi, ut rem a fonte aliquo suo deductam, sive eam ex aliqua re pendere dicamus. Haec cum iis conveniunt, quibus materies significatur. Nam quod dicitur *dolere aliqua re*, ubi praepositionem adiicimus, esse potest et dolorem sentire ex argumento alicuius rei, *über eine Sache Schmerz fühlen*, et ex aliqua re ipsa, per aliquam rem, *von einer Sache.* Adiectiva, quae conditionem designant, cum nominibus caussae coniunguntur a poetis et a recentioribus scriptoribus.

Terent. Ad. 2, 2, 44. *laetus est de amica.* quod esse potest *über* et *durch*: utrumque inest in verbo *von wegen.* Prudent. Cathem. hymn. 5, 131. *terris domini de cruce tristibus maior sole novum restituens diem.*

Cic. ad Att. 12, 1. *de Atticae febricula scilicet valde dolui.* 6, 6. *de Hortensio te certo scio dolere.* Ovid. Trist. 4, 10, 84. Horat. Epist. 1, 14, 4. Sed diversa haec: Plaut. Truc. 2, 8, 2. *mihi de vento miserae condoluit caput.* Cic. Phil. 1, 5, 12. *quumque de via languerem.* Acad. 1, 1, 1. *nisi de via fessus esset.* Plaut. Ps. 2, 2, 66. *nam ut lassus veni de via, me volo curare.* Cic. ad Fam. 12, 26, 9. *non minus me de illius re laborare quam ipsum de sua.* cf. Garaton. ad Cic. Phil. 1. 1.

Plaut. Cas. 2, 6, 63. *de labore pectus tundit.* i. e. prae dolore.

Valer. Fl. 6, 65. *Dathin achaemeniae gravior de vulnere*

pugnace misit in arma Darapi. quod Velleius 2, 55. *gravis vulnere.* Plin. Hist. n. 28, 4; 12. *cotem — subiectam ignari cervicalibus, de veneficio deficientis evocare indicium.* Ovid. Trist. 3, 3, 82. *deque tuis lacrimis humida serta dato.* Met. 10, 49. *incessit passu de vulnere tardo.*

Tacit. Hist. 1, 34. *facilius de odio creditur.*

Apulei. Met. 8. p. 204, 29. *Thrasyllus vero praeceps alioquin et de ipso nomine temerarius.* Oudendorp. qui haec p. 528. defendit, explicat: temerarius nomine ipso eum stimulante. Potest etiam ex usu recentioris aevi esse: a parte nominis.

6. Haec varia caussae notio est, qua componuntur formulae quaedam: *de industria*, quod etiam *ex industria* et *ob industriam* dicitur, atque non solum de intentione animi, sed etiam de consilio; *de nihilo*. i. e. *um nichts willen*.

Plaut. Asin. 1, 3, 59. *quod ego iusseram, quod volueram, faciebatis: quod nolebam ac vetueram, de industria fugiebatis.* Cic. de Fin. 4, 1, 2. *obscura, inquit, quaedam esse confiteor: nec tamen ab illis ita dicuntur de industria: sed inest in rebus ipsis obscuritas.* Orat. 44, 151. *ubi etiam de industria id faciendum fuit.* Opponitur *natura*. Cic. de Off. 1, 30, 108. *erat in L. Crasso et in L. Philippo multus lepos, maior etiam magisque de industria in C. Caesare.* Terent. Andr. 4, 4, 55. *paullum interesse censes, ex animo, ut fert natura, facias, an de industria.* i. e. utrum facias animo indulgens et naturam ducem sequens, an consilio adhibito, etiam contra animum. Curt. 8, 10, 24. *a meridie velut de industria rupes praealtas admolita natura est.* Vellei. Pat. 1, 2, 1. *de industria rixam ciens.* Curt. 6, 1, 9. *velut de industria inter fortissimos viros certamen aequante fortuna.* Plaut. Aul. 3, 2, 5. *homo nullus est — cui ego de industria amplius male plus lubens faxim.* Liv. 4, 58, 12. *eam* (plebem) *de industria vexandam militia trucidandamque hostibusque obiici.* De Livii usu vid. Drakenb. ad 8, 36, 4.

Plaut. Curc. 4, 1, 17. *qui alteri de nihilo audacter dicunt contumeliam.* Truc. 4, 2, 56. *de nihilo illi est irasci, quae te non flocci facit.* Terent. Hec. 5, 1, 1. *non hoc de nihilo est, quod Laches me nunc conventam esse expetit.* Propert. 2, 3, 16. *non sum de nihilo blandus amator ego.* Liv. 34, 61, 12. *mali rem exempli esse, de nihilo hospites corripi.* 30, 29, 4.

7. In plurimis his critici opinabantur *de* praepositionem abundare. Vid. Barth. ad Claud. Praef. libr. in

Eutr. 2, 25. Advers. 17, 17. Burmann. ad Nemes. Cyn. 17. et ad Eclog. 2, 11. Oudendorp. ad Apulei. Met. p. 250. Valer. Vonckii Specim. crit. p. 49. Exempla, quae afferuntur, nos suis locis iam reddidimus. Sed poetae recentissimi luxuriam quamdam affectant, a qua boni scriptores antiqui abstinebant. Illi imprimis *de* adhibent ad instrumentum declarandum: quod ne primus fecisse videatur Ovidius Met. 6, 80. *percussamque sua simulat de cuspide terram prodere cum baccis foetum canentis olivae.* excusatio apparet in verbo *prodere.* Nam in illo texili cuspis pingebatur terram attingens et sub ea prodeuntis olivae germina.

Ammian. Marc. 29, 3, 8. *de fustibus caesi.* ubi editores temere eiecerunt *de.* 31, 5, 12. *quid potestas martia de habitu prudentiae valeat —, didicere.* Apulei. Met. 11. p. 271, 33. *insuper etiam de Serapis principalis dei nocturnis orgiis illustratus.*

Prudent. Apotheos. 573. *pubertas signata manet, gravis intus et extra incolumis, florens de fertilitate pudica.* Lactant. Sympos. Prol. 1. *hoc quoque Symposium lusi de carmine inepto.* v. 15. *hos versus feci subito de carmine.* Alia ex Cypriano vide apud Barthium, alia apud Heumann. ad Lactant. l. Calpurn. 9. (Nemes. 2.) 12. *postquam Donacen duri clausere parentes, quod non tam tenui filo de voce sonaret.* ubi critici interpositam putant praepositionem superfluam, ne duo ablativi concurrentes sensum turbarent. Fortasse dictum est pro tenui filo vocis. Cortius ad Lucan. 2, 85. affert ex Anonymi libro de Vita contemplat. 3, 32. *si nec suo, nec de proximi sui peccato contristetur.* atque comparat Aristid. Orat. 1. p. 58. Oxon. *ἁμαρτήσονται γὰρ τοσοῦτον αὐτῆς, ὅσον περὶ τοῦ δικαίου.* vid. n. 5.

Apulei. Met. 9. p. 236, 17. *inversa vite de vastiore nodulo cerebrum suum diffindere.* ubi Oudendorp. p. 669. Veget. Art. vet. 3, 40, 1. *de sinistrae manus pollice venam deprimes.* 5, 14, 16. *ut animalia a collo usque ad pedes involvantur de sagis.* 5, 16. *de cauterio leviter adusta.* Alium locum vide p. 194. Salmas. ad Lamprid. Alexand. Sev. 37. ex Marcello affert *de fascia constringere, de canna occidere, de torno componere.*

8. Contra alii in multis dictionibus praepositionem desiderabant, eamque omissam suppleri iubebant. Sanctius in Min. 4, 6. Scioppius in Gram. p. 87. Schwartz. in Tursellino, qui affert: *quid me fiet* Terent. Andr. 4, 2, 26. quod alias *de me f., mea sententia* Cic. de Off. 1,

11, 35. *meo iudicio* Cic. ad Fam. 9, 21, 10. *salute gaudemus* Cic. ad Fam. 12, 13. quae sicut reliqua a Lindnero de Ellips. lat. p. 196. allata per se constant, neque opus est ullo supplemento. De formula *quid me fiet* Cic. Verr. 2, 64, 155. vid. Oudendorp. ad Apulei. Met. p. 51.

Tacit. Ann. 13, 21. *ubi nihil pro innocentia, quasi diffideret, nec beneficiis, quasi exprobraret, disseruit.* quae defendi non possunt. Scribendum est *de beneficiis.*

Poetae usum, quo nomina terrarum et urbium etiam non addita praepositione exprimebant locum, unde quid exiret, ad alia rerum nomina transtulerunt: quod grammatici omittunt. Vid. Ovid. Fast. 3, 297. 5, 622.

9. Passiva verba cum *de* aeque atque cum *a* componi posse, Graevius ad Cic. p. Caec. 36, 103. contendit, sed nemini persuasit. Ernestius optimo iure negavit id fieri posse. Apud Ciceronem igitur emendarunt critici: *nec minus vereretur, ne contemnere Aebutium, quam ne ab eo contemptus esse existimaretur.* Neque huc pertinent verba de Off. 1, 37, 135. *neque enim omnes iisdem de rebus, nec omni tempore, nec similiter delectamur.* Quae eiusdem sunt generis, cuius supra p. 213. *me magis de Dionysio delectat.*

Alius rationis est etiam Ovid. Am. 2, 19, 34. *hei mihi de monitis torqueor ipse meis.* sed meliores libri praebent: *ne monitis torquear.*

Plaut. Epid. 3, 4, 10. *strenuiori deterior si praedicat suas pugnas, de illius ore fiunt sordidae.* intellige de ore exeuntes. Ovid. Trist. 1, 1, 13. *qui viderit illas, de lacrimis factas sentiet esse meis.* non est pro *a lacrimis*, sed *ex*, ut apud Propert. 4, 3, 3. *haec erit e lacrymis facta litura meis.*

VI. Supersunt quaedam compositiones, quae ad universam antea a nobis expositam significationem revocari debent, sed proprietatem nominum sequuntur, aut multiplicem usum admittunt.

1. Ac primo adiectiva componuntur cum *de* ad indicandum modum, sicut Graeci dicunt *ἀπὸ τοῦ προφανοῦς*. vid. Duker. ad Thuc. 6, 40. Conf. T. 1. p. 28. Modo intelligi potest *ex*, modo *quod attinet.* Ex his vero nonnulla coaluerunt ita, ut, pro adverbio accepta, uno accentu in unum vocabulum contraherentur, veluti *deimproviso.* vid. Diomedes p. 401.

De improviso. Caes. B. gall. 2, 3. *ea quum de improviso celeriusque omni opinione venisset.* Cic. p. Rosc. Am. 52, 151. Terent. Andr. 2, 2, 23. Heaut. 2, 3, 140. Dicebatur etiam *improviso.* vid. Drakenb. ad Liv. 6, 33, 7. et *ex improviso.* Liv. 8, 10, 5.

De composito. Apulei. Apol. 273, 38. *de composito nec opinantem — patroni eius incessere maledictis.* Nemo tamen dixit *de proposito*, neque etiam *de consulto*, quibus nostrae aetatis scriptores multi utuntur.

De transverso. in formula *ecce de tr.* Cic. ad Att. 15, 4. *ecce autem de transverso L. Caesar, ut veniam ad se, rogat.* ad Herenn. 4, 10, 14. Sed Acad. 4, 38, 121. *ecce e transverso.*

De integro. Cic. in Verr. 2, 56, 139. *censores dicit de integro sibi creari placere.* ad Fam. 12, 30, 6. *qui quum levati morbo videntur, in eum de integro inciderunt.* ad Att. 13, 27. *ita multa mutari volunt, ut mihi de integro scribendi caussa non sit.* Alias *ab integro*, *ex integro.* vid. Virgil. Ecl. 4, 5. Interpr. ad Liv. 21, 6, 5. Pro *de novo* dicebatur *denuo.* vid. Nolten. p. 1425. Drakenb. ad Liv. 29, 35, 8.

De cetero. Cicero aliique scriptores boni haec verba usurpant ex illa ratione elliptica, quam p. 212. illustravi. Quare ab initio ponitur in transitu sententiarum. Cic. de Fin. 1, 7, 26. *de cetero, vellem equidem, aut ipse doctrinis fuisset instructior, aut ne deterruisset alios a studiis.* Curt. 4, 1, 14. *de cetero, quum mihi scribes, memento non solum regi te, sed etiam tuo scribere.* Ita coniungitur cum imperativo. Senec. de Ira 3, 36, 3. *de cetero vide non tantum an verum sit quod dicis, sed an ille, cui dicitur, veri patiens sit.* Curt. 8, 7, 15. *de cetero parce* etc. Colerus, seu qui scripsit Praefationem Orthographiae Schurzfleischii praemissam p. 13. temere negavit usum Ciceronis. Recentiores scriptores aperte posuerunt pro *ceterum* adverbio. Plin. Hist. n. 3, 5, 8. *de cetero Aretini veteres.* 11, 27, 32. *de cetero in ventre nihil est.* Refertur ad consequentiam et ad tempus, ut sit *posthac*, *fortan.* Curt. 8, 3, 7. *de cetero futurum in viri potestate.* Lactant. 6, 3, 2. *in qua* (via) *si quis difficultate superata in summum eius evaserit, habere eum de cetero planum iter.* Alia Heineccius ad Brisson. addidit p. 294. b. Venuleius in Dig. 48, 3, 10. *si facile solverint vinctos, non indifferenter de cetero facient.* i. e. in ceteris rebus. Plin. Hist. n. 17, 1, 1. *ne quis vilem de cetero Crassi domum — iudicet.* Constructione verborum ambigua dixit Sidon. Apollin. Epist. 3, 6. *fas est de cetero sperare meliora.*

De reliquo. i. e. quod reliquum est, ceterum. Et coniungitur oratio eodem modo quo in *de cetero.* Cic. ad Fam. 6, 21 (20), 6. *de reliquo, ut te saepe per litteras hortatus sum, ita velim tibi persuadeas, te in hac caussa nihil habere, quod tibi timendum sit.* Plin. Hist. n. 17, 10, 14. *de reliquo tutae sunt perpetua securitate.* Alia est structura Cic. de Orat. 1, 22, 100. *quoniam id, quod difficillimum nobis videbatur, — assequuti sumus, de reliquo iam nostra culpa fuerit, si te, nisi omnia, quae percunctati erimus, explicaris, dimiserimus. De reliquis.* Cic. ad Fam. 4, 4, 18. *res sunt eiusmodi, ut, si Romae sis, nihil praeter tuos delectare possit: de reliquis, nihil melius ipso est.* ubi vid. Cort. qui bene interpunxit.

De proximo ex vulgari sermone apud recentiores scriptores de vicinitate et propinquitate. Plaut. Aul. Prol. 31. *eam ego hodie faciam ut hic senex de proximo sibi uxorem poscat.* i. e. vicinus senex, de proxima vicinia. Apulei. Met. 4. p. 152, 5. *certatim gladios etiam de proximo congerunt.* 1. p. 116, 10. *sicunde latratus de proximo ingruerit.* 11. p. 269, 1. *accessi coram et adoravi de proximo.* Sed Apulei. p. 329, 40. *ille celeberrimus in comoediis versus de proximo congruit.* i. e. proxime, aptissimo.

De plano. vide p. 195. Lucret. 1, 412. *hoc tibi de plano possum promittere, Memmi.* ubi vd. Forbiger. Inscriptio antiqua apud Gruter. p. 408 *ut paucis iam onerosa honeste de plano compartiamur.* Gifanius in Collectan. p. 43. Hav. „iurisconsulti dicunt *de plano cognoscere*, id est non solemniter pro tribunali, sed inter vias, ut veteres loquuntur." Pareus in Lex. Lucret. „simpliciter ac nude, non multa opera insumpta." Lingius in Quaestion. Plaut. p. 66. cum Wakefieldio accipit pro adverbio, et explicat: prorsus, penitus.

De facili quod antiquiores *e facili*, Iul. Firmicus Astrol. 5, 6. *de facili ab iis superabuntur.* Plaut. Epid. 5, 2, 21. *mihi de praefacili exoras.*

2. *Cognoscere de aliqua re* quomodo dicatur de materia, *über etwas Kenntnifs gewinnen*, supra expositum est. Alia est ratio, qua huius generis verba cum nominibus componuntur rerum, unde quis notitiam vel testimonium vel argumentum habeat: *aus, an etwas erkennen.* Vbi personae nominantur, plerumque *a* usurpatur. Tertia significatio est verborum *nosse de aliqua re* pro quod ad hanc partem attinet.

Cic. in Vatin. 15, 35. *de gestu intelligo quid respondeas.*

Plaut. Curc. 2, 1, 17. *de forma novi, de colore non queo novisse.* Apulei. Met. 7. p. 193, 9. *de verbis eorum quibusdam dubiis cognosco.* Plaut. Curc. 1, 1, 81. *de odore adesse me scit.* Truc. 2, 6, 26. *scio iam de argumentis.* Epid. 4, 2, 26. *quibus de signis agnoscebas.* Lactant. Inst. 5, 19, 15. *quum enim sint peritissimi deorumque progeniem et res gestas et imperia et interitus et sepulcra de libris noverint.* i. e. ex libris. vide p. 189.

His similis est loquutio apud Cic. Phil. 12, 2, 6. *de me experior,* i. e. *ich erfahre es an mir.* Tertullian. de Orat. 14. *de abstinentia osculi agnoscimur ieiunantes.* Minuc. Fel. 18, 6. *omitto Persas de equorum hinnitu augurantes principatum.*

Cic. in Pis. 32, 81. *habet hoc virtus, quam tu ne de facie quidem nósti.* i. e. *dem Gesicht nach.* quod Quinctil. Declam. 338. *nepotem suum optime facie novit.*

3. *Triumphare de aliquo, victoria de aliquo,* ubi Germani *über,* Graeci *παρά* dicunt. Caussa huius dictionis in eo apparet, quod recentiores scriptores etiam dixerunt *triumphare ex aliquo.*

Cic. de Sen. 16, 55. *M'. Curius quum de Samnitibus, de Sabinis, de Pyrrho triumphasset* etc. Liv. 2, 38, 3. *Ex aliquo* Plin. Hist. n. 7, 43, 44. Vellei. Pat. 2, 30, 2. 2, 40, 4.

Liv. 8, 12, 4. *anno insigni victoria de tot ac tam potentibus populis.* Flor. 4, 2, 88. *primum de Gallia triumphum transmiserat Rhenus.* Curt. 8, 1, 33. *Philippi de Atheniensibus victoriam Thebarum praeferebat excidio.* Sueton. Caes. 11. *tropaea C. Marii de Iugurtha, deque Cimbris atque Teutonis — restituit.*

Huc trahunt critici Virgil. 3, 288. *Aeneas haec de Danais victoribus arma.* et Sueton. Dom. 13. *de oratoribus coronatum.* de quo loco dixi p. 198.

Ex hac analogia, sed admodum dure Sueton. Caes. 53. *crebro commemorans Pompeii felicitatem, cui praecipua militiae laus de tam imbecilli genere hostium contigisset.*

4. Ex palaestra formulae quaedam, ut fit, in artis usum confectae ad alias res metaphorica dictione transferebantur. Sunt autem praesertim ea, quibus significabatur genus seu modus pugnae, veluti *de genu pugnare,* quod quamquam explicari potest, *von den Knieen aus,* tamen sensum ex artis praeceptis demonstrandum breviter complectitur: nam de genu pugnat gladiator,

qui, ut ait Seneca Epist. 66. *in genua se excepit, nec arma dimisit*, igiturque in genua incumbens pugnat.

Senec. de Provid. 2, 4. *etiamsi occiderit, de genu pugnat.* *De gradu* est ex ea positione, qua pugnantes in gradu stare solebant. Liv. 34, 39, 3. *non modo ad emittenda cum procursu, quo plurimum concitantur tela, spatium habebant, sed ne ut de gradu quidem libero ac stabili conarentur.* Senec. Epist. 29, 5. de Iulio Granico philosopho: *non possum, inquit, dicere: nescio enim, quid de gradu faciat: tamquam de essedario interrogaretur.* Sensus est: nescio, quid ille praestet de gradu pugnans, non ex esseda. Apulei. de Dogm. Plat. 1. p. 2, 12. *tantos progressus exercitatio ei contulit, ut Pythia et Isthmia de lucta certaverit.*

Proverbialis loquutio est *de gradu deiici, de gradu depelli.* Cic. de Off. 1, 23, 80. ad Att. 16, 15. Est moveri loco, non obtinere statum aut commodum. Bremi ad Cornel. Them. 5, 1. Beier. ad Cic. de Off. l. l.

5. Verba *implere, refertus* cum hac praepositione non propterea componuntur, quod *de* caussam exprimat, quae erat Sanctii opinio, (vid. T. 1. p. 40.), nec omnia, quae afferuntur, exempla unius sunt generis. Nam in aliis, quae pauca in poetarum carminibus inveniuntur, *de* significat, unde facta sit rei expletio. Martial. 14, 12. *hos nisi de fulva loculos implere moneta non decet, argentum vilia ligna ferant.* Alia vero, ut bene vidit Bauerus, in se habent loquutiones diversas in unam confusas. Quum Cic. Acad. 2, 27, 87. ait: *de quibus volumina impleta sunt non a nostris solum, sed etiam a Chrysippo.* intelliguntur volumina de his rebus scripta et his rebus impleta.

Cic. de Orat. 1, 19, 86. *quaerebat, cur de prooemiis, et de epilogis et de huiusmodi nugis referti essent eorum libri.* His verbis *de prooemiis* etc. nominantur capita librorum.

6. Quaedam nomina cum hac praepositione composita usurpantur proprio quodam sensu, quem consuetudo supposuit. *De manu* est ex sua manu, *eigenhändig*: conf. supra p. 187: *de pectore* id quod sincere, ex animi sensu. *De meliore nota*, quod pro diligentissime dici putant, hominem designat nobiliorem vel bonum.

Sueton. Tib. 34. *consuerat quadruplam strenam, et de manu dare.*

Stat. Silv. 4, 6, 55. *sic mitis vultus veluti de pectore gaudens hortetur mensas.* 2, 2, 143. *quorum de pectore mixtae in longum coiere faces.*

Cic. ad Fam. 7, 29. *Sulpicii successori nos de meliore nota commenda.* Ad haec Manutius: „diligentissime: translatio a doliis, quibus diversae inuruntur notae, ut internoscantur vina." Catullus 68, 27. *Veronae turpe Catullo esse, quod hic quisquis de meliore nota frigida deserto tepefecit membra cubili.*

7. De adverbiis cum hac praepositione compositis Nonius Marc. 12, 1. *omnes autem sequuti negant adverbiis praepositionem addi oportere, sed auctoritas veterum praeponi iubet.* Donatus p. 1761. *praepositio separatim adverbiis non applicabitur, quamvis legerimus de sursum, de subito, de repente, et ex inde, et ab usque, et de hinc: sed haec tamquam unam partem orationis sub uno accentu pronuntiabimus.* Adde Diomedem p. 401. Quaedam sunt adiectiva cum praepositione legitime composita, *de subito, de repente* sicuti *de plano,* quae uno accentu comprehensa etiam scriptura coniungebantur. Atque haec ab antiquo tempore omnibus scriptoribus probata sunt. Significationis ea est ratio, quam n. 1. illustravimus.

Donatus ad Terent. Hec. 4, 1, 3. *derepente una pars orationis est, ut defessus. Adverbiis enim praepositiones separatim non adduntur.* Et iterum: *derepente. ὑφέν. nam si separaveris, non est latinum.*

Plaut. Most. 2, 2, 57. *atque ille exclamat derepente maximum.* Terent. 4, 1, 3. *ita corripuit derepente tacitus sese ad filiam.* Multa ex Turpilio, Ennio et aliis poëtis antiquis affert Non. Marc. 12, 2. Cic. p. Ligar. 5, 14. *si, quum hoc domi faceremus, — tu derepente irrupisses* etc. Tacit. Hist. 1, 63. Sueton. Tit. 23. In Livio se nusquam invenisse hanc dictionem observat Drakenb. ad 21, 41, 6. *De repentino* habet Apulei. Florid. 3, 16. vid. Oudend. p. 62.

Titinius apud Non. Marc. 12, 1. *sed amabo, quid desubito tam repente ad me venisti?* Ennius: *quum desubito me orat mulier lacrymansque ad genua accidit.* Ibi alia multa ex antiquis poetis. Lucret. 2, 263. *nonne vides etiam — non posse tamen prorumpere equorum vim cupidam tam de subito, quam mens avet ipsa?* 3, 642. Plaut. Most. 2, 1, 63. Terent. Heaut. 4, 2, 6. Cic. de Rep. 6. apud Non. 12, 1. apud Moser. p. 459. *in his, ut meministis, concursu levissimae multitudinis et aere*

congesto funus de subito esset ornatum. Vid. Lauremberg. Antiquar. p. 133.

Alia formavit recentior aetas, in componendis vocabulis nimis sedula. Et vulgaris quidem loquela videtur quocumque tempore ex adverbiis novas formas composuisse, quae postea a scriptoribus receptae apud grammaticos vituperationem non effugerunt. Ita *decontra*, de quo supra p. 124: *deintus*, cuius exempla affert Muncker. ad Fulgent. Exposit. serm. ant. p. 777. Burmann. ad Anthol. T. 1. p. 157. Veget. Art. veter. 4, 9, 2. Apud Fulgentium codd. praebent: *promos et condos appellari voluerunt cellarios eo, quod deintus promant.* Cf. Pompeii Commentum p. 343. *Deprocul*, quod in vet. libris Plauti legitur Pers. 4, 2, 6. *age illuc adspice deprocul in conspectum.* in tanta huius loci corruptela vix poterit defendi. Cf. Vorstius de Lat. fals. susp. p. 202. Neque verbum *deprope* veteribus cognitum erat. Vid. Godescalci Observat. p. 647. *Deforas* legitur in inscriptione apud Gruterum p. 573. 1. *in Capitolio, ad aram gentis Iuliae deforas podio sinisteriore. Deforis* apud Plinium Valerianum de Re medica 1, 31. et apud Vegetium Art. vet. 1, 9, 4. 1, 15. 4. Est extrinsecus. Verbis *desecus* et *delatus* utitur Innocentius agrimensor. Vid. Salmas. ad Capitol. Opil. Macr. 11. De voce *depost* Pompeius Comment. 29, 3. p. 396. *item quomodo male loquuntur, modo ita dicunt de-p o s t i l l u m a m b u l a t. De praepositio est, post praepositio est: eae duae praepositiones non cohaerent. Non licet.* Sed Pompeius deinceps pergit exponere caussam huius compositionis, qua duae particulae recte copulantur in unum vocabulum, et vel praepositionis vel adverbii potestatem occupant. Ita *desub, desuper, dehinc, deinde, desursum,* alia, quae suis locis vide. Haec sunt antiqua et meliora. Quod Heineccius in Fundam. stil. cult. p. 312. affert *deante*, in modum verborum *abante, inante* formatum, nusquam legi.

8. Elegantia speciosa, quam critici in *cum* observasse sibi videbantur, etiam in *de* notata est: eleganter interponi praepositionem inter substantivum et adiectivum. Vide, quae diximus p. 167. et Drakenb. ad Liv. 2, 19, 8. 22, 11, 1. Postponitur *de* post relativa. Cf. Ruhnken. ad Vellei. P. 2, 91, 2. Walch. ad Tacit.

Agr. p. 338. Vnde exsistunt diversae formulae: *qua de caussa*, *qua de re* est *weswegen*, *de qua re agitur* autem *worüber*.

Charisius 2. p. 209. *item ex et de praepositiones nonnumquam mediae inveniuntur, ut quum dicimus, fac tua ex re, qua de re agitur.* Priscian. 18. p. 1198.

Cic. de Orat. 1, 41, 186. *certis de caussis.* Plin. Hist. n. 21, 13, 43. *simili de caussa.* Et sic in hoc nomine fere semper. Horat. Epist. 1, 7, 88. *media de nocte.* Cic. de Off. 2, 6. *si iis de rebus — dixerimus.* alii *de iis rebus.* Paullo post eadem varietas in verbis *de caussis pluribus.* Conf. Cort. ad Sallust. Cat. 37, 4. Lucret. 5, 703. *qui faciant solem verta de surgere parte.* Cic. Phil. 1, 5, 12. *quorum de honore agitur.*

Cic. de Inv. 1, 28, 41. *quod simile erit ei negotio, quo de agitur.* De lege Man. 16, 47. *de huius autem hominis felicitate, quo de nunc agimus, hac utar moderatione.* Magnam copiam exemplorum vide in Menckenii Observ. lat. ling. p. 208.

Massurius Sabinus apud Gell. 5, 13. *in officiis apud maiores ita observatum est, primum tutelae, deinde hospiti — postea affini. De qua caussa feminae viris potiores sunt habitae.* Esse putant pro *qua de caussa:* at significat *in hac caussa.*

9. Quoniam per hanc praepositionem argumentum rei constituitur, quod multiplex esse potest et distinguendum, saepius in ea quam in aliis fit, ut bis terve ponatur. Quam rem bene perspexit Gernhard. ad Cic. Lael. 6, 22. et ad Off. 2, 15, 52. Exempla vide apud Drakenborch. ad Liv. 33, 31, 4. 38, 18, 12. Livius adeo dixit 22, 11, 1. *tum de bello reque de publica dictator retulit.*

Cic. de Nat. d. 1, 1, 2. *nam et de figuris deorum, et de locis atque sedibus et de actione vitae multa dicuntur, deque his summa philosophorum dissensione certatur.* Ita e codice Lambinus. Vulgo omittitur *de* ante *actione*, quae tertia est pars quaestionis. Cic. de Leg. 2, 1, 2. recte scribitur: *paullo ante de lege et de iure disserens.* In disiunctivis enuntiationibus etiam hanc praepositionem a Cicerone bis poni accurate observavit Wunderus Var. Lect. p. 17. Cic. p. Lege Man. 24, 69. *aut de re, aut de perficiendi facultate.* p. Cluent. 11, 31. *et de suo et de uxoris interitu.* Tacit. An. 1, 11. *et ille varie disserebat: de magnitudine imperii, sua modestia.* Ita vulgo interpungitur, omnesque interpretes reddunt opposita, quasi scriptum esset *et de sua modestia.* at omitti non poterat praeposi-

tio. Coniungenda sunt verba *disserebat sua modestia*, et intelligenda est modestia illa falsa, quae Tiberio propria erat; *mit der ihm eigenen Bescheidenheit.* Ironiae vis designatur positione pronominis: quare interpunctio corrigenda est.

Cic. Tusc. 2, 6, 15. *primum igitur de imbecillitate multorum et de variis disciplinis philosophorum loquar.* Wolfius interpungendo constituit hunc sensum: loquar de imbecillitate multorum philosophorum, qui erant de variis disciplinis. Et Orellius, si quis non assentiatur, eum prorsus ratione destitutum censet. At vellem ante omnia demonstrasset, ubinam Cicero verba composuerit in hunc modum: philosophi de variis disciplinis. Quidni ille dicat: primum loquar de imbecillitate multorum hominum et de variis disciplinis philosophorum? Nam quum de philosophis dicturus esset, agendum ei erat de variis disciplinis horum philosophorum. Sed antea dicit etiam de poetis.

Sueton. Claud. 43. *signa — poenitentis et de matrimonio Agrippinae deque Neronis adoptione dederat.* Caes. 11.

Deque componitur non raro. Martial. 1, 104, 7. 10, 68, 8.

10. *Deque* in formula *susque deque* fere omnes grammatici decurtatam formam verbi *deorsum* esse putant: cuius rei nulla apparet ratio. *Sus* enim non ponitur pro *susum* seu *sursum*, ut Prisciano videbatur p. 559.*), sed est praepositio in compositis obvia: *sustollo*, *suscipio*, sive ea ex *sub* vel *subs* facta, sive primitiva vox sit. Hinc *susque deque* proprie significat ἄνω καὶ κάτω. Festus explicat *plus minusve*, quod cur interpretibus displicuerit, non video. Nam propinqua est notio afferendi et detrahendi. Idque in animo habuisse videtur Gellius, quum 10, 29. ait *significationi*, qua *atque adiiciendo rem intendit*, *contrarium est*, *quod itidem a veteribus dictum est d e q u e.*

*) *Ex* et *de* saepissime commutata esse supra notavimus. vid. Burmann. ad Suet. Dom. 10. ad Ovid. Her. 14, 86. et ad Virgil. Aen. 3, 602. Cort. ad Lucan. 1, 534. 7, 741. Drakenb. ad Liv. 21, 6, 5. et *a*. vid. Burmann. ad Ovid. Her. 4, 96.

DEHINC.

1. Dehinc adverbium, cuius significatio ex ipsa compositione intelligitur, quamquam, ut graecum ἐν-

τεῦθεν, de loco proprie dicitur, hoc sensu non usurpabatur a veteribus scriptoribus, sed aetate recentiore post Augusti tempora in designatione terrarum, a tempore ad locum translatum, sicut fit in *mox* et aliis.

Tacit. Ann. 4, 5. *cetera Africae per duas legiones: parique numero Aegyptus. Dehinc initio ab Syria usque ad flumen Euphraten quantum ingenti terrarum sinu ambitur quatuor legionibus coercita.* quamquam corruptum videtur vocabulum *initio*, non vero *coercita.* Plin. Hist. n. 3, 5, 6. *Italia dehinc primique eius Ligures: mox Etruria, Vmbria.* Pomp. Mela 3, 8, 4. *interiora Cedrosii, dehinc Persae habitant.*

2. Tum usurpatur a poetis de rerum serie.

Sil. Ital. 8, 471. *clarique dehinc stant ordine patres.* Horat. Art. poet. 143. *ex fumo lucem cogitat, ut speciosa dehinc miracula promat.* i. e. in rebus deinceps narrandis.

3. Antiquioris temporis usus significationem dumtaxat ad tempus referebat, et ad praesens quidem, ut esset *ab hoc tempore, von nun an.* Ita coniungitur cum futuro aut cum praesente, potestatem futuri obtinente, et cum imperativo.

Componitur cum *nunc* et *iam* apud Terent. Eun. 5, 2, 33. *at nunc dehinc spero aeternam inter nos gratiam fore.* Plaut. Poen. 5, 2, 68. Mi. *non hercle nunc quidem quidquam scio.* Ha. *at ut scias nunc, dehinc latine iam loquar.* Bothius interpunxit ante *nunc.* Dubitari potest ob antecedens *nunc quidem.* Sed Poen. 1, 2, 161. *nunc iam dehinc erit verax tibi.* Merc. 5, 4, 40. *et quidem ego dehinc iam* (feci).

Plaut. Asin. 1, 1, 98. *profecto nemo est, quem iam dehinc metuam.* 1, 3, 8.

Terent. Eun. 2, 3, 5. *deleo omnis dehinc ex animo mulieres.* Andr. Prol. 22. *dehinc ut quiescant porro, moneo.* Liv. 1, 59, 1. *vos, dii, testes facio, me L. Tarquinium Superbum — ferro, igni, quacumque dehinc vi possim, exsequuturum.*

Plaut. Asin. 5, 2, 8. *at nunc dehinc scito, illum ante omnes minimi mortalem preti.*

4. Ita demum pro vocabulo *nunc* ponitur simpliciter.

Plaut. Poen. Prol. 125. *dehinc ceterum valete, adeste.*

5. Ex illa vero temporis deducendi caussa *dehinc*

in vulgari sermone apud comicos accommodatur conclusioni, ut Germanorum *daher*.

Plaut. Cas. 1, 6. *dehinc coniicito ceterum, possisne necne etc.* Terent. Andr. 1, 2, 19. *dehinc postulo, sive aequumst, te oro, Dave, ut redeat iam in viam.*

6. Sed posteriores scriptores hanc rationem ad res praeteriti temporis adhibebant, et primum ita, ut *dehinc* esset *inde ab hoc, von da an, von dem an.*

Sueton. Tit. 8. *quum ex instituto Tiberii omnes dehinc Caesares beneficia — aliter rata non haberent.* Valer. Flacc. 1, 551. *qua classe dehinc effusa procerum bella!*

Sueton. Cal. 58. *duplex dehinc fama est.* i. e. de rebus, quae inde ab eo tempore factae sunt, duplex est fama.

7. Tum pro *deinde* usurpabatur vel in consequutione temporum designanda, vel in rebus enumerandis. Rarius id appellat Kritzius ad Sallust. Cat. 3, 2. quod recentius tantum vocari debebat.

Virgil. Ge. 3, 166. *ac primum laxos tenui de vimine circlos cervici subnecte: dehinc, ubi libera colla servitio adsuerint, ipsis e torquibus aptos iunge pares.* Senec. Nat. quaest. 3, 29, 6. *incipiet ergo putrescere, dehinc laxata ire in humorem —. Tunc exsilient sub montibus flumina — inde aura tacita manabunt.* Sueton. Aug. 49. *iuvenes primo modicis intervallis per militares vias, dehinc vehicula disposuit.* Sueton. Dom. 8. *Corneliam, maximam virginem, absolutam olim, dehinc longo intervallo repetitam atque convictam defodi imperavit.* alii codd. *deinde.* Eadem varietas apud Horat. Sat. 1, 5, 97.

Etiam Ciceronem dicunt hac formula usum esse, sed quod olim legebatur in Tusc. 2, 6, 15. *princeps et auctoritate et antiquitate Socraticus Aristippus non dubitavit summum malum dolorem dicere. Dehinc ad hanc — sententiam satis docilem se Epicurus praebuit.* nunc e codd. restitutum est: *deinde ad hanc* etc. Sed in Sallust. Cat. 3, 2. vulgo editum est: *primum quod facta dictis sunt exaequanda: dehinc quia plerique — putant.* Nisi aliqui codd. dubiam redderent scripturam, hoc antiquissimum esset exemplorum.

8. Hinc factum est, ut *dehinc* poneretur pro *tum, posthaec, postea.* Suetonius eodem modo usurpavit *hinc.*

Virgil. Aen. 1, 131. *Eurum ad se Zephyrumque vocat, dehinc talia fatur.* 5, 722. *visa dehinc coelo facies delapsa parentis An-*

chisae subito tales effundere voces. 8, 337. *vix ea dicta: dehinc progressus monstrat et aram.* Horat. Sat. 1, 3, 104. Sueton. Caes. 35. *dehinc Scipionem ac Iubam — devicit.* Ner. 25, Tib. 51. Dom. 16. *dehinc mane haruspicem ex Germania missum — audiit condemnavitque.* Tacit. Ann. 13, 38. 1, 34. 4, 14.

Ovid. Fast. 6, 787. *zona latet tua nunc, et cras fortasse latebit, dehinc erit, Orion, adspicienda mihi.* Nos Germani *später.*

Celsus 1, 3. p. 31. *dehinc, si parum illa proficient, aloen sumat.*

Sueton. Aug. 97. *mors quoque, de qua dehinc dicam — ostentis praecognita est.* Ner. 19.

9. Poetae primam syllabam verbi brevem reddunt semper: id quod loci modo expositi declarant. Vid. Schneideri Gramm. Tom. 1, p. 545. et p. 101. Saepe syllabas in unam contrahunt, sicuti *dein* pronuntiabant. vid. Bentlei. ad Horat. Epod. 16, 65. Burmann. ad Prop. 3, 8, 15. conf. comicorum exempla plurima ante allata. Vnde Apuleius ille de Orthogr. 45. *namque quum h solum inter duas locatum vocales invenerimus, synaeresin fieri posse videmus, ut quum prehendo dissyllabum et dhinc monosyllabum reperitur.* Scribendum erat *dehinc.* Pronuntiabatur enim *deinc:* quemadmodum etiam in codicibus scriptum legitur, ut in Propert. 3, 8, 15. Eadem est caussa commutationis verborum *dein*, *deinde*, *dehinc*, de qua Cort. ad Sallust. Cat. 3, 2. Burm. l. l.

DEINCEPS.

Festus: *Deinceps, qui deinde cepit: ut princeps, qui primum cepit. Deincipem antiqui dicebant proxime quemque captum, ut principem primum captum.* Haec derivatio vix potest negari. Nam analogia constat in verbis *particeps*, *municeps*, *auceps*, *princeps*. Vid. Vossii Etymolog. s. v. *anceps* et *caput.* Adiectivum ex antiquissimo, ut videtur, usu apud Apuleium demum recurrit. Vide Bosscham ad Florid. T. 2. p. 64. Atque intelligimus eum, qui dein, i. e. post alium, capit aut occupat rem. Etiam *deinceps* antiquum est verbum, tamen nusquam apud comicos obvium. Neque poetarum alius quisquam eo utitur, sed doctrinae auctores Varro et Cicero.

1. Significat id, quod post aliud occupat locum, et quod aliud praecedens excipit. Dicitur igitur de serie continua et de proxima successione, qua res loco proximae, nulla alia re intercedente, componuntur: *nach einander, in Reihenfolge.*

Varro de Re r. 1, 14, 2. *sepes fit — ex arboribus truncis demissis in terram deinceps constitutis.* Caes. B. civ. 1, 25. *his perfectis collocatisque alias deinceps pari magnitudine rates iungebat.* Cic. de Div. 2, 54, 111. *tum vero ea, quae ἀκροστιχὶς dicitur, quum deinceps ex primis versuum litteris aliquid connectitur.* de Orat. 3, 47, 183. (paeon oritur) — *a brevibus deinceps tribus extrema producta atque longa.*

Sallust. Iug. 19, 3. *igitur ad Catabathmon — secundo mari prima Cyrene est, colonia Thereon, ac deinceps duae Syrtes, interque eas Leptis: dein Philenon arae —: post aliae punicae urbes.* in quo loco, ne dubitationem excitet vocabulum *inter*, intelligantur deinceps positae Syrtes cum urbe Lepti. Ceterum hoc ipso exemplo demonstrari potest similitudo verborum *deinceps* et *deinde*.

2. Item de successione in tempore et primum quidem de hominibus, quorum alius post alios unam tenet dignitatem vel negotium, aut qui similiter operantes succedunt. Saepe additur numeri nomen, sive ut indicentur ordinis fines, sive quotus quis sit in ordine. Neque aliter de rebus, etiam de duabus tantum, hac temporis ratione consequentibus continuo: *nach einander*, et de ordine non interrupto, sed perpetuo.

Liv. 1, 21, 6. *ita duo deinceps reges alius alia via, ille bello, hic pace, civitatem auxerunt.* Cic. ad Fam. 2, 18, 4. *tres fratres summo loco natos, promptos, non indisertos te nolo habere inimicos, praesertim iure: quos video deinceps tribunos plebis per triennium fore.* Liv. 6, 5, 6. *interreges deinceps M. Manlius Capitolinus, Ser. Sulp. Camerinus, L. Val. Potitus.*

Cic. Tusc. 4, 2, 3. *in Originibus dixit Cato morem apud maiores hunc epularum fuisse, ut deinceps, qui accubarent, canerent ad tibiam clarorum virorum laudes.* Caes. B. gall. 7, 3. *nam ubi maior atque illustrior incidit res, clamore per agros regionesque significant, hunc alii deinceps excipiunt, et proximis tradunt.*

Liv. 26, 20, 1. *duabus tantis cladibus deinceps icti.* 2, 47, 11. *funera deinde duo deinceps collegae fratrisque ducit.* 22, 7, 11. *postero ac deinceps aliquot diebus.*

Cic. de Leg. 2, 19, 47. *de sacris autem — haec sit una sententia, ut conserventur semper, et deinceps familiis prodantur, et, ut in lege posui, perpetua sint sacra.* Liv. 5, 51, 5. *intuemini enim horum deinceps annorum vel secundas res vel adversas.* i. e. huius annorum seriei.

Cic. de Re publ. 6, 21. (Somn. Scip. 7.) *quin etiam si cupiat proles illa futurorum hominum deinceps laudes unius cuiusque nostrum a patribus acceptas posteris prodere, tamen propter eluviones exustionesque terrarum — ne diuturnam quidem gloriam assequi possumus.* i. e. perpetua traditione.

3. Ita fit, ut saepe componatur cum verbis *alii*, *reliqui*, *multi*, *omnes*, *totum*. Cf. Drakenb. ad Liv. 27, 39, 6. quemadmodum Graeci πᾶν ἑξῆς componunt. C. G. Iacobus mihi notavit Thucyd. 1, 20. Xenoph. Hist. gr. 4, 6, 4. Demosth. de Reb. Cherson. p. 103, 15. Lucian. Icarom. 7. Gall. 10.

Liv. 29, 3, 3. *exercitus se in agrum Ilergetum Ausetanorumque et deinceps aliorum populorum ducturos.* 29, 14, 13. *eae per manus, succedentes deinceps aliae aliis — in aedem Victoriae — pertulere deam.* Caes. B. gall. 7, 3.

Caes. B. gall. 3, 29. *reliquis deinceps diebus Caesar silvas caedere instituit.*

Cic. Brut. 3, 12. *posteaque prosperae res deinceps multae consequutae sunt.*

Cic. Acad. 1, 12, 44. *deinceps omnia tenebris circumfusa esse dixerunt.* ubi Goerenz. de Orat. 1, 9, 37. Liv. 27, 23, 5. *ludi Apollinares Q. Fulvio, Ap. Claudio consulibus a P. Cornelio Sulla praetore urbis primum facti erant. Inde omnes deinceps praetores urbani fecerant.* 2, 1, 2. 2, 45, 14. *idem deinceps omnis exercitus in se quisque iurat.* 21, 52, 5. *populari omnem deinceps agrum usque ad Padi ripas iussit.*

Cic. in Verr. 1, 10, 28. *possum deinceps totam rem explicare: deinde ad extremum id, quod accidit, dicere.* Columella 2, 4, 3. *ea* (pertica) *si aequaliter ac sine offensione penetravit, manifestum est, totum solum deinceps esse motum.*

4. Rarior est usus, quo *deinceps* cum nominibus ordinalibus coniunctum indicat, quotus quis sit in ordine.

Varro de Re r. 2, 4, 2. *proavus ac superiores de Tremelliis nemo appellatus Scrofa, nec minus septimus sum deinceps praetorius in gente nostra.* Quinctil. 12, 8, 15. *sis causam per-*

scrutatus propositis ante oculos omnibus, quae prosint noceantve, tertiam deinceps personam induat iudicis.

5. Ponitur *deinceps* in designandis expositionis vel narrationis partibus ex ordine sequentibus.

Cic. de Off. 1, 14, 42. *de iustitia satis dictum est. Deinceps, ut erat propositum, de beneficentia ac de liberalitate dicatur.* i. e. ordine sic ferente, ut ait Bauer. ad Sanct. T. 1. p. 750. 2, 15, 52. 3, 2, 7. *de tertio autem genere deinceps se scripsit dicturum.* quae Beierus ad 3, 2, 10. iure negat verti posse, *ein anderes Mal.* Columel. 2, 10, 25. (11, 3.) *seritur, ut deinceps praecipiemus.*

6. Erant, qui *deinceps* pro *deinde* poni dicerent. Quare Sanctium sequutus Pareus in Lex. crit. p. 317: „*deinceps* non idem valet quod *deinde*, ut multi putant, sed valet idem quod *ordine* et graece ἐφεξῆς." Etiam Wopkensius in Lect. Tull. p. 255. (344.) observat, quamvis saepius idem denotet quod *postea*, *mox*, aut simile quid, non tamen deesse locos, in quibus diversum aliquid significet: nam *deinde* esse postea, ἔπειτα, *deinceps* autem referri ad seriem quamdam atque successionem. Et re vera *deinceps* aut continuatam seriem sive continuationem similium rerum ex ordine indicat, aut rem continuo post exsistentem, non aliis rebus intercedentibus: quamquam interdum discrimen horum vocabulorum propemodum tollitur similitudine. vid. Sanctii Min. 3, 14. p. 750. Graev. ad Rhet. ad Heren. 3, 18. Nolten. Lex. p. 915. Toepferus in Actis soc. lat. Ienens. Tom. 3. p. 167. Heusinger. ad Vechneri Hellenolex. p. 158. Ochsner. in Eclog. Cic. p. 19. (16.) Goerenz. ad Cic. de Leg. 3, 19, 43. Giese ad Cic. de Divin. 1, 30. qui Wopkensium sequuntur. Conf. n. 9. et n. 11.

Cic. Phil. 4, 4, 8. *quae est enim alia laudanda defensio? Deinceps laudatur provincia Gallia.* Est fere idem quod *deinde*, sed simul indicat sequi similem laudationem. Liv. 44, 31, 1. *deinceps et urbes regionis eius idem faciebant.* 31, 16, 5. *deinceps alia castella Cypsela et Doriscon et Serrheum occupat.*

Caes. B. gall. 5, 40, 4. *ab nostris eadem ratione, qua pridie, resistitur: hoc idem deinceps reliquis fit diebus.* i. e. omnibus reliquis. Cic. de Nat. d. 2, 37, 93. *cur non idem putet, si innumerabiles unius et viginti formae litterarum vel aureae vel qualescumque aliquo coniiciantur, posse ex his in terram*

exsuenis annales Ennii, ut deinceps legi possint, *effici*. i. e. continua lectione.

Cic. de Inv. 1, 20, 28. *si non ab eo, in quo proxime desitum erit, deinceps incipietur*. i. e. continuo post. conf. p. 237. Sed Liv. 1, 47, 6. *quum Tanaquil tantum moliri potuisset animo, ut duo continua regna viro, ac deinceps genero dedisset.* de duobus dicitur pro *ac post eum ex ordine.* cf. supra Liv. 1, 21, 6. Cic. Acad. 2, 14, 46. *de quibus iam diximus: et esse armatos, ut occurrere possimus interrogationibus eorum captionesque discutere: quod deinceps facere constitui.* i. e. proximo. Liv. 6, 29, 6. *octo praeterea oppida erant sub ditione Praenestinorum. Ad ea circumlatum bellum: deincepsque, haud magno certamine captis, Velitras exercitus ductus.*

7. Hinc componuntur diversa nomina *deinde deinceps*, *inde deinceps*, *postea deinceps*, quorum altera temporis consequutionem denotant, alterum seriem continuumve ordinem. Id exposuit Wopkens. l. l. Quod in his formulis, ne concursus similium vocum displiceat, saepe interponitur vocabulum aliud, id non de regula fit. Livius proximo loco composuit *inde postea* et *inde deinceps*, Cicero *deinceps inde*. Graeci dicunt ἔπειτα ἑξῆς.

Cic. de Leg. 3, 2, 4. *idque in re publica nostra maxime valuit, quoad ei regalis potestas praefuit: deinde etiam deinceps posteris tradebatur.* 3, 19, 43. *sunt deinde posita deinceps, quae habemus etiam in publicis institutis.* Rhetor. ad Heren. 3, 18. *deinde facile erit deinceps similes notas quinto quoque loco collocare.* ubi vid. Graev. Liv. 2, 47, 11. *funera deinde duo deinceps collegae fratrisque ducit.* ubi Drakenb. De loco de Div. 1, 30. vide n. 10.

Liv. 45, 14, 2. *populum romanum ab eo bello punico forti fidelique opera adiutum, et illum favente populo romano regnum adeptum: aequitate sua postea trium regum bellis deinceps omnibus functum officiis.*

Cic. Brut. 90, 312. *deinceps inde multae, quas non minus diligenter elaboratas — afferebamus.* Liv. 1, 44, 3. *addit duos colles, Quirinalem, Viminalem: inde deinceps auget Esquilias.* 5, 37, 6. *sed antecedente fama nuntiisque Clusinorum, deinceps inde aliorum populorum, plurimum terroris Romam celeritas hostium tulit.* alii codd. *deinceps deinde.* Est alii post alios.

8. Falsa erat opinio eorum, qui existimabant, *deinceps* simpliciter poni pro *iterum*.

Rhetor. ad Herenn. 1, 9, 14. *et ne bis aut saepius idem dicamus, cavendum est: etiam ne id, quod semel supra diximus, deinceps dicamus.* Qui haec extrema explicant *ne iterum dicamus*, unam sententiam bis positam habent. At intelligendum est continuo post, nullis interpositis aliis rebus: *unmittelbar drauf. Semel* non est mutandum in *simul.* Sed ipse auctor sensisse videtur obscuritatem verborum, ideoque addidisse exemplum.

De loco Cic. de Inv. 1, 20. vide p. 236. Beierus ad Cic. de Off. 3, 2, 10. iure reprehendit Bremium.

9. *Deinceps* usurpatur in enumerandis, quae se excipiunt, rebus, praemisso nomine *primum.* In his pene idem est quod *deinde.*

Cic. de Fin. 3, 6, 20. *primum est officium, ut se conservet in naturae statu: deinceps, ut ea teneat, quae secundum naturam sint pellatque contraria: quae inventa selectione et item reiectione, sequitur deinceps cum officio selectio.* de Off. 1, 17, 58. *principes sint patria et parentes —: proximi liberi totaque domus —: deinceps bene convenientes propinqui —.* Tacit. Hist. 1, 48. *iussu C. Caesaris oneratus catenis: mox mutatione temporum dimissus, cursu honorum inoffenso —: servili deinceps probro respersus est, tamquam scyphum aureum in convivio Claudii furatus.*

10. In his vero enumerandis rebus saepe formula componitur, quae nostris *und so weiter* respondet. Est enim in continuata serie, *im weiteren Verfolg.* Tum vero omittitur interdum copula. Si quae ponatur, aptissima est *ac*, quae significat *et item*, *und so.*

Cic. de Off. 1, 45, 160. *in ipsa autem communitate sunt gradus officiorum, ex quibus, quid cuique praestet, intelligi possit: ut prima diis immortalibus, secunda patriae, tertia parentibus, deinceps gradatim reliqua reliquis debeantur.* Quinctil. 7, 10, 5. *nam et in prooemio primum est aliquid, et secundum, ac deinceps.* Tacit. An. 1, 81. *de comitiis consularibus, quae tum primum illo principe ac deinceps fuere, vix quidquam firmare ausim.*

Cic. de Divin. 1, 30, 64. *dixisse, qui primus eorum, qui secundus, qui deinde deinceps moriturus esset.* quae, nisi libri discreparent, defendi deberent. Sed alii praebent *qui deinde, qui deinceps:* quod non male se habet: alii omittunt *deinde,* quod non displicet. Certe in verbis *qui deinde deinceps*, si integra sunt, comma interponendum videtur.

Codices quidam in verbis Livii 27, 39, 6. *deincepsque aliae* copulam omittunt: non male. conf. 5, 37, 6.

11. Sic etiam usurpatur de re per ordinem continuanda, ut sit i. q. *weiter*. Varro etiam posuit de ipso tempore perpetuo, quod nos *immerfort*.

Varro de Re r. 3, 8, 1. *perge deinceps*. i. e. *fahre weiter fort*.

Varro 3, 9, 2. *gallinae villaticae sunt, quas deinceps rure habent in villis*.

12. De positione vocabuli Herzogius ad Caes. B. gall. 3, 29. composuit regulam, ex qua *deinceps* semper antecedens vocabulum moderetur, et locum obtineat inter praedicatum et substantivum. At haec coniunctio, non uni huic vocabulo propria, omnibus particulis, quae modum addunt, communis est. Eae enim praecedunt, ubi cum nomine in unam notionem coeunt, sive adiectivo praemisso, sive cum substantivo cohaerente. Postponitur autem particula, ubi sua ratione ad verbum refertur. Quod comprobant exempla omnia a nobis proposita, et errorem viri doctissimi ostendunt.

Vide unum illum locum Cic. de Re publ. 6, 21. (supra p. 234.) in quo neque verba *futurorum hominum deinceps*, neque *deinceps laudes* coniungi possunt.

DEINDE. DEIN.

Festus: *Deinde compositum est ex praepositione et loci significatione, ut exinde, perinde, proinde, subinde: quae item tempus significant.* Intelligit loci significationem primitivam ex graeco ἔνθεν, quod in *inde* transiit, uti θεός in *deus*. Haec vero in latino vocabulo rarior est.

De forma tria sunt memoranda. Primum contrahebatur vocabulum *deinde* in duas syllabas non tantum a poetis, sed communi antiqui temporis pronuntiatione, in qua *ei* non clara illa diphthongus sonabat, quam Germani audiunt in *Meile*, sed vocalis *i* pressam vocem *e* ita sibi adiunctam habet, ut graviorem accentum ei concedat. Quare Priscianus 15. (2, 10.) p. 1008. dicit in verbis *deinde, subinde, perinde* acui antepenultimam. Quod non ita accipi potest, quasi vocabulum

distractis syllabis tribus pronuntietur, quemadmodum fit hodie ubique ex more, ut videtur, inde a saeculo quinto depravato. Ita etiam *proinde* duabus syllabis constabat. Tum vero a poetis recentissimi aevi hanc contractam syllabam rursus solutam esse, breviata vocali in *de*, pauca ostendunt exempla.

Vid. Burman. ad Anthol. Lat. Tom. 1. p. 197. Sidon. Apoll. 9, 272. *nec qui consimili deinde casu irati fuit histrionis exsul.* Prudent. Enchir. 1, 1. *Eva columba fuit tunc candida, nigra deinde.* Paulin. Nolan. 24. Nat. S. Fel. 9, 45. 17, 131. Apud Phaedr. 4, 25, (3, 20,) 24. corruptionem verborum omnes critici agnoscunt.

Denique, prima syllaba gravata, iam antiquo tempore omittebatur extrema syllaba: unde factum est *dein, exin.* Nam *deind* in modum verborum *volup*, *difficul* formatum, etiam litteram ultimam amisit, quemadmodum ex *ambi* factum erat *amb* et *am.* Sic *endo* fit *in, quamde quam.*

De integritate huius formae, in scriptorum libris saepe oblitteratae, extra poetarum carmina vix potest certo iudicio aliquid affirmari. Num in plurimis codicibus *deinde* scriptum est compendio *deiñ.* Gronovius ubicumque in bonis codicibus invenerat *dein*, restituit tamquam elegantiorem formam. vid. ad Liv. 4, 32, 5. neque aliter Drakenborchius. vid. ad 3, 3, 6. cf. Goerenz. ad Cic. de Fin. 5, 12, 34. Ellendt ad Brut. 24, 93. Gerlach, ad Sallust. Cat. 32, 1. Kritz ibidem et ad 59, 1. Quae de discrimine significationis disseruit Herzogius ad Sallust. Cat. 32. et 45. quasi *dein* sit adverbium temporale significans *continuo*, *sine mora*, *sofort*, *deinde* autem coniunctio, quae ordinem indicet, *hierauf*, omnino carent ratione, ideoque falsa sunt. Nec coercetur usus ea conditione, quam posuit Kritzius, ut *deinde* solum adhibeatur in enumerando. Brevior enim forma minorem habet vim: quare non ponitur, ubi singulae partes sive temporis sive ordinis distinctius sunt designandae.

I. 1. Significat DEINDE proprie loci continuationem, sive ex quo loco aliqua regio procurrat, *von da an*, idque dicitur de proximo spatio, quod post aliud positum est: *weiterhin.* Eodem modo *inde* usurpatur. Graeci *ἐντεῦθεν.*

Liv. 22, 4, 2. *et iam pervenerant ad loca insidiis nata, ubi maxime montes cortonenses Trasimenus subit: via tantum in-*

terest perangusta, velut ad id ipsum de industria relicto spatio: deinde paullo latior patescit campus, inde colles adsurgunt.

2. Ordo rerum non semper temporis ratione designatur, sed etiam loco, in quo series rerum appareat continuata.

Tacit. Ann. 2, 16. *noster exercitus sic incessit: auxiliares Galli Germanique in fronte, post quos pedites sagittarii: dein quatuor legiones et cum duabus praetoriis cohortibus ac delecto equite Caesar, exin totidem aliae legiones.* Cic. Orat. 63, 213. *haec quidem duo binis pedibus incisim. — Dein membratim.* de Nat. d. 2, 42, 110.

II. 1. De tempore *deinde* adsignificat continuationem in aliis partibus aut in aliis rebus conspicuam, et ordinem, quo res se excipiunt et sequuntur, id est consequentiam: *εἶτα, dann, darauf.* Hoc primo dicitur de rebus in temporis tractu continuis et proximis: id fere idem est quod *postea, tum.* Neque opus est, ut priori rei, quae ante nominatur, addatur particula *primum.* Sic Graeci *εἶτα, ἔπειτα* et alia ponunt non praemisso voc. *πρῶτον.* Cf. Goerenz. ad Cic. Acad. 2, 12, 37.

Cic. Catil. 3, 3, 6. *horum omnium scelerum improbissimum machinatorem Cimbrum Gabinium statim ad me — vocavi. Deinde item arcessitur L. Statilius et post eum C. Cethegus.* ad Fam. 6, 13, 1. *nec sum tam stultus, ut te usura falsi gaudii frui velim, deinde frangi repente atque ita cadere.* Liv. 4, 3, 11. Plin. Hist. n. 25, 11, 84. *radix admixta combusta teritur cum adipe suis nigrae. — Sol deinde plurimum confert illitae.* Terent. Andr. 1, 1, 52. *accepit conditionem, dein quaestum occipit.*

Cic. Brut. 24, 93. *naturalis quidam dolor dicentem incendebat efficiebatque, ut — vehemens esset oratio: dein quum otiosus stilum prehenderat, — flaccescebat oratio.* de Re p. 1, 10. *dein Tubero, nescio, Africane,* (inquit). p. Mil. 15, 41. *quum ille — lapides iaciendos curasset, dein subito vultu Milonis perterritus, fugeret ad Tiberim.* ita libri antiqui, non *deinde.*

2. Sed praemittitur saepe *primum, primo*, ut distinctior fiat rerum designatio.

Cic. Tusc. 4, 1, 2. *quum — in his primum ipsius Pythagorae, deinde postea Pythagoreorum tantum nomen esset.* Caes.

B. civ. 1, 74. *primum agunt gratias omnes omnibus —: deinde imperatoris fidem quaerunt, rectene se illi sint commissuri.*

Singulari modo Tacitus loquutus est Ann. 1, 47. *mox hiemem aut negotia varie caussatus, primo prudentes, dein vulgum, diutissime provincias fefellit.* Vno nomine et ordinem et longitudinem temporis significavit.

3. Possunt ita componi plures res, ideoque oratio, vocabulo *deinde* bis, terve, pluriesve posito, percurrit longiorem rerum seriem. Neque aliter alia adiunguntur vocabula *inde, postea, post, tum, postremo*, sive *primum* praemisso, sive non antecedente eo.

Cic. ad Fam. 9, 21, 6. *hunc sequutus est Cursor, homo valde honoratus: deinde L. Masso aedilicius: inde multi Massones —: deinde Carbones et Turdi insequuntur.* Plin. Hist. n. 5, 32, 40. *ea appellata est Cronia, dein Thessalis, dein Maliande et Strymonis.*

Cic. Brut. 67, 236. *is quum satis floruisset adolescens, minor haberi est coeptus postea. Deinde ex virginum iudicio magnam laudem est adeptus et ex eo tempore quasi revocatus in cursum tenuit locum tam diu, quam ferre potuit laborem: postea, quantum detraxit ex studio, tantum amisit ex gloria.* Orat. 64, 215. Catil. 3, 3, 6. *deinde — post.* vide supra.

Plin. Hist. n. 6, 30, 35. *universa vero gens Aetheria appellata est, deinde Atlantica, mox a Vulcani filio Aethiope Aethiopia.* Sueton. Aug. 19. *deinde — mox — exin — praeter has — ad extremum.* Tacit. Hist. 1, 15. *sororis filium Marcellum, dein generum Agrippam, mox nepotes suos, postremo Tiberium Neronem privignum in proximo sibi fastigio collocavit.* 1, 72.

Cic. de Lege agr. 1, 2, 5. *iubent venire agros Attalensium —: deinde agros in Macedonia regios —: deinde agrum optimum et fructuosissimum corinthium —: post autem agros in Hispania —: tum vero ipsam veterem Karthaginem vendunt.*

Plin. Hist. n. 19, 8, 51. *peregrinum fuit et lepidium. Seritur a favonio: dein quum fruticavit, iuxta terram praeciditur: tunc runcatur stercoraturque.*

Liv. 45, 1, 2. *quarto post die — quum in circo ludi fierent, murmur repente populi tota spectacula pervasit —. Dein fremitus increbruit: postremo clamor plaususque — est exortus.* Tacit. An. 14, 17. *quippe oppidana lascivia invicem incessentes probra, deinde saxa, postremo ferrum sumpsere.* 3, 66. 1, 73. 2, 3. 2, 62. *negotiatores — quos ius commercii, dein cupido*

augendi pecuniam, postremum oblivio patriae suis quemque ab sedibus hostilem in agrum transtulit.

4. Coniungitur *deinde* cum his iisdem verbis *tum, tunc, postea, post, porro, mox, postremo, ad extremum, deinceps, igitur:* quam abundantiam improbavit Manutius, negare usum non potuit. Vd. Sanctii Min. 3, 14. p. 745. et Mencken. Observ. p. 234. a quibus critici sumpserunt argumenta suae demonstrationis. Verbis *deinde post* saepe exprimitur relatio rerum proxime sequentium, *drauf dann:* saepe etiam, vel interposito aliquo verbo, ut apud Cic. p. Cluent. 26., vel certe alterius adverbii vi aucta, indicatur distantia rerum: *darauf später.*

Varro de Ling. lat. 5, 6. *primum ea, quae sumus acturi, cogitare debemus, deinde tum dicere et facere.* ubi Aldus *ac postremo facere.* sed male Spengelius coniecit: *deinde dicere ac tum facere.* Quinctil. 4, 2, 27. *nonne optime patronus occurrat prius conviciis luxuriae — quam veneficii? — Deinde tum narret de bonis Pallae.* Ibi Spaldingius nescio cur hanc geminationem appellet non elegantem. Seneca Epist. 74, 22. *quid adversus hos pro nobis responderi soleat, ponam: deinde tunc adiiciam, quid praeterea respondendum putem.* Valer. Flacc. 8, 109. *quaerenti tunc deinde — ait* etc. Liv. 2, 8, 3. *tum deinde comitia collegae subrogando habuit.*

Cic. p. Mil. 24, 65. *servos Milonis apud se ebrios factos sibi confessos esse de interficiendo Cn. Pompeio coniurasse, deinde postea se gladio percussum esse ab uno de illis, ne indicaret.* Tusc. 4, 1, 2. Liv. 41, 24, 20. *legati deinde postea missi ab rege, quum Megalopoli concilium esset.* Celsus 3, 4. p. 121. 5, 28, 14. extr. 7, 18. p. 456. Cic. p. Cluent. 26, 71. *capit hoc consilium, ut pecuniam — polliceatur: deinde eam postea supprimat.* Celsus 7, 8. *postea deinde imponere id, quod purget.* Valer. Max. 9, 1. ext. 5.

Terent. Andr. 3, 2, 3. *nam primum fac, istaec lavet: post deinde, quod iussi ei dari bibere, — date.* Cic. ad Att. 2, 23. Gellius 15, 12. 17, 20. extr. Vellei. Pat. 2, 23, 3. *maior pars nobilitatis ad Sullam in Achaiam, ac deinde post in Asiam perfugit.* Cornel. Eum. 5. *substringebat caput loro altius, quam ut prioribus pedibus plane terram posset attingere: deinde post verberibus cogebat exsultare et calces remittere.* ubi Güntherus aliique pleonasmi usum temere negarunt, nemo explicuit, quo modo equi, qui, capitibus altius adstrictis,

terram non prioribus pedibus attingerent, calces remittere possent. Erat autem Eumenis exercitium hoc: adstrictis primum frenis attollebatur equi caput et pectus, ut, quum postea verberibus excitaretur, eo vehementius in priores pedes incideret, et exsultaret, et calces remitteret.

Caius in Digest. 1, 2, 1, 13. *post hoc dein de auctorum successione dicemus.* Praepositio ibid. 28. *post aliquot deinde annos.*

Plaut. Trin. 4, 2, 103. *deinde porro nolo quidquam praedices.*

Tibull. 1, 7, 35. *et simulat transire domum: mox deinde recurrit solus.* Cic. de Inv. 1, 28, 43. *deinde postremo attendendum est* etc. Rhet. ad Heren. 2, 2, 2. *deinde ad extremum docebimus.* Cic. in Verr. 1, 10, 28. vid. p. 234. in Pison. 31, 78.

Exempla voc. *deinceps* vide p. 236. Plaut. Stich. 1, 2, 29. *post id agam igitur deinde.* vd. IGITVR.

5. Etiam verba *alius*, *alibi*, et quae sunt huius generis, componuntur ad enumerandas partes.

Curt. 7, 4, 26. *Bactrianae terrae multiplex et varia natura est. Alibi multa arbor et vitis largos mitesque fructus alit. — Magnam deinde partem eiusdem terrae steriles arenae tenent.*

Sallust. Iug. 36, 2. *Iugurtha trahere omnia et alias, deinde alias morae caussas facere.*

6. Coniunctiones *quum*, *postquam*, *posteaquam*, *ubi* proxime coniunguntur. Qua forma exprimitur continuus nexus rerum actarum. Saepe haec, certe formula *deinde quum* ita ponitur, ut reddi possit germanice *und als*, vel *und sobald als:* quod non tantum de una re praeterita, sed etiam de consuetudine agendi usurpatur: *und wenn dann.*

Cic. de Re p. 1, 12. *dein quum essent perpauca inter se uno aut altero spatio colloquuti* etc. Liv. 3, 47, 6. *dein quum M. Claudius — iret ad prehendendam virginem, — Virginius — inquit* etc. Plin. 19, 8, 51. vid. p. 241. Cornel. Alcib. 1, 2. *ad omnes res aptus, consiliique plenus —, disertus, ut imprimis dicendo valeret, quod tanta erat commendatio oris atque orationis, ut nemo ei dicendo posset resistere, deinde quum tempus posceret, laboriosus, patiens.* alii codd. *dives*, quod absurdum: Bremi *diligens*, cuius corruptio non intelligitur. Quod Güntherus observavit, apud Cornelium particulam non

nisi de tempore usurpari, bene convenit, nec vero obstat, quem alii sensisse videntur, languor. Est *und wenn dann die Verhältnisse es verlangten.* Columel. 2, 3, 2. *quum deinde tempestive potuerint vesci, non multum nec universum cibum — praebere convenit.*

Liv. 3, 66, 5. *coniunctis exercitibus latinum primum agrum perpopulati sunt: deinde postquam ibi nemo vindex occurrebat, — ad moenia ipsa Romae populabundi — accessere.* 6, 13, 3. 7, 37, 7. 8, 8, 3. 33, 10, 2. 42, 7, 4. 42, 55, 2. 6, 29, 3. *primo impetu ac clamore dissipati ordines sunt. Dein postquam nullo loco constabat acies, terga vertunt.* 9, 31, 9.

Celsus 7. praef. *Deinde posteaquam deducta ab aliis habere professores suos coepit, in Aegypto quoque increvit.*

Liv. 7, 14, 10. *primo credere duces Gallorum, non descensuros in aequum Romanos: deinde, ubi degressos repente viderunt, et ipsi avidi certaminis in proelium ruunt.* Sallust. Iug. 68, 1. et 69, 1. Cat. 45, 4. ubi alii *dein*, alii *deinde* scripserunt.

7. Contrahitur haec oratio, ubi ablativus apponitur. Tum *deinde* idem quod *postea.* Sic Tacit. Hist. 2, 50. *avem invisitata specie apud Regium Lepidum celebri loco consedisse, incolae memorant, nec deinde coetu hominum aut circumvolitantium alitum territam pulsamve, donec Otho se ipse interficeret.* Quod est *nec deinde, quum coetus hominum adesset.* Tamen alii sunt loci, in quibus *deinde* simpliciter pro *postea, posthac* positum est.

Cic. ad Fratr. 3, 8. *tu velim cures, ut sciam, quibus nos dare oporteat eas, quas ad te deinde litteras mittemus.* Liv. 3, 3, 10. *in Aequis nihil deinde memorabile actum.* 6, 20, 14. *gentis Manliae decreto cautum est, ne quis deinde M. Manlius vocaretur.* 33, 22, 1.

Ita accipi debet Vellei. Pat. 2, 89. *nihil deinde optare a diis homines possunt* etc. ubi intelligitur, posteriore tempore, post Caesarem. cf. DENIQVE.

8. Consequutio rerum ita etiam concipitur, ut alteram rem ex altera re prodire videamus. Igitur *deinde* indicat nexum rerum et originis deductionem, ubi nos dicimus cum quadam conclusione *und sonach.* Ita adscendit oratio ad superiora: quare *deinde,* aeque ac *denique,* fere significat *et adeo, und sogar.*

Liv. 21, 34, 1. *ibi non bello aperto, sed suis artibus, fraude, deinde insidiis est prope circumventus.* Wunderlichius et alii, hunc usum ignorantes, scripturam duorum codd. *et insidiis* comprobaverunt. Est vero *und sonach, in Folge dessen,* sive etiam *und sogar.* 21, 41, 12. *emisimus ex obsidione: pacem cum victis fecimus: tutelae deinde nostrae duximus, quum africo bello urguerentur.*

9. Sed etiam simpliciter videtur deductioni rei inservire et pro *inde* poni.

Quinctil. 1, 2, 8. *fit ex his consuetudo, deinde natura.* Quod Sarpius Analect. p. 21. ex aliis codd. revocandum censuit *inde*, interpretibus debetur: nec praestat argumentum a Gernhardo expositum, quasi illis verbis dicatur, *ex his fieri naturam.* Est enim: ex hac consuetudine.

Tacit. An. 12, 27. *iisdem temporibus in superiore Germania trepidatum adventu Cattorum latrocinia agitantium. Deinde L. Pomponius, legatus, auxiliares Vangionas ac Nemetas — monuit, ut anteirent populatores.*

III. 1. Haec omnia, quae tempus attinent, etiam adhibentur ad cogitationem, et per *deinde* rerum, vel argumentorum, vel rationum series notatur. In afferendis partibus demonstrationis saepius praemittitur *primum:* tamen id ubi non adest, cave, ne negligenter omissum putes. vid. Goerenz. ad Cic. Acad. 2, 12, 37.

Cic. ad Fam. 9, 24, 6. *te ad coenas itare desisse moleste fero. — Deinde etiam vereor, — ne nescio quid illud, quod solebas, dediscas.* de Orat. 2, 11, 45. *qui laudabit quempiam, intelliget, exponenda sibi esse fortunae bona. — Deinde quid sapienter is, quem laudet — fecerit, aut tulerit.* ubi Schützius necessarium putabat *primum exponenda.* Acad. 2, 12, 37. in Catil. 2, 8, 17.

Cic. ad Fam. 3, 7, 10. *an ego tibi obviam non prodirem? primum Appio Claudio? deinde imperatori? deinde more maiorum? deinde, quod caput est, amico?* de Inv. 1, 28, 43. 2, 13, 43. Orat. 54, 108. p. Rosc. Am. 45, 130. ubi Matthiae. Giese ad Cic. de Div. 1, 55, 125. Quater positum de Inv. 1, 17, 24. 26, 27. octies 2, 49, 145.

Cic. Acad. 2, 16, 49. *si tale visum obiectum est a deo dormienti, ut probabile sit, cur non etiam ut valde verisimile? cur deinde non, ut difficiliter a vero internoscatur? deinde ut ne internoscatur quidem? postremo ut nihil inter hoc et illud intersit?* De Nat. d. 2, 1, 3.

Celsus Praef. p. 4. *igitur hi rationalem medicinam profitentur, haec necessaria esse proponunt; abditarum et morbos continentium caussarum notitiam, deinde evidentiam, post haec etiam naturalium actionum, novissime partium interiorum.* **2, 18. p. 100.** *aqua levissima pluviatilis est; deinde fontana, tum ex flumine, tum ex puteo, post haec ex nive aut glacie.* **ibid. p. 98.** *tum — deinde — tum — post.* **3, 7, 1.** *deinde — tum — postero die.* **6, 11. p. 386.**

Cic. de Fin. 3, 6, 20. *primum est officium, ut se conservet in naturae statu: deinceps ut ea teneat, quae secundum naturam sint, pellatque contraria: qua inventa selectione — sequitur deinceps cum officio selectio: deinde ea perpetua, tum ad extremum constans consentaneaque naturae.*

2. Similiter scriptores, praesertim recentiores, sive praemissis vocabulis *primus*, *optimus* et aliis, sive iis non positis, per *deinde* descendunt ad res ignobiliores et rariores.

Cic. Brut. 88, 301. *quamquam inciderat in Cottae et Sulpicii aetatem — excellente tum Crasso et Antonio, deinde Philippo, post Iulio, cum iis ipsis dicendi gloria comparabatur.* **Ellendtius vidit non de tempore, sed de laudis magnitudine dici. Plin. Hist. n. 9, 28, 44.** *in primis quae mollia appellantur; deinde contecta crustis tenuibus, postremo testis conclusa duris.* **Pallad. de Re r. 1, 12. 1, 33.** *stercus asinorum primum est, maxime hortis: dein ovillum et caprinum et iumentorum: porcinum vero pessimum.* **Plin. Hist. n. 21, 6, 17.** *prima nobilitas cilicio* **(croco),** *et ibi in Coryco monte: dein lycio monte Olympo, mox centuripino Siciliae.*

Plin. Hist. n. 25, 11, 87. *est autem optimum cilicium e Tauro monte; dein pamphylium.* **25, 13, 94. 14, 20. 25. 25, 13, 100. 37, 9, 38.** *optima scythica, dein cypria, postremo aegyptia.* **Columel. 11, 2, 92.** *quorum optima sunt ilignea, deinde carpinea, post haec fraxinea.* **Celsus 3, 6.** *optimum — deinde — tertium — cetera.* **6, 6, 39.** *eorum ergo sanguis nostros quoque oculos ab externo casu commodissime tuetur, hoc ordine, ut sit hirundinis optimus, deinde palumbae, minimum efficax columbae.* **8, 1. p. 500.** *maxime — deinde — tum.*

Plin. Hist. n. 21, 18, 69. *laudatissimus in insulis Creta; dein Naxo, et postea in Phoenice.* **21, 21, 92. 28, 9, 39.**

Celsus 8, 20. *femur in omnes quatuor partes promovetur: saepissime in interiorem: deinde in exteriorem: raro admodum in priorem aut posteriorem.*

3. In his omnibus particula plerumque adiungit sententiam ipsa. Raro interponitur copula *et* vel *ac*. Tum vero *deinde* significationem habet absolutam, *posthac*, aut simplicem adverbii vim occupat.

Terent. Heaut. Prol. 18. *id esse factum hic non negat, neque se pigere, et deinde factum iri autumat.*

Vellei. Pat. 2, 23, 3. *maior pars nobilitatis ad Sullam in Achaiam, ac deinde post in Asiam perfugit.* i. e. *und später.* Columel. 2, 2, 28. *ex eo tumor ac deinde ulcera invadunt.*

4. Graecorum usum in verbis *εἶτα* et *ἔπειτα* imitantur Latini, quum *deinde*, pro *tum* positum, et in interrogatione, quae consequutione quadam gravatur, et extra interrogationem usurpant, ubi Germani *dann*, *denn*, *da* dicunt. Est enim idem quod *quum ita sit* vel *ergo*. Devarius de graeco *εἶτα* p. 131., prae se fert indignationem et vehementiam, inquit, tum propter vim interrogationis, tum etiam, quia illativum est et ex quibusdam praemissis subsequitur. Gronovius explicat *post talia.* Cf. Drakenb. ad Liv. 4, 49, 15.

Quinctil. Declam. 1, 6. *caecus infelix patrem occidit? Deinde cui manum porriget securior? cuius humeris levior incumbet?* i. e. quum infelix sit caecus: *wem sollte er dann ruhiger die Hand reichen?* Schultingius diligenter observavit usum: at non bene explicuit eum de consilio, quo adversarius ad absurda deducitur. Id non particula exprimitur, sed tota sententia. Eur. Alcest. 838. (821.) *ΘΕ. γυνὴ μὲν οὖν ὄλωλεν Ἀδμήτου, ξένε. HP. τί φῄς; ἔπειτα δῆτά μ' ἐξενίζετε.* Senec. Oed. Oet. 1407. *dolor iste furor est. Herculem solus domat. Cur deinde latebras aut fugam vecors petam? Obire forti meruit Alcmene manu.* Neque aliter Virgilius Aen. 12, 889. *quae nunc deinde mora est? aut quid iam, Turne, retractas?* i. e. quum res ita se habeant, tuque ensem recuperaveris. Plin. Pan. 9, 4. *annon obsequereris principi civis, legatus imperatori, filius patri? Ubi deinde disciplina, ubi mos a maioribus traditus, quodcumque imperator munus iniungeret, aequo animo paratoque subeundi?* Valer. Max. 3, 2, 10.

Quinctil. Declam. 17, 19. *venenum, quod videretur deprehensum, nemo ideo bibisse crederetur, quia sibi paraverat. Dic nunc: non fui passurus, si bibere voluisses. Deinde hoc sic probas, ut me hodieque coneris occidere.* i. e. *ergo, et tamen. Sprich nun, ich würde es nicht zugegeben haben, wenn du Gift hättest trinken wollen. Darnach*, sive *nun da beweist du*

dies damit, dafs du heute mich zu tödten unternimmst. Pergit declamator: *Non eras passurus. Quando, per fidem, iniicis manus? potuit eadem, potuit peragi brevitate, qua iusseras. Non eras passurus. Deinde non timuisti, ne mihi animum pereundi vel hoc faceret, quod putabam me iuberi.* Liv. 4, 49, 15. *incipite deinde mirari, cur pauci iam vestram suscipiant caussam.* i. e. *und nun wundert euch noch* —.

Non ausim huc referre Cic. de Nat. d. 1, 37, 103. *quod eius domicilium? quae sedes? qui locus? quae deinde actio vitae? quibus rebus, id quod vultis, beatus est.* Procedit enim auctor ad alias quaestionis partes: deinde quae actio vitae?

5. Similis est consequutio in vehementiore oratione, qua ex aliqua conditione deinceps ad aliam rem certa conclusione provocamus, aut ex praemissis concludimus. Nos Germani tum addimus fere copulam: *und dann.*

Cic. in Verr. 3, 16, 41. *innocentia? Adspice aedem: deinde, si audes, fac mentionem innocentiae. Diligentia? Codicis lituras tui contemplare in Sthenii Thermitani nomine: deinde aude te dicere diligentem.* Cic. de Orat. 2, 69, 280. *ille Siculus, cui praetor Scipio patronum caussae dabat hospitem suum, hominem nobilem, sed admodum stultum: quaeso, inquit, praetor, adversario meo da istum patronum, deinde mihi neminem dederis.* i. e. tum non opus erit mihi dari patronum. *Gib meinem Gegner diesen Anwalt: und dann magst du mir keinen geben.* Ovidius hanc formam ita composuit Fast. 1, 15. *da mihi te placidum: dederisque in carmina vires.*

Quinctil. Decl. 12, 18. *nullus amoenus praetermittitur portus, nulla celebris civitas invisitata transitur. Mentior: etiam ad esurientes applicas. Dein, si quam timoris iniuriam quereris, non feram te morantem: quomodo satis accusabo vendentem.* Critici emendatione indigere verba putarunt, quae non intellexerant. Sensus est: Haec falsa videbitur accusatio. Etiam ad nos esurientes tandem applicas. Tum vero si hoc conceditur, et tu quereris de iniuria propter timorem tibi illata, comprobare non possum, te tamdiu moratum esse: multo magis te accusabo vendentem frumenta.

6. Haec particula ob vim suam coniungendi primum obtinet in sententia locum. Neque obstant exempla, in quibus post primum vocabulum positum est apud Livium inter nomina propria 4, 3, 11. *Lucium deinde Tarquinium* etc. et in formula *deinde deinceps.* vid. p.

236. Vbi vero adverbii potestatem habet extra rerum continuationem, ubicumque loci collocatur. Liv. 3, 3, 10. et Cic. ad Fratr. 3, 8. vid. p. 244.

Liv. 39, 22, 1. *per eos dies — ludi taurii per biduum facti religionis caussa: per dies decem apparatos deinde ludos M. Fulvius — fecit.* Tribus haec affecta sunt vitiis, primo quod verba *per dies* non leguntur in scriptis libris: tum quod non poterat dici *per dies decem apparatos*, quae cohaererent: denique quod *deinde* ita in quintam sedem reiicitur. Scribendum videtur omisso numero *deinde apparatos ludos*, ut praebet codex lovan. sec.

*) Confusa saepe sunt in libris scriptis vocabula *deinde* et *demum*: vid. Drakenb. ad Liv. 4, 49, 15. ad 40, 22, 1. Heindorf. ad Cic. de Nat. d. 1, 37, 103. et *denique*: vid. Schwarz. ad Plinii Paneg. 45, 1. et *dehinc*: vid. Oudend. ad Sueton. Tib. 23. Dom. 8. Tit. 5. et *inde*: Liv. 40, 22, 13. Cic. Tusc. 1, 3, 5. et saepe alibi.

DEINSVPER.

Sicuti ab aliis dicitur *desuper*, a Sallustio usurpatum vocabulum *deinsuper* affert Nonius Marc. 12, 48. ex Histor. l. 1.: *Sertorius Parthis turbam orantibus, et nullo, ut in terrore solet, generis aut imperii discrimine, per calonum corpora, ad medium quasi in deinsuper stantium manibus in murum attollitur.* Sed 4, 128. ita: *S. fortis turba morantibus nullo, ut in terrore solet — quasi deinsuper instantium —.* Critici emendarunt: *portis turbam morantibus* et *adstantium*: illud vere, hoc praeter necessitatem. Nemo recte explicuit sensum. Debrossius ita reddidit, quasi dictum esset: milites alter in alterius humeris stabant usque ad medium murum, et Sertorium manibus attollebant. Quod quomodo effici, et quomodo illis verbis dici potuerit, non perspicio. Scribendum est: *per calonum corpora, ad medium quasi deinsuper instantium manibus in murum attollitur.* Extra murum Sertorius in humeros calonum adscendebat, et excipiebatur ab iis, qui in urbe fere ad medium corpus declinabant, de muro et manibus ducem attollebant. *Quasi* id quod *fere*: *instare* est adverti, impendere. *Deinsuper* vero significat desuper, deorsum, *von oben herab.*

DEMAGIS.

Nonius Marc. 2, 229. *demagis, valde magis.* Lucilius lib. XVI. *Rex Corus ille duos hos ventos, austrum atque aquilonem, novissime alebat, solos demagis istos ex nimbo austellos nec nos seneces putare.* Haec corrupta verba ita emendanda sunt: *Rex Corus ille duos ventos, austrum atque aquilonem Novisse aiebat se solos demagis: istos Ex nimbo austellos nec nosse, nec esse putare.* Festus: *demagis pro minus antiqui dicebant.* Dacerius suspicabatur scribendum esse *nimis.* Gloss. Philoxeni: *demagis, σφοδρῶς.*

DEMVM.

Origo vocabuli DEMVM valde obscura est. Non potest, quod Vossius et Forcellinus opinabantur, a graeco τῆμος deduci. Haec enim demonstrativa forma est verbi ἦμος. Neque a *demo* verbo descendit, quasi id significet, quod demtis prioribus postremo superest. Certior videtur esse cognatio graeci *δή*, quod factum est *dem*, sicut ex *δέκα decem.* Cf. TANDEM. Nam syllaba *um* adiecta formationi inservit, ut in *tum, num,* et in *actutum, donicum, sedum.* Veteres dixerunt *demus:* quod apud Livium Andronicum observavit Festus: sicuti *rursus* et *rursum* dicebatur. Atque haec conveniunt significationi primitivae, quae non ad tempus modo pertinet, neque rem non prius factam designat, sed distinctiorem designationem et confirmationem exhibet. Est enim nostrum *eben.* Onomast. graecolat. *demum δὴ, τὸ τέλος.* Haec vero designatio duplex esse potest: nam aut opponendo distinctio declaratur, aut restringendo potestas rei confirmatur. Illud ab antiquo tempore usurpabatur: hoc autem recentior aetas invenit.

Nimis absurde ille Apuleius, cuius librum de Diphthongis edidit Osannus, haec p. 144. *demum etiam plerique diphthongant: sed quum demum quasi decimum dictum esse feratur, minime diphthongandum videtur: a decem ideo dicitur demum, quod significat ad finem, quoniam in decem naturalis est finis numeri.* Vbi quam Osannus comprobavit, Vossii sententia non potest eo stabiliri, quod a τῆμος olim dictum *temus* postea ad modum nominum *Cassantra* et *Alexanter* in *demus* et *demum*

transformatum fuerit. Quam diversa sit litterae *t* natura in his nominibus, nemo haud minus intelligit, quam demonstrativam litteram *t* non mutari potuisse in *d*.

1. Hac ratione *demum* vel tempus vel locum vel rem aliquam ita designat, ut cum quadam confirmatione praemissis aliis opponantur. In his fere semper particula ei vocabulo adhaeret, cuius vim intendit. Atque antiqua quidem lingua triplex maxime habebat genus verborum, quibus *demum* adiungeret; temporis, *nunc demum, post demum, igitur demum, tum demum:* loci, *ibi demum:* pronomina demonstrativa, *is demum, hoc demum.* Praeter haec quae reperiuntur pauca sunt, sed ad eamdem rationem revocanda. Recentior usus vero multa novavit.

1. *Nunc demum* significat *non antea*, de eo quod antea non erat, aut aliis rebus praegressis factum est. Hoc est vel id, quod Graeci per *νῦν δὴ* et *νῦν γε*, Germani graviori voculatione exprimunt, vel id quod *jetzt erst*, de tarda re; sed rarius hoc fit. Coniungitur sententiae altera pars saepe per *quum, postquam.* Terentius etiam dixit *modo demum*, Ovidius *iam demum.*

Terent. Heaut. 2, 3, 3. *ego vero audio nunc demum et vivo et valeo.* Plaut. Epid. 4, 1, 42. *remigrat animus nunc demum mihi.* Poen. 5, 3, 39. *nam nunc es plane meus: nunc demum ego cum illa fabulabor libere.* Frequenter usurpatur ab iis, qui rem antea incognitam arripiunt, *nunc demum scio.* Plaut. Epid. 3, 4, 22. Mil. 2, 6, 62. *nunc demum intelligo.* Terent. Heaut. 2, 3, 12.

Terent. Ad. 5, 3, 19. *nunc demum istaec nata oratiost.* ubi non reddi potest *jetzt erst*, sed *nun sprichst du so.* Westerhovius bene vidit Demeam non negare vetus istud Micionis dictum, sed mirari, quod ita vertatur oratio, nec antea Mitioni illud in mentem venerit. Andr. 4, 1, 58. D. *hem st, mane, concrepuit a Glycerio ostium.* PA. *Nihil ad te.* D. *Quaero.* P. *Hem: nuncne demum?* D. *at iam hoc tibi inventum dabo.* Donatus pro *denique* positum putat. Male vertunt *erst jetzt.* Ita reddo: *Dies geht dich nichts an. — Ich steh' auf der Lauer. — Ach jetzt? — Und will dir das Gefundene vorlegen.* Quinctil. 10, 2, 8. *nisi forte nostra potissimum tempora damnamus huius infelicitatis, ut nunc demum crescat nihil.* Nemo cum Frotschero ad 10, 6, 5. interpretabitur *tantum:* est enim *nunc adeo.*

Plaut. Capt. 5, 4, 25. *nunc demum in memoriam redeo, quum mecum recogito: nunc edepol demum in memoriam regredior audisse me* etc. i. e. *jetzt besinne ich mich.* Mil. 2, 6, 78. *nunc demum a me insipienter factum esse arbitror, quum rem cognosco.* Aul. 1, 2, 1. *nunc defaecato demum animo egredior domo, postquam perspexi salva esse intus omnia.* Plaut. Rud. 4, 4, 78. *nunc demum istuc dicis, quoniam ius meum esse intelligis.*

Adduntur aliae particulae affirmationis. Plaut. Cas. 2, 8, 82. *attate: nunc pol ego demum in rectam redii semitam.* 4, 4, 14. *nunc pol demum ego sum liber.*

Terent. Ad. 2, 2, 25. *refrixerit res: nunc demum venis? cur passus?* i. e. cur non prius venisti. Cic. ad Att. 16, 3. *nunc demum enim rescribo his litteris, quas mihi misisti, convento Antonio Tiburi.* Plin. Ep. 5, 8, 8. *undevicesimo aetatis anno dicere in foro coepi, et nunc demum, quid praestare debeat orator, adhuc tamen per caliginem video.*

Terent. And. 5, 3, 11. *modone id demum sensti, Pamphile. Olim istuc, olim, quum ita animum induxti tuum, quod cuperes, aliquo pacto efficiendum tibi, eodem die istuc verbum vere in te accidit.*

Ovid. Trist. 2, 7. *carmina fecerunt, ut me moresque notaret iam demum visa Caesar ab Arte meos.* Apud Quinctil. 8, 2, 21. *pervasit iam multos ista persuasio, ut id iam demum eleganter atque exquisite dictum putent, quod interpretandum sit.* bene intellexit Spaldingius delendum esse *iam.*

2. *Post demum* cum futuro dicitur a Plauto: quod est *später dann:* quo modo etiam *igitur demum* a comicis usurpatur. Hoc vero etiam in apodosi ponitur, ut significet *dann erst*, vel ut modo intendatur vis consequutionis.

Plaut. Asin. 5, 2, 65. *post eum demum huc cras adducam ad lenam.* Amph. 3, 1, 16. *post igitur demum faciam res fiat palam.*

Plaut. Amph. 1, 2, 11. *igitur demum omnes scient, quae facta.* i. e. *später dann.* Merc. 3, 2, 7. *adolescens quum sis — rei tuae quaerendae convenit operam dare: demum igitur quum senex sis, tunc in otium te colloces.* Most. 2, 1, 32. *miserum est opus, igitur demum fodere puteum, ubi sitis fauces tenet.* i. e. *erst dann.* Rud. 4, 1, 25. *iam ubi liber ero, igitur demum instruam agrum, aedes, mancipia.* quod redde *dann* pleniore voce.

Praepositio est apud Asin. Poll. ad Cic. 10, 31, 10. *unas*

enim post idus martias demum a Pansa litteras accepi. Sueton. Aug. 10. *post biduum demum.*

3. *Tum demum* veteres usurpant non nisi in conditione praeposita, ut consequutio maiorem vim accipiat. In altera parte sententiae aut *si* aut *ubi* aut *quum* ponitur. Et *demum* necessitatem quidem consequutionis ita exprimit, ut reddi possit: tum certissime, tum maxime. Etiam *demum* hoc significatu pro *tum demum* dicebant. Postea optimus quisque scriptor etiam in narrationibus adhibebat de rebus longe exspectatis, pro *tum denique:* et dicebant etiam non diverso modo *tunc demum.* Nusquam vero legitur *deinde demum.*

Plaut. Men. 2, 2, 71. *tum demum sciam recte monuisse, si tu recte caveris.* Mil. 4, 8, 55. *si id facies, tum demum scibis, tibi qui bonus sit, qui malus.* Cic. ad Att. 9, 10. verba Attici: *quodsi iste Italiam relinquet, faciet omnino male —: sed tum demum consilia nostra commutanda sunt.*

Plaut. Trin. 3, 3, 51. *tum tu igitur demum id adolescenti aurum dabis, ubi erit locata virgo in matrimonium.* Poen. 1, 1, 60. AG. *placet consilium.* MI. *Immo etiam ubi expolivero, magis hoc tum demum dices.* Celsus 7, 27. extr. *et tum demum, ubi iam nihil tale extra fertur, ad cicatricem perduci.*

Plin. Epist. 8, 20, 7. *ac tum demum, quum medium tenuere, non contrahunt.*

Columell. 1. praef. 33. *quas* (partes) *ordine suo tunc demum persequar, quum praefatus fuero* etc. Senec. Epist. 121, 3. *tunc demum intelliges — quum didiceris —.* In Cic. de Leg. 2, 4, 10. nunc legitur *tum denique.*

Plaut. Merc. 5, 2, 68. *servata res est demum si illam videro.* Plin. Ep. 3, 3, 2. *quibus omnibus ita demum similis adolescet, si imbutus honestis artibus fuerit.* vid. n. 5.

Caes. B. gall. 1, 50. *tum demum Ariovistus partem suarum copiarum, quae castra minora oppugnaret, misit.* i. e. non ante quam Caesar frustra instructa acie exercitum in castra reduxisset. Ovid. Her. 11, 91. *exierat thalamo: tum demum pectora plangi contigit.* Liv. 2, 20, 11. *tum demum impulsi Latini, perculsaque inclinavit acies.* 40, 50, 4. *tertio die proelio maiore iterum pugnatum: et tum demum haud dubie victos Celtiberos — esse.* 10, 13, 13. 3, 12, 1. Ovid. Fast. 4, 615. Plin. Ep. 6, 20, 6. *iam quassatis circumiacentibus tectis quamquam in aperto loco, angusto tamen, magnus et certus ruinae metus. Tum demum excedere oppido visum.* 8, 14, 3. 1,

13, 2. *tum demum, ac tunc quoque lente cunctanterque, veniunt.*

Livius saepe praemissis ablativis: 2, 29, 1. *utraque re satis experta, tum demum consules* (dixerunt).

De scriptura *tunc demum* vix poterit regula condi. vid. Drakenb. ad Liv. 41, 8, 5. Legitur sine scripturae discrepantia apud Celsum 3, 6. p. 130. 3, 10. p. 139. et apud Sueton. Claud. 5. Columel. 12, 23, 1. et praef. libr. 1. extr. Senec. Ep. 121, 3. ubi cum graviori vi positum. Goerenz. ad Cic. de Leg. 2, 4, 10. *tum denique* et *tum demum* quomodo distinguat, vide in DENIQVE.

Tacit. Ann. 1, 64. *nox demum inclinantes tum legiones adversae pugnae exemit.* Ita nuper critici restituerunt cum explicatione: tum, quum nox erat: sed qui ita umquam loquuntus fuerit, non indicarunt. Optime emendavit Freinshemius *inclinantes iam legiones.*

4. Sed alia quoque verba cum simplici particula coniungebantur, ubi dicendum erat, rem non alio tempore, aut non ante factam esse, sive adderetur temporis nomen, sive participium. Qua formula saepe exprimitur, rem nonnisi aliqua conditione interposita factam esse. Recentior aetas usurpabat simpliciter pro *denique.*

Terent. Ad. 5, 8, 15. *ego novus maritus anno demum quinto et sexagesimo fiam?* Ovid. Met. 13, 209. *decimo demum pugnavimus anno.* i. e. *erst im zehnten Jahre.* Plin. Ep. 5, 6, 10. *tantis glebis tenacissimum solum quum primum prosecatur, assurgit, ut nono demum sulco perdometur.* Horat. Sat. 1, 5, 23. *quarta vix demum exponimur hora.* Plin. Epist. 7, 2, 2. *hieme demum.*

Plaut. Bacch. 2, 3, 36. *postquam quidem praetor recuperatores dedit, damnatus demum, vi coactus reddidit ducentos et mille philippum.* i. e. non ante quam damnatus esset. Sueton. Aug. 31. *postquam vero pontificatum maximum, quem numquam vivo Lepido auferre sustinuerat, mortuo demum suscepit.* i. e. *erst nach dessen Tode.* Caes. 23. *mox et ipse a L. Antistio, tribuno plebis, postulatus, appellato demum collegio, obtinuit, quum reipublicae caussa abesset, reus ne fieret.* i. e. *nur erst nachdem er an das Collegium appellirt hatte.* Iustin. 1, 7, 3. *domitis demum plerisque, quum adversus Babylonios bellum gereret, Babyloniis rex Lydorum Croesus — in auxilium venit.*

Sueton. Galb. 3. *quod oppidum Hispaniae frustra diu op-*

pugnatum illitis demum galbano facibus succenderit. Calig. 6. *ut demum fato functum palam factum est, non solatiis, non edictis inhiberi luctus publicus potuit.*

5. *Ita demum* pro *tum demum*, ut germanicum *so nur* pro *dann nur*, vel *so erst* pro *dann erst*, usurpatur a recentioribus scriptoribus, praesertim in conditione proponenda.

Celsus 3, 21. p. 163. *si plus humoris excernitur, quam assumitur, ita demum secundae valetudinis spes est.* Plin. 3, 9, 11. *nam nos quoque tam numerosum agmen reorum ita demum videbamus posse superare, si per singulos carperetur.* 3, 3, 2. vid. supra p. 253. Sueton. Vitell. 14. *ita demum firmiter ac diutissime imperaturum, si superstes parenti exstitisset.* Claud. 25. Iustin. 11, 4, 10. *Quam rem ita graviter tulit Alexander, ut — denuo bellum deprecantibus ita demum remiserit, ut oratores et duces — sibi dedantur.*

Celsus Praef. p. 11. *simulatque vero ferrum ad praecordia accessit, et discissum transversum septum est, — hominem protinus animam amittere: itaque demum mortui praecordia et viscus omne in conspectum latrocinantis medici dari.*

6. Quemadmodum tempus distinctius designatur, ita locus etiam constituitur in formula *ibi demum.* Poetae recentiores ea utuntur in narratione rerum deinceps actarum, ut sensus sit *da nun.*

Herzogius ad Sallust. Cat. 12, 5. temere negavit *demum* umquam coniungi cum verbis locum significantibus. Cf. Virgil. Aen. 1, 629.

Plaut. Capt. 5, 4, 3. *illic ibi demum est locus, ubi labore lassitudo omnist exigunda ex corpore.* i. e. *dort eben.* Quinctil. 10, 3, 13. *Iulius Florus in eloquentia Galliarum, quoniam ibi demum exercuit eam, princeps.* Spaldingius intelligit *tantum, nur:* at significat *gerade da.*

Stat. Theb. 2, 474. *te, Meleagre, subit. Ibi demum cuspide lata haesit.* Silv. 2, 3, 14. *caelica tecta subit. Ibi demum victa labore — fluidos collegit amictus.* ubi Marklandus abstinere debebat ab emendatione.

Ad tempus relatum apud Terent. Hec. 1, 2, 50. *usque illud visum est Pamphilo neutiquam grave, donec iam in ipsis nuptiis, postquam videt paratas, nec moram ullam, quin ducat, dari. Ibi demum ita aegre tulit, ut ipsam Bacchidem, si adesset, credo ibi eius commiseresceret.*

Livius dixit *eo demum pervenit*, de quo vid. n. 7.

7. Haec eadem est ratio, qua *demum* cum pronominibus cuiusvis generis coniungitur, ut praestantia aut qualitas propria significetur, et ut maior vis adiiciatur demonstrationi. Est igitur modo *id maxime*, *ante omnia:* modo *quidem*, *dies eben*, *τοῦτο δή*. Gravior accedit affirmatio, ubi additur *profecto*, vel ubi praecedunt verba *verum enim vero*. Sed in plurimis exemplis simpliciter definitur, cuius generis aut conditionis sit aliqua res. Quare formula *id demum est* significat *re vera est ac proprie*.

Plaut. Pers. 2, 3, 14. *nam id demum lepidum est, triparcos homines, vetulos, avidos, aridos bene admordere, qui salinum servo obsignant cum sale.* Terent. Ad. 2, 3, 1. *abs quivis homine, quum est opus, beneficium accipere gaudeas: verum enim vero id demum iuvat, si, quem aequumst facere, is bene facit.* ubi Donatus: *ostendit plus esse quod iuvat quam gaudium.* Cic. ad Att. 8, 8. *sic enim sentio, id demum, aut potius id solum esse miserum, quod turpe sit.* Sallust. Cat. 20, 3. *idem velle atque idem nolle, ea demum firma amicitia est:* quod male explicant *id solum.* 12, 5. ubi quae Herzogius notavit, non conciliare possum cum iis, quae ad c. 2, 9. dixerat, atque haec ipsa inter se pugnant. Quinctil. 9, 4, 3.

Plin. Epist. 1, 20, 18. *relinquere vero aculeum in audientium animis is demum potest, qui non pungit, sed infigit.* Quinctil. 1, 3, 4. *possunt autem id demum, quod in proximo est.* 6. proem. 11. *in utracumque lingua tamquam ad eam demum natus esset, expressa proprietas omnium litterarum.* i. e. *für diese eben.* Edictum Nervae apud Plin. Ep. 10, 66. extr. 1, 8, 6. *atque ea demum recte facta minus detorquemus et carpimus, quae in obscuritate et silentio reponuntur.* Curt. 1, 4, 3.

Plaut. Capt. 1, 2, 19. *nulla iuventutis est spes: sese omnes amant: ille demum antiquis est adolescens moribus.*

Plaut. Bacch. 5, 1, 13. *hoc, hoc est quod peracescit, hoc est demum quod percrucior.* Virgil. Aen. 1, 628. *me quoque per multos similis fortuna labores iactatam hac demum voluit consistere terra.* i. e. *grade in diesem Lande.* Liv. 1, 5, 6. *sciscitandoque eo demum pervenit, ut haud procul esset, quin Remum agnosceret.* Ita enim scribendum est, non *eodem.* vid. Drakenb. ad 32, 14, 2.

Quinctil. 1, 10, 5. *sapientem formantes — non modo cognitione coelestium vel mortalium putant instruendum, sed per quaedam parva sane, si ipsa demum aestimes, ducunt.* i. e. *wenn man sie an sich betrachtet.*

Plin. Hist. n. 7, 7, 5. *is demum profecto vitam aequa lance pensitabit, qui semper fragilitatis humanae memor fuerit.* Sallust. Cat. 2, 9. *verum enim vero is demum mihi vivere atque frui anima videtur, qui* etc. i. e. *in der That der eben.* Terent. l. modo cit. Liv. 4, 4, 9. *verum enim vero lege id prohiberi, et connubium tolli patrum ac plebis, id demum contumeliosum plebi est.*

Cic. de Leg. 3, 17, 38. *vos demum, ut video, legem antiquastis sine tabella. Sed ego — istam libertatem largior populo. Est vos quidem:* quod habet edit. Commel. Non bene explicuit Goerenzius.

Celsus Praef. libri 1. p. 12. *nam quae demum caussae vel secundam valetudinem praestent, vel morbos excitent, — coniectura prosequuntur.* i. e. quae re vera.

8. In his omnibus pronomen est, cui istam confirmandi vim particula adiiciat. Sed alia quaedam ostendunt, ipsam veritatis declarationem et vim definitionis esse caussam, quapropter *demum* etiam ad alia verba referatur. Tum est *re vera*, vel id quod Germani dicunt *eben*, *gerade*.

Ovid. Met. 15, 122. *immemor est demum, nec frugum munere dignus, qui potuit, curvi dempto modo pondere aratri, ruricolam mactare suum.* i. e. *der ist in der That undankbar.* Cic. de Re publ. 2, 15. *ea sunt enim demum non ferenda in mendacio, quae non solum facta esse, sed ne fieri quidem potuisse cernimus.* ubi interpretes perhibent *demum* non sine vi esse positum: at qualis ea sit, non exponunt. Sensus est: ea sunt re vera non ferenda.

Quinctil. 10, 6, 5. *sed si forte aliquis inter dicendum effulserit extemporalis color, non superstitiose cogitatis demum est inhaerendum.* ubi quae Frotscherus comparat, non quadrant. Vertenda sunt haec: *so mufs man nicht an den Gedanken gerade mit Aengstlichkeit hängen.* De loco Taciti vid. infra III, 3. Cic. de Leg. 3, 7, 17. *ista potestate nata gravitas optimatium cecidit.* Codd. *damnata.* Quare egregia est Davisii emendatio *ea potestate demum nata*, quidquid contra dicat Goerenzius: modo comma, quod post *nata* ponitur vulgo, deleatur. Intellige ita: *denn durch jene neuentstandene Macht eben sank das Ansehen.* Ita *demum* legitime suum locum obtinet.

9. Augendi vim *demum* habet, ubi additur comparativo: quemadmodum veteres *etiam* et *adeo*, et ex recentioribus nonnulli *adhuc* dixerunt.

Plaut. Most. 3, 2, 156. *latius demum est operae pretium ivisse.* i. e. *noch weiter zu gehen.* Quinctil. 4, 2, 79. *videamus ergo, num expositio haec longior demum esse debeat et paullo verbosior praeparatione.* ubi vid. Gesner. et Spalding.

II. 1. Festus, sive ex eius libro Paullus quum dicit: *alii demum pro duntaxat posuerunt:* observavit usum, quem nos tantum apud scriptores recentioris aetatis reperimus. Ii enim *demum* usurpant in restrictione, qua simul praestantia aliqua tribuitur rei. Graeci dicunt *γέ*: nos *eben*, sed ut restrictio etiam appareat, *eben nur*, *vorzüglich nur*. Alias tamen simpliciter significat *dumtaxat*, *tantum*, *non nisi*. Atque adeo interdum exprimit id quod *certe*, Germanorum *wenigstens*. Antiquos scriptores, certe Ciceronem abstinuisse ab hoc usu, demonstrari potest Epist. ad Att. 8, 8. in quo *id demum* et *id solum* opponuntur. vid. p. 256. Quare errare videtur Herzogius, quum illam vim exclusivam in Sallustii dictione agnoscit ad Catil. 12.

Quinctil. Prooem. Inst. orat. 3. *quamvis autem non tam me vinceret praestandi, quod exigebatur, fiducia quam negandi verecundia: latius se tamen aperiente materia, plus quam imponebatur oneris sponte suscepi: — simul ne vulgarem viam ingressus, alienis demum vestigiis insisterem.* i. e. *eben nur fremder Leitung folgen.* 11, 3, 68. *adeo — suis demum oculis credidit, quod efficeret.* i. e. *er glaubte vorzüglich nur seinen Augen.* 2, 15, 1. *alii nomen hoc artemque, de qua loquimur, bonis demum tribui volunt.* 10, 1, 44. 1, 4, 11. ubi Spalding. Traian. ad Plin. 10, 33. *nobis autem utilitas demum spectanda est.* i. e. dumtaxat, ut vidit Buchnerus. Sueton. Aug. 16. Aur. Victor de Viris illustr. 46. *Mater Deum Pessinunte arcessita — quum moveri nullis viribus posset, ex libris cognitum, castissimae demum feminae manu moveri posse.* i. e. non nisi.

Opponitur *sed etiam*. Quinctil. 9, 2, 105. *ut non is demum sit veneficus, qui vitam abstulit data potione, sed etiam qui mentem.* 7. praef. 1. *neque enim ea demum, quae ad docendum pertinent, exsequuti sumus, verum etiam motus animorum tractavimus.*

Plin. Epist. 9, 36, 5. *nam si diu tacui, vel ambulavi, post somnium demum lectionemque, non vehiculo, sed equo gestor.* i. e. certe post somnium.

2. Ex hac ratione in quibusdam dictionibus addit

vim, quae simul et restringit et intendit sententiam. Nos Germani dicimus *nur eben.*

Rutilius Lupus 21. (20.) *fer fortiter demum laborem: iam brevi domum venies exspectatus.* Critici omnes haec correxerunt: *fer fortiter demum hunc laborem:* quod esse debebat *hunc demum:* vel *fer f. extremum lab.* At redde: *ertrage die Mühe nur eben standhaft.* Sueton. Oth. 6. *nihil magis pro concione testatus est, quam, id demum se habiturum, quod sibi ipsi reliquissent:* i. e. *er werde nur eben das sein nennen.*

III. 1. Accedo ad significationes falsas, quas quum grammatici huic vocabulo tribuissent, hodiernus doctissimorum virorum usus saepe vitiis inquinabatur. Ac primo pro *deinde* in designanda temporis consequutione, quod a nonnullis olim traditum est, nusquam ponitur. Nam quod supra exposuimus *ibi demum,* aliam habet caussam.

Cic. Tusc. 3, 1, 2. *quum vero parentibus redditi, demum magistris traditi sumus, tum ita variis imbuimur erroribus.* Ernestius explicuit: tandem et serius. Iure id reiecit Wolfius. In tam magna codd. discrepantia, qua legitur *dein* et *deinde, vel, id est,* non dubitari potest de vetusta interpolatione. In Sueton. Tib. 68. e codd. revocatum est *deinde.*

2. Propriam vim Tursellinus et omnes lexicorum auctores agnoverunt in interrogationibus, quibus vim gravius instandi adiiciat. At ob interrogationem ipsam in locis quidem adhuc allatis nullam video constitui posse proprietatem. Tamen hodierni scriptores *demum* in quacumque interrogatione pro *tandem* ponunt.

Cic. Tusc. 5, 37, 107. *iam vero exsilium, si rerum naturam, non ignominiam nominis quaerimus, quantum demum a perpetua peregrinatione differt?* Ernestius in Clave explicuit *tandem, quaeso,* Goerenzius ad Cic. de Leg. 3, 17, 38. *postremo.* At vero ea est forma, quam supra p. 256. illustravimus, interrogationi subiecta. Extra eam dici debebat: si rerum naturam quaerimus, nihil demum differt exsilium a perpetua peregrinatione. Terentii verba Adel. 2, 2, 25. suo loco p. 252. posuimus. Quare quod Heindorfius ex codd. vratislav. revocari iubet in Cic. de Nat. d. 1, 37, 103. *quod eius est domicilium? quae sedes? qui locus? quae demum actio vitae?* falsum est, nulloque exemplo certo confirmatur. Bene se habet: *quae deinde actio vitae?* vid. p. 248. Neque Goerenzius, qui in Acad.

2, 15, 47. similem coniecturam fecit, firmiore argumento usus est.

3. Novum et inauditum videtur esse, quod legitur in Taciti Dial. de caus. corr. eloq. 26. *ego autem exspectabam, ut, incusato Asinio et Coelio et Calvo, aliud nobis agmen produceret, pluresque vel certe totidem nominaret, ex quibus alium Ciceroni, alium Caesari, singulis demum singulos opponeremus.* Ex interpretibus unus Schulzius animadvertit, *demum* esse pro *denique* collectivo, ut puto, sensu positum. Nastius vertit, quasi scriptum esset *deinceps.* Neutrum fert antiquus usus. Sed istis verbis opposita sequuntur haec: *neminem laudare ausus est nisi in publicum et in commune.* Quare *demum* intelligi debet sensu confirmativo, quem supra p. 257. exposui. *Unter denen wir einen dem Cicero, einen andern dem Caesar, einzelne gerade einzelnen entgegenstellen könnten.*

4. Nostrae aetatis scriptores, praesertim Batavi, inserunt *demum* post verba *qualiscumque*, *quantumcumque:* quod et absurdum est, nec exemplum habet vetus. Ruhnkenius in Orat. de Graecia p. 2. (p. 84. Fried.) duplici vitio: *cum existimationis, quantula demum cumque sit, dispendio.* Alberti in Praefat. ad Hesych. p. 4. *quisquis demum ille fuerit.* Sic multi alii saepe.

*) Confusa saepe sunt vocabula *denique.* vid. Ovid. Her. 11, 91. *deinde.* vid. Drakenb. ad Liv. 40, 22. Heindorf. ad Cic. de Nat. d. 1, 37, 103. *item* Cic. de Leg. 3, 17, 38.

DENIQVE.

Deniqve utrum ex *demum*, an ex *dein* factum sit, ambigitur inter grammaticos. Sed quivis auribus sentiet, quo modo *deinque* transformari potuerit in *denique*, dummodo antiquo more pronuntiet litteram *e:* nam auxiliari littera *i* opus est, ut loquela ex *n* littera ad *q* transeat. Hanc igitur metathesin ipsa natura docuit. Illud vero *que*, quod adhaeret, magis est syllabicum, cuius vim in cvmqve exposui, quam copulativum. Vid. Priscian. 14. (5, 44.) p. 996. Quamquam sunt quaedam, in quibus etiam vis copulativa apparet: veluti boni

scriptores non dicunt *et denique*. Sed significatio verbi *dein* hac accessione syllabae extenditur, ut in rerum serie persequenda extremum intelligatur: quemadmodum *absque* est prorsus ab, ita *denique* proprie prorsus deinde, *dann gar, und dann gar*. Sic etiam *utique, itaque, uterque* complectuntur rem aliquam universe vel generatim. Atque ex hac ratione proficiscitur altera significatio, qua est *dann eben*.

I. 1. *Denique* igitur ordinis est nomen, quod quum extremam aut longe remotam rem significet, alia priora necesse est antecedant. Ita usurpatur, ubi multis enumeratis subiicitur ultimum. Praecedunt verba *primum, deinde*, et quae huius generis sunt. Germani *endlich* et *zuletzt*, Galli *enfin* dicunt. Eodem sensu *postremo, novissime, ad extremum* usurpantur.

Cic. post Redit. ad Quirit. 7, 16. *cuius oratio fuit — tripartita: primum vos docuit meis consiliis rem publicam esse servatam —: tum in perorando posuit vos rogari a senatu —: denique ipse ad extremum pro mea vos salute non rogavit solum, verum etiam obsecravit.* in Catil. 2, 9, 20. *primum omnium me ipsum vigilare, adesse, providere rei publicae: deinde magnos animos esse in bonis viris —: deos denique immortales invicto populo, clarissimo imperio, pulcherrimae urbi contra tantam vim sceleris praesentes auxilium esse laturos.* Terent. Hec. 1, 2, 45. *ille primo se negare. Sed postquam acrius pater instat, fecit, animi ut incertus foret, pudorin' anne amori obsequeretur magis. Tundendo atque odio denique effecit senex.*

Post *primum* statim infertur ab Hygino Astron. 2, 11. *primum quod assidue est venatus, et semper in terra fuit: denique adhuc inter sidera venari videtur.*

2. Etiam omissis istis particulis coniunguntur plures res unius generis vel rationis, sed extremae additur *denique*, ut clausula imponatur expositioni. Tum est id quod *et praeterea etiam*. Atque dicitur *denique etiam*. Neque aliter in sententiis disiunctivis *aut denique* post alia plura membra claudit orationem.

Cic. p. Rosc. Am. 10, 28. *consilium ceperunt plenum sceleris et audaciae, ut nomen huius de parricidio deferrent, ut ad eam rem aliquem accusatorem veterem compararent —, denique ut — tempore ipso pugnarent.* pr. Milon. 36, 100. de Fin. 5, 3, 7. *mathematici, poetae, musici, medici denique ex hac tamquam ex omnium artium officina profecti sunt.* de Lege agr. 1, 4, 11.

provincias, civitates liberas, socios, amicos, reges denique exhauriunt. in Catil. 2, 11, 25. *copia cum egestate, bona ratio cum perdita, mens sana cum amentia, bona denique spes cum omnium rerum desperatione confligit.* Ovid. Trist. 2, 231.

Cic. p. Flacco 4, 9. *tribuo illis litteras, do multarum artium disciplinam, non adimo sermonis leporem, ingeniorum acumen, dicendi copiam: denique etiam, si qua sibi alia sumunt, non repugno.* p. Sext. 10, 22. *videbamus genus vitae, desidiam, inertiam; inclusas eius libidines, qui paullo propius accesserant, intuebantur: denique etiam sermonis ansas dabat, quibus reconditos eius sensus tenere possemus.* Iustin. 2, 10, 23. *ipse autem primus in fuga, postremus in proelio semper visus est: in periculis timidus: sicubi metus abesset, inflatus: denique ante experimentum belli fiducia virium veluti naturae ipsius dominus.* 25, 3, 9.

Cic. p. Arch. 6, 12. *me autem quid pudeat, qui tot annos ita vivo, iudices, ut ab nullius umquam me tempore aut commodo aut otium meum abstraxerit, aut voluptas avocarit, aut denique somnus retardarit.*

3. In afferendis rebus, vel caussis, vel argumentis oratio ad graviora ita adscendit, ut gravius, quod ultimo loco nominatur, vocabulo *denique* designetur. Quare saepe coniunguntur verba *denique ipse.* Nec raro additur particula in fine anaphorae, quae non modo tribus pluribusve membris, sed duobus etiam constat.

Cic. in Catil. 1, 13, 32. *secedant improbi, secernant se a bonis, unum in locum congregentur, muro denique, id quod saepe dixi, secernantur a nobis.* Terent. Ad. 5, 9, 10. *postremo hodie in psaltria hac emunda hic adiutor fuit: hic curavit: prodesse aequum est. — Denique hic vult fieri.* i. e. quid opus est aliis argumentis? Aeschinus vult id fieri. Sallust. Cat. 20, 11. *at nobis est domi inopia, foris aes alienum: mala res, spes multo asperior: denique quid reliqui habemus, praeter miseram animam?* Quinctil. 6, 3, 9. *quum videatur autem res levis, et quae a scurris, mimis, insipientibus denique saepe moveatur, tamen habet vim nescio an imperiosissimam.* Plin. Paneg. 24, 1. *tu quotidie admirabilior et melior: talis denique, quales alii principes futuros se tantum pollicentur.* 37, 2.

Plaut. Merc. Prol. 71. *tibi aras, tibi occas, tibi seris, tibi eidem metis, tibi denique iste pariet laetitiam labos.* Cic. p. Lege manil. 14, 40. *non avaritia ab instituto cursu ad prae-*

dum aliquam devocavit, non libido ad voluptatem, non amoenitas ad delectationem, non nobilitas urbis ad cognitionem, non denique labor ipse ad quietem.

Sallust. Iug. 76, 1. *arma, tela, locos, tempora, denique naturam ipsam ceteris imperitantem industria vicerat.* Cic. p. Mil. 36, 100. *ego me plurimis pro te supplicem abieci; bona, fortunas meas ac liberorum meorum in communionem tuorum temporum contuli: hoc denique ipso die, si qua vis est parata, si qua dimicatio capitis, deposco.* Similiter de Fin. 2, 22, 74. *te — quae cogitas, quae contendis, quo referas, cuius rei caussa perficere, quae conaris, velis, quod optimum denique in vita, iudices, non audere in conventu dicere.* Goerenzius alienam hic proposuit explicationem.

Cic. in Catil. 3, 11, 26. *nihil me mutum potest delectare, nihil tacitum, nihil denique huiusmodi, quod etiam minus digni assequi possint.* ad Att. 1, 14. *vox plena gravitatis, plena auctoritatis, plena denique salutis.* Alia collegit Beierus ad orat. p. Scauro p. 206. Plin. Pan. 25, 4. *ne quis aeger, ne quis occupatus, ne quis denique longe fuisset.* 66, 5. *nihil exhortationibus tuis futurum, nihil subdolum denique, quod credentem fallere paret.* Ita Gesnerus restituit: Schwarzius male: *nihil subdolum, denique nihil quod* etc. quamquam ipse comparat 63, 5. Liv. 5, 6, 12. *apud hostes tanta modestia est, ut non obsidionis taedio, non denique regni quidquam apud eos novatum sit.* Ernestius in Glossario defendit *denique* secundo, non tertio loco praefixum: tamen magis adiiciendum putat tertio *non*, quod paullo post sequitur. Id vero extra anaphoram positum est recte.

4. Interdum *denique* non extremam rem designat, sed additur praeterea aliquid ultimo in loco per particulam *postremo.* Nec repugnat natura vocabuli, quippe quod longiorem progressum in ordine rerum indicet, neque impediat, quo minus in oratione multiplici, vel ad maiora adscendente, extremum superaddatur.

Varro de Ling. lat. 7, 19. *denique si est analogia, quod in multis verbis est similitudo verborum, sequitur, quod in pluribus est dissimilitudo, ut non sit in sermone sequenda analogia. Postremo si est in oratione* etc. Cic. de Lege agr. 2, 23, 62. *omnes urbes, agri, regna denique, postremo etiam vectigalia vestra venierint.* de Nat. d. 3, 9, 23. *isto modo etiam disertus et quidem mathematicus, musicus, omni denique doctrina eruditus, postremo philosophus erit mundus.* in Catil. 2, 11, 25. ubi iterum sequitur *denique*, sed alio sensu. Ita Cicero argu-

menta disponit verbis *denique* — *postremo* ad Fam. 2, 15, 6. Iustinus in rerum gestarum narratione 23, 2, 13. *primum* — *denique* — *ad postremum*. Cf. Wopkens. Lect. Tull. p. 65. (46.).

Cornel. Eum. 12. *hic quum primo perturbati admirarentur, non iam de eo sumptum esse supplicium, a quo tot annos adeo essent male habiti, ut saepe ad desperationem forent adducti, quique maximos duces interfecisset, denique in quo uno esset tantum, ut, quoad ille viveret, ipsi securi esse non possent, interfecto nihil habituri negotii essent: postremo si illi redderet salutem, quaerebant* etc. In his non opponuntur voces *denique* — *postremo*.

5. Peculiari modo componuntur verba *denique si*. Consideratis aut expositis rebus, accedimus ad aliam rem, quae vel superaddi potest argumentis, vel etiam aliorum opinionem occupat.

Terent. Ad. 1, 2, 13. *denique si conferendum exemplum est, non fratrem videt rei operam dare?* i. e. praeterea si. Iul. Severian. Sympt. in Rhetor. Pithoei p. 302. *denique si haec quisquam digna aestimet, quae in manus sumat, reperiet* etc.

Huc referri possunt etiam haec Cic. p. Mil. 35, 96. *nunc denique, si haec contra se sint futura, sibi facinoris suspicionem, non facti crimen obstare.* cf. 36, 100. *hoc denique ipso die, si qua vis est parata, — deposco.*

6. Eadem ratione additur argumentum, quod, etiamsi alia non valeant, ipsum tamen rem conficiat et ordini rerum finem imponat.

Ovid. Her. 20, 67. expositis aliis argumentis, quibus Acontius Cydippae persuadet, quid cupiat, addit: *denique, dum captam tu te cogare fateri, insidiis esto capta puella meis.*

7. Quod in his de ordine rerum dicitur, refertur etiam ad tempus et rerum actarum consequutionem. Sed quod Donatus ad Terent. Phorm. 1, 2, 71. praecepit, *denique* poni pro *postremo*, suas habet conditiones. Nec sine caussa Facciolatus ad Tursell. p. 37: „denique, inquit, pro *postremo* non facile usurparim: quamvis usurpasse videatur Brutus in fine epistolae ad Att. 17." Ac re vera *denique* tunc demum ponitur, quum narratio rei alicuius actae per partes et ordine ad extremum tempus procedit. Idque fit apud historicos recentiores, Suetonium, Tacitum. Rara sunt antiquio-

rum scriptorum exempla, in quibus *denique* per se significat *postremo*, *zuletzt*, *zu allerletzt*.

Sueton. Ner. 35. *Octaviae consuetudinem cito aspernatus —. Eamdem mox saepe frustra strangulare meditatus, dimisit ut sterilem: sed improbante divortium populo — etiam relegavit. Denique occidit sub crimine adulteriorum.* Caes. 75. *denique tempore extremo etiam, quibus nondum ignoverat, cunctis in Italiam redire permisit.*

Terent. And. 1, 1, 119. *ego illud sedulo negare factum: ille instat factum. Denique ita tum discedo ab illo, ut qui se filiam neget daturum.* Ovid. Met. 2, 814. multis, quae Agraulos passa fuerit, enarratis addit: *denique in adverso venientem limine sedit exclusura deum.* Ita etiam Apulei. Met. 3. p. 141, 4. *denique agnito salutari praesidio* etc. ubi Oudendorp. falsam explicationem proposuit.

Lucret. 3, 758. *quare dissolvi quoque debent posse per artus, denique ut intereant una cum corpore cunctae.* nisi haec pertinent ad n. II, 1.

Quae Facciolatus affert ex Bruti Epist. 17. *denique, quod petis, faciam libenter.* formula est epistolarum, Sulpicius in Epist. ad Fam. Cic. 4, 5, 13. et 19: bis in eo erat, ut epistolam ad hunc modum finiret. cf. Weiskius ad h. l.

3. Sed *denique* non modo id indicat, quod ultimum accidit, verum etiam, quod post alia deinceps evenit: quasi *que* in se recipiat vim copulativam. Inservit declarando ei rerum nexui, quo alia res alii proxime iniungitur, vel ubi alia res ex alia provenit quadam necessitate. Germani dicunt *und sonach* et *und sodann*. Quo sensu componuntur verba *denique iam*.

Caes. B. gall. 7, 64. *ille imperat reliquis civitatibus obsides: denique ei rei constituit diem: huc omnes equites — celeriter convenire iubet.* ubi non potest reddi *endlich*.

Sallust. Histor. fragm. Orat. Philippi 1. *maxume vellem rem publicam quietam esse, aut in periculis a promptissimo quoque defendi: denique prava incepta consultoribus noxae esse:* ubi est *und dann*.

Terent. Hec. 5, 3, 8. *denique hercle iam pudebat.* Eun. 3, 1, 42. *denique metuebant omnes iam me.*

Ita Plautus adverbio usus est pro *deinceps* Pers. 4, 1, 3. *ferme ut quisque rem accurat suam, sic ei procedunt postprincipia denique.*

9. Contra in rebus vel ordinis vel temporis ratione disponendis adiicitur *ad extremum*, *ad postremum*: quod non ubique pleonasmum appellaverim, sed designationem distinctiorem. Recentiores scriptores abundantia delectantur.

Cic. ad Quirit. 7, 16. *cuius oratio fuit — tripartita: primum vos docuit — etc. tum in perorando posuit —: denique ipse ad extremum pro mea salute non rogavit solum, verum etiam obsecravit.* Sic in Verr. 1, 10, 28. *deinde ad extremum.*

Cic. p. Sext. 47, 100. *boni nescio quomodo tardiores sunt et principiis rerum neglectis, ad extremum ipsa denique necessitate excitantur.*

Iustin. 11, 16, 12. *victus denique ad postremum est non virtute hostili.* 37, 1, 9. Apulei. Met. 2. p. 121, 17. *et tandem denique devorato pudore ad Milonem dio.* 3. p. 138, 39. *tandem denique reversus ad sensum praesentis.*

II. In his omnibus *denique* coniunctionis vicem praestat, ideoque ab initio sententiae, aut post primum vocabulum ponitur. Aliud genus earum est dictionum, in quibus, vel posita rerum serie, vel in alicuius rei amplitudine, ad ultimum, quod eveniat, spectamus, aut praecipuam rem extremo loco statuimus, aut totam rem una cogitatione unove verbo comprehendimus, omnes partes in unum colligentes. Tum *denique* adverbii instar quocumque loco, praesertim in fine sententiae collocatur: quod nescio cur Goerenzius ad Cic. de Fin. 3, 44, 136. negaverit.

1. Atque primo *denique* de eo dicitur, quod ultimo loco fit, aut futurum est, aliis rebus praecedentibus. Non ordo rerum consideratur, sed ipsa extremitas.

Plaut. Trin. 4, 2, 93. *nisi quia lubet experiri, quo evasurust denique.* Terent. Heaut. 3, 3, 8. *metui, quid futurum denique esset.* Phorm. 1, 2, 71. *quid fit denique?* 2, 3, 11. *vercor, ne isthaec fortitudo in nervom erumpat denique.* Virgil. Aen. 2, 69. *heu, quae nunc tellus, inquit, quae me aequora possunt accipere? aut quid iam misero mihi denique restat?*

Cato apud Festum s. v. *citeria: quid ego cum illo dissertem amplius, quem ego denique credo in pompa vectitatum ire ludis pro citeria, atque cum spectatoribus sermocinaturum?* Scribendum est *vectitatum iri*. Redde: *am Ende, glaub' ich, wird er als Spottbild aufgeführt werden.*

Hinc formula quaestionis: *quid denique agitis?* Plaut. Bacch. 2, 3, 60. Truc. 2, 4, 47.

2. Eadem est ratio eorum, in quibus ad postremum respicimus, quod ex reliquis consequatur, etiam ubi aliter videri possit. Germani similiter dicunt *am Ende.* Sed usurpatur haec formula in iis saepe sententiis, in quibus dici posset *nihilo minus.*

Horat. Art. poet. 267. *vitavi denique culpam, non laudem merui.* i. e. quod reliquum est. Coelius ad Cic. Epist. 8, 6, 7. *unum illud monere te possum, — nihil de tua voluntate ostendas —. Denique invidiosum tibi sit, si emanarit.* i. e. *am Ende möchte dies doch wol Gehässigkeit zuziehen.* Capitol. Vita Veri. 9. *liberti multum potuerunt apud Verum —. Geminas et Agaclytus, cui dedit, invito Marco, Libonis uxorem. Denique nuptiis a Vero celebratis Marcus convivio interfuit.* Salmasius ob vocem *denique* necessarium putat *non interfuit.* At sensus verborum est: nihilominus Marcus, qui Agaclyto admodum favebat (vid. Capitol. Antonin. 15.), concessit, et nuptiis interfuit. Germanice: *am Ende war er doch zugegen.*

3. Sicuti Germanorum *am Ende*, etiam *denique* ironiae inservit et indignationi. Supponitur, quod vix cogitari possit, extremum.

Cic. Phil. 13, 17, 35. *quam benigne. Denique usi liberalitate Antonii milites imperatorem reliquerunt.* ubi vid. Garatonius. p. Rosc. Am. 29, 81. *ii denique qui tum armati dies noctesque concursabant, — S. Roscio temporis illius acerbitatem iniquitatemque obiicient.* i. e. *am Ende werden die — ihm vorhalten.*

4. Coniuncta esse potest longior exspectatio. Tum dicitur res, quae antea agi debebat, tandem exsistere. Fit ergo *denique* fere idem quod *tandem.* Sed exempla huius dictionis, quae vulgaria esse dicuntur, admodum raro reperiuntur.

Plaut. Mil. 4, 2, 40. *aliquam mihi partem hodie operae des denique: iam tandem ades illico.* Miles morae impatiens Palaestrionem ab ancilla revocat, et iubet eum sibi quoque aliquam partem operae dare. Ita recte Lambinus. Cic. ad Att. 5, 20. *quae ego diu ignorans, ex tuis iucundissimi litteris a. d. V. cal. Ian. denique cognovi.* Quinctil. Declam. 1, 9. *te vero, si nihil aliud, calens ille cruor denique suscitasset.*

5. Posito aliquo nomine, cuius notio extendi potest, per hanc particulam additur nomen amplius, quod

simul illud ante dictum continet et arctiorem notionem dilatat. Hoc saepissime universum genus designat, et maiorem vim sententiae infert: quare Germani reddunt vel *überhaupt*, vel *ja*. Id quod proprium locum habet etiam in disiunctione *aut denique*. vid. n. 9. Saepius usurpatur in anaphora.

Liv. 4, 56, 11. *nihil esse in his auxilii dicerent, qui non civium, non denique hominum numero essent.* 8, 21, 6. Cic. in Pis. 20, 45. *quod nemo bonus, nemo denique civis est, — qui vos non oculis fugiat, auribus respuat.* de Rep. 2, 26. *quis enim hunc hominem rite dixerit, qui sibi cum suis civibus, qui denique cum omni hominum genere nullam esse iuris communionem — velit?* in Verr. 2, 69, 167. *an hoc dicere audebis: utrum de te aratores, utrum denique Siculi universi bene existiment, aut quo modo existiment, ad rem id non pertinere?* Tacit. An. 2, 10. *ne propinquorum et affinium, denique gentis suae desertor et proditor quam imperator esse mallet.*

6. Idem fit, ubi, quod reliquis maius amplius ve est, extremo loco ponitur, atque haec ultima gradatio vocabulo *denique* significatur. Est igitur *atque adeo*, sive praecedunt plura, quibus gravius additur, sive unum ponitur antea nomen: quod criticis olim magnam dubitationem iniecit. Vide ad Flor. 1, 16, 4.

Plaut. As. 2, 2, 56. *pernegebo atque obdurabo, periurabo denique.* Cic. p. Quint. 16, 51. *haec in homines alienissimos, denique inimicissimos viri boni faciunt.* 19, 62. *eques romanus locuples, sui negotii bene gerens, denique is, quem, quoties Naevius in Galliam profectus est, procuratorem Romae reliquit.* ad Fratr. 2, 3. *quum omnia maledicta, versus denique obscoenissimi in Clodium et Clodiam dicerentur.* 1, 1. *etsi non dubitabam, quin hanc epistolam multi nuntii, fama denique esset ipsa sua celeritate superatura.* ubi Bentivolius errorem Ernestii refutavit.

Cic. in Verr. 5, 27, 69. *itaque hominem huic optimae tutissimaeque custodiae non audet committere: denique Syracusas totas timet: amandat hominem.* Est i. q. immo.

Cic. in Verr. 2, 23, 55. *de hoc, qui, antequam in ius aditum esset, antequam denique mentio controversiae facta esset, discessisset, putabant nihil agi posse.*

Terent. Ad. 3, 4, 51. *nitar, faciam, experiar, denique animam relinquam potius quam illas deseram.* Hec. 4, 4, 95. *oremus, accusemus, gravius denique minitemur, si cum illo ha-*

buerit rem postea. Cic. Verr. 3, 94, 220. *si, ternos denarios qui coëgit, erit absolutus: quaternos, quinos, denos denique, aut vicenos coget alius.* p. Mil. 8, 20. *luget senatus, moeret equester ordo: tota civitas confecta senio est: squalent municipia: afflictantur coloniae: agri denique ipsi tam beneficum, tam salutarem, tam mansuetum civem desiderant.* Sueton. Aug. 21. *Parthi quoque et Armeniam vindicanti facile cesserunt, — obsidesque insuper obtulerunt: denique pluribus quondam de regno concertantibus, non nisi ab eo electum probaverunt.* c. 23. *adeo denique consternatum ferunt, ut* etc. ubi erravit Oudendorp. Iustin. 12, 12, 2.

Terent. Hec. 3, 4, 10. *denique hercle aufugerim potius quam redeam.* i. e. *ja wahrhaftig.*

Schwartzius in Tursellino hanc vim particulae explicuit verbis *summum*, *höchstens.* Sufficit *atque adeo.* Cic. p. Rosc. Am. 37, 108. *si nihil aliud fecerunt, nisi rem detulerunt, nonne satis fuit his gratias agi, denique, ut perliberaliter ageretur, honoris aliquid haberi?* Ita est enim interpungendum. Hanc explicationem Wernsdorfius adhibuit ad Cic. p. Planc. 4, 10. *in quo primum illud debes putare — eos, qui suffragium ferant, quid denique ipsi debeant, considerare saepius, quam quid cuique a re publica debeatur.* At acute vidit Wunderus in Iahnii Annal. 7, 3. p. 279. non ita dici posse, nisi praemisso eo, quo *denique* referatur: idque hoc loco desiderari: neque etiam apto loco poni *denique*, hoc quidem sensu. Quare defendit alteram scripturam *quid cuique ipsi debeant:* quae non vim accipit a verbis oppositis *quid cuique debeatur*, sed languet. Nemo dubitasset, si scriptum esset *quid demum ipsi debeant.* Atque hoc modo etiam *denique* recte dicitur. vide III. 6. et conf. locum Celsi p. 257. allatum.

7. Additur hoc modo etiam in oppositione id, quod in aliqua re maxime sit spectandum, aut quod plurimum referat. Hoc vero adiungitur simpliciter posita particula, non assumpto oppositionis vocabulo aliquo, veluti *sed*, *autem.*

Cic. Acad. 2, 27, 87. *tractantur ista ingeniose: disputantur etiam eleganter: denique videantur sane, ne affirmentur modo.* i. e. tractantur ingeniose et eleganter quidem, sed quod plurimum refert, videndum est, ne tantum affirmentur, sed probentur. Goerenzius sensum loci non recte percepisse videtur.

8. Propriam sedem particula occupat in interroga-

tione, quum gravior res in considerationem vocatur: ubi nos Germani dicimus *ja*.

Cic. p. Quint. 23, 74. *ubi erant ceteri creditores? denique hoc tempore ubi sunt?* p. Rosc. Am. 37, 108. *si nihil aliud fecerunt, nisi rem detulerunt, nonne satis fuit his gratias agi? denique ut perliberaliter ageretur, honoris aliquid haberi?* ubi post *denique* non erat comma ponendum. Cornel. in Epistola Corneliae. p. 371. Fisch. *denique quae pausa erit?* Tacit. An. 1, 28. *Percennius et Vibulenus stipendia militibus, agros emeritis largientur? denique pro Neronibus et Drusis imperium populi romani capessent?*

9. Vtrumque, quod modo exposui, in disiunctione usurpatur: nam *aut denique*, *vel denique* dicuntur pro *aut omnino*, *vel omnino*, et pro *aut vero*, *aut adeo*, et in negatione pro *aut ne quidem*. Heindorfius et alii existimabant *aut denique* esse *aut certe:* quae vis restrictiva prorsus abhorret ab huius particulae natura.

Liv. 8, 21, 6. *an credi posse, ullum populum aut hominem denique in ea conditione, cuius eum poeniteat, diutius, quam necesse sit, mansurum.* i. e. *oder überhaupt.* Terent. Heaut. 1, 1, 15. *numquam tam mane egredior, neque tam vesperi demum revortor, quin te in fundo conspicer fodere, aut arare, aut aliquid facere denique.* Ita recte restituit Bentleius pro *ferre.* Cic. ad Att. 10, 8. *quod malum maius, seu tantum denique.* i. e. seu omnino tantum, quale hoc est. Ita Ernestius. Caes. B. gall. 2, 33. *illi ante inito, ut intellectum est, consilio, quod deditione facta nostros praesidia deducturos, aut denique indiligentius servaturos crediderant.*

Horat. Sat. 1, 2, 133. *ne nummi pereant, aut puga, aut denique fama.* Male Heindorfius interpretatur *aut certe.* Est aut, quae omnes attinet, fama: *oder überhaupt.* Senec. de Benef. 7, 9, 5. *video sericas vestes — in quibus nihil est, quo defendi aut corpus, aut denique pudor possit.* Alia ratio est loci supra p. 262. allati Cic. p. Arch. 6, 12.

Horat. Epist. 2, 2, 126. *praetulerim scriptor delirus inersque videri, dum mea delectent mala me, vel denique fallant, quam sapere.* i. e. nisi delectent, tamen in universum fallant. Delectatio ista enim species est universae fallaciae.

III. 1. Singulis rebus expositis, ubi totam seriem uno conspectu consideramus et omnes partes ad unam rem reducimus, ibi aut id addere solemus, quod universum genus complectitur, aut unum esse in-

star omnium et paucis verbis omnia esse comprehendenda dicimus. Illud est *et omnino*, *und überhaupt*: hoc, ut paucis absolvam, sive, ut uno verbo rem complectar: ὡς ἔπος εἰπεῖν, ὅλως. vd. Wolf. ad Demosth. Leptin. 4. p. 220. *kurz*. Nec mutatur haec ratio, si antea non plures res, sed una tantum nominatur. Nam saepe utuntur hac formula scriptores, ubi multa dici possunt, sed oratio ad id, quod maximum et validissimum est, properat, atque hoc modo contrahitur et abrumpitur. Critici vero ex quo hanc indolem particulae cognitam habuerunt et locos antea non perspectos bene explicaverunt, numerari vix possunt, in quibus haec interpretatio temere adhibita sit, praesertim ubi sufficiebat notio maioris gravitatis.

Freinshemius quae ad Flor. 1, 16. affert, cuncta non huc pertinent. Neque omnia ea, quae Graevius ad Cic. Epist. ad Fam. 10, 10. et ad Suet. Aug. 23. et quae Schulting. ad Quinctil. Declam. 1, 6. p. 15. Bur. Aliquanto diligentior erat Freinshem. ad Tacit. An. 1, 28. Cf. Ruhnken. ad Terent. Andr. 1, 1, 120. Ernestius in Clav. Cicer.

Terent. Eun. 3, 1, 50. *ubi nominabit Phaedriam, tu Pamphilam continuo: si quando illa dicet, Phaedriam intromittamus comissatum, tu, Pamphilam cantatum provocemus: si laudabit haec illius formam, tu huius contra. Denique par pro pari referto, quod eam mordeat.* Cic. de Orat. 2, 78, 317. demonstrans exordium dicendi non saepe esse debere vehemens, post alia argumenta addit: *nihil est denique in natura rerum omnium, quod se universum profundat, et quod totum repente evolet.* Ad hunc modum Ruhnkenius emendari voluit Vellei. Pat. 2, 89. *nihil denique optare a diis homines — possunt, quod non Augustus — repraesentaverit.* Sed vix ita dici poterat non antecedente rerum expositione. vid. DEINDE. II, 7. Coelius quum in Epist. ad Cic. 8, 11, 12. dixisset, in commentario rerum urbanarum multa esse vix lectu digna, multa etiam utilia, pergit: *denique malo in hanc partem errare, ut, quae non desideres, audias, quam quidquam, quod opus est, praetermittatur.* i. e. *überhaupt aber.* Cic. in Verr. 1, 27, 70. *quum seditionem sedare vellem, quum frumentum imperarem, quum stipendium cogerem, quum aliquid denique rei publicae caussa gererem.* 2, 51, 127. *negant id Syrucasani per religiones sacrorum ullo modo fieri posse: fas denique negant esse.*

Terent. Eun. 1, 2, 78. *nempe omnia haec nunc verba huc redeunt denique, ego excludor.* Ph. 4, 3, 43. *ut ad pauca*

redeam ac mittam illius ineptias, haec denique eius fuit postrema oratio. Vellei. Pat. 2, 113. *LXX amplius cohortibus, XIV alis et pluribus quam decem veteranorum milibus, ad hoc magno voluntariorum numero, frequentique equite regio, tanto denique exercitu, quantus nullo umquam loco post bella fuerat civilia.*

Cornel. de Reg. 2, 2. *minime libidinosus, non luxuriosus, non avarus, nullius denique rei cupidus, nisi singularis perpetuique imperii.* Plin. Epist. 2, 9, 3. *iuvenem probissimum, gravissimum, eruditissimum, omni denique laude dignissimum.* Ovid. Met. 2, 95. *denique, quidquid habet dives, circumspice, mundus.* Tacit. Ann. 1, 26. *cur venisset neque augendis militum stipendiis, neque allevandis laboribus, denique nulla benefaciendi licentia?*

Cornel. Pelop. 4, 3. *denique haec fuit altera persona Thebis.* ubi distinctio, quam exponit Bremius, falsa est. Tacit. Ann. 1, 61. *permoto ad miserationem omni, qui aderat, exercitu ob propinquos, amicos, denique ob casus bellorum et sortem hominum.* i. e. *und überhaupt.* Ovid. Her. 4, 84. *denique nostra iuvat lumina, quidquid agas.* Antecedunt *sive — sive.* Ita Ovidius saepe praemissis aliis rebus similibus: *sive — sive — denique.* vid. Her. 1, 21.

Ita explicanda sunt Lucan. 4, 348. *non partis studiis agitamur, nec sumsimus arma consiliis inimica tuis. Nos denique bellum invenit civile duces: caussaeque priori, dum potuit, servata fides.*

2. Hoc modo clauditur rei expositio adiecto eo, quod ex reliquis consequitur, aut in quo omnia reliqua continentur, praesertim in praeceptis rerum agendarum. Nos Germani *die Folge von allem dem, mit einem Wort.*

Horat. Ars poet. 23. *denique sit quidvis simplex dumtaxat et unum.* Sat. 1, 1, 92. *denique sit finis quaerendi, quoque habeas plus, pauperiem metuas minus.*

Horat. Sat. 1, 1, 106. *est modus in rebus, sunt certi denique fines.* Quo dicto Horatius finem sermoni imponit: quod vidit Heindorfius.

3. *Denique omnia* et *omnia denique* est omnino omnia. Id dicitur de genere rerum universo: quamquam idem una voce *denique* exprimi potest. Sic etiam

quidquid denique. Formula conficitur verbis *omnia denique huc redeunt.*

Cic. Phil. 13, 21, 49. *prius undis flamma, ut ait poeta, nescio qui, prius denique omnia, quam aut cum Antoniis res publica, aut cum re publica Antonii redeant in gratiam.* Plin. Epist. 7, 9, 13. *recipiunt enim amores, odia, misericordiam, urbanitatem, omnia denique, quae in vita atque etiam in foro caussisque versantur.* Quinctil. 10, 1, 119. Apud Celsum 1, 6. *omnia denique sumere, quae tarde concoquuntur.* non genus universum, sed inter reliqua remedia extremum indicat.

Domit. Marsi Epigr. in Anthol. 2, 247. *omnia cum Bavio communia frater habebat, unanimi fratres sicut habere solent. Rura, domum, nummos atque omnia: denique, ut aiunt, corporibus geminis spiritus unus erat.* Ita cum Pithoeo Burmannus scripsit. Sed coniungenda erant verba: *atque omnia denique, ut aiunt.* Tum demum non languet voc. *omnia* iterum positum. Quinctil. 10, 1, 106. *quorum ego virtutes plerasque arbitror similes, consilium, ordinem dividendi, praeparandi, probandi, rationem, denique omnia, quae sunt inventionis.* Spaldingius auctoritate duorum codd. eiecit *omnia.* Hoc vero argumento Beierus confirmare debebat coniecturam suam in Cic. p. Scaur. 44. factam.

Celsus 2, 28, 1. *quidquid denique subcrudum aliquis assumsit.*

Terent. Andr. 3, 3, 35. *nempe incommoditas denique huc omnis redit.* Eun. 1, 2, 78. *nempe omnia haec nunc verba huc redeunt denique: ego excludar.*

IV. 1. Recentior aetas novavit quaedam in huius vocabuli usu. Nam a secundo saeculo p. Ch. n. scriptores quidam ita *denique* usurpabant, ut, posita aliqua re, demonstrationem persequerentur allatis argumentis vel exemplis cum quadam argumentationis consequutione, quasi dicerent: in hac rerum dispositione persequenda, vel in hac rerum consequutione, *in Folge dessen.*

Iustin. 9, 4, 1. *huius victoriae callide dissimulata laetitia est. Denique non solita sacra Philippus illa die fecit, non in convivio risit, non ludos inter epulas adhibuit, non coronas aut unguenta sumsit, et quantum in illo fuit, ita vicit, ut victorem nemo sentiret.* Male explicat Vorstius: breviter. Florus 1, 16. *pulcherrima Campaniae plaga est. Nihil mollius coelo. Denique bis floribus vernat.* Salmasius ita: quasi diceret, adeo verum est, nihil esse coelo mitius, ut bis ver in anno habeat. Alii acceperunt *denique* pro *adeoque.*

Solin. Polyhist. 5. *Himeraeum coelestes mutant plagae. Amarus denique est, dum in aquilonem fluit: dulcis, ubi ad meridiem flectitur.* 27. *vis ne defuncta quidem deest. Denique basilisci reliquias amplo sestertio Pergameni comparaverunt.* Et ita saepissime Solinus.

Haec est ea significatio, quam iurisconsulti saepe usurpant in addendis similibus rebus vel exemplis, quibus id, quod demonstratur, aut confirmetur, aut illustretur. Quare Savignius, quum in egregio libro de Possessione p. 50. edit. quint. contenderet, *denique* esse *verbi caussa*, *exempli gratia*, *zum Beispiel*, vim verbi bene perspectam habuit, tamen explicationem adhibuit non satis aptam. Multi igitur ei adversati sunt, alii prudenti dubitatione, ut Koelerus in Wolfii Analectis Fasc. 4. p. 329. alii sine accurata rei cognitione, ut Iohannsen in Diss. de usu atque vi particulae *denique* apud vet. rom. ictos. Heidelberg. 1828. Certe vetus esset error. Nam ante ducentos annos illam explicationem fecit Gifanius in Observat. p. 286. (549.), quem Savignius sequitur. Papinian. in Digest. 1, 7, 13. *in omni fere iure finita patris adoptivi potestate nullum ex pristino retinetur vestigium: denique et patria dignitas quaesita per adoptionem finita ea deponitur.* i. e. in hoc genere, et ita etiam patria dignitas per adoptionem quaesita. Vlpian. in Dig. 10, 4, 3, 15. *Sciendum est adversus possessorem hac actione agendum non solum eum, qui civiliter, sed et eum, qui naturaliter incumbat possessioni. Denique creditorem, qui pignori rem accepit, ad exhibendum teneri placet.* Non nova additur sententia, neque reddi potest: atque adeo creditorem teneri placet: sed est potius: hoc ordine etiam, in hoc genere: atque comparatio rei coniuncta est cum quadam conclusione: in *Folge dessen*. 27, 2, 1, 1. *et solet ex persona, ex conditione et ex tempore statuere, ubi potius alendus sit et nonnumquam a voluntate patris recedit praetor. Denique quum quidam testamento suo cavisset, ut filius apud substitutum educaretur, imperator Severus rescripsit praetorem aestimare debere, praesentibus ceteris propinquis liberorum.* Paullus 50, 17, 87. *nemo enim in persequendo deteriorem caussam, sed meliorem facit. Denique post litem contestatam heredi quoque prospicitur, et heres tenetur ex omnibus caussis.* i. e. sequitur, itaque, eodem modo. Tertullian. ad Nation. 1, 4. *sed veritatem saeculo operosissimam philosophi quidem affectant, possident christiani: ideoque qui possident, magis displicent: quia qui affectat illudit: qui possidet, defendit. Denique Socrates ex ea parte damnatus est, quia propius tentaverat veritatem.* Gaius Instit. 4, 119. *et denique in ceteris caussis similiter concipi solet.*

Sic *denique si.* Iulian. in Dig. 27, 10, 7, 3. *ideoque sufficit unius ex curatoribus persona, quia intelligitur alter consentire: denique si praesens sit et vetet solvi, vetet venire* etc.

2. Ita iurisconsulti, imprimis Vlpianus, utuntur hac particula, quando vel rem ante expositam auctoris alicuius dicto confirmant, vel novum addunt argumentum, sive aliud exemplum.

Vlpian. in Dig. 7, 3, 4. *denique Scaevola ait: agentem ante diem ususfructus nihil facere.* 7, 8, 14, 1. 4, 4, 3. 39, 5, 18, 1. et 19, 6.

Vlpianus in Dig. 12, 1, 14. *denique per errorem soluti contra senatusconsultum crediti magis est cessare repetitionem*

Idem in Dig. 3, 1, 1, 5. *exstat quidem exemplum eius, qui gessit* (magistratum caecus). *Appius denique Claudius caecus consiliis publicis intererat.* 3, 1, 1, 6. Papinian. 48, 5, 8. *in quaestionibus laesae maiestatis etiam mulieres audiuntur. Coniurationem denique Sergii Catilinae Fulvia mulier detexit, et Marcum Tullium consulem indicio suo instruxit.* in quibus Iohannsen atrocitatem coniurationis expressam putat hac particula: quod ineptum.

Fortasse huc etiam pertinet Iustin. 11, 11, 3. *namque mater eius Olympias confessa viro suo Philippo fuerat, Alexandrum non ex eo se, sed ex serpente ingentis magnitudinis concepisse. Qua ex caussa Olympiadem, velut stupri compertum, repudio dimiserat.*

V. 1. Redeamus ad antiqua tempora. *Denique* quum orationis vim colligat, in quibusdam dictionibus eodem modo usurpatur, quo *demum.* Nam adiungitur non modo nominibus, quae tempus aut numerum significant, sed etiam pronominibus, veluti *is denique* pro *is demum,* de quo vide p. 256. Sic dicitur *tunc denique, tum denique:* cf. p. 253. et *vix denique* pro *vix demum.* Nec potest *tum denique* semper reddi *dann endlich,* neque explicatione *dann erst endlich* distingui, quamquam gravius esse videtur quam *demum.* Cf. Goerenz. ad Cic. de Leg. 2, 4, 10. Saepe nihil nisi distinctiorem designationem exprimit, *dann eben.* Cf. Ochsner in Eclogis Cic. p. 84. ubi cur Hottingerus hanc formulam elegantiorem appellet, non perspicio.

Cic. p. Quint. 31, 99. *ne is, de cuius officio nemo umquam dubitavit, sexagesimo denique anno, dedecore, macula, turpissima-*

que ignominia notetur. p. Mil. 13, 34. *Milonis consulatus, qui vivo Clodio labefactari non poterat, mortuo denique tentari coeptus est.*

Cic. ad Fam. 9, 14, 11. *tantum accessit, ut mihi nunc denique amare videar, antea dilexisse.* ad Att. 8, 8. Ovid. Art. am. 3, 121. *prisca iuvent alios: ego me nunc denique natum gratulor: haec aetas moribus apta meis.* Quod non potest esse *jetzt endlich*, sed tempus designatur distinctius. Neque aliter in Consolat. ad Liviam 105. *talis in umbrosis, mitis nunc denique, silvis deflet threicium Daulias ales Ityn.* Alio vero modo apud Cic. p. Mil. 35, 96. de quo loco vid. p. 264.

Plaut. Capt. 1, 2, 39. *tum denique homines nostra intelligimus bona, quum, quae in potestate habuimus, ea amisimus.* Cic. de Leg. 2, 4, 10. *quae non tum denique incipit lex esse, quum scripta est, sed tum, quum orta est.* Tusc. 3, 31, 77. *huic erat illa opinio quotidie recens: quae tum denique non appellatur recens, quum vetustate exaruit.* de Vniv. 6. et 8. de Senect. 23, 82. Vel praecedente *si*: Cic. de Fin. 1, 19, 64. *qui si omnes veri erunt, ut Epicuri ratio docet, tum denique poterit aliquid cognosci et percipi.* ad Quint. fr. 1, 1, 10, 29. Vel ablativis praemissis: Cic. de Orat. 2, 77, 315. *hisce omnibus rebus consideratis, tum denique id, quod primum est dicendum, postremo soleo cogitare.* ad Att. 9, 2. de Fato 16, 33. Aliae formae sunt hae: Tusc. 1, 13, 29. *reminiscere — quae traduntur mysteriis: tum denique, quam hoc late pateat, intelliges.* de Fin. 3, 22, 76. *neque exspectet ullum tempus aetatis, ut tum denique iudicetur, beatusne fuerit* etc. Verbis separatis Cic. p. Caec. 34, 100. *quum ex nostro iure duarum civitatum nemo esse possit, tum amittitur haec civitas denique, quum is, qui profugit, receptus est in exsilium.*

Ovid. Am. 3, 4, 3. *si qua metu dempto casta est, ea denique casta est.* i. e. ea demum. Cic. ad Fam. 10, 10, 4. *is enim denique honos mihi videri solet, qui non propter spem futuri beneficii, sed propter magna merita claris viris defertur.* Graevius male explicat: ut paucis me expediam. Id dicitur *denique is*: vid. Cic. p. Quint. 19, 62. Sed 11, 38. *moritur C. Quintius. — heres eius P. Quintius in Galliam ad te ipsum venit in agrum communem: eo denique, ubi non modo res erat, sed ratio quoque omnis et omnes litterae.* De loco Cic. p. Planc. 4. supra dixi.

Ovid. Her. 16, 215. *totis indignus noctibus ille te tenet, amplexu perfruiturque tuo: at mihi conspiceris posita vix denique mensa.*

2. Vix operae pretium est iis repugnare, qui alienas significationes huic particulae tribuerunt. Multi enim contenderunt *denique* esse *certe*, *wenigstens*. Ita Glossator in Digest. 12, 1, 14. Oberlin. ad Caes. B. gall. 2, 33. Heindorf. ad Horat. Sat. 1, 2, 133. et Bachius in Iahnii Annal. 2, 1. p. 79. Exempla sunt ea, quae p. 270. explicuimus. Sed addunt Senec. de Ira 3, 18. in quo loco fefellit mala interpunctio. Iohannsen in Diss. supra commemorata in Dig. 8, 3, 38. et 7, 8, 10. *denique* mirum in modum interpretatur *attamen*.

Senec. de Ira 3, 18, 3. *quid instabat? quod periculum aut privatum aut publicum una nox minabatur? quantulum fuit lucem exspectare denique, ne senatores populi romani soleatus occideret.* Ita Gruterum sequuti plerique interpungunt, quasi sensus esse possit: quam exigua mora fuisset lucem saltem exspectare? At unus Gronovius verum vidit, interpunctione correcta: *quantulum fuit lucem exspectare? denique ne* etc. i. e. quantum omnino erat efficere, ne soleatus occideret senatores?

VI. 1. *Denique* in usu optimorum scriptorum non assumit particulam copulativam, sed ipsum coniungit sententiarum partes. Ex antiquis unum cognovi exemplum Plauti Merc. 2, 1, 18. *atque hoc denique respondet, ni properem* etc., nisi *denique* ad unum pronomen pertinet. vid. p. 275. Sed iurisconsulti a communi consuetudine discesserunt, nescio an suo iure. Dixerunt enim non mode *denique et*, quod commode defendi potest, sicut Cicero p. Flacc. 4, 9. et Celsus 5, 28. p. 330. *denique etiam* usurpant, sed etiam *et denique*. Apuleius composuit verba *iam denique*.

Papinian. in Dig. 1, 7, 13. *denique et patria dignitas quaesita per adoptionem finita ea deponitur.*

Gaius Instit. 2, 13. et in Digest. 1, 8, 1. *aurum, argentum et denique aliae res innumerabiles.* Inst. 4, 119. *et denique in ceteris caussis.*

Apulei. Met. 3. p. 138, 1. *iam denique nec larem requiro* etc.

2. De loco, quem *denique* occupat in ordine verborum, supra iam dixi. Donatus ad Terent. Phorm. 1, 2, 71. id tantum praecipere voluit, vulgo poni *denique* ab initio. Post alia vocabula ponitur, ubi adverbii praestat simplicem vim. Quod Goerenzius in Cic.

de Fin. 2, 30, 98. coniecit *quum denique Metrodori libros commendas*, vereor, ut antiquius inveniat exemplar Apuleio, qui Met. 3. p. 141, 39. *quum denique* scripsit.

*) Commutantur a librariis *denique* et *deinde*. vid. Schütz. ad Rhet. ad Heren. 4, 5, 8. Goerenz. ad Cic. de Fin. 2, 31, 98. et *demum*. vid. Cic. de Leg. 2, 4, 10. Flor. 1, 11, 4. et *cuique*. vd. Weiskius ad Cic. pr. Planc. 4, 10.

DENVO.

Denvo contracta est forma verborum *de novo*, quibus integris Latini numquam usi sunt. Vid. Vossius de Vitiis serm. 9, 3. Ruhnken. ad Terent. Andr. Prol. 26. Oudendorp. ad Apulei. Met. 3. p. 225. et nos supra p. 222. Significationem primitivam ipsa vocabuli compositio monstrat. Intelligitur enim repetitio eiusdem vel similis actionis. Sed quum Latini alteram, quae secunda est, vicem ab alia quacumque vice, quae multiplex esse potest, singulari notione distinguant, illudque vocabulo *iterum*, hoc particula *rursus* designent, utramque hanc rationem verbum *denuo* complectitur, idque omnino respondet Germanorum *wieder*. In *denuo* proprie consideratur res, quae esse desiit, sed renovatur, in *iterum* tempus, in quo eadem res apparet secunda vice, in *rursus* reversio ac repetitio rei. Sed haec plerumque usu confunduntur. Quadruplex vero est exemplorum discrimen.

1. Primo dicitur aliquid *denuo fieri*, quum id, quod iam antea factum erat, neque adhuc adest, restituitur, quasi illud irritum aut non factum sit. Hoc est ἐκ καινῆς, *von neuem*, *von frischem wieder*: *de integro*. Quod aliquando fuit et esse desiit, ita dicitur novum exsistere, et redire eamdem rem.

Plaut. Most. I, 2, 35. *neque id faciunt, donicum parietes ruunt. Aedificantur aedes totae denuo.*

Doederlinus in Synonym. Vol. 1. p. 184. si reliqua in considerationem vocasset, non in hac una significatione substitisset. Conf. Schmitson in libro: *Geist der lat. Sprache.* p. 67. Habichti Lexic. synon. p. 248.

2. Tum *denuo* factum dicitur, quod iterum, non tantum semel factum est: *noch einmal, zum andernmal.*

Plaut. Most. 1, 3, 65. *dii me faciant quod volunt, ni ob istam orationem te liberasso denuo.* i. e. iterum, *zum zweitenmal.* Pers. 5, 2, 47. *iam ego tibi, si me irritassis, Persam adducam denuo.* Liv. 10, 31, 3. *Fabius in Etruria rebellante denuo quatuor millia et quingentos Perusinorum occidit.* Iustin. 5, 5, 8. *veritus itaque multitudinis impetum, denuo in voluntarium exsilium proficiscitur.*

Plaut. Rud. 4, 4, 59. *si parum intellexti, dicam denuo.* Mil. 3, 3, 3. *minus si tenetis denuo volo percipiatis plane.*

Plaut. Poen. 4, 2, 28. *o lepidam Venerem denuo.* i. e. iterum dico.

3. Deinde *denuo* dicitur fieri, quod aliquando repetitur et rursus fit. Quare etiam de rebus intermissis aut restituendis usurpatur. A vocabulo *rursus* differt non nisi maiori vi. Et interdum utrumque vocabulum componitur. Nec raro additur verbis, quae praepositionem *re* in se habent: quae est abundantia familiaris sermonis.

Plaut. Men. 5, 2, 115. *ecce Apollo denuo.* i. e. qui iam antea saepius iusserat, rursus iubet. Terent. Eun. 5, 2, 60. *dabit hic pugnam aliquam denuo.* Plaut. Amph. 1, 1, 238. Cic. in Verr. 2, 56, 139. *quinto quoque anno Sicilia tota censetur. Erat censa praetore Peducaeo: quintus annus quum te praetore incidisset, censa denuo est.*

Cic. Verrin. 1, 14, 37. *recita denuo.* i. e. iam perge rursus recitare: nam non intelligitur: iterum recita.

Plaut. Cas. Prol. 33. *Diphilus hanc graece scripsit, post id rursum denuo latine Plautus.* Poen. Prol. 79. *revertor rursus denuo Carthaginem.*

Plaut. Capt. 2, 3, 50. *tua — sapientia fecisti, ut redire liceat ad parentes denuo.* 3, 5, 109. *exauspicavi ex vinclis: nunc intellego, redauspicandum esse in catenas denuo.* Truc. 2, 4, 42. Terent. Eun. 4, 4, 24. *iube mi denuo respondeat.* Hec. Prol. alt. 38. (30.) *refero denuo.* Phorm. 5, 6, 39.

4. Denique *denuo* fit, quod ex altera sive contraria parte fit, et in alicuius rei vicem succedit. Quod Graeci dicunt *αὖ*, Germani *dagegen wieder.* Ita etiam id exprimitur, quod altero sive secundo loco fit.

Plaut. Merc. 5, 2, 14. *nam tu quemvis confidentem facile tuis factis facis, eumdem ex confidente actutum diffidentem denuo.* Trin. 3, 3, 74. *aperi, deprome inde auri ad hanc rem*

quod sat est: continuo operito denuo. Terent. Heaut. 4, 6, 4. *nec quidquam magis nunc metuo quam ne denuo miser aliquo extrudar hinc.*

Huc referri debent formulae vulgaris sermonis. Plaut. Merc. 5, 2, 79, *ego stultior, qui isti credam. Commoratur, Chlamydem sumam denuo.* i. e. *Er hält mich nur auf, Ich nehme meinen Mantel wieder.* Vt Terent. Heaut. 3, 2, 32. *et nunc quid exspectat, Syre? an dum hinc denuo abeat?* Rud. 4, 3, 61. *fiet tibi puniceum corium, postea atrum denuo.* i. e. *und dann wieder schwarz.*

Rhetor. ad Heren. 4, 19, 26. *membrum orationis appellatur res breviter absoluta sine totius sententiae demonstratione, quae denuo alio membro orationis excipitur.* i. e. quae ab altero membro excipitur.

DEORSVM.

Deorsvm, quod est *de vorsum*, contrarium est verbo *sursum*, significatque versus inferiora, *κάτω*, *abwärts*, *herab*. Antiqui homines dixisse videntur *deorsus*, quemadmodum Ennium, Varronem, Virgilium scripsisse *prorsus* et *rursus* constat. Atque hunc prisci temporis morem recentissimi auctores, Apuleius et alii imitabantur. Quibusdam in locis Ciceronis, in quibus nunc *deorsus* legitur, librarii hanc formam sibi usitatam subdiderunt. Alia forma *deosus* vel *deossus*, quam in antiquis libris passim reperiri narrat Palmerius in Spicileg. p. 772. Facis Gruter. Tom. 4, et quam alii critici Lucretio tribui posse existimaverunt (vid. Lambin. ad Lucret. 3. p. 405.) et Victorius notavit in Varron. de Re r. 1, 6, 3. *susum deosum*, si quae vera adsunt librorum testimonia, ad universum illum usum pertinent, quo veteres, R littera in S mutata, *maiosibus* et *lases* dicebant. Vid. Schneideri Gramm. Vol. 1. p. 342.

Davisius, quum in codicibus Cic. de Nat. d. 1, 25, 69. et 2, 33, 84. *deorsus* invenisset, defensionem analogiae suscepit, quam in primo loco Heindorfius agnovit, in altero repudiavit. Aequali inconstantia Moserus p. 342. *deorsum* vocat usitatum Ciceroni: quamquam ipse p. 111. scripserat: „magis placet *deorsus*." Quid in tali forma magis placeat, aut non placeat, equidem persentiscere nequeo. Sed auctoritate codd. etiam Goerenzius ad libr. de Fin. p. 24. probat. Hic unus videtur esse locus, in quo plurimi libri consentiant. De Fin. 1, 6, 18.

unus palatinus praebet *deorsus*. In Apuleii Met. 8. p. 207, 18. 11. p. 236, 40. de Deo Socr. p. 47, 25. sed non sine librorum discrepantia, legitur *deorsus*.

1. Componitur *deorsum* cum verbis, quae motum significant, etiam apposita praepositione *de*. Et motus, ut fit per metaphoram, ad alia transfertur.

Plaut. Aul. 4, 8, 8. *ubi ille abiit, ego me deorsum duco de arbore.*

Plaut. Rud. 1, 2, 89. *si ad saxum, quo capessit, ea deorsum cadit, errationis fecerit compendium.* Amph. 5, 1, 56. *devolant angues iubati deorsum in impluvium duo.* Lucret. 2, 199. *pondera quantum in se est, quom deorsum cuncta ferantur.* cf. 205. 6, 335. Cic. de Nat. d. 1, 25, 69. de Fin. 1, 6, 19. ubi pronomen in uno alterove codice transpositum non potest dubitationem iniicere: nam necessarium ibi est vocabulum *deorsum*. Pallad. 3, 25, 19. *constat mala sic ponenda, ut pediculorum partes deorsum facias.* i. e. vertas.

Apulei. Met. 8. p. 207, 18. *iam tempus est, ut isto gladio deorsus ad meum Tlepolemum viam quaeram.* i. e. in orcum. Opponitur *in latus* apud Celsum 5, 26, 31. p. 300. *specillum demissum descendit aut in latus aut deorsum.*

Celsus 8, 1. p. 500. *a qua* (sutura) *breves duae sub interioribus angulis deorsum spectant.* cf. p. 502. Columel. 12, 16, 4.

2. Sed etiam de superiore loco et de rebus in eo sitis usurpatur, et de regione ad inferiora vergente, *herabwärts*.

Varro de Re r. 1, 6, 3. *qui colunt deorsum, magis aestate laborant, qui sursum, magis hieme. — Nec non sursum quam deorsum tardius seruntur ac metuntur.* Plaut. Aul. 2, 7, 5. *si autem deorsum comedent, — superi incoenati sunt, et coenati inferi.*

Terent. Ad. 4, 2, 34. *nostin' porticum apud macellum, hanc deorsum.*

Miro modo Hygin. Fab. 9. *superbius loquuta est in Apollinem et Dianam: quod illa cincta viri cultu esset, et Apollo vestem deorsum atque crinitus.* Vix potest intelligi *cinctus*.

3. Interdum *versum* sive *versus*, quod inest in ipso vocabulo, iterum apponitur. Amisit vocabulum multo usu aliquid de sua vi, idque, ne perspicuitas desit, restituitur.

Claud. Quadrig. apud Gellium 9, 1. *sed sagittam atque lapidem deorsum an sursum mittas, hoc interest: nam neutrum potest deorsum versum recte mitti.* Cato de Re r. 156, 4. de alvo purganda: *postea ubi deorsum versus ibit, heminam aut paullo plus bibat.* Terent. Ad. 4, 2, 35. *ubi eo veneris, clivus deorsum versus est.* Columel. 4, 20, 3. *palmae superpositae deorsum versus curvantur vinculo.* Varro de Re r. 2, 7, 5. *lumbis deorsum versum pressis.*

4. Cum *sursum* componitur *deorsum*, vel verbis proxime coniunctis, vel copula interiecta: quemadmodum Graeci ἄνω κάτω dicunt.

Terent. Eun. 2, 2, 47. *ne sursum deorsum cursites.* Cic. de Nat. d. 2, 33, 84. *naturis his — sursum deorsum ultro citro commeantibus mundi partium coniunctio continetur.*

Senec. Nat. quaest. 6, 21, 2. *altera successio est, quum terra quatitur, et sursum ac deorsum movetur.* de Tranq. an. 11, 10.

Celsus 2, 8. p. 72. *si sanguis sursum deorsumve erupit.*

5. *Deorsum* in paucis iis vocabulis locum habet, quorum primam syllabam *de* natura longam poetae corripuerunt. Lucret. 2, 202. Saepius tamen contrahitur synaeresi in duas syllabas, praesertim in exitu versus. Lucret. 1, 363. 2, 205. 217. 230.

DESVB.

Desvb vocabulum est non valde antiquum. Nam ex usu vitae vulgari quidam homines infimi saeculi in libros receperunt hanc formam, cuius rationem p. 227, exposuimus. Exempla, quae Seneca rhetor, Columella et Florus praebent, non carent interpolationis suspicione. Recentiorum scriptorum alii ita tenent proprium sensum, ut sit: de loco, qui inferior est, *von unten, unten weg:* alii autem videntur pro *sub* dixisse. Andreas Schottus ad Senec. Controv. 1, 3. existimabat voculam *sub* attrahi a substantivo per hyphen, veluti *de sub-Alpibus:* sed duplicatam esse praepositionis formam, non distrahendam scriptura, Salmasius censuit in notis ad Florum 2, 3. et ad Capitol. Macrin. 11. Hoc analogiam habet: illud vero tantum in formulis doctrinarum probari poterit.

Senec. Controv. 1, 3. *dicebat — et in Bassum multa, qui dixerat: virgo desub saxo.* Quibus non modo ambiguitas, sed simul insolentia verborum reprehendi videtur. Tamen manet obscurus sensus. Columell. 12, 34. *sed mustum desub massa et limpidum sit.* Gesnerus haec defendens interpretatur de musto inter lixivum et tortivum medio: quod quomodo dicatur, non intelligitur. Cod. laurent. praebet *de summo.* Quare scribendum videtur *sed mustum de summa massa et limpidum sit.* i. e. ex pleno acervo uvarum desumptum, quod optimum est. Florus 2, 3, 2. *quippe iam Ligures, iam Insubres Galli, nec non et Illyrii lacessebant: sic desub Alpibus, id est, desub ipsis Italiae faucibus gentes deo quodam assidue incitante, ne rubiginem ac situm scilicet arma sentirent.* Haec aut a glossatore interpolata sunt, aut Florus recentissimis ac pessimis scriptoribus adnumerari debet. Id iam Pontedera vidit.

Vegetius Art. veter. 2, 19. *desub oculo sanguinem ei detrahes.* Et ita 3, 53, 3. 5, 21, 3. 6, 4. *in palato venae sunt duae, suboculares duae, in pectore duae, de brachiolis duae, de sub cirris quatuor — de femoribus vero duae, de sub gambis duae.* Ex quo loco colligi potest *sub* adhaerere substantivis, et *sub oculo* esse suboculares venas. Quare doctrinales putabimus formulas *sub-cirro, sub-oculo.* 3, 54, 2. *sanguinem ei de sub cirro vel de coronis detrahes.* Pallad. de Re r. 11, 21. *ex musto desub pedibus rapto cura bis infundere.* Incerta est lectio. Editiones veteres omittunt *de.*

Innocentius de Cas. litter. inter Scriptores rei agrar. p. 223. Goes. *delatus se alveum et in valle duas aquas vivas habet: desub se campum extensum.* p. 226. *desub rivo.* Fulgent. Mythol. 3, 6. *lucernam desub modio eiecit.*

DESVPER.

1. DESVPER adverbium optimos habet auctores. Significat de superiore loco, ἄνωθεν: *von oben, von oben her*, et dicitur de eo, qui aliquid super adstans agit. In *deorsum* sequimur rem descendentem: in *desuper* eum spectamus, qui ex superiore loco agit. Iis, qui olim latinitatem huic vocabulo abrogabant, monitor exstitit Guliel. Insulanus Observ. lat. ling. p. 22. Sed imprimis historici et poetae ita loquuti sunt: in Ciceronis eoque antiquioribus libris nullum inveni exemplum.

Caes. B. gall. 1, 52. *reperti sunt complures nostri milites, qui in phalangas insilirent, et scuta manibus revellerent et desuper*

vulnerarent. Sueton. Tit. 72. Tacit. 2, 16. *soli Cherusci iuga insedere, ut proeliantibus Romanis desuper incurrerent.* Flor. 3, 3, 16. *nec minor cum uxoribus eorum pugna quam cum ipsis fuit, quum obiectis undique plaustris atque carpentis altae desuper, quasi e turribus, lanceis contisque pugnarent.* conf. Virgil. A. 12, 294. Aurel. Victor de Viris ill. 73. *Appuleius quum in curiam fugisset, lapidibus et tegulis desuper interfectus est.* Senec. Epist. 74, 8. *idem in his evenit, quae fortuna desuper iactat.* Sueton. Ner. 31. Columell. 12, 16, 4. *deinde terram congerito et modice desuper calcato.* Sed alii libri habent *super.* Loci Livii 24, 34, 10. et Catonis de Re r. 18, 5. nunc correcti leguntur.

Virgil. Aen. 4, 120. *his ego nigrantem commixta grandine nimbum — desuper infundam.* 1, 419. *adscendebant collem, qui plurimus urbi imminet adversasque adspectat desuper arces.* 6, 677. *camposque nitentis desuper ostentat.*

Virgil. Aen. 2, 46. *haec in nostros fabricata est machina muros, inspectura domos venturaque desuper urbi.*

Sic etiam ea, in quibus verbum *imminere* sua potestate constructionem format: Virgil. Aen. 1, 164. *tum silvis scena coruscis desuper horrentique atrum nemus imminet umbra.*

2. A poetis et recentioribus scriptoribus interdum de rebus superimpositis usurpatur, ut sit idem quod *super*, *insuper*.

Florus 3, 2, 6. *saxeas erexere turres, et desuper exornata armis hostilibus tropaea fixere.* Iustin. 21, 6, 6. *in tabellis ligneis, vacua desuper cera inducta, civibus satis omnia perscribebat.* quod 2, 10, 13. *cera superinducta.* Ovid. Fast. 3, 529. *desuper extentas imposuere togas.* Silius 1, 349. *imponitque globos pugnantum desuper urbi.*

3. Cortius ad Lucan. 1, 688. opinionem exposuit, quam non universam comprobem, nec prorsus reiiciam: praepositionis *super* aliam formam esse *desuper.* Lucani verba enim: *nunc desuper Alpis nubiferae colles atque aeriam Pyrenen abripimur.* composita putat hoc modo: desuper colles et Pyrenen. Rationem adverbii tenens Bentleius audacter corrigit *adspicimus.* Atque in his quoque adverbium suam naturam servat. Quod enim proxime ante dicitur *feror Libyen*, et apud Virgil. Ecl. 1, 64. *sitientes ibimus Afros.* id facilius fieri potuit accedente adverbio, quod accusativo additur.

De barbaro usu iurisconsultorum, qui dicere solent *solenniter desuper protestor*, vide Noltenii Lex. antib. p. 1818.

DIV.

Div descendit a nomine *dies*, quod proprie significat spatium seu tractum temporis, et, quum tempus luce oriente et occidente terminetur, lucidam temporis partem, quam vivimus, designat. Quinctilianus 1, 4, 29. hanc particulam sapienter adnumerat vocabulis in adverbium transeuntibus: nam ablativi formatio, sicut in *noctu*, *factu*, facile agnoscitur. cf. Vossii Aristarch. 4, 18. p. 243. Nec sensus repugnat. Significat enim *diu* per aliquod tempus, quod non parvum est, sed multum ac longum esse potest.

1. Igitur primum opponitur ei, quod uno tempore fit et semel absolvitur, estque *per aliquod tempus*, *eine Weile*, *einige* vel *ziemliche Zeit.* Quare componitur cum voce *satis*, et opponitur verbis *semper*, *saepius.*

Cic. in Caecil. divin. 22, 72. *si tantulum offensum titubatumque sit, ut ea, quae singulatim ac diu collecta sunt, uno tempore universa perdamus:* i. e. *einzeln und in längerer Zeit.*

Cic. p. Cluent. 71, 202. *satis diu fuit in miseriis, iudices: satis multos annos ex invidia laboravit.*

Cic. Tusc. 1, 31, 77. *Stoici autem — diu mansuros aiunt animos: semper, negant.* Sueton. Tib. 33. *paullatim principem exseruit praestititque, etsi varium diu, commodiorem tamen saepius.*

Ambigua est quaestio de loco Livii 22, 8, 5. *itaque ad remedium iam diu neque desideratum, nec adhibitum, dictatorem dicendum, civitas confugit.* Ante Gronovium legebatur *iam diu desideratum, nec adhibitum.* in quo quaeritur: cur non adhibitum, si desideratum? in illo autem: si ne desideratum quidem, quid non adhibitum? Et *diu* esse potest, per aliquod tempus.

2. Saepius vero intelligitur tempus multum ac longum, sive de re praeterita, sive de universa rei diuturnitate agatur. Germani dicunt *lange.* Cum praesenti verbi coniunctum *diu* interdum rem indicat, quae et antea longum aderat, et nunc adhuc durat.

Plaut. Epid. 3, 2, 40. *sed nimis longum loquor: diu me estis demorati.* i. e. per longum tempus. ad Att. 5, 20. *quae ego diu*

ignorans ex tuis iucundissimis litteris a. d. V. cal. Ian. denique cognovi. Propert. 1, 13, 15. *vidi ego te toto vinctum languescere collo et flere iniectis, Galle, diu manibus.* Ovid. Met. 1, 70. *quae pressa diu massa latuere sub illa.*

Cic. de Senec. 10, 32. *nec enim umquam sum assensus veteri illi laudatoque proverbio, quod monet, mature fieri senem, si diu velis senex esse.* 19, 69. *ille vult diu vivere, hic diu vixit. Quamquam, o dii boni, quid est in hominis vita diu?* Plaut. Mil. 3, 1, 34. Plin. Hist. n. 14, 22, 28. *solem orientem non vident, ac minus diu vivunt.* Terent. Eun. 2, 3, 4. *ubiubi est, diu celari non potest.*

Plaut. Curc. 1, 2, 26. PH. *Salve.* LE. *Egon' salva sim, quae siti sicca sum?* PH. *At iam bibes.* LE. *Diu fit.* i. e. *es wird lange, es dauert lange.*

Opponitur *statim* et *subito.* Pallad. de Re r. 10, 10, 1. *ubi humor nec statim praecipitari cogitur, nec diu debet inhaerere.* Brutus in Epist. ad Cic. 11, 13, 11. *qui quidem eas copias, quas diu simulatione reip. comparabant, subito ad patriae periculum converterunt.*

Plaut. Mil. 2, 1, 17. *ego haud diu apud hunc servitutem servio.* i. e. servii et nunc servio. Cic. de Orat. 1, 30, 136. *id spero nos esse adeptos omniaque iam ex ipso, quae diu cupimus, cogniturus.*

Curt. 4, 6, 12. *sitis praecipue fatigatos et saucios perurebat, passimque omnibus rivis prostraverant corpora, praeterfluentem aquam hianti ore captantes. Quam quum diu avidi turbidam hausissent, tendebantur extemplo praecordia premente limo.* Quod absurde dictum esset. Sed codices omittunt *diu* et supponunt *avide.*

3. In his ipsum tempus diuturnum intelligitur. Alia sunt, in quibus res dicitur non uno impetu unove actu confici, nec breviter absolvi aut statim effici. Quemadmodum *diu dicere* est multis verbis et saepe dicere. Sic ponitur in nonnullis dictionibus, in quibus Germani utuntur verbo *langsam.*

Lucan. 8, 672. *tunc nervos venasque secat, nodosaque frangit ossa diu: nondum artis erat caput ense rotare.*

Senec. Controv. 11. pr. *non possum, inquit, exorare tam diu.* Quod opponi potest verbis antea dictis, *qui nimis cito exoratus est.* Quare Schultingius non dubitare debebat.

Cic. in Verr. 4, 47, 105. *per deos immortales, per eos, de quorum religione iam diu dicimus.* de Off. 1, 40, 143. *quae*

autem harum virtutum, de quibus iam diu loquimur etc. Stat. Silv. 3. Praef. *tibi certe — non habeo probandam diu libellorum istorum temeritatem.* i. e. multis verbis, longa oratione. Seneca Suas. 7. *ignosce, Cicero, si diu ista narravero.*

Senec. Controv. 5. *si rapuisset te, deinde deprehensus in adulterio adservaretur in tormentum diutius pereundi.* i. e. non continuo occideretur. 11. med. *si non impetro, ut vivam, hoc certe impetrem, ne diu moriar.*

4. Additur saepe *iam*, quo non semper longius tempus quam simplici *diu* exprimitur, sed distantia transacti et praesentis temporis distinctius significatur. Quare haud raro sententiae additur hac forma quaedam confirmatio: veluti quum dico: *de his iam diu loquimur*, sensus non est, id factum esse per tempus admodum multum, sed nos non tantum nunc, verum etiam antea iam loquutos esse.

Plaut. Pseud. 1, 3, 28. *iam diu scio, qui fuit.* Cic. in Caecil. divin. 8, 26. *id quod populus romanus iam diu flagitat.* de Off. 1, 40, 143. *quae autem harum virtutum, de quibus iam diu loquimur* etc. Intelligit, inde a cap. 27. in Verr. 4, 47, 105. vid. n. 8.

Cic. de Sen. 6, 18. *Carthagini male iam diu cogitanti bellum multo ante denuntio.*

5. *Diu* et *iam diu* saepe non indicant rei diuturnitatem, sed longum abesse id tempus, quo aliquid factum sit vel fiat, aut longum esse temporis, ex quo aliquid non factum sit.

Varro de Vita p. r. 4. apud Nonium 2, 71. *eoque pecuniam magnam consumsisset, quod arci, quos summo opere fecerat, fessi pondere, diu facti, celeriter corruissent.* Plaut. Epid. 1, 1, 9. *quam quidem iam diu te perdidisse oportuit.* Most. 2, 2, 45. *scelus, inquam, factum'st iam diu antiquom et vetus.* Pseud. 1, 3, 4. Men. 2, 3, 28. Plin. Hist. n. 25, 1. *summumque opus ingeniorum diu iam hoc fuit, ut intra unumquemque recte facta veterum perirent.*

Cic. ad Att. 1, 19. *conventus, qui initio celebrabantur, iam diu fieri desierunt.*

Terent. Eun. 5, 6, 1. *numquam edepol quidquam iam diu, quod magis vellem evenire, mi evenit quam quod modo senex intro ad nos venit errans.* Plin. Hist. n. 19, 4, 15. *diuque iam non aliud ad nos invehitur laser.* 15, 15, 17. *nullum certe pomum novum diu iam invenitur.*

Ovid. Fast. 4, 649. *silva vetus nullaque diu violata securi stabat.* Terent. Ad. 4, 5, 13. *habitant hic quaedam mulieres pauperculae, ut opiner has non nosse te: et certo scio: neque enim diu huc commigrarunt.*

Plaut. Rud. 1, 3, 28. (34.) *nec loci gnara sum, nec diu hic ante fui.* Schellerus putat esse: numquam antea hic fui: quod abhorret. Intellige, nec longum est, ex quo hic fui.

6. Hinc conformatur oratio ita, ut altera pars orationis verbis *quum, postquam* et similibus exprimatur.

Plaut. Merc. 3, 1, 44. *nam illi quidem haud sane diu est, quum dentes exciderunt.* Asin. 2, 1, 3. *iam diu, est factum, quom discesti ab hero.*

Plaut. Pers. 5, 2, 41. *iam diu factum est, postquam bibimus.*

Plaut. Amph. 1, 1, 146. *iam diust, quod ventri victum non datis.*

Augustin. Retract. Prol. libri 1. *iam diu est, ut facere cogito atque dispono, quod nunc adiuvante domino aggredior.* cf. Epist. ad Hieron. 71.

7. Sequitur *dum* vel *donec*, ubi longioris temporis terminus indicandus est simul.

Suet. de Rhet. 1. *diu exspectaverunt, dum retia extraherentur.* Tacit. Germ. 45. *diu quin etiam inter cetera eiectamenta maris iacebat, donec luxuria nostra dedit nomen.*

8. Quum *diu* praeteritum tempus significat, saepe adduntur in rerum narratione, quae nunc, vel postea, vel mox, vel ad postremum, et post longum tempus tandem evenerunt. Quare oratio a *diu* incipiens pergit his vocabulis, quae modo dixi, appositis: quae quamquam non ipsa cohaerent cum particula *diu*, tamen ob orationis formam notanda videntur.

Cic. Phil. 11, 15, 39. *diu legiones Caesaris viguerunt: nunc vigent Pansae.* 3, 14, 36. *nimium diu teximus, quid sentiremus: nunc iam apertum est.* Tacit. Ann. 6, 48. *diu Seiano, nunc Macroni, semper alicui potentium invisus.* Liv. 2, 44, 9. *diu sustentatum id malum partim patrum consiliis partim patientia plebis iam ad extrema venisse.*

Tacit. Ann. 11, 18. *qui natione Canninefas, auxiliaris et diu meritus, post transfuga.* ubi Lipsius *dein emeritus.*

Plin. Hist. n. 13, 1, 2. *irinum Corinthi diu maxime placuit, postea Cyzici.*

Tacit. Ann. 14, 19. *Servilius diu foro, mox tradendis rebus romanis celebris.* Plin. Hist. n. 13, 1, 2. *crocinum in Solis Ciliciae diu maxime laudatum, mox Rhodi.*

Tacit. Ann. 2, 74. *inter Vibium Marsum et Cn. Sentium diu quaesitum: dein Marsus seniori et acrius tendenti Sentio concessit.* 1, 20. *quippe Rufus diu manipularis, dein centurio, mox castris praefectus antiquam duramque militiam revocabat.*

Liv. 5, 8, 12. *diu in medio caesi milites: postremo, desertis munitionibus, perpauci ad maiora castra — pertenderunt.* 23, 40, 10. 44, 42, 4. Iustin. 3, 6, 9. *diu varia victoria fuit: ad postremum aequo marte utrimque discessum.* 4, 2, 6. 6, 2, 12. *itaque Conon, diu rege per epistolas frustra fatigato, ad postremum ipse ad eum pergit.*

Liv. 3, 50, 4. *flens diu vocem non misit: tandem, ut iam ex trepidatione concurrentium turba constitit — ordine cuncta, ut gesta erant, exposuit.* 38, 11, 1. *diu iactati Aetoli tandem, ut conditiones convenirent, effecerunt.* 39, 12, 5. Sueton. Claud. 21. Caes. 31. Tiber. 42.

9. *Diu* saepe iungitur cum voc. *multum*, ut et diuturnitas temporis et simul assiduitas vel animi attentio significetur. Vid. Marius ad Ovid. Am. 2, 19, 49. Varia exstat huius compositionis forma. Copula, quae plurimis in exemplis interponitur, mutata verborum constructione, omitti potest. Etiam verba *longum, saepe* et alia huius generis coniunguntur. Apuleius dixit *diu diuque*, sicut *iam iamque* et alia.

Cic. Orat. 1, 1. *utrum difficilius aut maius esset negare tibi saepius idem roganti, an efficere id, quod rogares, diu multumque, Brute, dubitavi.* de Orat. 1, 33, 152. *neque ea quisquam, nisi diu multumque scriptitarit — consequetur.* ad Att. 4, 13. *de libris oratoriis factum est a me diligenter: diu multumque in manibus fuerunt.* Sallust. Iug. 94, 3. Flor. 2, 3, 5. Petron. 23. ubi Burm.

Cic. de Senect. 3, 9. *quae (artes) in omni aetate cultae, quum multum diuque vixeris, mirificos efferunt fructus.*

Cic. de Lege agr. 2, 32, 88. *de Capua multum est et diu consultum.*

Interposito alio nomine Cic. de Inv. 2, 19, 58. *defensor in hoc ipso multum oportet et diu consistat.*

Cic. p. Sulla 26, 73. *haec diu multumque et multo labore quaesita una eripuit hora.* Q. Cic. in Epist. ad Fam. 16, 26, 1. *isque diu et multis lucubrationibus commendata oratione vide ut*

probare possit, te non peccasse. Virgil. Ge. 1, 197. *vidi lecta diu et multo spectata labore degenerare tamen.*

Apuleii Met. 2. p. 126, 6. *multumque ac diu exosculata.* Suet. Aug. 63. *multis ac diu, etiam ex equestri ordine, circumspectis conditionibus.* ubi nonnulli codd. omittunt copulam *ac.* Sed Ovid. Am. 3, 11, 1. *multa diuque tuli. vitiis patientia victa est.* plurimi libri exhibent *multa diu tulimus.* quod reiiciunt tamquam non ex ordinaria formula dictum.

Plaut. Pseud. 2, 3, 21. *sed iam satis est philosophatum, nimis diu et longum loquor.* Plin. Pan. 15, 1. *praemonente fortuna, ut diu penitusque perdisceres, quae mox praecipere deberes.*

Cic. p. Quint. 31, 96. *quorum* (amicorum Naevii) *saepe et diu ad pedes iacuit stratus, obsecrans per deos immortales.* Horat. Epist. 1, 13, 1. *ut proficiscentem docui te saepe diuque.*

Apulei. Met. 5. p. 167, 16. *viam, quae sola deducit iter ad salutem, diu diuque cogitatam monstrabimus tibi.* 12. p. 266, 16. Et probanda esset Pricaei coniectura in verbis 4. p. 147, 25. *manu reliqua sumptum gladium suum diuque deosculatus per medium pectus ictu fortissimo transadigit.* qua scriberetur *diu diuque*, nisi codices exhiberent *deosculatum.*

10. Comparativus *diutius* praeter significationem comparationi inservientem saepe ponitur pro *diu.*

Cic. ad Att. 7, 3. *ne diutius anno in provincia essem.* p. Domo 53, 137. *id sperasti rem publicam diutius, quam quoad mecum simul expulsa careret his moenibus, esse laturam?*

Cic. Lael. 27, 104. *diutius enim iam in hoc desiderio esse non possum.* in Catil. 3, 12, 29. ad Att. 11, 3. *quid hic agatur, scire poteris ex eo, qui litteras attulit: quem diutius tenui, quia quotidie aliquid novi exspectabamus.* i. e. quam debebam, sive quam per se licebat. p. Rosc. Am. 8, 21. *ne diutius vos teneam, iudices, societas coitur.*

Cic. Catil. 1, 6, 16. *quoties vero excidit casu aliquo et elapsa est. Tamen ea carere diutius non potes.* Haec defendit Beneckius redditque bene: *doch kannst du ihn nicht allzulang entbehren.* 9, 24.

Tacit. Hist. 1, 9. *inferioris Germaniae legiones diutius sine consulari fuere.*

Superlativum *diutissime* vide apud Cic. in Pison. 37, 90. Lael. 1, 4.

11. Semel Cicero dixit *perdiu* ad Att. 3, 22. nec quisquam alius alibi.

12. Pomponius Mela, sicut fecit in aliis nominibus, quae temporis rationem exprimunt, etiam *diu* ad locorum spatium et longitudinem retulit.

2, 4, 1. *Italia — inter superum mare et inferum excurrit diu solida.* 1, 2, 8. *spectant enim etiam meridiem Indi, oramque indici maris —. diu continuis gentibus occupant.* 1, 3, 5. *haec in occidentem, diuque etiam ad septemtrionem diversis frontibus vergit.*

DONEC.

In tempore quum observetur id, quod simul fit uno tempore, et id quod consequitur, potest etiam spatium temporis animo concipi, quod duae res simul percurrunt, et in cuius termino altera res alteram attingit et excipit. Hanc temporis continuitatem et terminationem Latini verbis *dum* et *donec* designant, quae sua ratione differunt a *quum*, quod temporis definitioni eo modo inservit, ut duas res interno quodam nexu in tempore cohaerentes significet. *Dum* autem et *donec* indicant duas res non nisi ipsius temporis perpetuitate coniungi, sive simul exsistentes, sive se excipientes. Germani id dicunt *so lange als*, quod contracta notione est *während*, et *so lange bis.* Sed *donec* hoc habet proprium, ut semper tempus ad aliquem terminum productum intelligatur. *Dum* non modo tempus inter terminos conclusum, sed etiam ipsum temporis decursum notat.

Dum formatum esse mihi videtur ita, ut indefiniti temporis signo *um* praefigeretur *de:* unde notio exstitit temporis ex aliquo puncto decurrentis. Huic vocabulo adiiciebatur ad terminum designandum *c* demonstrativum, de quo p. 8. dixi: sicut factum est in *nunc* et *tunc*. Atque hoc *dunc* ob mutabilem vocalem transiit in *donc* et *donec*, quod vulgari pronuntiatione etiam *doncce*, ut *nuncce*, *sicce*, sonuisse, et *doncque* scriptum esse videtur, sicuti antiquae scripturae *donic*, *donique* exstant. Primitiva igitur particulae significatio est: ab aliquo temporis momento usque ad certum terminum.

Alii sunt, qui *dum* a δήν deducunt. Alii antiquum verbum latinum servari dicunt in Gallorum *donques*, *donc* et in Italorum *dunque*. Neque ego id negarem, nisi haec vocabula

aspera littera commutata responderent verbo *tunc*. Inepta vero erat ea opinio, qua *donec* ex *dum* et *nec* compositum esse putabatur. Nec probari potest Vossii sententia, *donec* ex *donicum*, idque ex *dum quidem* esse ortum, nec magis altera eiusdem Vossii coniectura, quam Aug. Grotefendus comprobavit, *donec* esse *dum cum*. Georg. Frid. Grotefendus *donec* factum esse ex *dumque* suspicabatur. Cf. infra DONICVM. *Donic* antiquam scripturam in codicibus scriptis observavit Schneiderus ad Script. r. rust. Tom. 3. P. 3. p. 175. *Donique* exstare videtur in inscriptione romana apud Gruter. p. 607, 1. apud Orellium n. 4370. ubi, quod legitur DONIQVIES male acceperunt pro *doniquom is*, ut fecit Laurenberg. in Antiquar. p. 142. Est enim, ut Orellius quoque vidit, *donique is locus, quem emeram, aedificaretur.*

Vtrumque vocabulum *dum* et *donec* Lindemannus de Adverb. I. p. 15. appellat adverbium futuri temporis monstrati: nam verba *dum hoc fit* esse usque ad illud tempus futurum, ubi hoc accidat. In quibus quid falsum sit, quicumque ipse intelligit.

1. Duae igitur sunt in vocabulo *donec* rationes unius significationis, quae terminum temporis usque producti indicant vel in rebus simul agentibus, vel in rerum consequutione. Illud primum, quo rei tempus terminatione constituitur, et alterius rei termini alteram rem in se recipiunt aequalem, est quamdiu, ad quem temporis terminum usque, quousque: *bis zu welchem Zeitpunct, so lange als*, ἕως. Atque haec ratio relativa est, qua temporis praedicatum additur.

Liv. 2, 49, 9. *donec nihil aliud quam in populationibus res fuit, non ad praesidium modo tutandum Fabii satis erant, sed* etc. Tacit. Dial. 8, 6. *per multos iam annos potentissimi sunt civitatis ac, donec libuit, principes fori.* 40, 4.

Liv. 6, 13, 4. *donec armati confertique abibant, peditum labor in persequendo fuit. Postquam iactari arma passim — animadversum est* — etc. Ovid. Trist. 1, 1, 53. *donec eram sospes, tituli tangebar amore, quaerendique mihi nominis ardor erat.* Quod Lindemannus bene explicuit: usque ad illud tempus, ubi desii esse sospes. Sed cur negaverit dici posse, *donec hoc fiebat, cum amico eram*, quod est *so lange dies geschah*, non patet. Tacit. Hist. 4, 12. *Batavi, donec trans Rhenum agebant, pars Cattorum.*

Ovid. Trist. 1, 9, 5. *donec eris felix, multos numerabis amicos.*

Horat. Carm. 1, 9, 17. *nec dulces amores sperne puer, neque tu choreas, donec virenti canities abest morosa.*

In obliqua oratione Liv. 2, 24, 6. *edixit, — ne quis militis, donec in castris esset, bona possideret aut venderet.* 34, 23, 9. *numquam, donec Demetrias Chalcisque et Corinthus tenerentur, liberam Graeciam fore.* 4, 60, 1. *effectum esse —, ut nemo pro tam munifica patria, donec quidquam virium superesset, corpori aut sanguini suo parceret.* 4, 2, 4. 21, 10, 3. 25, 11, 12. Tacit. An. 15, 64. *non defuere qui crederent, donec implacabilem Neronem timuerit, famam sociatae cum marito mortis petivisse.*

2. Quum hoc modo temporis spatium determinetur, pergit oratio interdum ad alia tempora designanda verbis *deinde*, *mox*.

Tacit. An. 1, 51. *hostes, donec agmen per saltus porrigeretur, immoti, dein latera et frontem modice assultantes.* An. 14, 50. *libros exuri iussit conquisitos lectitatosque, donec cum periculo parabantur: mox licentia habendi oblivionem attulit.*

3. Altera ratio rem designat usque ad eum terminum manere, in quo altera res succedat. *Donec* igitur significat terminum, in quo perpetuitas temporis apparet per id, quod sequitur. Est igitur usque eo, quo: usque eo, ut: *so lange bis, bis dafs.* Id imprimis locum habet in verbis exspectandi, operiendi, manendi. Nova res, quae succedit, spatium rei antecedentis constituit. Haec vero ratio, quam antea diximus relativam, similis est demonstrativae dictioni, *usque ad aliquid.*

Virgil. Aen. 1, 272. *hic iam ter centum totos regnabitur annos gente sub hectorea, donec regina sacerdos Marte gravis geminam partu dabit Ilia prolem.* Valer. Fl. 8, 290. (307.) *sequitur volantem barbara palladiam puppim ratis, ostia donec Danubii viridemque vident ante ostia Peucen.*

Plaut. Amph. 2, 1, 50. *neque — credebam primo mihimet Sosiae, donec Sosia ille egomet fecit, sibi ut crederem.*

Terent. Ph. 2, 3, 72. *immo haud desinam, donec perfecero hoc.* Propert. 1, 9, 29. *Amor — qui non ante patet, donec manus attigit ossa.*

Cic. ad Fam. 5, 12, 6. *ad properationem meam quiddam interest, non te exspectare, donec ad locum venias.* Ita edit. crat. Liv. 4, 13, 10. *quae postquam sunt audita et undique — increparent — novos consules, quod exspectassent, donec a praefecto annonae tanta res ad senatum deferretur.*

4. Additur in altera parte sententiae vel etiam proxime cum *donec* coniunctum vocabulum *usque*, interdum etiam *usque eo*, *eo usque*, *usque adeo*, *adeo*, apud Columellam *in tantum*, apud eumdem et alios *tamdiu*, de quo vide suo loco.

Terent. Ad. 4, 6, 5. *nunc vero domi obsidere est usque, donec redierit*. Horat. Ars p. 154. *et usque sessuri donec cantor, vos plaudite, dicat.*

Cic. Verr. 1, 6, 17. *usque eo timui, ne quis de mea fide atque integritate dubitaret, donec ad reiiciendos iudices venimus.* Liv. 40, 8, 18. *eo usque me vivere vultis, donec alterius vestrum superstes, haud ambiguum regem alterum mea morte faciam.*

Terent. Andr. 4, 1, 38. *suadere, orare usque adeo, donec perpulit.* Plaut. Cist. 2, 3, 40. Cato de Re r. 88. (89.) *id aliquoties in die facito, usque adeo donec sal desiverit tabescere biduum.*

Plaut. Pseud. 4, 7, 72. vide DONICVM.

Columel. 3, 13, 9. *humum — in tantum deprimere, donec altitudinis mensuram datam ceperit.*

5. Temporis ratio praesertim in iis apparet, quibus negatur aliquid intra quosdam terminos fieri aut factum esse. Tum enim non affirmatur consilium aut caussam fuisse, ut postea fieret: veluti quum Liv. 1, 39, 2. narrat reginam *moveri vetuisse puerum, donec sua sponte experrectus esset*, inde non sequitur, experrectum moveri licuisse. Sed est, in toto eo tempore, quo nondum esset experrectus. Ita vero interdum sensus exsistit verbi *priusquam*.

Horat. Carm. 3, 5, 41. *fertur pudicae coniugis osculum parvosque natos, ut capitis minor, ab se removisse, et virilem torvus humi posuisse voltum, donec labantis consilio patres firmaret auctor.* i. e. intra hoc tempus.

Huc etiam spectant haec: Plaut. Aul. 1, 1, 19. *si respexis, donicum ego te iussero, continuo hercle ego te dedam discipulam cruci.* i. e. prius quam. Most. 1, 2, 35. vd. DONICVM. Tacit. An. 2, 82. *nec obstitit falsis Tiberius, donec tempore ac spatio vanesceret.* ubi coniunctivus sententiam Tiberio hanc fuisse indicat.

6. Critici quidam docuerunt, *donec* interdum esse id quod *quum tandem*. Vid. Wagner. ad Virgil. Ge. 3, 558. qui affert Virgil. Aen. 6, 745. *exinde per amplum*

mittimur Elysium, et pauci laeta arva tenemus: donec longa dies — concretam exemit labem. At ante omnia quaero, quis umquam latine dixerit *quum tandem?* Tum vero *donec* nihil significat, quam tempus, quod antecessit, esse absolutum et terminatum.

7. De usu modorum grammatici composuerunt regulas haud probabiles. Inter veteres Charisius p. 202. et Diomedes p. 387. unum coniunctivum huic coniunctioni tribuerunt. Et Kellmannus ad Noltenii Lex. p. 2170. observasse se narrat, indicativum cum *donec* rarissime a prosaicis scriptoribus coniungi: esse id poetis proprium. Plurimi significationes *quamdiu* et *quousque* ita discriminaverunt, ut huic alteri unum coniunctivum assignarent. Sed G. Frid. Grotefendus aliique docent, coniunctivum poni, ubi futurum tempus sit incertum: quod quomodo a certo distinguatur, non facile intelligitur: neque apparet in allatis exemplis. Ramshornius vero n. 185, 3. coniunctivo attribuit significationem conditionis exspectandae vel futurae, indicativo autem res modo exsistentes aut iam absolutas et perfectas: quod quo pacto locis Liv. 21, 28. et 23, 3. comprobari potuerit, ego non assequor. Res ita se habet. Vbi ratio definiti temporis est simplex, atque aliquid dicitur esse simul cum alia re, aut esse ad aliquem usque terminum, in quo aliud quid externum accedat vel fortuito vel certe non ex rei necessitate aut de consilio, ibi ponitur indicativus. Coniunctivo autem locus est, ubi intercedit nexus partium temporis, et res perpetua dicitur in aliam traducta esse, sive hoc fiat consilio, sive caussa. Quod sic evenit, pendet ab altera re. Quare coniunctivus poni potest, quando dicitur vel intelligitur *non diutius*, et *non prius quam*, et in constructione formarum non absolutarum, quae sunt imperfectum et plusquamperfectum. Ceterum scriptoribus saepenumero datur optio, utra ratione uti malint. Recentiores magis delectabantur coniunctivo.

Praesens quum historicorum more ponitur aut aoristus est, indicativum secum habet: ubi autem finis intelligitur in certo termino, ad quem usque res protrahitur, ut mutetur, coniunctivo exprimitur.

Indicativi exempla ex eo genere, quod *quamdiu* significat, iam supra addidi. In iis coniunctivi nullum esse locum, per se patet.

Liv. 4, 34, 3. *nec minor caedes in urbe quam in proelio fuit, donec, abiectis armis, nihil praeter vitam petentes dictatori deduntur.* 1, 54, 10. Valer. Fl. 8, 86. *omnem linguaque manuque fatigat vim stygiam, ardentes donec sopor occupat iras.*

Lucan. 6, 505. *et patitur* (luna) *tantos cantu deprensa labores, donec suppositas propior despumet in herbas.* Alii libri praebent *despumat.* quod verum puto: quamvis Dronkius ad Tacit. Dial. 8, 6. contendat, praesens indicativi numquam cum hac particula coniungi. Virgil. Aen. 6, 745. vid. p. 294.

Virgil. Ge. 3, 556. *iamque catervatim dat stragem, atque aggerat ipsis in stabulis turpi dilapsa cadavera tabo, donec humo tegere ac foveis abscondere discunt.* ubi Bothius temere mutavit in *discant.*

Tacit. Hist. 5, 6. *inde* (bitumen) *nullo iuvante influit oneratque, donec abscindas.* Germ. 20. *inter eadem pecora in eadem humo degunt, donec aetas separet ingenuos, virtus agnoscat.* 31. 40.

Tacit. An. 2, 6. *Rhenus — servat nomen et violentiam, qua Germaniam praevehitur, donec oceano misceatur.* ubi Ernestius correxit *miscetur.* Germ. 35. *Chaucorum gens — omnium, quas exposui, gentium lateribus obtenditur, donec in Cattos usque sinuetur.* Rariora sunt haec exempla, quibus tamen vindicari potest Germ. 1. *Danubius — plures populos adit, donec in Ponticum mare sex meatibus erumpat.* quod Passovius contra usum Taciti dictum esse putabat.

Quae alibi leguntur Colum. 12, 26. *coquas, donec ea aqua, quam adieceris, decocta sit.* Tacit. Hist. 2, 1. *intemperantia civitatis, donec unus eligatur, multos destinandi.* cf. Hist. 4, 58. et Hist. 4, 65. *sint transitus — diurni et inermes, donec nova et recentia iura in vetustatem consuetudine vertantur,* haec alia ratione vel continuatae constructionis, vel opinionis et voluntatis reguntur.

In re praeterita perfectum non ponitur, nisi indicativo: imperfectum et plusquamperfectum, ubi intelligitur finis (usque eo), semper coniunctiva forma exprimuntur. Vbi significatur, quam diu res permanserit, interdum etiam coniunctivus ponitur, quando interno caussae nexu res cohaerent.

Terent. Andr. 4, 1, 36. *numquam destitit — suadere, orare usque adeo donec perpulit.* Ovid. Met. 3, 89. *nec longius ire sinebat, donec Ageronides coniectum in gutture ferrum usque sequens pressit.* Liv. 23, 31, 9. *de comitiis, donec rediit Marcellus, silentium fuit.* 3, 48, 6. *ille ferre, quacumque ibat, viam*

facere, donec multitudine etiam prosequentium tuente, ad portam perrexit. 45, 6, 7. *ea cohors — ne tum quidem abscedebat, donec iussu Cn. Octavii pronuntiatum est per praeconem.* Multa exempla alia vide apud Drakenb. ad 1, 7, 14. Tacit. An. 6, 51. 2, 28. 4, 72. 13, 44. Agr. 26. 36. Suet. Iul. 82. *exanimis — aliquamdiu iacuit, donec lecticae impositum — tres servuli domum retulerunt.* non mutavit orationem incoeptam, ut aliis visum est, sed ei accommodavit simplicem temporis rationem. Liv. praefat. 9. *desidentes primo mores sequatur* (quisque) *animo, deinde ut magis magisque lapsi sint, tum ire coeperint praecipites, donec ad haec tempora, quibus nec vitia nostra, nec remedia pati possumus, perventum est.*

Liv. 21, 28, 11. *trepidationis aliquantum edebant, donec quietem ipse timor circumspectantibus aquam fecisset.* 47, 7, 4. *progredi prae turba occurrentium ad spectaculum non poterat, donec consul lictores misisset.* Plin. Ep. 9, 33, 6. *hoc altero die, hoc tertio, hoc pluribus, donec homines innutritos mari subiret timendi pudor.* Tacit. Hist. 2, 8. *centurionem Sisennam — variis artibus aggressus est, donec Sisenna, clam relicta insula, trepidus et vim aufugeret.* 1, 13. 46. 2, 49. Agr. 19. Plin. Hist. n. 34, 6, 12. *ea* (simulacra) *stetere, donec Sulla dictator ibi curiam faceret.* si Harduinus recte restituit antiqua verba. Senec. Epist. 70, 20.

Liv. 21, 28, 10. *nihil sane trepidabant, donec continenti velut ponte agerentur.* in quo explicando Ochsnerus Eclog. p. 406. dubitat, utrum quasi ex sententia elephantorum, an ex mente Livii dicatur, an vero actio frequentata intelligatur. At nexus est caussalis: nam ut non trepidarent elephanti, factum erat continenti illo ponte. Et praecedit negatio. Tacit. Ann. 1, 51. *hostes, donec agmen per saltus porrigeretur, immoti.*

His non obstat Tacit. Hist. 1, 9. *inferioris Germaniae legiones diutius sine consulari fuere: donec missu Galbae A. Vitellius aderat censoris Vitellii ac ter consulis filius. Id satis videbatur.* Nam male se habet interpunctio, commate post *filius* corrigenda.

In futuro utraque ratio uno modo exprimitur, nisi praesentis coniunctivus supponitur.

Plaut. Bacch. 4, 4, 106. *ne quoquam exsurgatis, donec a me erit signum datum.* Terent. Ad. 4, 6, 5. *nunc vero domi certum obsidere est usque, donec redierit.* Plaut. Rud. 3, 4, 11. Alia vide supra p. 293. Val. Flac. 8, 189. *inde sequemur ipsius amnis iter: donec nos flumine certo perferat.*

Post imperativum sequitur futurum, vel coniunctivus praesentis.

Cato de Re r. 156, 5. *coquito usque donec ea commadebit bene.* Liv. Andr. apud Charis. p. 178. vide DONICVM.

Columell. 12, 25, 2. *sensim aquam eliquato, donec ad fecem pervenias.*

*) In codicibus legitur breviata scriptura *doc.* vid. Schneider. ad Caton. 156. p. 199. Saepe confunditur *denique*: vide in DONICVM.

DONICVM.

Priscianus 15. (3, 17.) p. 1012. *donec, quod etiam donicum antiqui dicebant.* Hoc recte poterat constitui, quum significatio utriusque verbi eadem esset. Omnia enim exempla unius sunt generis, quod *usque eo* significat, et omnia in se habent indicativum perfecti aut futurum: quare dubito, utrum extremam syllabam putem esse terminationem, an contracta existimem vocabula *donec cum* s. *quum*, quibus duplex ratio, quam supra distinximus, composita et vis significationis aucta sit, quasi quis dicat *bis da.*

Gifanius hoc vocabulum etiam Ciceroni tribuit, et alii aliis. Vid. Sciopp. Verisim. 4, 18. Sed praeter antiquissimos scriptores et Catonem nemo usurpavit. Vnde fortasse glossarum auctor apud Vulcan. p. 80, 12. *donicum* ἄχρηστον: quod mutari iubent in ἄχρις οὗ. Recentissimo demum tempore quidam antiquitatis rubiginem affectabant. Quare accurate designat rariorem usum Charisius p. 178. *donicum pro donec. Ita Livius usurpat: — Plautus quoque: — sed et Cato.*

Apud Charis. l. l. *Livius: ibi manens sedeto, donicum videbis me carpento vehentem domum venisse. Plautus: inimicus esto, donicum ego revenero. Cato: tu otiosus ambulas, quia apud regem fuisti, donicum ille tibi interdixit rem capitalem.*

Plaut. Most. 1, 2, 35. *neque id faciunt, donicum parietes ruunt.* Aul. 1, 1, 19. *si respexis, donicum ego te iussero, continuo hercle ego te dedam discipulam cruci.* Truc. 1, 1, 17. *irretitos impedit pisces, usque adeo donicum eduxit foras.* Ps. 4, 7, 72. *adeo donicum ipsus sese ludos fieri senserit.* Capt. 2, 2, 88. *ego me amitti, donicum ille huc redierit, non postulo.* Ex Vidularia Priscian. 6. (6, 32.) p. 692. *neutri reddibo, donicum res*

diiudicata erit haec. ubi quidam codd. *donec cum.* Sed libr. 18. p. 959. *donicum res diiudicata sit.* ubi coniunctivus a Prisciano suppositus videtur esse. Krehlius temere mutavit illum locum.

Cato de Re r. 161, 3. *usque licebit vellas, donicum in semen videris ire.* 149, 2. cf. 146, 2. ibique Meurs.

Apud Lucret. 2, 1116. et 5, 722. antiqui libri habent *denique*, non *donicum* ab editoribus fictum: 1, 1130. 5, 686. et 706. *donec.* De loco Cornel. Ham. 1, 4. dixi p. 18. In Vitruvii locis 3, 5, 6. (3, 11.) et 9, 1, (4,) 11. codices non exhibent *donicum*, sed *denique*, quod mutandum erat in *donec*. Scripserunt enim *donique*.

Apud Scribon. Largum Comp. med. 48. *donec quum videatur pator narium cuneatione quadam accipere posse fistulam.* aut vitio laborat oratio inelegans, aut omittendum est *quum*, ut omisit Marcellus in epitome.

DVDVM.

Dvdvm ex *diu dum* factum esse omnes consentiunt. Nam littera *i* facile supprimitur, sicut in vocabulis *balneum*, *tegmen* et aliis multis. Sed nonnulli, quum vidissent non semper longum tempus intelligi, sed parvum et proximum, *diu* pro *die* dici existimabant de brevi spatio. Ante omnia vero respicere debebant ad ambiguam naturam verbi *diu*, quod quoniam proprie non longum, sed aliquod tempus, *eine Weile*, significat, etiam de spatio non longo dici potest. Quare Donatus ad Terent. Andr. 3, 4, 3. *adverbia temporis aut certa sunt, ut hodie, cras: aut incerta, ut dudum, nuper. Itaque incertis certum additur tempus, ut iam dudum, nunc nuper.* Et Priscianus 15. (5, 28.) p. 1018. *dudum* in communia diversorum temporum refert. Atque distinguendae sunt aetates usus. Nam antiqui scriptores omnes hoc vocabulum usurpabant ita, ut tempus aliquod antecedens non adeo longum intelligeretur, nisi accederent alia verba, quae sensum mutarent. Haec sunt *haud*, *quam* et *iam*, quibus exsistit diuturnitatis notio. Medio aevo ratio, quae antea ad tempus antecedens referebatur, etiam tempori sequenti accommodata est, ut *dudum*, quod erat *eben*, poneretur pro paullo post, mox, continuo.

Laurent. Valla Eleg. 2, 34. *dudum* de re dici existimat, quae non insistat, sed statim transeat, sed *iamdudum* de re, quae immoretur : nec dici *dudum te exspecto*, sed *iamdudum*. Vtrumque usurpatur, sed diverso sensu. Vallam reprehendit Holstenius in Diss. de votis dudum susceptis, quae legitur in Feae Miscellan. T. 1. p. 295. quasi *dudum* de temporis longo spatio pro *iampridem*, *olim* dicatur. Sed fallitur neglecta distinctione verbi *iamdudum*.

1. Primum opponitur *nunc*, *nunc demum*, ut sensus sit *ante hoc tempus*, *antea*, *prius*, *vor einer Weile*, *vorher*, *früher*. Graeci dicunt πάλαι.

Plaut. Most. 1, 3, 100. *nunc assentatrix scelesta est*, *dudum adversatrix erat*. Men. 5, 5, 33. 5, 1, 29. Amph. 1, 2, 17. *nunc de Alcmena*, *dudum quod dixi minus*. i. e. in prologo. Ter. Eun. 4, 4, 16. Andr. 5, 1, 5. *oro, ut beneficium verbis initum dudum nunc re comprobes*. Cic. Brut. 36, 138. *quum tamen spisse atque vix*, *ut dudum ad Demosthenem et Hyperidem*, *sic nunc ad Antonium Crassumque pervenimus*.

Terent. Eun. 4, 5, 4. *quanto nunc formosior videre mihi quam dudum*.

Plaut. Rud. 4, 4, 78. *nunc demum istuc dicis*, *quoniam ius meum esse intelligis : dudum dimidiam petebas partem*.

2. Saepius haec oppositio non exprimitur, atque *dudum* simpliciter ponitur pro *antehac*, *ante aliquod tempus*.

Plaut. Amph. 1, 1, 231. *ego sum Sosia ille*, *quem tu dudum esse aiebas mihi*. Aul. 3, 3, 9. Mil. 4, 2, 32. et 37. Cist. 4, 1, 2.

Plaut. Stich. 5, 6, 1. *dudum haud placuit potio*. i. e. *vorhin*, nam respicit ad 5, 4, 34. Terent. And. 3, 4, 3. *ego dudum nonnihil veritus sum*, *Dave*, *abs te*, *ne faceres idem*, *quod volgus servorum solet*. i. e. *vorhin*. Heaut. 4, 5, 12. *de illo quod dudum?* Phorm. 2, 4, 19. *incertior sum multo*, *quam dudum*. Truc. 4, 3, 29.

Cic. Tusc. 1, 31, 76. *quod tibi dudum videbatur*. i. e. modo, paullo ante. de Orat. 2, 66, 262. *dixi enim dudum*, *materiam aliam esse ioci*, *aliam severitatis*. sive legas cum Schützio *rationem aliam*.

3. Interdum haec oppositio magis adstringitur, ut sensus sit, iam antea, iam prius, *schon vorher*, *schon früher*.

Plaut. Bacch. 4, 9, 95. *eadem istaec verba dudum illi dixi*

omnia. Mil. 2, 4, 52. *dudum edepol hoc planum quidem.* Opponitur *nunc demum.* Terent. Andr. 4, 1, 29.

Plaut. Pseud. 4, 7, 103. *ego tibi argentum dedi, et dudum adveniens extemplo symbolum servo tuo.* 1, 3, 6. *trecentos philippos Collybisco villico dedi dudum, priusquam me evocasti foras.* Cic. Brut. 72, 252. *ut dudum de Laeliorum et Muciorum familiis audiebamus.*

In Terent. Andr. 5, 1, 21. *Davos dudum praedixit mihi.* ne quis intelligat *longum ante, lange schon,* moneo praedixisse Davum supra 3, 2, 27.

4. Idem fit in nominibus, quae tempus definiunt, adiectis. Intelligitur enim res ultra terminum quendam reposita. Nos dicimus *schon.*

Plaut. Capt. 3, 4, 91. *quem dudum dixi a principio tibi.* Truc. 3, 1, 1. *rus mane dudum hinc ire me iussit pater.* Amph. 2, 1, 55. *dudum ante lucem.*

Plaut. Poen. 1, 2, 105. *quia iam non dudum ante lucem ad aedem Veneris venimus.* Male olim legebatur *non iamdudum.* Illud vero redde *weil wir nun nicht schon vor Tagesanbruch zum Tempel gingen.*

5. Sed potest hoc temporis spatium etiam breve esse, ut nos dicimus *vor einer kurzen Weile, vor kurzem.* Est igitur saepe id quod *nuper.*

Plaut. Amph. 2, 2, 73. *num obdormivisti dudum.* i. e. *hast du etwa vor kurzem geschlafen?* Stich. 5, 3, 3. *domo dudum huc arcessita sum.* Cist. 1, 3, 43. *is amore proiecticiam illam deperit, quae dudum flens hinc abiit ad matrem suam.*

Cic. ad Att. 11, 24. *quae dudum ad me, et quae etiam ante bis ad Tulliam de me scripsisti.* Virgil. Aen. 5, 650. *ipsa egomet dudum Beroen digressa reliqui aegram.*

Stat. Theb. 1, 670. *dudum si certus ad aures clamor iit.* ubi glossator: *non ita pridem, nuper.* cf. Barth. not. ad h. l.

Ambiguus hic vocabuli sensus illum lusum conformat, in quo altercatio Alcmenae et Amphitruonis versatur apud Plaut. Amph. 2, 2. Illa v. 51. *atque appellas, quasi dudum non videris.* quod est non iam antea, et postea v. 59. *qui non abiisti ad ligones, ita uti dudum dixeras.* quod esse potest *nuper* et *paullo ante.* Tum Amphitruo: *dudum? Quam dudum istuc factum est?* Et Alcm. *tentas. Iamdudum, pridem, modo.* Tum Amph. *qui istuc potis est fieri, quaeso, ut dicis, iam dudum, modo.* Atque ita dicere poterat, quum iam dudum ante lucem vidisset maritum, et hoc esset proximo tempore factum.

6. Formulae, in quibus apud veteres scriptores significatio longi temporis distinctius efferri videtur, duae sunt *haud dudum* et *quam dudum*. Tamen etiam in his manet ratio eadem: nam proprie in iis inest sensus hic: non ante aliquod tempus, sed modo: et, quantum sit temporis spatium. Sic etiam *iamdudum* et *perdudum:* de quibus suo loco.

Plaut. Pers. 4, 3, 28. *e Persia ad me allatae modo sunt istae a meo domino.* D. *Quando?* TO. *Haud dudum.*

Plaut. Stich. 2, 1, 38. *vide, quam dudum hic adsto et pulto.*

Terent. Andr. 5, 2, 9. DA. *Modo introii.* SI. *Quasi ego, quam dudum rogem.* Eun. 4, 4, 29. DO. *Venit Chaerea* — PH. *Quando?* DO. *Hodie.* PH. *Quam dudum?* DO. *Modo.*

Cic. ad Att. 14, 12. *quam dudum nihil habeo, quod ad te scribam: scribo tamen, non ut delectem* etc. Corrigunt Fr. Gronovius *quamquam*, alii *iam dudum.*

7. Praeter has formulas vix invenietur locus, in quo longum tempus intelligatur, nisi apud scriptores infimae aetatis.

Apud Apulei. Met. 10. p. 348. 19. *et dudum praestolantem cubiculo meo matronam offendimus.* e codd. Oudendorp. p. 715. restituit *iamdudum.* In Terent. Heaut. 4, 5, 10. codices monstrabant *iamdudum* esse restituendum pro *dudum.* Cic. ad Att. 4, 5. *quid? etiam (dudum enim circumrodo, quod devorandum est) subturpicula mihi videbatur esse παλινῳδία.* Wielandus et alii vertunt *denn ich nage schon lange daran.* At horum verborum sensus est, id quod devorandum est, per aliquod tempus iam circumrodo: aut Cicero scripsit: *quid? etiam (iamdudum enim* etc. Plin. Hist. 19, 1, 2. *non dudum ex eadem Hispania zoelicum venit in Italiam.* At antiquissimae editiones omnes habent *nam dudum*, quod restitui debet, aut corrigi *iamdudum.*

8. Id vero, quod breve tempus indicabatur hac voce, comici antiqui in quibusdam formulis ad continuum et proximum tempus referebant, et ut Germani dicunt *eben als*, etiam dicebant *ut dudum*, *dudum ut.* Idem fit commutata ratione *dudum — quum, eben — als.*

Plaut. Capt. 3, 1, 18. *nam ut dudum hinc abii, accessi ad adolescentes in foro.* Bacch. 4, 19, 33. *nam dudum primo ut dixeram nostro seni mendacium et de hospite et de auro et de*

lembo, ibi signum ex arce iam abstuli. Aul. 4, 8, 5. *nam ut dudum hinc abii, illuc multo adveni prior.* Cistell. 4, 2, 44. *nam dudum ut accurrimus* etc.

Plaut. Men. 2, 3, 41. *scilicet qui dudum tecum venit, quom pallam mihi detulisti.* 5, 1, 1. *nimis stulte dudum feci, quom marsupium Messenioni cum argento concredidi.* Boeth. de Consol. 2. met. 1. *haec quum superba verterit vices dextra, — dudum tremendos saeva proterit reges.*

Plaut. Bacch. 4, 9, 37. *quom censuit Mnesilochum cum uxore esse dudum militis, ibi vix me exsolvi.* ubi ambigitur, utrum *dudum* ad *quom censuit* pertineat, an ad *esse.*

9. Sic etiam in aliis dictionibus *dudum* a comicis ponitur de tempore praesente vel praesenti proximo, ut germanicum *eben.* Vnde factum est, ut ex vulgari consuetudine recentiores pro paullo post, quod est modo, ponerent.

Plaut. Merc. 2, 3, 129. *Lysimacho amico mandabo: is se ad portum dixerat ire dudum.* i. e. nunc. Apulei. Met. 6. p. 184, 10. *comitibus adscitis, qui vulnerati remanserant, dudum recurrunt.* ubi olim scripserunt *actutum.*

DVM.

I. 1. Originem coniunctionis DVM supra explicui in DONEC. Significat temporis spatium, quod duae res simul occupant. Nam interea, quum altera agatur, altera etiam agi dicitur. Sic unius rei tempore eiusque decursu definitur alterius rei tempus. In eo vero quoniam tres modi seu partes concipi possunt, initium temporis, perpetuitas et finis, primum *dum* indicat, tum, quum altera res exsisteret vel esset, alteram quoque exstitisse vel fuisse. Quo universa ratio temporum aequalium exprimitur. Est igitur *indem* et *während:* quorum illud initium aequalis actionis, hoc in cursu aequali aliquam partem indicat. Atque haec simplex ratio temporalis indicativum verbi assumit vel praesentis vel imperfecti vel futuri. Raro ponitur perfectum pro aoristo, in quo interdum conditio intelligitur continua, sed uno temporis praeteriti momento comprehensa. Significatur enim: ab eo temporis puncto, quo quid esse coepit. Plusquamperfectum alienum esset, nisi ita poni posset, ut alieni verbi notionem, quae actionis cursum denotat, simul reciperet.

Praesens. Terent. Heaut. 2, 2, 10. *et nosti mores mulierum: dum moliuntur, dum comuntur, annus est.* Cic. pr. Cluent. 32, 89. *hic ego — petam a vobis, ut me, dum de his singulis disputo iudiciis, attente audiatis.* Horat. Epist. 2, 1, 189. *quatuor aut pluris aulaea premuntur in horas, dum fugiunt equitum turmae peditumque catervae, mox trahitur manibus regum fortuna retortis.* Virg. Ecl. 3, 74. *quid prodest, quod me ipse animo non spernis, Amynta, si, dum tu sectaris apros, ego retia servo.* Cic. p. Cluent. 19, 55. *intelligetis enim in eo ipso, si in verbis ius constituamus, omnem utilitatem nos huius interdicti, dum versuti et callidi volumus esse, amissuros.*

Imperfectum. Cic. ad Att. 7, 26. *Dionysio, dum existimabam vagos nos fore, nolui molestus esse.* p. Rosc. Am. 32, 91. vid. p. 305. Liv. 10, 36, 16. *dum haec in Apulia gerebantur, altero exercitu Samnites Interamnam — occupare conati, urbem non tenuerunt.* 41, 14, 1. 21, 53, 6. *stimulabat et tempus propinquum comitiorum, ne in novos consules bellum differretur, et occasio in se unum vertendae gloriae, dum aeger collega erat.* Virgil. Aen. 8, 374. *dum bello argolici vastabant Pergama reges debita —, non ullum auxilium miseris, non arma rogavi artis opisque tuae.* Cornel. Han. 2, 4. *quae divina res dum conficiebatur, quaesivit a me* etc. Tacit. Agr. 41. *quibus sermonibus satis constat Domitiani quoque aures verberatas, dum optimus quisque libertorum, pessimi malignitate et livore pronum deterioribus principem exstimulabant.* ubi ne Heinrichius quidem ausus est correctionem deprecari: tamen reiecit eam Walchius.

Hanc dictionem Heindorfius adeo soloecam vocavit. Contra Müllerus, nescio an alia ignorans, eam restitui iussit in Cic. de Orat. 1, 53, 230. *nunc talis vir amissus est, dum caussa ita dicitur, ut si in illa commentitia Platonis civitate res ageretur.* Ille enim corrigendum censuit *dicebatur.*

Futurum. Virgil. Aen. 1, 263. *moresque viris et moenia ponet, tertia dum Latio regnantem viderit aestas.*

Perfectum. Cic. ad Att. 1, 16. *qui dum veritus est, ne Fufius ei legi intercederet, quae ex senatus consulto ferebatur, non vidit illud, satius esse* etc. Cic. apud Suet. Caes. 56. *dum voluit alios habere parata, unde sumerent, qui vellent scribere historiam, ineptis gratum fortasse fecit.* de Off. 2, 8, 29. *atque in has clades incidimus — dum metui quam cari esse et diligi maluimus.* alii codd. praebent *malumus.* Schmidius ad Horat. Epist. 1, 2, 2. et Beneckius ad Iustin. 9, 6, 3. temere negant *dum* coniungi cum praeterito aoristico, a quo abhorreat notio continuationis. Sed vide Hermann. de Emendand. gr. gr. rat. p. 198.

et Ramshornii Gramm. 164. 5. b. Prorsus contraria sententia Matthiae ad Cic. p. Rosc. Am. 32, 91. *dum is in aliis rebus erat occupatus.* „id est, inquit, quamdiu. Nam si responderet nostro *indem*, scribendum erat *dum is est occupatus.*“ At Cic. Brut. 81, 282. *ita gravissimo suo casu, dum Cyri et Alexandri similis esse voluit, — et L. Crassi et multorum Crassorum inventus est dissimillimus.* p. Mur. 27, 55. *qui primum, dum ex honoribus continuis familiae maiorumque suorum unum adscendere gradum dignitatis conatus est, venit in periculum.* Phil. 14, 12, 33. *actum igitur praeclare vobiscum, fortissimi, dum vixistis.* Cornel. de Reg. 2, 2. *nam dum id studuit munire, nullius pepercit vitae.* Iniuria igitur Heinrichius in Addend. ad Cic. Orat. p. XXII. vituperavit Ernestium, qui non latine coniecisset in Cic. ad Fam. 12, 12. *habui paullulum morae, dum promissa militibus persolvi.* Nemo dicat *dum* in istis locis significare *quamdiu.* Plin. Pan. 65, 2. *magnum erat, quum promitteres: maius, postquam praestitisti.* Nonnulli codices praebent *dum praestitisti.* quod vide an falsum sit. Ovid. Her. 2, 59. *quae fuit ante illam, mallem suprema fuisset mox mihi, dum potui Phyllis honesta mori. Potui* non est pro *potuissem*, sed *dum* id quod *qua in nocte.* In omnibus vero, quae attuli, exemplis aequale tempus videmus utriusque enuntiationis.

Plusquamperfectum. Liv. 32, 24, 5. *dum in unam partem oculos animosque hostium certamen averterat, pluribus locis scalis capitur murus.* i. e. averterat et aversos tenebat.

Praemittitur interdum *adhuc.* vid. Tom. 1. p. 159.

Quo incerto iudicio in his rebus utantur grammatici, vide in Aug. Grotefendo, qui una pag. 427. Grammat. docet, *dum* significare nonnisi indefinitum tempus, et simul idem esse ac *quoad*, nisi quod hoc finem temporis paullo distinctius definiat. Cf. infra not. ad III, 1.

Discrimen, quo distinguatur *quum*, positum est in nexu, quo res duae in tempore cohaerent. Per *quum* nectuntur duae res in tempore, per *dum* autem ipsa aequalia tempora componuntur. Scilicet hac particula significatur id, quod est in aliquo tempore simul. Quamquam vero nonnulli grammatici tirones vere admonent, ne quis *dum* pro *quod* aut *quum* caussali ponat: tamen sententiae sunt multae, in quibus temporis ratio etiam caussam complectitur: veluti Lucret. 1, 660. *ardua dum metuunt, amittunt vera viai.* vid. n. 4. Sallust. Cat. 52, 12. *ne — dum paucis sceleratis parcant, bonos omnes perditum eant.*

Fallitur Lindemannus, quum de Adverbio. I. p. 16. docet,

dum primum respondisse germanico dann, veluti dum hoc fit, monstrans futurum tempus esset usque ad illud tempus futurum, ubi hoc accidet: deinde usu factum esse, ut dum etiam significaret per omne hoc tempus, quod nunc cogitatur praesens. Haec nec commode cogitari possunt, nec apta sunt naturae particulae.

2. Sed in re praeterita narranda et de re futura, ubi non totus rerum cursus, sed aliqua eius pars intelligitur, ab optimo quoque scriptore ponitur praesens. Quod quum Ernestius non potuisset expedire, et cum eo Wolfius ad posterioris aevi usum retulisset, Heindorfius ad Horat. Sat. 1, 5, 72. et post eum multi alii exstiterunt, qui docerent, *dum* ita pro *quum* positum semper construi cum praesenti, idque restitui debere in omnibus locis huic regulae contrariis. Prudentius vero hanc rem tractavit Heinrichius ad Cic. p. Scauro p. 76. cf. Walchii Emendat. p. 185. et ad Tacit. Agric. 401. Praesens enim aut historicum est, aut imaginem rei ita adumbrat, ut, quae coniuncta fuisse mente cogitemus, ante oculos ponantur consociata praesentia. Igitur quae hoc modo dicuntur, imaginem exhibent in se conclusam, atque eiusmodi enuntiatio instar est unius substantivi, quo tempus indicetur: sicuti apud Livium verba *dum in Asia bellum geritur* exprimunt *tempore belli.* Atque ob hanc caussam recte dicitur adeo: *dum haec geruntur, ille pervenerat:* et quum Curtius narrat 6, 7, 28. *manantibus lacrimis querebatur* est quod dicimus: dum manant lacrimae. Nam quod alii observarunt, vivida oratione praeterita transferri in praesentiam, id non sufficit ad explicandam totam structuram, in qua primarium verbum fere semper praeterito tempore ponitur. Sed cum re praeterita et futura cohaerere declaratur conditio temporalis, quae in hoc proximo nexu non nisi praesenti significari potest. Idque, ut bene intellexit Heinrichius, τῆς ῥητορικῆς ἐναργείας vel φαντασίας, ideoque oratorium videri potest: quamquam etiam vulgaris sermo hac designatione delectatur. In historiarum libris, quos veteres arte componere solebant, plurima se offert repraesentationis istius occasio. Graecis commodior usus participiorum suppetebat. Sed poetae et historici post Livium adeo in obliqua oratione indicativum praesentis servabant, non item Cicero et aequales, quos coniunctivo usus esse exempla p. 312. allata docent.

Usum hunc perspectum habebant Gronovius et Drakenborch. ad Liv. 1, 40, 7. 2, 57, 8. Burmann. ad Phaedr. 3, 10, 13. et de eo dixerunt etiam Vossius ad Virgil. Georg. 4, 560. et ad Tibull. 1, 4, 25. et 2, 3, 21. Matthiae ad Cic. p. Rosc. Am. 32, 91. Schmid. ad Horat. Epist. 1, 2, 2. qui imperfecti usum appellat rarum. Zumptius in Gramm. n. 506. caussam huius dictionis esse putat, quod, omissa temporis ratione, maiori quadam vi exprimatur, rem per aliquod tempus durasse. Tum vero imperfectum potius adhibendum est. Atque ipse Zumptius animadvertit, scriptores hac forma uti in transitu ad aliam rem convertendo. vd. Richard. ad Petron. 90. Ochsnerus in Eclogis p. 407. poetis et recentioribus scriptoribus tribuit usum, quem in omni latinitate, nec sine ratione frequentatum videmus. Guil. Weberus in Exercit. lat. stili p. 76. *dum* dicit differre a *quum* eadem ratione, qua imperfectum ab aoristo. Tamen aoristo exprimendo nihil aptius est quam ista particula.

Praesens historicum in his: Liv. 32, 12, 2. *dum, aviditate certaminis provecti, extra munitiones pugnant, haud paullo superior est romanus miles.* 32, 14, 4. Cornel. Eum. 5, 1. *haec dum apud Hellespontum geruntur, Perdiccas apud flumen Nilum interficitur a Seleuco.* Tacit. Hist. 4, 33. Curt. 4, 5, 21. Et sic saepe historici: *dum haec aguntur.* vd. Noltenii Lex. p. 1463. et Supplem. p. 139.

Terent. Eun. 2, 2, 24. *dum haec loquimur, interea loci ad macellum ubi advenimus, concurrunt laeti mi obviam cuppediarii omnes.* De formula *dum loquimur* vid. interpr. ad Petron. 16. et 99.

Plaut. Poen. 3, 6, 7. *paullulum praedae intus feci, dum lenonis familia dormitat.* Terent. Ph. 5, 9, 18. *filiam suscepit iam unam, dum tu dormis.* Cic. de Orat. 2, 4, 15. *ego enim — numquam mihi minus quam hesterno die placui, — qui dum obsequor his adolescentibus, me senem esse sum oblitus, fecique id, quod ne adolescens quidem feceram* etc. in Caecil. Divin. 17, 56. *ita dum pauca mancipia Veneris nomine, Agonis, ac religione retinere vult, fortunas omnes libertatemque suam istius iniuria perdidit.* pr. Tull. 12, (15.) in Verr. 2, 38, 92. *itaque dum exspectat, quidnam sibi certi afferatur, ante horam tertiam noctis de foro non discessit.* ad Quint. fr. 1, 1, 1. *dum saluti sociorum consulo, dum impudentiae nonnullorum negotiatorum resisto, dum nostram gloriam tua virtute augeri expeto, feci non sapienter.* ad Q. frat. 3, 1, 3. *quas pluribus epistolis accepi, dum sum in Arpinati.* p. Mil. 10, 28. de Orat. 1, 53, 230. vid. supra p. 304. p. Leg.

Man. 9, 22. Horat. Epist. 2, 1, 7. *dum terras hominumque colunt genus, — ploravere suis non respondere favorem speratum meritis.* Quinctil. 10, 1, 125. *quod accidit mihi, dum corruptum et omnibus vitiis fractum dicendi genus revocare ad severiora iudicia contendo.* Caes. B. gall. 1, 27. Sueton. Aug. 76. et 99. ubi vid. Oudend. Alia exempla collecta vide apud Gronov. ad Liv. 35, 8, 1. et apud Duker. ad Flor. 3, 12, 10. et apud Heindorf. ad Horat. l. l. et Ochsner, Eclog. p. 407. et in Clavi Sueton. p. 317.

Ob orationis formam memorabilia haec videntur: Cic. in Pis. 22, 53. *quos tu Maeandros, dum omnes solitudines persequeris, quae deverticula flexionesque quaesisti?* in Verr. 2, 66, 161. *dum ego in Sicilia sum, nulla statua deiecta est: posteaquam discessi, quae sint gesta, cognoscite.* ubi Ernestius correxit *fui.* Catull. 44, 7. *expuli tussim, non immerenti quam mihi meus venter, dum sumptuosas appeto, dedit, coenas.*

Sequitur imperfectum. Liv. 21, 7, 1. *dum ea Romani parant consultantque, iam Saguntum summa vi oppugnabatur.* 9, 35, 1. Virgil. Ge. 4, 559. *haec — canebam, Caesar dum magnus ad altum fulminat Euphraten bello.* Et plusquamperfectum Liv. 21, 29, 1. *dum elephanti traiiciuntur, interim Hannibal equites quingentos ad castra romana miserat speculatum, ubi et quantae copiae essent.* Cic. in Verr. 5, 35, 91. *haec dum aguntur, interea Cleomenes iam ad Pelori litus pervenerat.* Tacit. Ann. 1, 54. Ovid. Met. 5, 535. *cultis dum simplex errat in hortis, puniceum curva decerpserat arbore pomum.* Liv. 23, 11, 7. Virgil. Aen. 6, 171. Ecl. 7, 6. Et futurum. Lucan. 6, 164. vd. p. 310. ad Gronov. Diatr. p. 216. Plaut. Men. 1, 3, 31. *iam nos hic erimus. Dum coquitur, interim potabimus.*

Poeticam ἐνάργειαν adhibet Ovid. Trist. 4, 1, 59. — *mala, quae toto patior iactatus in orbe, dum miser Euxini litora saepe peto.* i. e. quae passus sum, dum Tomos petebam.

In obliqua oratione. Cic. Tusc. 1, 42, 101. ex Simonide: *dic, hospes, Spartae, nos te hic vidisse iacentes, dum sanctis patriae legibus obsequimur.* ubi adeo Wolfius erravit. Ipsi Ciceroni p. Mur. 24, 48. alienum morem Lambinus frustra assignabat. Ovid. Met. 4, 775. *narrat — id se solerti furtim, dum traditur, astu supposita cepisse manu.* Liv. 2, 57, 3. *dum tribuni consulesque ad se quisque omnia trahunt, nihil relictum esse virium in medio.* 26, 16, 2. Tacit. Ann. 15, 59. *quanto laudabilius periturum, dum amplectitur rem publicam, dum auxilia libertati invocat.* Hist. 1, 33. *non exspectandum, ut — capitolium adeat, dum egregius imperator — ianua et limite*

tempus domum eludit, obsidionem nimirum toleraturus. Iustin. 9, 2, 10. *praemissis legatis — qui nuntient Atheae, dum Byzantium obsidet, vovisse se statuam Herculi.* ubi vid. Benecklius. Seneca de Ira. 3, 39, 3. *medicum aiunt, quum regis filiam curare deberet, nec sine ferro posset, dum tumentem mammam leniter fovet, scalpellum spongia tectum induxisse.* Tacit. Hist. 3, 28. *versas illuc omnium mentes, dum Vitellius amicorum inimicorumque negligens fovet aemulum.* Correxerunt *foveat.* Quod recte legitur 4, 17. *dum alii Vespasianum, alii Vitellium foveant, patere locum adversus utrumque.* Idque fit non propterea, quod *dum* hic significat *so lange als*, ut ait Grotefendus p. 482. sed quia caussa simul exprimitur rei agendae. Dialog. 32. Iam ex his colligi potest, quo pacto hanc dictionem Tacito propriam tribuamus, an hoc argumentum in constituendo auctore dialogi adhibeamus.

Charisius 2. p. 201. bene distinguit: *dum etiamsi alius praeponitur sermo declinationis, ad illum reformatur, ut Petebas, ut, dum venires, facerem: sic quoque recipit subiunctiva.* Eadem Diomedes p. 387. Cic. p. Mur. 24, 49. *ut pertimesceret, ne consul Catilina fieret, dum tu accusationem comparares.* Auctor Belli Hisp. 16. Sallust. Cat. 52, 12. Tamen potest etiam altera pars sententiae per se stare: velut Cic. de Orat. 2, 4, 16. non male edidit Lambinus: *neque committam, ut, dum verere, tu ne sis ineptus, me esse iudices.* vulgo *vereare.* Ovid. Her. 2, 59. *quae fuit ante illam, mallem suprema fuisset nox mihi, dum potui Phyllis honesta mori.*

Ridiculum in errorem incidit I. H. Vossius, quum Tibull. 2, 3, 7. corrigebat: *agricolaeque modo curvum* (male etiam scripsit *curvus*) *sectarer aratrum, dum subigant steriles arva serenda boves.* quasi *subigant* esset pro *subigerent.* Vid. ad Stat. T. 1. p. 304.

3. Quum hac ratione duae res proxime nexae et in uno tempore coniunctae esse dicantur, historici ita loquuntur, ubi continua et subita rerum consequutio est indicanda, ideoque saepe orationi addunt vocabula *repente, subito.*

Liv. 29, 9, 5. *dum spoliandis iis — tempus teritur, repente milites — concurrerunt.* Sueton. Aug. 99. ubi Burmann. restituit *interrogat.* Cic. ad Att. 6, 6. *ego, dum in provincia omnibus rebus Appium orno, subito sum factus accusatoris eius socer.*

4. Sed hac praesentis forma, sive iterum praesens, sive praeteritum sequatur, saepe scriptores ita utuntur,

ut conditionem vel actionem designent, in quam perpetuam alia inciderit, aut quarum altera caussam alterius in se habeat. Quo sensu Germani substantiva usurpant, Graeci participia. Latini autem circumscriptionem adhibent, ut bene observavit Garaton. ad Cic. p. Mil. 19. Et quamquam Bauerus in Indice Taciteo non accurate vim particulae explicuit verbis *quia* et *nam*: tamen, quum caussae significatio tempori adhaereret, non meruit notam ab Heinrichio inustam.

Terent. Heaut. 3, 1, 82. *somnum hercle ego hac nocte oculis non vidi meis, dum id quaero.* i. e. in quaestione, *unterm Nachdenken.* Andr. 5, 1, 3. Seneca de Ira 3, 39, 1. *nec oculos tumentes tentabimus, — nec cetera vitia, dum fervent.* Verba Lucretii supra p. 305. allata recte vertit Knebelius: *scheun sie den schwierigen Pfad und verlieren darüber den wahren.*

Cic. p. Mil. 19, 50. *sustinuisset hoc crimen primum ipse ille latronum occultator et receptator locus, dum neque muta solitudo indicasset, neque caeca nox ostendisset Milonem.* „Huc retulerim locum Virgilianum Aen. 6, 585. *vidi et crudelis dantem Salmonea poenas, dum flammas Iovis et sonitus imitatur Olympi.* Heynius explicat: quod imitatus erat. Sed *dum* conditionem Salmonis, istamque simulationem hominis indicat, quae poenis crudelibus erat interrupta atque finita.“ A. IACOB. Tacit. An. 1, 23. *ipsae in se legiones octava et quintadecima ferrum parabant, dum centurionem cognomento Sirpicum illa morti deposcit, quintadecumani tuentur.* Ovid. Fast. 1, 713. 2, 723. 3, 714. Lucan. 6, 164. *veniet, qui vindicet arces, dum morimur.* i. e. post mortem nostram.

5. Historici et alii scriptores non raro componunt cum hoc temporis indicio sententiam, quae caussam vel conditionem exprimit per *quum* et *quia*. Ita ab utraque ratione et temporis et caussae res designatur.

Seneca de Ira 3, 39. 3. vd. p. 309. Martial. 1, 4, 7. Alius, sed similis tamen generis haec sunt Tacit. Ann. 12, 68. *vota pro incolumitate principis consules et sacerdotes nuncupabant, quum iam exanimis vestibus et fomentis obtegeretur, dum res firmando Neronis imperio componuntur.* Sed in Bello hispan. 1. ob hanc ipsam caussam praestat scriptura *detinetur.*

Liv. 26, 16, 2. *dum inter ceteros ad palum deligatur, quia parum inter strepitum exaudiri possent, quae vociferabatur, silentium fieri Flaccum iussisse* (quidam tradunt). Ita Froben. edit. pro *quum.*

6. Alia recentioribus maxime usitata forma est, cuius sententia, per *dum* expressa, in se recipit participium: de qua re egit Oudendorp. ad Apulei. Met. 3. p. 220.

Apulei. Met. 3. p. 140, 5. Elm. *ac dum, salutis inopia cuncta corporis mei considerans, non avem me, sed asinum video, — tacitus expostulabam.* 9. p. 232, 1. *at dum fodiens, dum irrigans, ceteroque incurvus labore deservit, ego* etc.

7. Coniunctio saepe non ab initio, sed post aliquot verba locum suum occupat. Vid. Cortius ad Lucan. 2, 648. 3, 702.

8. In his omnibus temporis ratio pura est, ideoque indicativo exprimenda. Quam quum bene cognitam haberet, Gronovius ad Liv. 2, 47, 5. et ad 35, 8, 1. coniunctivum ita cum particula *dum* coniunctum ad soloecismos referebat. Quo decreto semel comprobato factum est, ut critici, sicubi *dum* cum coniunctivo occurreret, permultos scriptorum locos corrigerent, idque eo magis sibi concessum putarent, quo frequentius librarios aut *quum* in *dum* mutasse, aut coniunctivum imperfecti pro indicativo praesentis supposuisse, vel ex Drakenborchii annotatione ad Liv. 1, 40, 7. cognovissent. Vnus Oudendorpius intellexit nimiam huius consilii temeritatem et post eum Huschkius: ille praecipiens, *dum* ubi esset id quod *quamdiu*, etiam cum coniunctivo copulari, hic ad usum poetarum provocans; neuter tamen rei caussam explanavit. Haec vero ita se habet. Postquam romana lingua legibus alligata erat, antiquioris aevi scriptores in hac dictione temporalem rationem accurate exprimere solebant, nec possunt ea, quae librarii ex suo more postea in multis locis supposuerunt, ipsis illis imputari. Tamen vitae communis consuetudo non obtemperabat grammiticae legi, sed *dum* temporale etiam cum coniunctivo componebat. Quare Servius ad Virg. Aen. 1, 697. *sane sciendum*, inquit, *malo errore quum et dum a Romanis esse confusa.* Hunc vero vulgarem usum non aspernabantur poetae vel optimi, sed in suum commodum vertebant. Postea corrupta eloquutione, etiam oratores negligenter in hac re versati sunt, nec licebit id, quod in antiquioribus vitiosum videtur, apud recentiores correctione aboleri. Triplex igitur constat genus exemplorum. Primum est sententiarum, in qui-

bus intelligitur tempus conditionatum, sive termini conditione constitutum, aut conditionem addens: de quo paullo post dicam. Alterum sibi vindicat poetarum licentia. Tertium pertinet ad serioris temporis scriptores ita, ut vel ex hoc argumento de aetate ac studio eorum certius iudicium proferri possit.

Gronovium sequuti sunt multi: Cortius ad Sallust. Iug. 22, 1. et 101, 5. Burmann. ad Phaedr. 3, 10, 13. Arntzen. ad Caton. Dist. p. 153. I. H. Vossius ad Tibull. 2, 3, 21. Oudendorpius suam sententiam exposuit ad Sueton. Aug. 94. Crevierius autem ad Liv. 35, 8, 1. soloecismi notae hanc dictionem eximere studuit, ipsius Gronovii auctoritate usus, qui quidem praecepti sui immemor 35, 36, 7. coniecerat legendum esse: *libertatem dum restitui videretur.* Idem accidit Clerico in Liv. 6, 27, 10.

Multi decepti sunt in iis locis, quorum structura obliqua est; veluti Cic. ad Att. 5, 17. *dum in aestivis nos essemus, illum pueris locum esse bellissimum duximus.* Sueton. Ner. 35. *Rufium Crispinum — mergendum mari, dum piscaretur, servis ipsius demandavit.* ubi Oudend. corrigit *quum.* Sallust. Cat. 7, 6. *sic se quisque hostem ferire, murum adscendere, conspici, dum tale facinus faceret, properabat.* Sueton. Aug. 94. Cic. de Orat. 1, 41, 187. *hoc video, dum breviter voluerim dicere, dictum a me esse paullo obscurius.* p. Planc. 40, 95. p. Mur. 24, 48.

Omitto locos antiquiorum scriptorum, in quibus meliores libri integram scripturam praesentis, aut particulae *quum* nunc suppeditant. In aliis coniectura falli non possumus. Sic apud Quinctil. Declam. 17, 1. *dum me ab utroque animi genere, semper quod impulit, abducat, et in pertinaciam desperationemque neutram mihi licet perferre patientiam.* vocabulum *licet*, quod in omnibus libris legitur, viam monstrat ad emendandum voc. *abducat.* Nam nemo cum Scheffero in Misc. Observ. T. 8. p. 454. interpretabitur *dummodo.* In Livii 21, 43, 1. *dum sic aliquot spectatis paribus affectos dimisisset, concione inde advocata ita apud eos loquutus fertur.* Gronovius necessarium vidit esse *quum*: quod 1, 40, 7. aliqui certe codices substituunt.

Poetarum haec sunt: Ovid. ex Pont. 3, 3, 2. *ades, dum tibi, quae vidi, referam.* ubi sensus non potest esse: non longius quam, tam diu quam. Tibull. 2, 3, 21. (19.) *o quoties ausae, caneret dum valle sub alta, rumpere mugitu carmina docta boves.* ubi critici scripserunt *quum.* Virgil. Georg. 4, 457.

illa quidem, dum te fugeret per flumina praeceps, immanem ante pedes hydrum — non vidit in herba. Martial. 1, 22, 1. *dum peteret regem decepta satellite dextra, iniecit sacris se peritura focis.* conf. Spect. 20, 1. Claudian. Gigantom. 102. *ad depellendos iaculum dum quaereret hostes, germani rigidum misit pro rupe cadaver.* Phaedrus 4. (5.) prol. 15. *hunc obtrectare si volet malignitas, imitari dum non possit, obtrectet licet.* 3, 10, 13. quamquam utroque loco correxerunt *quum*.

Critici quidam, etiam doctissimi in hac coniunctivi explicatione ita versati sunt, ut ex praeceptis iis grammaticis, quibus coniunctivi vis potentialis declaratur, speciosum argumentum repetere, quam diversa dicendi genera agnoscere mallent. Ita Bremius ad Cornel. Tim. 1, 4. *nam dum res conficeretur, procul in praesidio fuit, ne quis satelles posset succurrere.* Hic ille putat narrari rem non vere factam, sed quae ex sententia Timoleontis fieri potuisset aut debuisset: *während dafs die Sache vollzogen werden sollte.* Quis vero ita loquitur de eo, qui, dum aliqua res conficitur, custodiam agat? Alia est ratio Milt. 3, 1. *eius pontis, dum ipse abesset, custodes reliquit.* in quibus terminus et finis ponitur. Alia etiam in Bell. hispan. 16. *ut, dum nostri in praeda detinerentur, illi — se reciperent.* Quare aut ille, qui Vitas scripsit, recentiorem consuetudinem adscivit, aut falsa est scriptura. Güntherus correxit *quum*: equidem illud probaverim. Nam qui cum Heusingero existiment, *dum* significare *usque dum*, *donec*, *bis*, necesse erit, imperfectum pro plusquamperfecto accipiant. Idem dicendum est de Frontin. Strat. 1, 5, 2. *dumque ignibus submoverentur hostes, ipse fluvium superavit.* Correxerunt *submoventur*.

Aurel. Vict. Vir. illust. 35, 10. *tum in Graeciam regressus, dum Argos oppugnaret, ictu tegulae prostratus est.* Editores fecerunt *oppugnat*: Arntzenius *quum*. Sed Schol. ad Ovidii Ibin 303. *Pyrrhus — dum Argos oppugnaret, tegula percussus periit.* De Caes. 39, 11. *at Carinus — ilico Murgum iuxta Diocletiano congressus, dum victos avide premeret, suorum ictu interiit.* Epitom. 6, 4. 41, 2. Hygin. Fab. 12. *is quum annua faceret Neptuno Iason — cupidus sacra faciendi, dum flumen Euhemum transiret, calciamentum reliquit.* Scribon. Larg. Praef. p. 1. *animadvertimus itaque saepe inter deliberationes contentionesque medicorum auctoritate praecellentium, dum quaereretur, quidnam faciendum aut qua ratione succurrendum esset aegro etc.* Vid. Wopkens. in Observ. Misc. nov. T. 2. p. 67. et 62. Verum etiam in his difficilis videtur esse quaestio.

Nam in Aurelio inveniuntur loci, in quibus librarii quidam de suo more ***dum*** **scripserunt pro** ***quum.*** **vid. 7, 19. 8, 4.**

Hirt. de B. Afric. 61. *iamque Caesar dum exercitum reducere intra munitiones suas coepisset, subito universus equitatus ulterior Numidarum Gaetulorumque sine frenis ad dextram partem se movere — coepit.* Scribendum est ex Oudendorpii sententia *quum.* Itemque c. 88. *qui dum anima nondum exspirata concidisset, — ipse suis manibus vulnus crudelissime divellit.* Et c. 25. *dum haec ita fierent* etc. Bell. Hispan. 23. *hic dum in opere nostri distenti essent, complures ex superiore loco adversariorum decucurrerunt.* Adde c. 1. ubi tamen e plurimis codd. restituerunt *detinetur* pro *detineretur.* vid. p. 310.

Hanc rem considerent, qui de aetate Phaedri et Dionysii Catonis acturi sunt. Cf. locos antea p. 313. nominatos et Caton. Dist. 2, 3. ubi iamdudum correxerunt *metuis.*

9. Saepe in altera enuntiationis parte adduntur vocabula *interea*, *iam*, *interea iam.* Livius, Hirtius et alii etiam *interim* dixerunt, Cicero non item.

Terent. Eun. 3, 5, 44. *dum haec mecum reputo, accersitur lavatum interea virgo.* 2, 2, 24. Cic. p. Quint. 6, 28. *haec dum Romae geruntur, Quintius interea — de saltu agroque communi a servis communibus vi detruditur.*

Terent. Eun. 2, 2, 24. *dum haec loquimur, interea loci ad macellum ubi advenimus* etc.

Cic. p. Rosc. Am. 32, 91. *dum is in aliis rebus erat occupatus, qui summam rerum administrabat, erant interea, qui suis vulneribus mederentur.* in Verr. 5, 35, 91. *haec dum aguntur, interea Cleomenes iam ad Elori litus pervenerat.* Liv. 21, 7, 1. *dum ea Romani parant consultantque, iam Saguntum summa vi oppugnabatur.*

Plaut. Trin. 1, 1, 8. *dum illi aegrotant, interim mores mali — succreverunt uberrime.* 3, 3, 28. Men. 1, 3, 31. Liv. 21, 47, 7. *dum Hannibal — traiicit gravius peditum agmen, interim Mago equitesque — Placentiam ad hostes contendunt.* 21, 29, 1. 3, 23, 1. 5, 47, 1. 6, 28, 5. 30, 5. Hirt. B. afr. 51. *dum haec opera — fiebant a legionibus, interim pars acie ante opus instructa sub hoste stabat.* Tacit. Ann. 1. 46.

II. 1. Hoc temporis spatium duabus rebus commune certam mensuram habere et ad aliquem terminum produci potest. Tum voc. *dum* ipsum hunc terminum significat, *tamdiu quam, usque eo, so lange als.* Atque ita ambitus alicuius rei definitur per tempus alterius rei.

Vbi simplex ratio temporis tenetur, indicativo exprimitur. Tempora, quibus illa aequalitas conveniat, omnia sunt. Et quod antea exposuimus de praesenti in narratione praeteritae rei ponendo, interdum etiam usurpatur cum significatione continuitatis: ut Liv. 27, 42, 13.

Cic. ad Att. 9, 10. *ut aegroto dum anima est, spes esse dicitur,* sic etc. de Senect. 23, 85. *nec mihi hunc errorem, quo delector, dum vivo, extorqueri volo.* Acad. 2, 17, 52. *at enim dum videntur, eadem est in somniis species et eorum, quae vigilantes videmus.* ubi Goerenzius nescio quomodo intelligit *dum* pro *donec* positum. Recte critici restituerunt *et.* Petron. 34. *ergo vivamus, dum licet esse bene.* Plaut. Bacch. 4, 4, 85. *mane, dum scribit.*

Cic. de Fin. 3, 2, 9. *iam infici debet his artibus* (puer), *quas si, dum est tener, combiberit, ad maiora veniet paratior.*

Terent. Andr. 1, 2, 17. *dum tempus ad eam rem tulit, sivi animum ut expleret suum.* 2, 6, 12. Cic. p. Rosc. Am. 43, 126. *dum praesidia ulla fuerunt, in Sullae praesidiis fuit.* Liv. 21, 13, 3. *neque dum vestris viribus restitistis, neque dum auxilia ab Romanis sperastis, pacis umquam apud vos mentionem feci.* Cf. NONDVM.

Cic. Catil. 3, 7, 16. *ille erat unus timendus ex his omnibus, sed tamdiu, dum moenibus urbis continebatur.* Acad. 1, 3, 11. *ego autem, — dum me ambitio, dum honores, dum caussae, dum rei publicae non solum cura, sed quaedam etiam procuratio multis officiis implicatum et constrictum tenebat, haec inclusa habebam.* p. Mur. 12, 26. Cic. Tusc. 1, 42, 101. *fuit haec gens fortis, dum Lycurgi leges vigebant.*

Terent. And. 1, 1, 25. *antea qui scire posses, aut ingenium noscere, dum eum aetas, metus, magister cohibebant.*

Cic. p. Rosc. Am. 32, 91. *dum is in aliis rebus erat occupatus, qui summam rerum administrabat, erant interea, qui suis vulneribus mederentur.*

Plaut. Pseud. 1, 3, 103. *quia edepol dum ego vivos vivam, numquam eris frugi bonae.* Cic. de Leg. 1, 1, 2. *dum latine loquentur litterae, quercus huic loco non deerit, quae Mariana dicatur.* p. Rosc. Am. 32, 91. *nam dum hominum genus erit, qui accuset eos, non deerit: dum civitas erit, iudicia fient.* Terent. Heaut. 1, 1, 54. *ego te meum esse dici tantisper volo, dum, quod te dignumst, facies.* Virgil. Aen. 1, 607.

Indicativus in obliqua oratione. Cic. p. Rosc. Am. 25, 70. *prudentissima civitas Atheniensium, dum ea rerum potita est, fuisse traditur.*

Liv. 27, 42, 12. *consul, ubi silentium in castris, — inferri signa iussit; tantumque ibi moratus, dum milites ad praedam discurrunt, receptui deinde cecinit.* Sallust. Cat. 36, 1. Iug. 53, 3.

2. Non raro adiiciuntur plena in oratione vocabula *tam diu, tantum, tantummodo, tantisper, usque,* saepe aliis verbis interpositis. In narrandis rebus expositio per partes ita progreditur, ut oratio ad posteriora pergat verbis positis, quae consequutionem significant: *postea, deinde, mox, nunc.*

Cic. in Verr. 4, 3, 6. *C. Claudius — usus est hoc Cupidine tam diu, dum forum diis immortalibus populoque romano habuit ornatum.* de Senect. 12, 41. ad Fam. 9, 12, 1. Tusc. 5, 33, 96. ubi librarii quidam pro *dum* dederunt *quam.* Et Ernestius tamquam nusquam idem legisset, ad Cic. ad Att. 9, 6. *sed tam diu, dum lego.* annotavit: „*tam diu* mihi de glossa suspectum semper fuit; nam id est in *dum.*" Hic illud prorsus necessarium erat. At ipse alia et meliora docuerat ad Verr. 4, 3, 6. cf. Schelleri Observ. p. 188. et 240. Gernhard. ad Cic. de Sen. 12, 41. Ochsner. Eclog. p. 269. Sallust. Iug. 53, 3. *Numidae tantummodo remorati, dum in elephantis auxilium putant.* Terent. Ad. 1, 1, 44. *malo coactus qui suum officium facit, dum id rescitum iri credit, tantisper cavet.* Heaut. 1, 1, 54. Plaut. Truc. prol. 11. Most. 3, 1, 153.

Cic. Verr. 1, 5, 12. *fateatur id, quod negari non potest, se privatum hominem praedonum duces vivos et incolumes domi suae, posteaquam Romam redierit, usque dum per me licuerit, tenuisse.*

Cic. p. Mur. 12, 26. *quae dum erant occulta, necessario ab iis, qui ea tenebant, petebantur: postea vero pervulgata — inanissima prudentiae reperta sunt.* Liv. 27, 42, 12. vid. supra. Cic. ad Att. 9, 6. *eas (epistolas) quum lego, minus mihi turpis videor, sed tam diu, dum lego: deinde emergit rursum dolor.* Horat. Epist. 2, 1, 190. *dum — mox.*

Cic. ad Att. 12, 18. *nam dum illud tractabam, — quasi fovebam dolores meos: nunc omnia respuo.* Terent. Andr. 1, 2, 17.

3. In aequali longinquitate duarum actionum comparanda poetae dicunt *dum — dum* pro *tamdiu — dum.* Quod Muretus Var. Lect. 16, 10. suspicabatur *dum — dum* geminatum poni, ut Graecorum ὅτε μὲν — ὅτε δέ,

falsum erat. Iamdudum apud Sueton. de Rhetor. 1. restituerunt: *tum utilia et necessaria, tum perniciosa et supervacanea ostendere.*

Catull. 62, 45. *sic virgo dum intacta manet, dum cara suis.* et iterum v. 56. *sic virgo, dum intacta manet, dum inculta senescit.* de quo loco Quinctil. 9, 3, 16. *quum prius d u m significat, q u o a d, sequens u s q u e eo.*

Nec dubito, quin in Plaut. Truc. 2, 1, 23. scribendum sit: *dum habeat, dum amet: ubi nihil habeat, alium quaestum quaerat.* Vulgo legitur *dum habeat, tum amet.*

Ab his diversa sunt, in quibus *dum* per anaphoram iteratur, veluti Liv. 22, 60, 15. *desiderate dum patria est, dum cives eius estis.* ubi vid. Drakenb. et ad 3, 10, 13. et ad 5, 35, 4.

4. Additur a comicis *quidem*, quando in temporis perpetuitate necessitas quaedam conditionis apparet: quasi dicatur, per totum hoc tempus, certe per hoc tempus.

Plaut. As. 5, 2, 19. *ego istuc scio, ita fore illi, dum quidem cum illo nupta eris.* Merc. 2, 3, 53. *perpetuo recte, dum quidem illic fui.* Bacch. 2, 2, 47. *non metuo, nec cuiquam supplico, dum quidem hoc valebit pectus perfidia meum.* As. 2, 4, 57. Ps. 1, 5, 92. *numquam edepol quoiquam supplicabo, dum quidem tu vives.*

5. In his temporis ratio simplex est. Sed possunt duae res aequales ita conferri, ut simul nexus appareat interior, quo altera res aut conditionem adiiciat alteri, aut caussam rei actae in tempore designet. Vnde saepe fit, ut *dum* indicet rem non diutius permanere aut non longius promoveri. Hac vero significatione ea ratio constituitur, quae in consequutivis fine et consilio constructionem verborum moderatur. Atque haec coniunctivum sibi vindicant, in quo explicando viri doctissimi adhuc non consentiunt.

I. H. Vossius, Gronovium sequutus, et cum eo alii soloecum esse censuerunt omnem hunc coniunctivi usum, atque subtilitati improbabili indulgere maluerunt quam agnoscere duplicem vim diversam.

Liv. 21, 8, 1. *obsidio deinde per paucos dies magis quam oppugnatio fuit, dum vulnus ducis curaretur.* quorum sensum Vossius quum reddit: *Hannibal hielt einige Tage inne mit der Bestürmung, bis seine Wunde zum Heilen gebracht würde.* duplici errore fallitur. Tempus significatur, sed simul in eo

indicatur caussa et conditio. Germani ut eamdem vim exprimant, utuntur particulis *nur* et *eben*. Quare reddi possunt illa verba: *so lange eben die Heilung der Wunde dauerte*. 24, 40, 10. *die insequenti quievere, dum praefectus iuventutem Apolloniatium armaque et urbis vires inspiceret*. Atque hoc argumento defenderim codicum scripturam apud Cic. de Nat. d. 2, 59, 147. *de quo dum disputem, tuam mihi dari velim, Cotta, eloquentiam*. nisi quis aliorum librorum scripturam praetulerit: *disputarem — vellem*. vid. not. ad Wopkens. Lection. p. 269. Sueton. Aug. 78. *sic quoque saepe indigens somni, et dum per vicos deportaretur, et deposita lectica, inter aliquas moras condormiebat*. i. e. quando indigens erat somni, et tantum per id tempus, quo per vicos deportabatur: *nur so lange, so lange eben*. Temporis terminus in se habebat conditionem. Quare quae c. 94. in obliqua oratione dicta sunt: *lego, Atiam — dum ceterae matronae dormirent, obdormisse*. si recta oratione exprimenda essent, etiam coniunctivum retinere oporteret ad eum sensum exhibendum, qui plurimos interpretes fugit. Est enim: obdormivisse tantum in id tempus, quo ceterae matronae dormirent, non longius. Conf. Calig. 38. Cassius ad Cic. Epist. 12, 13, 3.

Val. Flacc. 1, 425. *vectorem pavidae Castor dum quaereret Helles, passus amyclaea pinguescere Cyllaron herba*. Hic tempus quaerendi simul in se habet caussam, quapropter Castor equo suo otium concessit. Phaedr. 1, 4, 2. *canis per flumen carnem dum ferret natans, lympharum in speculo vidit simulacrum suum*. Quae dubito utrum huc pertineant, an ad sequioris aetatis usum illum referenda sint, de quo dixi p. 312. Ad id attendere debebant defensores antiqui nominis poetae.

Propert. 2, 15, (12,) 40. *tu modo, dum licet, hunc fructum ne desere vitae*. Ita dederunt Calphurnius aliique inserta voce *hunc*. Cod. Groning. *dum liceat*, quod a Broukhusio probatum, e veteribus nemo dixisse videtur, nec hoc loco poteat cum reliquis verbis conciliari. *Dum lucet*, quod nunc novos habet defensores, etiam abhorrere videtur ab antiquo usu. Pro illo *liceat* cave ne argumentum quaeras in Terent. Ph. 5, 8, (9,) 41. *habet haec ei, quod, dum vivat, usque ad aurem obganniat*. vel in Plaut. Bacch. 5, 2, 76. *non tibi venit in mentem, amabo, si, dum vivas, tibi bene facias*. Haec enim ad regulam Diomedis (vid. p. 309.) formata sunt. Tamen dubito: nam Plin. Hist. n. 2, 79, 81. *quae si vera sunt, quantum a deo tandem videri possunt tales distare, dum vivant*.

6. Hoc modo quum consilium significatur, saepe

vocula *dum* coniungit sententiam finalem, ut idem fere exprimat quod *ut.* Sic Graeci ἕως ponunt pro ὡς. Priscianus 18. p. 1172. verbis Virgilii: *multa quoque et bello passus, dum conderet urbem*, confirmat significationem vocabuli *dum* pro ὅπως vel ἵνα positi. In poetis si quando lectionis varietas utrumque modum suppeditat, animadvertere criticum oportet, quomodo poetae id, quod cogitatione arctius necti potest, imaginibus disponunt.

Quinctil. 4, 1, 46, *nam se quoque moveri interim finget, — dum aditum sibi ad aures faciat, et auctoritatem induat vera sentientis.* Qui scripserunt *dum facit — induit*, non male quidem fecerunt, neque necessitatem, quam memorat Gernhardus, in verbis *dum faciat* inesse video, neque v. *dum* pro *dummodo* usus est auctor, quasi inhonestum esset fingere se moveri.

Lucan. 1, 205. *sicut squalentibus arvis aestiferae Libyes viso leo comminus hoste subsedit dubius, totam dum colligit iram.* Non est praeferenda altera scriptura *colligat*, quae partes sententiae coniungit logico vinculo.

III. 1. Tertium significationis genus exsistit, quum terminus, ad quem aliquid produci dicitur, finem in se habet, aut id indicat, quo quis de consilio tentet. Tum intelligitur *usque dum*, *so lange bis dafs.* Sic proprie ponitur *dum* post verba exspectandi, manendi, retinendi. In eiusmodi sententia ob finis et consilii rationem coniunctivi locus est: sed Latini saepe etiam indicativum posuerunt, temporis modum unice tenentes. De qua re vid. Burmann. ad Claudian. in Eutrop. 1, 316. qui ad Ovid. Fast. 4, 755. cum Heinsio solum coniunctivum admittere voluerat, et Cortius ad Lucan. 1, 221. et Arntzen. ad Caton. Dist. p. 154. et Schelleri Observ. p. 15. 172. 179. Nimirum nonnisi perfectum et praesens et futurum ita poni possunt, quibus certum quoddam temporis punctum indicatur. Significationem vero utriusque modi quamvis apte distinguamus verbis *so lange bis* et *so lange bis dafs*, has formas et in romana et in germanica lingua ubique commutari videbimus. Et ne tum quidem, quum nomen temporis praemittitur, et ab eo altera sententiae pars pendere videtur, semper ponitur coniunctivus, veluti Terent. Phorm. 3, 2, 27.

Cic. Tusc. 4, 36, 78. *his* (iratis) *aut subtrahendi sunt ii, in quos impetum facere conantur, dum se ipsi colligant* etc. Ovid.

Fast. 1, 33. *quod satis est, utero matris dum prodeat infans, hoc anno statuit temporis esse satis.* Met. 11, 254. Columell. 2, 10, 35. (11, 12.) *cicera — paullum aqua maceratur, dum lentescat.* 12, 9, 1. *caules lactucae ab imo depurgatos — in aloen salire oportet, diemque unum et noctem sinere, dum muriam remittant.*

Cic. ad Att. 4, 16. *comitia dilata ex senatus consulto, dum lex de tacito iudicio ferretur.* Caes. B. gall. 1, 7. *ut spatium intercedere posset, dum milites, quos imperaverat, convenirent, legatis respondit* etc. Ovid. Met. 3, 364. *illa deam longo prudens sermone tenebat, dum fugerent Nymphae.* Florus 3, 11, 7. *tum simulato transfugae cuidam Mazarae Syro creditur, dum in mediam camporum vastitatem eodem duce ductus, exercitus undique hosti exponeretur.* Phaedr. 1, 19, 6. *tempus exorans breve, dum firmiores posset catulos ducere.*

Caes. B. civ. 1, 87. *Caesar ex eo tempore, dum ad flumen Varum veniatur, se frumentum daturum pollicetur.* i. e. ex eo tempore usque ad illud, quo ad Varum veniatur.

Cic. ad Att. 7, 1. *exspecta, amabo te, dum Atticum conveniam.* Lael. 13, 44. Liv. 3, 11, 13. *exspectate, dum consul aut dictator fiat, quem privatum viribus et audacia regnantem videtis.* Lucan. 5, 303. *nec, dum desaeviat ira, exspectat.* Tacit. Dial. 19, 7. *qui — nec accipiunt tempora, sed constituunt; nec exspectandum habent oratorem, dum illi libeat de ipso negotio dicere.* Liv. 4, 21, 10. *Virginius dum collegam consuleret moratus, — nocte dictatorem dixit.* 22, 38, 1. Caes. B. gall. 8, 28. Terent. Eun. 3, 3, 28. *at tu apud nos mane, dum redeat ipsa.* Heaut. 3, 2, 32. *quid exspectat, Syre? an dum hinc denuo abeat?* Permagnum exemplorum numerum collegit Hadrian. de Serm. lat. p. 135. (42.).

Nomina temporis praemissa observa in locis Livii, Phaedri modo expositis. Cic. Tusc. 4, 36, 78. *differant in tempus aliud, dum defervescat ira.* Liv. 30, 16, 14.

Cic. in Verr. act. 1. 6, 16. *ea mansit in conditione atque pacto usque ad eum finem, dum iudices reiecti sunt.* Sed de Nat. d. 2, 51, 129. *quid dicam, quantus amor bestiarum sit in educandis custodiendisque iis, quae procreaverunt, usque ad eum finem, dum possint se ipsa defendere?*

Terent. Eun. 1, 2, 126. *concedam hinc intro, atque exspectabo, dum venit.* Heaut. 4, 7, 5. Phorm. 3, 2, 27. *nequeo exorare, ut me maneat. — triduum hoc, dum id, quod est promissum, ab amicis argentum aufero.* 5, 7, (8,) 89. *retine, dum ego huc servos evoco.* Virgil. Ecl. 9, 23. *Tityre, dum redeo, brevis est*

via, pasce capellas. Cic. ad Att. 10, 3. *ego in Arcano opperior, dum ista cognosco.* i. e. dum de istis rebus mihi scribas. Ovid. Her. 7, 179. Quare scripturam in aliquibus codicibus Horatii Epist. 1, 2, 42. *rusticus exspectat, dum defluit amnis.* tantum abest, ut cum Schmidio tamquam ineptam reiiciamus, ut Cortii auctoritatem (ad Lucan. 1, 121.) comprobemus. Etiam 2, 1, 46. codd. quidam praebent: *demo unum, demo etiam unum, dum cadit elusus ratione ruentis acervi.* Virgil. Aen. 4, 51. *caussasque innecte morandi, dum pelago desaevit hiems.* Senec. de Ira 3, 1, 1. Terent. Heaut. 4, 3, 39. *unus est dies, dum argentum eripio.* Andr. 2, 1, 29. *saltem aliquot dies profer, dum proficiscor aliquo, ne videam.* Cic. de Orat. 1, 42, 191. *atque interea tamen dum haec, quae dispersa sunt, coguntur, vel passim licet carpentem et colligentem undique repleri iusta iuris civilis scientia.* ubi Ernestius necessarium putat *cogantur.*

Cum perfecto. Propert. 1, 3, 43. *interdum leviter mecum deserta querebar externo longas saepe in amore moras, dum me iucundis lapsam sopor impulit alis.*

Cum futuro. Propert. 1, 14, 14. *quae maneant, dum me fata perire volent.* Sueton. Tib. 24. *dum veniam ad id tempus* etc.

Liv. 27, 42, 18. *tantumque ibi moratus, dum milites ad praedam discurrunt, receptui deinde cecinit.* Claudian. in Eutrop. 1, 314. *in dubio vindex Bellona pependit, dum spado Tiresias enervatusque Melampus reptat ab extremo referens oracula Nilo.* Apulei. Met. 2. p. 128, 4. *me nomine ciere non prius desierunt, quam dum hebetes artus et membra frigida pigris conatibus ad artis magicae nituntur obsequia.* ubi Oudendorp. sine caussa dubitat.

In loco designando Pomp. Mela 3, 8, 3. *init penitus introrsusque, dum Aegyptum pene et montem Arabiae Casium attingit.* quamquam in aliis libris *attingat* legi Oudendorp. l. c. notat.

Vtrumque modum coniungi passi sunt quidam editores in Cic. Epist. 9, 2, 9. *latendum tantisper ibidem, dum defervescit* (vel *effervescit*) *haec gratulatio, et simul dum audimus, quemadmodum negotium confectum sit.* Si Cicero scripsit *effervescat,* quod legitur in scriptis libris, diversus est coniunctionis duplicis sensus. Sed eodem sensu Lentulus ad Cic. Epist. 12, 14, 11. *quoniam consulibus decreta est Asia et permissum est iis, ut, dum ipsi venirent, darent negotium, qui Asiam obtineant: rogo te, petas ab iis, ut hanc dignitatem potissimum nobis tribuant et mihi dent negotium, ut Asiam obtineam, dum ipsorum alteruter venit.* Mirabilius esset, quod apud Varronem legitur de Re r. 1, 2, 12. *itaque dum id nobiscum una videatis,*

ac venit aedituus, docete nos, agricultura quam summam habeat utilitatemne an voluptatem. Variant libri: et scribendum videtur: *dum id* (i. e. primum ovum) *nobiscum una videtis.*

Curt. 10, 3, 6. *sed in novo — imperio — tempore opus est, dum mitioribus ingeniis imbuantur et efferatos mollior consuetudo permulceat.* Zumptius alios codices sequutus edidit *imbuuntur — permulcet.* quod Walchius in Ephem. halens. 1820. n. 14. p. 110. iure reprehendit.

Tibull. 2, 5, 85. *oblitus et musto feriet pede rusticus uvas, dolia dum magni deficiantque lacus.* Alii libri *deficiunt*, alii *deficient*, quod Vossius recepit. Sed omnes hae lectiones ratione et exemplis possunt defendi. Argumentatione fallitur Bachius. Nam futurum, quod librarius quidam ad aequanda tempora substituisse videtur, distinctum finem indicat, ab hac sententia alienum: nec magis aptus est indicativus praesentis.

Additur *usque.* Gracchus apud Gell. 10, 3. *struppis, quibus lectica deligata erat, usque adeo verberari iussit, dum animam efflavit.* Ovid. Her. 1, 45. *usque metu micuere sinus, dum victor amicum dictus es ismariis isse per agmen equis.* Et *usque eo.* Cic. de Nat. d. 2, 49, 124. *usque eo premere earum capita mordicus, dum illac captum amitterent.* Et *tamdiu.* Cic. p. Flacco 17, 41. *Flacco vero quid profuit, qui valuit tamdiu, dum huc prodiret?*

Interim — dum. Scribon. Largus 107. *illud utique credas interim velim mihi, dum in aliis expertus persuadeam, hoc medicamentum non solum non nocere stomacho, verum etiam reficere et confirmare eum supra omnem opinionem.*

Haec nostra expositio satis demonstrat, quid tribuendum sit doctrinae, qua Herzogius ad Sallust. Cat. 14, 5. *dum* et *donec* distinguit: quasi illud nusquam certum finem significet.

2. Negatione praemissa vel ubi primaria sententia est negativa, sensus verborum *non ante quam* exprimitur. Cf. NONDVM.

Cic. p. Mil. 20, 54. *dum hic veniret, locum relinquere noluit.*

IV. *Dum* coniunctio quibusdam in formis fit adverbium. Significat vero *ad hunc temporis terminum usque, adhuc.*

1. Ita componitur cum *etiam*, et dicitur *etiamdum*, quod est *adhuc.* Sed sunt multi, qui latinum verbum hoc esse negant. Nimirum Wolfio crediderunt, qui ad Tacit. Ann. 1, 3. *dum* nonnisi negationibus iungi

dixerat. Cf. Orellius ad Cic. de Orat. 2, 3, 12. Contrariam sententiam posuit Heumannus ad Cic. Catil. 1, 4. Bentleius vero ad Terent. Eun. 3, 5, 22. docuit, quod in re praeterita esset *etiamtum*, in praesenti esse *etiamdum*. Cf. Heusingeri Observ. p. 17. Nos quidem in hac re componenda ita argumentamur. Primum loci scriptorum sat multi reperiuntur, in quibus non modo antiqui libri has voces perhibent, sed nullam omnino admittunt correctionem. Deinde similis compositio apparet in vocabulis *primumdum*, *dudum*. Denique nihil in usu repugnat primitivae vocis naturae. Quare ita est praecipiendum: *etiamdum* significare *adhuc*, *ad hoc tempus*, sed differe ab *etiamnum* et *etiamtum* eo, quod in his temporis certum indicium additur, quemadmodum *annoch* ab *jetzt noch* et *damals noch* distinguitur: at antiquos scriptores aut raro aut numquam adhibuisse, nisi in sententia negativa: tamen vitae communis usum ne in affirmativa quidem sententia reiecisse: unde etiam in epistolis Ciceronis occurrat. Recentiores scriptores saepius id usurpasse videntur.

Cic. ad Att. 13, 31. *qui exspecto tuum adventum, morabor te. Non enim puto tam expeditum faberianum negotium futurum, etiamsi est futurum, ut non habeat aliquid morae. Quum poteris igitur, quoniam etiamdum abes.* Plin. Hist. n. 26, 12, 75. *folia ephemeri tuberibus tumoribusque illinuntur, quae etiamdum discuti possunt.*

Plaut. Ps. 4, 2, 2. *nam nihil etiamdum harpagavit, praeter cyathum et cantharum.* Mil. 4, 2, 2. *dissimulabo, hos quasi non videam, neque esse hic etiamdum sciam.* In Rud. 5, 3, 26. dubia est lectio. Terent. Heaut. 2, 1, 17. *neque etiamdum scit pater.* In Plaut. Truc. 2, 3, 66. antiquo Beroaldi codice confirmatur emendatio Gulielmi: *haud convenit etiam hic dum Phronesium.*

Cic. de Orat. 2, 3, 12. *postero igitur die, quam illa erant acta, hora fere secunda, quum etiamdum in lecto Crassus esset, et apud eum Sulpicius sederet, — repente eo Q. Catulus — venit.* Ernestius cum Lambino ex Iuntina receperunt *etiam tum*. Tacit. Ann. 1, 3. *privignos imperatoriis nominibus auxit, integra etiamdum domo sua.* Wolfium *etiamtum* corrigentem omnes sequuti sunt.

2. Coniungitur *dum* verbis negationis: quo exsistunt nomina *nondum*, *nihildum*, *necdum*, *hauddum*, *nedum*, quae utrum coniunctis an separatis vocibus scribantur, grammatici sine caussa dubitant. Nam uno

accentu eiusmodi vocabula continentur, quando alterum instar enclitici alteri subiicitur: id quod in *dum* fit semper. Significant illa *adhuc non*, *adhuc nihil:* sed *nedum* non uno modo usurpatur. Vide ea suis locis.

Exempla voc. *nullusdum* vide apud Ascon. in Argum. Cic. p. Mil. p. 526. Schütz. Liv. 7, 33, 13. 9, 12, 3. 29, 11, 1. ubi Drakenb. Mencken. in Miscel. Lips. Nov. 3. 1. p. 162. Kiessling. ad Tacit. An. 2, 26. De *nihildum* vid. Drakenb. ad Liv. 24, 20, 15. Cic. ad Fam. 12, 7, 6. *quamquam nihildum audieramus, nec ubi esses, nec quas copias haberes.*

Nemodum Celsus in Dig. 41, 2, 18, 2. *quamquam id nemodum attigerit.*

V. 1. Coniunctio, quae temporis terminati rationem designat, refertur ad conditionem, qua aliqua sententia vel res coercetur. Est enim proprie ad hunc terminum usque, intra hos conditionis terminos, *bis zu welchem Puncte*, quod Germani etiam dicunt *insofern*. Hoc modo exprimitur conditio concedendae rei restringens, quam germanice nos dicimus *wenn nur*, *nur dafs*. Tum vero necessario apponitur coniunctivus. vid. Charisius 2. p. 201. Diomedes p. 387. Passerat. ad Propert. 1, 2, 32. Et sententiarum, quae ita conformantur, altera saepe est concessiva, vel per *licet*, vel per coniunctivum verbi, vel etiam per imperativum expressa.

Hunc usum, latinis scriptoribus communem, cur Eichstadius in Frontonis Operum Specimine p. 10. Sallustianum appellaverit, equidem non exputo. Terent. Andr. 4, 1, 51. *hoc tibi pro servitio debeo, — capitis periculum adire, dum prosim tibi.* Cic. de Fin. 5, 29, 89. *dum res maneant, verba fingant arbitratu suo.* de Orat. 1, 22, 101. *iam vero ista conditione, dum mihi liceat negare posse, quod non potero, et fateri nescire, quod nesciam, licet — vestro arbitratu percontemini.* p. Rosc. Am. 41, 119. *qui et ipse in cruciatum dari cuperet, dum de patris morte quaereretur.* Sallust. Cat. 40, 4. *nihil tam asperum, neque tam difficile esse, quod non cupidissime facturi essent, dum ea res civitatem aere alieno liberaret.* 5, 6. ubi vid. Cortius. Sueton. Cal. 30. *oderint, dum metuant.* ubi edit. Burm. *metuunt.* Tacit. Ann. 1, 22. *me quoque trucidari iube, dum interfectos nullum ob scelus, sed quia utilitati legionum consulebamus, hi sepeliant.* Quinctil. 1, 12, 17. ubi vid. Spalding.

Terent. Ph. 3, 2, 40. A. *non pudet vanitatis?* D. *minume, dum ob rem.* Cic. ad Fam. 7, 9, 3. *serius potius ad nos, dum*

plenior. Acad. 2, 32, 104. Multa exempla e Plauto collegit Pareus in Lex. crit. p. 392. Quinctil. 4, 1, 70. *quomodo et similitudine, dum brevi, et translatione atque aliis tropis — utemur.*

Phaedr. 1, 15, 9. *ergo quid refert mea, cui servo? clitellas dum portem meas.* Aut *porto*, aut *quum* corrigunt. At recte illud dicitur proprie, quod est: *insofern ich nur meinen Sattel trage. meas* i. e. quas portare soleo.

Plaut. As. 1, 3, 14. *semper tibi promissum habeto hac lege, dum superes datis.*

Rhet. ad Heren. 1, 5, 8. *referemus, dum haec omnia ad eam ipsam rem, de qua agitur, sint accommodata.* ubi olim legebatur *dummodo*, auctore Omnibono. Quinctil. 1, 11, 1. *dandum aliquid comoedo quoque, dum eatenus, qua pronuntiandi scientiam futurus orator desiderat.* ubi quidam libri omittunt *dum.*

Saepe res ita se habet, ut simul significationem finalem intelligere possis. Sallust. Cat. 14, 6. *postremo neque sumptui, neque modestiae suae parcere, dum illos obnoxios fidosque faceret.* Virgilii verba Aen. 1, 9. *dum conderet urbem*, Charisius explicat, *dummodo conderet:* sed Servius, *donec conderet.*

Indicativum hoc sensu positum frustra defendit Cortius. Vid. eum ad Cic. Epist. 7, 9, 3. ad Plin. Epist. 1, 2, 6. Nam Terent. Heaut. 4, 3, 39. male explicuit, et in Plinii loco nemo probabit codices eos, qui exhibent: *sed sane blandiantur, dum per hoc mendacium nobis studia nostra commendant.* Nec huc pertinet Plin. Ep. 9, 13, 12. vd. Gruner in Actis Soc. Lat. Ienens. Vol. 1. p. 27. Sed Ovid. Her. 2, 59. *quae fuit ante illam, mallem suprema fuisset nox mihi, dum potui Phyllis honesta mori.* est, in qua nocte. Fortasse eodem modo Venuleius in Dig. 48, 2, 12. *accusare non licet — magistratum populi romani, eumve, qui reipublicae caussa abfuerit, dum non detractandi leges caussa abest.* Certe Plaut. As. 2, 4, 57. *credam fore, dum quidem ipse in manu habebo* (al. *habeo*). i. e. tum, quum.

2. Saepius ponitur cum negatione *ne*, ut terminus significetur, ultra quem sententia non possit extendi. Atque haec est exceptionis forma, qua res aliqua conceditur ex reliqua parte. *Dum non* dici non potest, nisi ubi negatio non cum verbo cohaeret, quod saepe fit in verbis *non esse.*

Plaut. Trin. 4, 2, 137. *dum ne ille sis, quem ego esse nolo, sis mea caussa qui lubet.* Aul. 3, 5, 17. Bacch. 4, 8, 26. Terent. Hec. 4, 4, 12. *dum ne reducam, turbet porro, quam velit.* Cic. ad Att. 6, 1. *tu autem meministi nos sic agere, ut,*

quot vellet, praefecturas sumeret, dum ne negotiatori. i. e. deferri vellet. Terent. And. 5, 3, 31. *quidvis cupio, dum ne ab hoc falli me comperiar.* Cato de Re r. 5, 4. *id faciat saepe, dum ne lassus fiat.* i. e. sed ea conditione. 33. *quam altissimam vineam facito, alligatoque recte, dum ne nimium constringas.* Cic. ad Cn. Magn. in Epist. ad Att. 8, 11. *ego si cui adhuc videor segnior fuisse, dum ne tibi videar, non laboro.* Liv. 33, 24, 9. *mille adscribi iussi, dum ne quis in eorum numero esset, qui post P. Cornelium et Ti. Sempronium consules hostis fuisset.* 3, 21, 6. et 25, 40, 7. ad quem utrumque locum Drakenb.

Plaut. Curc. 1, 1, 36. *dum ne per fundum septum facias semitam, dum tete abstineas nupta, vidua, virgine, iuventute et pueris liberis, ama quid lubet.*

Plin. Ep. 10, 115. *lege, domine, pompeia permissum bithynicis civitatibus adscribere sibi, quos vellent cives, dum civitatis non sint alienae.*

Ovid. Her. 3, 81. *vel patiare licet, dum ne contemta relinquar.* non pauci codd. habent *dum non.* Tum cohaerent *non contemta* (ut apud Senecam vid. p. 328.): quod sententiam corrumpit. In Livii locis 28, 40, 7. et 3, 21, 6. meliores codices *ne* pro *non* substituunt.

Dum ne quis. Liv. 26, 1, 8. et loc. paullo ante citat. 33, 24.

3. *Tamen* adiicitur, ut oppositione augeatur conditionis vis. Necessitatem conditionis exprimit additum vocabulum *quidem.* cf. II, 4.

Cic. de Orat. 2, 77, 314. *ergo, uti oratorum optimus quisque, sic etiam in oratione firmissimum quodque sit primum: dum illud tamen in utroque teneatur, ut ea, quae excellent, serventur etiam ad perorandum.* Celsus 3, 4. extr. *tutissimum est autem ante totius accessionis tempus praeterire: quamvis, ubi longa febris fuit, potest indulgeri aegro maturius, dum tamen ante minimum pars dimidia praetereatur.* Quinctil. 2, 12, 7. *itaque ingeniosi vocentur, ut libet, dum tamen constet, contumeliose sic laudari disertum.* Columel. Praef. 11. 8, 2, 26. 3, 6, 3. 8, 2, 7. Marcian. in Dig. 47, 22, 1. *permittitur tenuioribus stipem menstruam conferre, dum tamen semel in mense coëant.* Holoander correxit *tantum.* Ulpian. in Dig. 39, 2, 24. Apulei. Met. 6. p. 182, 28. *dum tamen scias* etc. ad q. l. Pricae. p. 318.

Plaut. Trin. 1, 2, 20. *dum quidem hercle tecum nupta sit, sane velim.* i. e. sane velim, ut uxor vivat hac quidem conditione, ut tua sit. Aul. 2, 2, 34. *dum quidem ne quid perconteris, quod*

mihi non lubeat proloqui. Merc. 2, 3, 89. *dum quidem hercle ne minoris vendas, quam ego emi.*

4. Plenius haec sententia traditur addito vocabulo *modo:* unde fit unum verbum *dummodo.* Sensus et construendi modus (vid. Diomedes p. 388.) idem est, nec potest Goerenzio ad Cic. Acad. 2, 32, 104. et aliis concedi, in simplici *dum* intelligi debere omissum *modo.* Ceterum etiam interposito alio verbo dicunt *dum — modo* separatim.

Plaut. Aul. 2, 2, 62. *dummodo morata recte veniat, donata est satis.* Cic. Phil. 12, 4, 9. *Gallia — omnes aequo animo belli patitur iniurias, dummodo repellat periculum servitutis.* de Off. 3, 21, 82. *qui omnia recta et honesta negligunt, dummodo potentiam consequantur.* in Catil. 1, 9, 22. *sed est mihi tanti, dummodo ista privata sit calamitas et a rei publicae periculis seiungatur.* ad Att. 7, 7. *quibus* (agricolis) *optatissimum est otium: nisi eos timere putas, ne sub regno sint, qui id numquam, dummodo otiosi essent, recusarunt.* in Catil. 1, 5, 10. *purga urbem: magno me metu liberabis, dummodo inter me atque te murus intersit.* Lambinus ex auctoritate codicum scripsit *liberaveris*, quod Beneckius vitiosum esse putat. At recte ita dicitur praemisso imperativo. vid. exempla supra p. 248. allata. Columell. 4, 22, 4. *nam ubi unius aut alterius folii pampinus prorepsit e duro, dummodo ad maturitatem perveniat, sequente vere — vehementem fundit materiam.* Propert. 3, 17, (15,) 15. *ipse seram vites, — dummodo purpureo spument mihi dolia musto.* i. e. ea conditione, ut. Iuvenal. 8, 269. Hirtius in Cic. Epist. ad Att. 15, 6. *non mediusfidius acerrimis consiliis plus quam etiam inertissimis, dummodo diligentibus, consequentur.* Ovid. Fast. 5, 241. *cur ego desperem fieri sine coniuge mater, et parere intacto, dummodo casta, viro.*

In anaphora omittitur *modo.* Cic. Brut. 82, 285. *sin autem ieiunitatem et siccitatem et inopiam, dummodo sit polita, dum urbana, dum elegans, in attico genere ponit, hoc recte dumtaxat, sed quia sunt in Atticis alia meliora, videat ne ignoret et gradus et dissimilitudines — Atticorum.*

Terent. Eun. 2, 3, 28. *mea nil refert, dum potiar modo.* Heaut. 3, 1, 57. Valer. Fl. 5, 265. *dum sua sit modo tuta salus.*

5. In negatione dicitur *dummodo ne.* Ratio eadem est. In *dummodo non* aut *non* ad aliud nomen pertinet, aut cum verbo in unam notionem coniunctum est, veluti *non esse.*

Cic. ad Fam. 10, 25, 3. *celeriter ad comitia — veniendum censeo, dummodo ne haec ambitiosa festinatio aliquid imminuat eius gloriae, quam consequuti sumus.* ad Q. fr. 1, 1, 7. *quare sit summa in iure dicendo severitas, dummodo ea ne varietur gratia, sed conservetur aequabilis.* de Orat. 3, 48, 185. *recte genus hoc numerorum, dummodo ne continuum sit, in orationis laude ponetur.*

ad Att. 12, 45. *tamen id ipsum scribas velim, te nihil habuisse, quod scriberes, dummodo ne his verbis.*

Dummodo ne quid. Cic. ad Fam. 10, 25, 3. Vlpian. in Dig. 47, 18, 1, 2.

Plin. Pan. 27, 2. *atque adeo nihil largiatur princeps, dum nihil auferat: non alat, dum non occidat.*

Senec. Ep. 54, 6. *quo modo volet, dummodo non ex animo suspirem.* Cohaeret *non* cum verbis *ex animo.* Sed Ovid. Her. 3, 81. vid. p. 326. De *modo non* vide in MODO.

Ovid. Met. 13, 151. *dummodo quod fratres Telamon Peleusque fuerunt, Aiacis meritum non sit.* ex P. 1, 1, 14. *accipe, quodcumque est, dummodo non sit amor.* Vlpian. in Dig. 48, 18, 1, 8. *si servus ad hoc erit manumissus, ne torqueatur, dummodo in caput domini non torqueatur, posse eum torqueri, divus Pius rescripsit.* Idem in Dig. 47, 20, 3, 2.

6. Interdum hac formula consilium, quod conditionem rei agendae addat, exprimitur: quod alias per *ut* dicitur. Atque in hunc sensum sufficit simplex *dum.*

Q. Cic. in Epist. ad Fam. 16, 21, 11. *erat quidem ille* (Gorgias) *in quotidiana declamatione utilis. Sed omnia postposui, dummodo praeceptis patris parerem.* Cic. ad Att. 11, 19. *mihi autem temporis satis est, dum, ut in pessimis rebus, aliquid caveam, qui nihil umquam cavi.* Ovid. Her. 3, 123. *an tantum, dum me caperes, fera bella probabas?*

VI. 1. Sed diximus supra, *dum* significare tempus duabus rebus commune. Qua ex ratione proficiscitur adverbii sive enclitici usus, quo aliis verbis adiunctum indicat rem in ipsum illud, quod agitur, tempus incidere, aut rem praesenti designatione terminari. Ita fit in verbis cohortantibus, imperativis et interiectionibus. Graeci dicunt δή, quo tempus designatur praesens, ubi nos dicimus *eben.* Sic *agedum, adesdum, manedum,* ἄγε δή. Nam quod alii existimabant vehementiam addi

hac particula, id non quadrat in omnia exempla. Germanice reddi non potest, nisi per *nun*. Latinus usus maxime sermonibus colloquentium continebatur, nec quisquam, praeter comicos, has formas usurpabat, uno verbo *agedum* excepto.

Veteres grammatici abundantiam esse caussam putabant. Donat. ad Terent. Andr. 1, 1, 2. *ades imperativum est*, *dum* *παρέλκον*: *est enim productio et adiectio syllabae: ut ehodum ad me.* Item ad Heaut. 2, 3, 8. Lindemannus de Adverb. I. p. 15. nescio quomodo futuri temporis indicium intelligit, et comparat Germanorum *komm dann* et Gallorum *venez donc*, quorum vis et natura prorsus alia est. Nam quae in his inest consequutio, non in latinis apparet.

Plaut. Men. 2, 3, 73. *tacedum parumper.* Poen. 5, 3, 103. *memoradum mihi.* Rud. 3, 5, 5. *tangedum.* 7. *iubedum recedere istos ambo illuc modo.* Truc. 2, 7, 66. *sed verum sinedum petere.* Terent. Andr. 1, 1, 1. *vos isthaec intro auferte; abite. Sosia, adesdum: paucis te volo.* Heaut. 2, 3, 8. *abidum tu, Dromi, illis obviam.* Hec. 5, 4, 4. *manedum, sodes.* 5, 3, 5. *dicdum, quaeso,* Phorm. 2, 2, 15. *cedodum, en umquam iniuriarum audisti mihi scriptam dicam?* Heaut. 3, 2, 39. *facitodum eadem haec memineris.* Exempla formulae *agedum* et *cedodum* vide in AGE et CEDO. Cic. ad Att. 14, 14. *iteradum eadem ista mihi.* At haec sunt antiqui poetae verba, quae in proverbium venerunt. Vide Acad. 2, 27, 88. ubi Goerenz. et Tusc. 2, 19, 44. ubi Kühner. Scioppius in Susp. Lect. 1, 18. aliquot locos emendavit. Vide etiam Bentlei. ad Terent. Hec. 5, 1, 18. Exempla multa congessit Pareus in Lex. crit. p. 392. Hanc comicorum proprietatem respicere debebant critici, qui *manedum* restitui iubebant Catull. 10, 27. Atque iusta erat haec caussa, qua Gronovius in Senec. Med. 987. reiiceret scripturam: *peragedum facinus manu.* Seneca scripsit *perage, dum faciunt manus.*

Terent. Andr. 2, 1, 24. *ehodum dic mihi, num* etc. 1, 2, 13. *ehodum ad me.* vd. EHO.

2. De vocabulo *dudum* diximus supra p. 299. Alia quaedam singulis scriptoribus propria sunt. Ita Plautus, ut videtur ex vulgari consuetudine, sed peculiari modo usurpavit *primumdum* in enumerandis rebus. Et videtur hoc *dum* idem significare quod graecum *μέν*. Tum idem poeta adiungit *dum* interrogativo *qui*.

Plaut. Rud. Prol. 31. *argumentum eloquar. Primumdum huic esse nomen urbi Diphilus Cyrenas voluit.* Mil. 2, 3, 26.

primumdum, si falso insimulas Philocomasium, hoc perieris. Iterum, si id verum est, etc. Most. 2, 1, 53. *omnium primumdum aedes iam fac occlusae sient.* Truc. 1, 1, 10. Trin. 1, 2, 61. Bacch. 2, 3, 25. In Capt. 1, 2, 57. (51.) Meursius scripsit *primo dum.*

Plaut. Amph. 4, 2, 12. MR. *Prodigium te fuisse oportet olim in adolescentia.* AM. *Quidum?* MR. *Quia senecta aetate a me mendicas malum.* Epid. 2, 3, 114. Men. 1, 2, 51. Terent. Eun. 2, 2, 42. GN. *at numquid aliud?* PA. *Quidum?* GN. *Quia tristi's.*

3. Alia vocabulorum genera, quibus *dum* addatur, non inveniuntur: quamquam id docuerunt Colvius et Pricaeus ad Apuleii Apol. p. 477. Oud. et ad Florid. p. 67. Cf. Drakenb. ad Liv. 29, 11, 1. Sed omnia ab iis allata exempla aut male sunt explicata, aut absurda interpunctione distincta, aut a librariis corrupta. *Iamdum* quod legebatur in Apuleii Floridis p. 354, 26. Elm. nihil est nisi vitium scribendi, uti ostendunt membranae florentinae.

In Gellio 20, 8. vulgo legebatur: *ibi dum coenantibus nobis magnus ostrearum numerus Roma missus est.* Sed quis haec defendet hodie? Apud Liv. 3, 60, 10. *adortusque nec omnes dum eductos, nec* etc. est idem ac quod in aliis libris legitur *necdum omnes eductos.* Drakenborch. legisse videtur in Plin. 1, 2, 5. *eamque dum.*

*) A librariis fere semper *dum* et *quum* confusa esse, omnes norunt. vid. Duker ad Flor. 3, 12, 10. Burm. ad Phaedr. 1, 10, 13. Saepe etiam mutantur *tum.* vd. Arntzen. ad Aurel. Vict. 89. Drakenb. ad Liv. 40, 42, 7. et *num.* vd. Heindorf ad Cic. de Nat. d. 2, 34, 89. et *nam.* vd. Cort. ad Lucan. 2, 214. *dum neque* et *denique* Garaton. ad Cic. p. Mil. 19.

DVMTAXAT.

In hoc vocabulo explicando haud temere sequimur antiquos grammaticos. Priscianus 15. p. 1015. *dumtaxat, quod ab adverbio componitur et verbo.* Est igitur *dum taxat* formula, quae in unius verbi speciem contrahitur. Nam quod distractis membris et interposito puncto DVM . TAXAT legitur in Galbae tabula

honestae missionis apud Orellium n. 737. et in Fragmento iudiciario p. 507. et p. 547, 2. et in codicibus quibusdam scriptis, ut narrat Lipsius ad Senec. de Benef. 5, 2. et quod in antiquis legibus adeo alia verba interiecta videntur, id efficere non poterit, ut hanc scripturam in libros recipiamus, quod fecerunt Wakefieldus in Lucret. 2, 122. et Beierus in Cic. Lael. 15. Nam unitate notionis continentur haec vocabula. *Taxare* antiquum verbum, quod quin a *tagere*, *tangere*, ut *vexare* a *vehere*, *texere* a *tegere*, derivemus, nihil omnino obstat, proprie significat comprehendere et comprehendendo statuere, constituere, vel ut Festus ait, finire, quoad tangi liceat, atque neutrali sensu, qui ex media significatione se taxare, in se comprehendere, *in sich befassen*, prodit, idem fere denotat quod constare, et, quum ad potestatem rei refertur, valere, *worin bestehen*, *gelten*. Sic dicuntur *mutat* (*es wechselt*), *movet*, *vertit*, *augere*, *praecipitare* et alia neutrali sensu. Ergo activo sensu *taxare* est, quid sit quidve contineat res, comprehendere et definire, *den Inhalt eines Dings umfassend feststellen*, aut, quid valeat res, agnoscere, *gelten lassen*: *taxator* is est, qui aliquid vel pretium alicuius rei constituit. Hinc fit, ut *dumtaxat* neutraliter significet, quantum constat, quantum valet, *in wieweit es umfaſst*, *wiefern es gilt*: idque usurpatur et ad constituendam et ad coercendam notionem alicuius rei. Si quis vero hac, qua ingredior, via me sequi noluerit, teneat aliam rationem activi verbi, intellecta indefinita persona, *dum quis taxat*: quemadmodum dicunt Latini *inquit*, *quod velit*, et Graeci alia. Vid. Aug. Grotefendi Gramm. p. 132. Ad eumdem significatum verbi *dumtaxat* utrobique conveniemus.

Vossius et alii explicuerunt: dum taxetur hoc unum, hoc est, aestimando unum istoc. Schellerus perversa opinione putabat contracta esse verba: *tune taces?* quae quem sensum habeant, apud ipsum vide. Vt aestimationis notionem primitivam subiiceret, Buddaeus verbum *taxare* a graeco *τάσσειν* derivavit, quo nec forma, nec significatio comprobari potest: nam *τάσσειν* etiam ad *τάγω*, *τάζω* revocari debet, et aestimatio intelligitur in constituendo alicuius rei pretio.

Scripsit de hac particula Eduard. Huschkius Excurs. ad Cic. orat. in Tull. in Analect. litter. p. 253. Sed praeterea quod in deducendo vocabulo vehementer errat, quasi *taxare*

non possit formari ex *tactum*, in quo vir doctissimus non vidit alteram syllabam *tum* terminationi inservire, ad Buddaei opinionem recurrit, et graecam vocem τάσσειν propterea supponit, ut primitivam significationem esse demonstret *statuere*, *definire*. Ea vero in latina originatione iam cognoscitur. Quare veteres omnem veritatem satis perspectam habebant. Festus enim: *taxat verbum ponitur in iis, quae finiuntur, quoad tangi liceat.* et Gellius 2, 6. cum Macrobio Sat. 6, 7. *sicuti taxare pressius crebriusque est quam tangere, unde procul dubio id inclinatum est.* Ceterum Huschkius hoc vocabulum censet ex rigidis legum carminibus in vulgaris sermonis usum migrasse, atque antiquissimum usum invenisse sibi videtur in formula *dum minore partis familias taxat*, quam ipse de sua coniectura composuit. At contraria erat via ex vulgari sermone in legum usum. Nec debetur origo vocabuli uni certae formulae, sed indoles verbi neutralis est, qua significatio ista *quantum continet* ad modum definiendum conformetur. Accedit, quod ista formula ne latina quidem esse potest. Vid. infra n. 6..

In fragmento legis rubriae per compendium scribitur DVM. T. quod Huschkius documentum dicit frequentati usus in legitimis (?) monumentis. At hoc non maiorem habet proprietatem, quam sexcenta alia sigla in monumentis reperta. Probus p. 1506. Papias p. 1669. notant DT. et ita etiam legitur in codice Gaii. vd. Goeschen. p. 432,

Quod *dumtaxat* scribebatur, vulgari pronuntiatione sonabat *duntaxat*, idque etiam saepe scriptura exprimebatur, veluti *veruntamen*, *identidem*. Vide inscript. apud Grut. p. 575, 1. et Cellarii Orthograph. p. 224. et p. 60. Vltima verbi antiquitas definiri non potest. Sed rarus est huius vocabuli usus apud comicos: in Plauti comoediis semel occurrit, in Terentii nusquam. Adverbium recte appellabis: tamen quod Bremius existimavit, etiam coniunctionis vim interdum apparere, id non tam absurdum videri debet, quam Goerenzio visum est. Nam ipsa ratio formulae non repugnat, quo minus etiam cum verbis coniungatur.

1. Primitiva igitur vocabuli significatio est, ut, quid res aliqua comprehendat, et quibus finibus contineatur, i. e. eius ambitus et modus constituatur. Hoc ad adverbii formam reducitur, ut *dumtaxat* primum sit *hactenus*, tantum, in tantum, *insoweit*. Qua ratione aut res in se suaque potestate statuitur, quod est, *ad*

hanc rem quod pertinet, aut opponitur res aliis rebus, vel ceteris. Glossae apud Vulcan. p. 82. μέχρι τούτου.

Cic. Brut. 82, 283. *sin autem ieiunitatem et siccitatem et inopiam, dummodo sit polita, dum urbana, dum elegans, in attico genere ponit, hoc recte dumtaxat. Sed quia sunt in atticis alia meliora, videat, ne ignoret et gradus et dissimulationes et vim et varietatem atticorum.* ad Att. 4, 3. *nos animo dumtaxat vigemus, etiam magis quam quum florebamus: re familiari comminuti sumus.* i. e. quantum quidem ad animum pertinet. de Nat. d. 2, 18, 47. *sint ista pulchriora dumtaxat adspectu.* ubi male reddunt *wenigstens: est insofern sie es durch den Anblick sind.* de Divin. 2, 43, 90. *quibus* (Chaldaeis) *etiam Diogenes stoicus concedit aliquid, ut praedicere possint dumtaxat, qualis quisque natura — sit.*

Cic. p. Deiot. 1, 1. *primum dico pro capite fortunisque regis, quod ipsum etsi non iniquum est in tuo dumtaxat periculo, tamen est ita inusitatum, regem capitis reum esse, ut ante hoc tempus non sit auditum.* i. e. *insofern es eine Sache zu deinem Nachtheil betrifft.* Hirt. B. afric. 90. *edicit, se iis dumtaxat vitam concessurum: bona quidem eorum se venditurum: ita tamen, qui eorum bona sua redemisset, se bonorum venditionem inducturum et pecuniam mulctae nomine relaturum, ut incolumitatem retinere posset.* Inepta erit sententia sive reddas *tantummodo vitam*, sive *certe*. Est vita, quantum ipsa per se constet.

Edict. praet. apud Vlpian. in Dig. 15, 2, 1. pr. *post mortem eius, qui in alterius potestate fuerit, posteave quam is emancipatus, manumissus alienatusve fuerit, dumtaxat de peculio, et si quid dolo malo eius, in cuius potestate est, factum erit, quo minus peculii esset, in anno, quo primum de ea re experiundi potestas erit, iudicium dabo.* i. e. quod attinet ad peculium, *insofern es betrifft.* Haec formula *dumtaxat de peculio* saepissime occurrit. Vide Huschkii Anlect. p. 264. Vlpianus in Dig. 14, 4, 7, 5. *haec actio et perpetuo et in heredem datur de eo dumtaxat, quod ad eum pervenit.* Sed 4, 3, 17, 1. *dumtaxat de eo, quod ad eos pervenit.*

2. Hac ratione usurpatur *dumtaxat* ad definiendam certam rem. Nam modus constituitur certus. Est igitur non amplius, nec plus nec minus. Atque ita dicitur in indicando certo numero vel tempore. In his vero facile exsistit ambiguitas, quandoquidem ista significatio restringi potest ita, ut intelligamus aut non plus, i. e. tantum, aut non minus, i. e. saltem.

Edict. praet. apud Vlpian. in Dig. 25, 4, 1, 10. *mittantur mulieres liberae dumtaxat quinque, ita ut, praeter obstetrices duas, in eo conclavi ne plures mulieres liberae sint quam decem.*

Inscriptio lapidis sepulcralis apud Gruter. p. 227, 5. et p. 748, 1. — *donavit sub hac conditione, ut quotannis rosas ad monumentum eius deferant, et ibi epulentur, dumtaxat in V idus iulias. Quod si neglexerit, tunc ad VIII eiusdem collegii pertinere debebit.* Nimium est, quod Huschkius interpretatione hac substituit: ne alias cogerentur legatarii eo quoque tempore rosas deferre, quo nullae esse solent.

Alfenus Varus in Dig. 50, 202. *quum in testamento scriptum esset, ut heres in funere aut in monumento dumtaxat aureos centum consumeret, non licet minus consumere: si amplius vellet, licet, neque ob eam rem contra testamentum facere videtur.* Igitur illud *dumtaxat* interpretatur non minus, certe: quo cavetur, ne quid testatoris honori detrahatur.

3. Ille igitur, quem exposui, vocabuli sensus adhibetur ad restringendam notionem duplici modo, ita, ut aut res una excipiatur, quod est tantum, tantummodo, *nur*, aut aliqua res certe ex sua parte affirmetur, quod est ad minimum, certe, saltem, *zum wenigsten.* Atque illa significatio etiam verbum *hactenus* admittit, quamquam ipsum *dumtaxat* idem exprimit. Sed usu factum est, ut interdum simpliciter significet *solum.* Dicitur adeo *non dumtaxat* pro *non modo*, quod fieri posse quum Laur. Valla 2, 41. negasset, exempla, quae id comprobant, in exceptione collocavit.

Cic. de Orat. 2, 27, 119. *haec sunt omnia ingenii vel mediocris, exercitationis autem maximae: artem quidem et praecepta dumtaxat hactenus requirunt, ut certis dicendi luminibus ornentur.*

Cato de Re r. 49. *vineam veterem si in alium locum transferre voles, dumtaxat brachium crassum licebit.* Caes. B. civ. 2, 41. *dat suis signum Subura, aciem constituit et circumire ordines atque hortari incipit: sed peditatu dumtaxat procul ad speciem utitur, equites in aciem mittit.* Coniunge *dumtaxat procul.* Cic. de Nat. d. 1, 38, 107. de Rep. 2, 32, 56. de Nat. d. 1, 44, 123. *neque enim tam desipiens fuisset, ut homunculis similem deum fingeret, lineamentis dumtaxat extremis, non habitu solido.*

Cic. Parad. prooe. 3. *feci etiam audacius quam ille ipse, de quo loquor. Cato enim dumtaxat de magnitudine animi, de continentia — stoice solet oratoriis ornamentis adhibitis*

dicere: ego vero illa ipsa, quae vix in gymnasiis et in otio Stoici probant, ludens conieci in communes locos. Gernhardus interpretatur: si non de ceteris, saltem de magnitudine animi. Sed aptius est: non nisi.

Cic. de Fin. 2, 7, 21. *quid attinet luxuriosis ullam exceptionem dari, aut fingere aliquos, qui, quum luxuriose viverent, a summo philosopho non reprehenderentur eo nomine dumtaxat, cetera caverent.* Quem locum critici miro modo tractarunt. vid. Goerenz. Lambinus aut *si modo*, aut *dummodo* inserendum duxit ante voc. *cetera*. Orellius excidisse putat *si*. At sententia bene se habet ita conformata: qui quamvis luxuriose viverent, hoc uno nomine non reprehenderentur, in reliquis a reprehensione tuti. *Cavere* enim est effugere reprehensionem. *Cetera* ita positum non opus habet particula oppositiva. ad Quir. post red. 4, 10. *quum is inimicus, qui ad meam perniciem vocem suam communibus hostibus praebuisset, spiritu dumtaxat viveret, re quidem infra omnes mortuos amandandus esset.*

Interdum haec restrictio fit cum quadam oppositione, ut sensus sit: *sed tantum.* Celsus 5, 26, 24. *in visceribus nihil movendum est, nisi si quid aut ex iocinore, aut liene, aut pulmone dumtaxat extremo dependeat.* Inscriptio tabulae honestae missionis vid. infra n. 6.

Liv. 37, 53, 9. *nec dumtaxat animum vobis bonum ac fidelem praestitit, sed omnibus interfuit bellis, quae in Graecia gessistis, terrestribus, navalibus.* Paullus in Dig. 26, 7, 12, 3. *quum tutor non rebus dumtaxat, sed etiam moribus pupilli praeponatur, in primis mercedes praeceptoribus, non quas minimas poterit, sed pro facultate patrimonii, pro dignitate natalium constituet.* Caius in Dig. 50, 16, 235. *fabros tignarios dicimus non eos dumtaxat, qui tigna dolant, sed omnes, qui aedificant.*

Distinctionem, qua Aug. Grotefendus in Gramm. p. 373. *dumtaxat* et *tantum* diversa esse dicit, equidem non intelligo.

4. Ex hac eadem ratione proficiscitur altera significatio: ad minimum, saltem, certe, *wenigstens.* Vid. Gronov. ad Senec. de Benef. 5, 2. Qui vero disceptant de singulis locis, utrum significetur *saltem*, an *tantummodo*, sicut Matthiae fecit contra Weiskium ad Cic. p. Mil. 2, 5., meminerint diversitatem non in latino vocabulo cerni, sed in verbis germanicis.

Plaut. Truc. 2, 4, 90. *iubebo ad istam quinque perferri minas: praeterea obsonari dumtaxat ad minam.*

Cic. de Orat. 1, 58, 249. *cur ergo non iidem in iure civili — satis instructi esse possumus ad hoc dumtaxat, ne in nostra patria peregrini atque advenae esse videamur?* p. Mil. 2, 5. *equidem ceteras tempestates et procellas in illis dumtaxat fluctibus concionum semper putavi Miloni esse subeundas.* ubi Weiskius explicuit tantummodo, Matthiae saltem, certe. ad Fam. 12, 1, 2. ad Att. 2, 18. *hac tamen in oppressione sermo in circulis dumtaxat et conviviis est liberior quam fuit.* Celsus 5, 26, 26. *vomitus — malum signum est in his dumtaxat, quorum vel nervi, vel etiam nervosi loci vulnerati sunt.* Senec. de Benef. 5, 2, 2. Epist. 58, 33. Quinctil. 11, 3, 156.

Cic. ad Att. 5, 10. *valde me Athenae delectarunt: urbs dumtaxat et urbis ornamentum.* Sueton. Claud. 25. *peregrinae conditionis homines vetuit usurpare romana nomina, dumtaxat gentilitia.* Plin. Epist. 9, 13, 4. Plin. Hist. n. 28, 4, 11. 19, 11, 58. Plin. Epist. 5, 6, 12. (Tiberis) *omnes fruges devehit in urbem, hieme dumtaxat et vere: aestate submittitur.* Suet. de Gramm. 4. *clari professores et de quibus prodi possit aliquid dumtaxat a nobis, fere hi fuerunt.* Curt. 9, 10, 18.

Horat. Art. poet. 23. *denique sit quidvis simplex dumtaxat et unum.* i. e. nisi aliis virtutibus, certe hac sit praeditum simplicitatis. Nisi intelligas *quidem:* de quo significatu vide n. 7.

Praeponitur nomini. Cic. Lael. 15, 53. *coluntur tamen simulatione dumtaxat ad tempus.* in quibus extrema verba cohaerent, non *simulatione dumtaxat.* Sic Plin. Ep. 3, 9, 26. *coniectabis ex his, quantas contentiones, quantas etiam offensas subierimus dumtaxat ad breve tempus.* Cf. Cic. ad Att. 2, 14. *dumtaxat ad prid. non. mai.* ut in Inscript. apud Grut. p. 237, 5. *dumtaxat in V. id. iulias.* Iustin. 1, 5, 5. *animum minacem dumtaxat in illo fregit.* i. e. in Cyro quidem, non in Harpago.

Opponitur *alioqui.* Plin. Hist. n. 18, 7, 10. *aestiva, quae aestate ante vergiliarum exortum seruntur, ut milium, — Italiae dumtaxat ritu: alioqui in Graecia et Asia omnia vergiliarum occasu seruntur.*

Notanda est negativa sententia. Quinctil. 3, 8, 10. *narrationem vero numquam exiget privata deliberatio eius dumtaxat rei, de qua dicenda sententia est.* 2, 10, 2. *neque enim virtus ulla perpetuae dumtaxat orationis reperiri potest, quae non sit cum hac dicendi meditatione communis.*

In sententia, quae in se habet *quoque.* Florus 4, 12, 61. *omnibus ad occasum et meridiem pacatis gentibus, ad septentrionem quoque dumtaxat intra Rhenum atque Danubium.* Cf. Sueton. Aug. 66. de quo infra. Ibi Casaubonus et Scriverius

coniecerunt: *nec vitia quoque dumtaxat, sed et delicta perpessus*. Vid. Heumann. ad Cic. p. Mil. 2, 6. Praecedit et apud Plinium Hist. n. 18, 24, 56.

5. Quibusdam in locis utraque significatio, quam nos Germani diverso vocabulo distinguimus, coniungitur: quemadmodum dicimus *wenigstens nur*.

Plin. Epist. 4, 9, 7. *multis enim atque etiam principi dixerat sola se munuscula, dumtaxat natali suo et saturnalibus accepisse et plerisque misisse.*

6. Ex his vero facile intelligitur, qua ratione Bremius ad Cic. de Fin. 2, 7, 22. contendat, *dumtaxat* coniunctionem significare *dummodo*, Goerenzius autem id neget. Etiamsi non satis aptum videatur coniunctionis nomen, tamen sensus parum differt. In *dumtaxat* enim idem exprimitur θετικῶς, quod in *dummodo* conditionaliter dicitur. Atque ad coniunctionis usum proxime accedit haec particula apud Lucretium, quamvis ibi adverbii structura recte defendatur. Dicebatur etiam *dumtaxat quum*. Ita non uni nomini, sed sententiae praefigitur.

Sueton. Aug. 66. *amicitias — constantissime retinuit, non tantum virtutes ac merita cuiusque digne prosequutus, sed vitia quoque et delicta, dumtaxat modica, perpessus.* Explicant Ernestius, Goerenzius et alii *certe*, *saltem*: quod quum falsum videretur, quasi Augustus etiam maxima vitia et delicta perpessus esset, Bremius explicuit: *dummodo*. At *dumtaxat* definit certum genus delictorum, quatenus modica fuissent: *insofern sie mäſsige waren*. Goerenzii enim coniecturam, *medice perpessus*, nemo comprobabit. Ita in inscriptione apud Orell. n. 4399. *C. Iulius Iason et Cocceia Tryphanea fecerunt sibi et libertis libertabusque suorum, dumtaxat qui ex familia eorum fuissent.* In tabula honestae missionis, Galba imperatore, apud Orell. n. 737. *cum iis, quas postea duxissent, dumtaxat singuli singulas.*

Lucret. 2, 120. *conücere ut possis ex hoc, primordia rerum, quale sit, in magno iactari semper inani: dumtaxat rerum magnarum parva potest res exemplare dare et vestigia notitiai.* Est h. l. *insofern*, sive *inwiefern*. Sed ne adverbii natura repugnet, accipi potest pro *scilicet*. vid. n. 7.

In vetere lapide apud Orell. n. 3678. *ut — vinum usibus vestris, dumtaxat quum publice epulas exercebitis, habere possitis.*

Ex lege silia Festus s. v. *publica pondera* habet haec: *si quis magistratus haec d. m. pondera modiosque vasaque publica modica minora maiorave faxit, iussitve fieri, dolumve adduit, quod ea fiant, eum quis volet magistratus multaretur, dum minore patris familias taxat, liceto.* Quae verba mirabili arte tentata sunt ab Huschkio iurisconsulto in Analect. p. 255. Nam primum *modica*, quod appositione adiectum est et lege moderata significat, ille mutat in *modicis*: tum pro *multaretur*, vel ut apud Godofredum scriptum est *multatetur* (quod iam Ant. Augustinus emendavit *multetur*) ex lege iudiciaria, quae apud Marinium p. 70. Tom. 1. legitur, restitui iubet: *ei sei quis volet mag. multam irrogare*: quasi omnia ad unam formulam audacter revocanda sint: denique coniicit *dum minoris partis familias taxat*: quod esse dicit: „ei, qui contra hanc legem fecit, quicumque volet magistratus multam irrogare liceto, si modo minoris partis bonorum definiat scil. multam.“ Quae quomodo istis verbis latinis exprimi possint, nemo intelligit, nec patet, quid sit *familias*, nec quo pacto indicativus pro coniunctivo ponatur. Tamen hanc a se factam formulam vir doctissimus fundamentum fuisse putat universi usus huius particulae. In illa lege nihil mutandum est nisi *patris* in *patres*: nam *quis volet* dicitur pro *quicumque*, et recte componuntur verba *multetur liceto*. Vertas: *diesen zu bestrafen steht jeder Obrigkeit frei, nur im geringeren Maaſse die Familienväter.*

7. Glossae Philoxeni quum *dumtaxat* reddant graeco δηλαδή, Salmasius ad Vopisci Prob. 16. demonstrat, significari *scilicet*. Graecam explicationem non prorsus reiiciamus. Recentiores enim, et, ut videtur, interdum etiam veteres, certe non mali scriptores usurpabant *dumtaxat* ad verbi, cui addebatur, notionem distinctius constituendam: id quod alibi *quidem* exprimit. In quibusdam locis explicari potest per *scilicet*, *freilich*: quod quomodo cum primitiva significatione congruat, facile intelligitur.

Quinctil. 1, 4, 20. *alii tamen ex idoneis dumtaxat auctoribus octo partes sequuti sunt.* i. e. ex idoneis quidem auctoribus. Nos *eben*.

Tacit. Germ. 25. *liberti non multum supra servos sunt: raro aliquod momentum in domo, numquam in civitate: exceptis dumtaxat iis gentibus, quae regnantur.* Quod vulgo interpretantur: tantummodo.

Fortasse etiam huc pertinent haec Cic. de opt. gen. orat. 3, 8. *sed qui eatenus valuerunt, sani dumtaxat et sicci habeantur,*

sed ita, ut palaestrice spatiari in xysto iis liceat. ubi male se haberet *tantummodo.* Est enim *quidem.* p. Marcel. 7, 23. *equidem de te dies noctesque, ut debeo, cogitans, casus dumtaxat humanos et incertos eventus valetudinis — extimesco.*

Singulari modo Epist. ad Brut. 1, 3. *consules duos bonos quidem, sed dumtaxat bonos amisimus.* quod reddas *doch freilich nur gutgesinnte.*

Vopisc. Prob. 16. *veteranis omnia illa, quae anguste adeuntur loca privata donavit, addens, ut eorum filii ab anno octavodecimo mares dumtaxat ad militiam mitterentur, ne ante latrocinari quam militare discerent.* Salmasius explicat οἱ ἄῤῥενες δηλαδή.

8. De loco, quem obtineat haec particula, discrepant viri docti. Goerenzius ad Cic. de Fin. p. 150. contendit *dumtaxat* a probatis scriptoribus nusquam ab initio sententiae alicuius, vel, ut est apud Ciceronem, ante nomen suum poni. Quae Müllerus iisdem verbis repetit ad Cic. de Orat. 1, 58. p. 173. Et Orellius ad Cic. de Fin. 2, 7. constanti usu Ciceronis postponi affirmat. Qualis vero haec constantia fuerit, exempla supra posita ostendunt. Contrariam consuetudinem in Plinio observasse sibi visus erat Heusingerus. Vide eum ad Epist. 1, 2, 2. In ipso initio sententiae Lucretius particulam collocavit. Ex his vero colligi potest, non unam aut certam fuisse particulae sedem, neque ex hac argumentatione quidquam redundare ad dubia loca disceptanda. Idem animadvertimus in vocabulo *certe* p. 22. A suo verbo longe remotum est apud Lucret. 2, 931. *dumtaxat oriri posse ex non sensu sensus mutabilitate.* itemque 3, 378.

EATENVS.

Ea, quod proprie de loco et loci parte ita usurpatur, ut, ubi motus exprimitur, nomen viae intelligi possit, componitur cum *tenus.* Dicitur igitur EATENVS, uti *hactenus*, pro usque ad eam partem, usque ad eum terminum. Cave tamen, ne unum nomen singulare ubique suppleas. Nam quod grammatici plurimi in ὁδός et in *via* vel in *ratione* et in *parte* commodum supplementum multarum ellipsium quaesiverunt, mihi quidem modus videtur esse admodum dubius, neque etiam

necesse erit, ut cum Musgravio et Schaefero enallagen generis statuamus. Bernhardii opinioni de sublimiore quadam notione verbi ὁδός in Synt. graec. p. 185. propositae hoc unum argumentum suppetit, quod ὁδός nomen est generis feminini: alioquin ipse non omnia ad unum vocabulum retulisset. Graeci et Latini enim multas composuerunt in femininis nominibus formulas, quarum in origine investigenda nos frustra laborabimus, primarum notionum ignari.

1. Vocabulum *eatenus* proprie dicitur de termino loci, ad quem usque aliqua res pertineat: *in so weit.* Id ad alias res transfertur, ut definiatur, quousque eae porrigantur, quove ambitu, etiam in ipsa cogitatione, pateant. Sic modus et conditio rei constituitur. Germani dicunt *insofern.* In hac vero ratione semper requiritur termini vel modi ac mensurae indicium, quod exprimitur verbis *quatenus*, *qua*, *quoad.* Sed veteres scriptores hoc vocabulum non usurpasse videntur, nisi in doctrinarum expositione. Quare Cicero nusquam in orationibus posuit. Recentiores frequentius.

Celsus 2, 10. p. 81. *ex ulterioribus autem eatenus sanguis sequitur, quatenus emittitur: ubi is suppressus est, quia non trahitur, ne venit quidem.* Iavolenus in Digest. 47, 2, 92. *haec idcirco, quoniam furti eatenus habet actionem, quatenus eius interest.*

Columell. 4, 7, 2. *neque enim eatenus plaga consistit, qua vestigium fecit acies, sed aestivis caloribus falce vulnus penitus impressum latius inarescit ita, ut non minimam partem de eo matris corpore enecet.* 12, 9, 1. *caules lactucae ab imo depurgatos eatenus, qua tenera folia videbuntur, in alveo salire oportet.* de Arbor. 8, 2. Quinctil. 1, 11, 1. *dandum aliquid comoedo quoque, dum eatenus, qua pronuntiandi scientiam futurus orator desiderat.*

Cic. de Leg. 1, 4, 14. *hoc civile, quod vocant, eatenus exercuerunt, quoad populum praestare voluerunt.* in quo loco nihil est vitiosum: nam *praestare aliquem* dicitur pro rem alicuius agere, et hoc loco pro civium caussas agere. vid. Plin. Pan. 83. Cic. ad Quint. fr. 1, 1, 3. *quorum si quis forte esset sordidior, ferres eatenus, quoad per se negligeret has leges, quibus esset adstrictus.*

Cic. de Vnivers. 11. *quando igitur omnes, et qui moventur palamque ostenduntur, et qui eatenus nobis declarantur, quo*

ipsi volunt, creati sunt etc. Aut *qua* scribendum erat, ut Lambinus scripsit, aut *quoad*, ut Perionius emendavit. Sed Orosius Hist. 7, 21. *usque quo ad profligandas ecclesias edicta Decii cucurrerunt, eatenus incredibilium morborum pestis extenditur.*

Vnicus, quod sciam, in antiquioribus locus est Plauti Most. 1, 2, 50. de liberorum vita: *ad legionem quom itant, adminiculum eis danunt tum iam aliquem cognatum suum. Eatenus abeunt a fabris.* Sed nemo adhuc explicuit, aut reliquis accommodare potuit haec verba, quae valde suspecta mihi videntur.

2. Sic etiam pro *tantopere, in eum modum,* dicitur, sequente coniunctione *ut* vel *ne.*

Cic. de Opt. gen. orat. 7, 23. *quorum ego orationes si, ut spero, ita expressero, virtutibus utens illorum omnibus, — verba persequens eatenus, ut ea non abhorreant a more nostro.* Celsus 5, 26, 30. *calida aqua eatenus necessaria est, ut sanies removeatur.* 7, 19. p. 464. Columel. 5, 1, 3. 5, 5, 3. *de spatiis ordinum eatenus praecipiendum habemus, ut intelligant agricolae* etc. Celsus 6, 6, 38. *quidam contrito semine portulacae mel adiiciunt eatenus, ne id ex specillo destillet, eoque inungunt.* Columel. 5, 6, 14. *quum deinde arbor convaluerit, quidquid falce contingi poterit, exputandum est allevandumque eatenus, ne plaga corpori matris applicetur.* Sueton. Tiber. 33. *ac primo eatenus interveniebat, ne quid perperam fieret.* Iustin. 5, 2, 10. *eatenus bellum sustinendum, ne inopia deseratur.*

3. Ad tempus non magis a veteribus refertur quam *hactenus.* Id recentissimi scriptores demum novarunt, sed cum vitio.

Capitolin. Gordian. 22. *Gordianus adolescens, qui Caesar eatenus fuerat, a militibus et populo — ingenti studio et gratia Augustus est appellatus.* Orosius 6, 1. *hoc eatenus factum est, donec foecunda crudelitas eo usque inter tormenta ac per tormenta perficeret, quamdiu ipsum regium culmen — occuparet.*

ECASTOR. ECERE.

Ecastor et ecere, quod Charisius inter adverbia monstrativa collocat, occasionem nobis praebent universam compositionis rationem exponendi. Syllaba *e*, in multis rebus similis graecae ἠ, vim habet demonstrativam, quae in compositione redditur intensiva. Atque

ea et praefigitur in quibusdam vocabulis, quemadmodum etiam ἤδη componitur, et in alias transit formas. Adiecta enim littera *n*, fit *en*, sicuti ex *tame* factum est *tamen*. Hoc *en* cum *ce* demonstrativo coniunctum, duplicata littera sonat *ecce*. Sed praefigitur haec syllaba in triplici nominum genere. Nam in primo significatum intendit quadam monstratione, veluti in *enim*, quod est *e nam*, et in *equidem*: neque aliter in interiectionibus *eheu*, *ehem*. In altero autem genere, vocativo apposita, exprimit provocationem in obtestatione: unde fiunt *ecastor*, *epol*, *equirine*, *eiuno*, *ecere*, *edi*. Tertii sunt generis, in quo *e*, ut graecum ἦ, interrogationi inservit, *ecquis*, *ecquando*, i. e. e-quis, e-quando. Sed illa *e* affirmationis et obtestationis, cui respondet ex parte graecum νή, assumsit *m* litteram, ut esset *me*, quocum comparare possumus graecum μά. Ita dicebatur *edi* et *medi*, quod ex Titinnio affert Charisius p. 183, et *mecastor*, *mehercule*, *medius fidius*, vel, ut apud Charisium scribendum, *medi fidie*. Nec deest analogia: nam dicebatur *Ancus* et *Mancus*, et ex ἄρες *Mars*, sicuti μέχρις ex ἄχρις.

Non operae pretium puto, sententias omnes virorum doctorum, magna ex parte improbabiles, referre. Vid. Vossii Etymolog. s. v. *medius fidius*. Hoc unum addam. Veteres ipsi ignorabant originem dictionis *mehercule*, *mecastor*, et analogiam graecae dictionis non respicientes, *me* esse opinabantur pronomen et quum semel grammatici docuissent sensum esse, me iuvet Hercules, plurimi, ut videtur, dicebant *mehercules* pro nominativo, quamquam ea erat vocativi forma communis, in hoc quidem usu a Cicerone Orat. 47, 157. non probata.

Ecastor et reliqua usurpabantur in obtestatione qualicumque ita, ut omnino veritatis vel admirationis sensus exprimeretur. Quare grammatici adverbia vocabant haec nomina. Tamen narrant Charisius et Gellius 11, 6: foeminas semper *ecastor*, viros *mehercle*, utrosque *edepol* dixisse: quod quum in Plauti et aliorum locis non paucis aliter se habere critici vidissent, excusationem in eo quaerebant, quod non Romani, sed peregrini, aut illi in terris peregrinis loquuti fuissent (Ramshorn. Gram. 98. p. 294.): sed frustra. Nam idem, quod usu sibi vindicarunt mulieres, non viros dedecebat usurpare. Enimvero in quacumque asseveratione ponitur *ecastor* sive in media sententia, sive ab initio.

Etiam praemittitur exclamationis particula, et coniungitur accusativus.

Plaut. Truc. 2, 5, 28. *nunc ecastor ut veniret miles velim.* Post *si* legitur Asin. 1, 3, 36. Truc. 2, 2, 60. Stich. 1, 3, 89. et Poen. 1, 2, 71. *heu ecastor.* Stich. 1, 3, 81. *ecastor auctionem haud magni pretii.* Merc. 4, 1, 25. *ecastor vero.*

De *eccere* vel *ecere* iam apud veteres exstat mira opinionum varietas. Charisius et, ut Festus narrat, alii existimabant esse dictum pro *ecce.* Quo quum ultima syllaba non explicaretur, Schmiederus in notis ad Terent. Phorm. version. german. adiectis, n. 78. opinabatur adiici hanc syllabam sine ratione ac sensu, quomodo colloquentes interdum eiusmodi sonos emitterent. Lambinus ad Plaut. Trin. 2, 2, 105. et Nanius Misc. 1, 21. pro *ecce rem* acceperunt: quod probari nullo pacto potest. Idem Lambinus, qui aliam etiam proposuerat sententiam ad Plaut. Amph. 2, 1, 4., in notis ad Truc. 2, 2, 58. duas distinguit formas *eccere* et *ecere*, quod sit, per aedem Cereris, seu per Cererem. Eum sequitur Lindemannus ad Mil. 2, 2, 54. At illud, quod Paullus, non Festus narrat, grammaticorum quorumdum commentum erat. Duobus enim in locis Plauti, in quibus ista monstrandi vis inesse videbatur Pers. 2, 4, 29. et Mil. 2, 2, 54. ante omnia videndum erat, an antiqui libri scripturam confirmarent. Et editio princeps quidem exhibet *ecce autem* in utroque loco, idque iam Bothius restituit illi priori. In reliquis omnibus (sunt enim sex) recte intelligitur affirmatio vehementior, quae etiam per *ecastor* exprimitur. Quare Glossae bene explicant: *eccere*, *κατὰ τῆς Δήμητρος.* Aedem Cereris nemo hodie supponet. Usurpatur vero haec dictio ab eo, qui suae sententiae testimonium veritatis addit, aut aliquam rem admiratione excipit, et inopinatam rem deprehendit.

Plaut. Amph. 2, 1, 4. *eccere iam tuatim facis, ut tuis nulla apud te sit fides.* Truc. 2, 2, 58. Cas. 2, 6, 35. Men. 2, 3, 50. *eccere, perii misera.*

Plaut. Trin. 2, 2, 105. LY. *Tute ad eum adeas, tute concilies, tute poscas.* PH. *Eccere.* Terent. Phorm. 2, 2, 5. PH. *si rogabit.* G. *In te spes est.* PH. *Eccere. Quid si reddet?*

ECCE.

Ecce quomodo ex *en* et *ce* factum sit, dixi iam p. 342. Adde voc. EN. Est vero *ecce* particula demon-

strativa, quae nec graeco, nec germanico verbo apte reddi potest. Nam non sufficit vocabulum *da:* sed nimium est, quod reddunt *plötzlich.* Per *siehe da* exprimitur multis in locis similis quidem sententia, non autem vocabulum. Nam *ecce* aut simpliciter monstrat rem apparentem, aut attentionem excitat et in rem considerandam dirigit, aut rem aliquam animo offert, quae subito ac repente comparuit, aut novum quid et improvisum effert.

Grammaticorum alii appellant interiectionem, sive notam mentis ob rem subitam exclamantis, alii referunt inter adverbia demonstrativa. Sed quum haec vocula non ipsam quidem animi affectionem eius, qui loquitur, exprimat, sed aliorum animum attendat et erigat, coniungitur cum aliis nominibus, et includit notitiam non omni ex parte expositam, ideoque in elliptica structura praestat adverbii vicem. Bauerus in notis ad Sanct. T. 1. p. 221. affirmat, *ecce* significare simpliciter *vide.*

1. Primum igitur demonstrationi inservit, remque monstrat conspicuam et distinctam. Qua dicendi forma utuntur poetae etiam in narrandis rebus, ut imaginem reddant magis vividam. Servius ad Virgil. Aen. 2, 57. ait: *haec particula prope rem gestam ante oculos lectoris inducit.* Sic *eccum* etiam absentibus accommodari observat Gruterus ad Plaut. Amph. Prol. 120. Est enim designatio rei etiam longius remotae. Poetae autem saepe adhibent hanc dictionem, quando alium apparuisse narrant, aut aliam personam in scenam introducunt. Quo differat ab *en,* vide n. 11.

Plaut. Bacch. 4, 4, 16. *quem quaero, optime ecce obviam est.* i. e. *der kommt mir da erwünscht entgegen.* Terent. Eun. 5, 4, 45. (5, 25.) *ecce autem video rure redeuntem senem.* Virgil. Ecl. 9, 46. *Daphni, quid antiquos signorum suspicis ortus? Ecce dionaei processit Caesaris astrum.* Stat. Silv. 2, 1, 8. *procul ecce canoro demigrant Helicone deae.*

Virgil. Aen. 2, 403. *ecce trahebatur passis priameia virgo crinibus a templo Cassandra.* 6, 337. *ecce gubernator sese Palinurus agebat.*

Ovid. Met. 2, 441. *ecce suo comitata choro Dictynna per altum Maenalon ingrediens — adspicit hanc.* ubi non describitur repentina res.

2. Eadem vis ibi apparet, ubi in media sententia interponitur haec particula, quae rem monstrat. Cf.

Kempher. ad Calpurn. p. 335. Idque fit adeo praemissis verbis *videre*, *adspicere*, *cernere*. Burmannus, qui hoc observaverat ad Nemes. 1, 34., caussam exponit ita: primum verbum oculorum modo in rem vel locum coniectionem notare, sed voces *ecce* et *en* iubere, ut res propius et diligentius consideretur. In quibus virum doctum vulgaris opinio fefellit, qua *ecce* dicunt significare *vide*. At, ut iam dixi, simpliciter monstrat rem, ut *illic* et alia. Neque opus est commate interponendo.

Virgil. Ecl. 3, 50. *audiat haec tantum vel qui venit ecce Palaemon.* Ovid. Met. 12, 444. *signa vides. Apparet adhuc vetus ecce cicatrix.*

Calpurn. 3, 98. *Tityrus — qui redit inventa non irritus ecce iuvenca.*

Ovid. Met. 2, 92. *adspice vultus ecce meos.* Calpurn. 1, 4. *cernis, ut ecce pater quas tradidit, Ornite, vaccae molle sub hirsuta latus explicuere genista?* 1, 34. *quieti, adspice, ut ecce procul decerpant gramina tauri.* In his interponunt critici comma, quod quam alienum sit, docet 5, 7. *quos ecce greges a monte remotos cernis in aprico decerpere gramina campo, hos tibi do.*

3. Singularis est formula, qua aliquis praesentem se vel alium sistit, vel adesse dicit. Quare saepe componitur cum verbo *adest*: saepe intelliguntur verba adveniendi, apparendi. Sed interdum nihil amplius significat quam pronomen demonstrativum.

Plaut. Mil. 3, 1, 69. *opusne erit tibi advocato tristi, iracundo? Ecce me.* Epid. 5, 2, 15. *quid me quaeris? quid laboras? quid hunc sollicitas? ecce me.* Curc. 1, 3, 6. Terent. Ad. 5, 9 (7), 35. *sed si id vultis potius, quae vos propter adulescentiam minus videtis —, ecce me, qui id faciam vobis.* Terent. Heaut. 4, 7, 1. CH. *Vbi Clitipho nunc?* SY. *Eccum me, inque.* CL. *eccum hic tibi* i. e. *da bin ich.* Plaut. Mil. 3, 1, 17. *ecce nos tibi obedienteis.* Poen. 1, 2, 139. *ecce odium meum.* Sic unum ecce apud Plaut. Asin. 1, 1, 96. DE. *Atque audin' etiam?* LI. *Ecce.* i. e. *da bin ich.*

Plaut. Fragm. Cornicul. 6. *quid cessamus ludos facere? circus noster ecce adest.* Ovid. Met. 3, 101. *ecce viri fautrix superas delapsa per auras Pallas adest.* 2, 496.

Ovid. Art. am. 3, 173. *aëris ecce color tum, quum sine nubibus aër, nec tepidus pluvias concitat Auster aquas: ecce tibi similis, qui etc.* i. e. *da ist des Aethers Farbe.*

Cic. ad Att. 13, 16. *ecce tuae litteras de Varrone.* 8, 8. vid. n. 12.

Plaut. Rud. 4, 4, 134. *ecce Gripi scelera:* i. e. haec sunt G. sc.

4. Haec significatio demonstrativa in colloquiis adhibetur ad excitandam attentionem, aut ad animum in aliquam rem convertendum. Elliptica est haec dictio.

Plaut. Most. 2, 2, 65. *sed ecce quae ille inquit.*

Plaut. Trin. 4, 3, 6. *ecce hominem te, Stasime, nihili.*

Sic etiam Plaut. Cas. 2, 4, 26. *si id factum est, ecce me nullum senem.* i. e. *gib Acht, do bin ich verloren.*

5. Nec aliter in responsione, in qua *ecce* indicat rem vere fieri et in conspectum cadere.

Plaut. Mil. 2, 5, 45. *do fidem, si omittis, isto me intro iturum, quo iubes.* sc. *Ecce omitto.*

6. Attentio hoc modo convertitur in rem subito ac repente, vel statim et paullo post exsistentem. Idque fit duplici modo. Nam *ecce* aut ad ipsam rem, quae repentina sit, provocat, aut absolute positum, vel in elliptica oratione, designat rem subito apparuisse. Haud raro adiuncta habet verba *subito, repente* et alia.

Donat. ad Terent. Ad. 4, 7, 4. *ecce dicitur, quum repente triste aliquid rebus intervenit laetis, aut certe quum aliud agitur, aliud emergit novum.* Serv. ad Virg. Aen. 2, 270. Ex his Regius ad Ovid. Met. 2, 441. confecit praeceptum, quasi Cicero et Virgilius hac voce nonnisi malum repentinum, alii tamen etiam bonum designent. Sed iam Ciofanus declaravit hanc particulam suapte vi neque boni neque mali quidquam indicare.

Cic. ad Att. 7, 24. *Philotimi litterae me quidem non nimis, sed eos, qui in his locis erant, admodum delectarunt. Ecce postridie Cassio litterae Capua a Lucretio.* Alia vide T. I. p. 587.

Cic. ad Att. 8, 8. *omnes nos — expertes sui tanti, tam inusitati consilii relinquebat. Ecce subito litterae Domitii ad illum, ipsius ad consules.* p. Caec. 10, 30. *subito ecce.* Cic. in Verr. 5, 34, 87. *ecce autem repente, ebrio Cleomene, — nuntiatur piratarum naves esse in portu Edissae.* Apulei. Met. 9. p. 221, 5. *et ecce, nobis repente de tergo manipulus armati supercurrunt equites.*

7. Potest esse haec res magna, aut nova, aut mirabilis. Et dicitur etiam de re, quae, quum reliqua omnia certa et perspicua essent, inexspectata et improvisa intervenit. Vid. Oudendorp. ad Apuleii Met. p. 630. Non raro praecedit altera pars sententiae, quae ordinem rerum exponens a *quum* vel *dum* vel *ubi* incipit. Posteriori tempore scriptores, qui fervida oratione delectabantur, saepissime usurpabant hanc particulam.

Plaut. Men. 5, 2, 87. *ecce Apollo mihi ex oraculo imperat, ut ego illi oculos exuram lampadibus ardentibus.* Ovid. Art. am. 1, 177. *ecce parat Caesar domito, quod defuit, orbi addere.* i. e. id quod magnum est.

Liv. 2, 36, 7. *inde in curiam iussu consulum delatus, eadem illa quum patribus ingenti omnium admiratione enarrasset, ecce aliud miraculum: qui captus omnibus membris delatus in curiam esset, eum functum officio pedibus suis domum rediisse traditum memoriae est.* Plin. Hist. n. 19, 5, 23. *ecce quum maxime nova forma eorum in Campania provenit mali cotonei effigie.*

Verba *de improviso* adiecta sunt a Varrone apud Non. 4, 25. *et ecce de improviso ad nos accedit cana veritas.* et a Sallust. Iug. 14, 11. *ecce autem ex improviso Iugurtha intoleranda audacia — primum regnum eius sceleris sui praedam fecit.* ibi Wassius. cf. Colv. ad Apulei. Met. p. 518. Oud. Servius ad Virg. Aen. 2, 203. *quum ex improviso vult aliquid ostendere, ecce ponit.* Cic. ad Quint. fr. 1, 2. *quem denique praeter Tuscenium, cuius caussa sanari non potest, non mitigavi? Ecce supra caput homo levis ac sordidus, sed tamen equestri censu, Catienus: etiam is lenietur.*

Cic. p. Caec. 7, 20. *quum id partim mirarentur, partim non crederent, ecce ipse Aebutius in castellum venit.* Liv. 2, 36, 8. Cic. ad Att. 2, 8. *epistolam quum a te avide exspectarem ad vesperum, ut soleo, ecce tibi nuntius, pueros venisse Roma.* Horat. Sat. 1, 9, 60. *haec dum agit, ecce Fuscus Aristius occurrit.* Virgil. Aen. 3, 219. *huc ubi delati portus intravimus, ecce laeta boum passim campis armenta videmus.* Plaut. Merc. 1, 1, 99. *discubitum noctu ut imus, ecce ad me advenit mulier.*

Plin. Hist. n. 36, 15, 24, 8. *hauriri urbes terrae hiatibus, publicus mortalium dolor est. Ecce populus romanus universus, velut duobus navigiis impositus, binis cardinibus sustinetur et se ipsum depugnantem spectat.* 36, 16, 25. *quid lapidis rigore pigrius? Ecce sensus manusque tribuit illi* (natura).

8. Recentiores scriptores simpliciter in re mirabili pro *adeo* et *tandem* posuerunt in media sententia.

Plin. Hist. n. 36, 27, 69. *adeo in rebus damnatis quoque ac iam nullis sunt aliqua remedia, ut in carbone ecce et cinere.* Pompon. Mela 3, 6, 4. *quippe tamdiu clausam* (Britanniam) *aperit ecce principum maximus.*

Elegantia particulae bis positae, quam Burmannus in Lotichio p. 42. et 314. laudat, prorsus abhorret ab antiquo usu.

9. In enumeratione multarum rerum, praemissis aliis, id, quod magnum vel admirabile videtur, apponitur per voc. *ecce* insignitum. Sed etiam tum interponitur *ecce*, quum spectabili re antea memorata rursus attendendus est animus ad aliam non minorem considerandam. Saepe nihil aliud significat quam quod *iam.*

Cic. de Orat. 2, 22, 93. *consequuti sunt hos Critias, Theramenes, Lysias: multa Lysiae scripta sunt: nonnulla Critiae: de Theramene audivimus: omnes etiam retinebant illum Pericli succum: sed erant paullo uberiore filo. Ecce tibi exortus est Isocrates.* i. e. *da trat Isocrates auf.*

Cic. de Orat. 3, 8, 30. quum de Caesaris laude oratoria loquutus esset, pergit: *ecce praesentes duo prope aequales Sulpicius et Cotta.* Acad. 2, 43, 134. *ecce multo maior etiam dissensio.*

Cic. Orat. 16, 53. *flumen aliis verborum volubilitasque cordi est —. Distincta alios et interpuncta intervalla — delectant. — Elaborant alii in lenitate et aequabilitate —. Ecce aliqui duritatem et severitatem quamdam verbis — sequuntur.* de Fin. 1, 18, 61. Cic. de Divin. 2, 70, 144. narravit de cursore quodam et transit ad aliud exemplum: *ecce alius cursor.*

10. Illa vis demonstrativa maxime est conspicua in formis *eccum*, *eccos*, *eccillum*, quae aut pro simplici *ecce*, aut pro pronominibus ipsis *eum*, *eos*, ponuntur. Quod fieri non posset, si grammaticorum interpretatio vera esset. *Eccum* adeo de absente usurpatur, et de loco, in quo quis versatur.

Plaut. Amph. 2, 2, 146. *hem tibi pateram: eccam.* Aul. 4, 4, 13. EV. *Ostende huc manus.* ST. *Item tibi.* EV. *Ostende.* ST. *Eccas.* i. e. *da.*

Terent. Ad. 5, 3, 6. *eccum adest communis corruptela nostrum liberum.* Eun. 4, 7, 6. Ad. 5, 7, 25. *eccum Micio egreditur foras.*

Plaut. Bacch. 3, 2, 19. *sed eccos video incedere patrem sodalis et magistrum.* Rud. 4, 4, 110. D. *Sunt crepundia.* P. *ecca*

video. i. e. *die sehe ich dort.* Quare male interponitur comma in his Curc. 5, 2, 17. PH. *Nullam abduxi.* TH. *certe eccistam video.* Merc. 2, 3, 97. CH. *Vbinam est is homo gentium?* PA. *Eccillum video.*

Plaut. Mil. 3, 1, 194. *habeo eccillam meam clientam* i. e. *ich habe da.* Epid. 5, 1, 2. *sed eccum incedit Epidicus.* Amph. Prol. 120. *nam meus pater intus nunc est eccum Iuppiter.* Ita coniungenda sunt verba, non mutanda. cf. BN. Pers. 2, 2, 65. *ubi: eccillum domi.* Aul. 4, 10, 51. Capt. 1, 2, 66. Rud. 3, 3, 43. vid. Bothius ad Amphitr. 120.

11. Ex his vero elucet, quo differat usus verbi *en.* Nam *ecce* a Cicerone et aliis scriptoribus prosaicis non ponitur, nisi de rebus vel repente vel ex improviso apparentibus, vel etiam de re post alias incidente: neque inservit ironiae aut indignationi. Cf. Richter. ad Auson. Popmam p. 224. Neque vero *ecce* construitur cum accusativo. vid. n. 13.

Haec est caussa, qua vulgaris lectio refellatur in Cic. de Fin. 2, 30, 97. ubi praelecta aliqua parte epistolae Epicuri pergit: *ecce miserum hominem, si dolor summum malum est.* Ita Cicero quidem nusquam loquitur. Tres nominantur codices, in quibus deest voc. *ecce.* Goerenzius coniecit *en*, quod si librorum auctoritate confirmaretur, non ineptum esset, nunc non necessarium est.

12. De *ecce autem* vid. Tom. I. p. 587. *Ecce vero,* qua dictione Ernestius (in Praefat. ad Sueton. p. 8.) aliique usi sunt, non habet antiquum exemplum. *Sed ecce* dicitur, ubi oratio ad rem transit, quae missis reliquis magis in considerationem veniat, aut quae intervenerit ita, ut rerum conditio atque exspectatio mutetur.

Cic. Brut. 32. quum dixisset de Curione, orationes esse ab eo conscriptas nondum tritis hominum auribus tolerabiles, pergit ad rem satis conspicuam: *Sed ecce in manibus vir et praestantissimo ingenio et flagranti studio et doctus a puero, C. Gracchus.*

Cic. ad Att. 8, 3. *navis et in Caieta est parata nobis et Brundisii: sed ecce nuntii, scribente me haec ipsa noctu in Caleno, ecce litterae.*

13. De constructione huius verbi Schwartzius in Gramm. p. 523. „*ecce* et *en* per se nullum casum regunt.

Sed nominativus vel accusativus, qui iis nonnumquam adiicitur, a subintellecto verbo quodam pendet." Et recte quidem. Nam Ramshornius et reliqui, qui docent, interiectioni addi rem affectionis, nihil explicant. Vbi adest verbum in plena sententia, nihil desideratur, sed particula vel praemissa vel interposita universae sententiae affert perspicuitatem, dum rem reddit conspicuam. Cf. Noltenii Lex. antib. Supplem. p. 140. Bauerus ad Sanct. T. 1. p. 221. accusativum arbitrabatur explicari posse perversa interpretatione, qua *ecce* dicunt idem esse quod *vide*. Tamen ei assentiebant Meinerus et alii. Noltenius p. 1472. Valla auctore Eleg. 2, 15. observat *ecce* rarissime accusativum habere, et apud prosaicos scriptores unum inveniri exemplum Cic. de Fin. 2, 30. Sed vide de h. l. p. 349. Vrsinus affert Cic. p. Caec. 10, 30. sed ibi legitur *ecce idem*, non *eum*. Poetarum exempla supra vide. Cf. Ruddimann. T. 2, p. 315. Ellipsis vero etiam in iis cernitur, quae dativum adiunctum habent per formulam *ecce tibi*, a Cicerone admodum frequentata, modo ubi certam personam alloquitur, modo ubi rhetorico more pronomen adiicit vel repraesentationis caussa vel etiam cum irrisione.

Cic. Acad. 2, 38, 121. *negas sine deo posse quidquam. Ecce tibi e transverso Lampsacenus Strato, qui det isti deo immunitatem magni quidem muneris.* in Pison. 21, 48. *ecce tibi alter, effusa iam maxima praeda.* ad Att. 2, 15. *quum haec maxime scriberem, ecce tibi Sebosius.* 2, 8. de Orat. 2, 22, 94. In his omnibus est certa persona, quam alloquitur: aliter in his: p. Cluent. 28, 75. *ecce tibi eiusmodi sortitio, ut in primis Bulbo et Staleno et Guttae esset iudicandum.* de Off. 3, 21, 83. *ecce tibi, qui rex populi Romani dominusque omnium gentium esse concupiverit.* p. Sext. 41, 89. *ecce tibi consul, praetor, tribunus plebis nova novi generis edicta proponunt.* ubi Matthiae: „ecce cum irrisione ponitur, quasi de re, quam vix quisquam exspectasset."

14. Coniuncta pronomina transeunt in formas breves. Dicunt comici *eccu* pro *ecce ea*, et *eccilla* (Plaut. Men. 1, 2, 66. Stich. 4, 1, 30), et *eccum*, *eccos*, *ecca*, *eccillum*, *eccistum*: de quibus supra. Absurda erat Linacri opinio de Emend. struct. p. 332. quasi nomen fuisset *eccus*, *ecca*, *eccum*. Praeter accusativum et nominativum apud veteres alia forma nulla invenitur. Apuleius vero Apolog. p. 321. 24. *quamquam — simultas non ipsi vitio vortenda sit, sed socero eius eccilli Herennio Rufino*:

Sed quum codices omnes discrepent, Apuleius fortasse ex hac culpa eximendus erit. Ciceroni comicam formam *eccum* assignare non nisi Corradino de Allio ad Acad. 1, 1, 2. in mentem venire potuit.

*) Librarii interdum adiecerunt particulam, ubi accusativum sine illa positum non intellexerant. Vide de Cic. de Fin. 2, 30, 96. suprà. p. 349. Confunduntur à scribis verba *ecce* et *contra*. vid. Oudendorp. ad Apulei. Met. 2. p. 91. et p. 108.

ECONTRA.

De ECONTRA, quod etiam apud Servium legitur, vide supra p. 124.

ECQVID. ECQVO. ECQVANDO.

ECQVIS compositum esse censent ex *et quis*, eamque sententiam confirmant auctoritate antiquorum librorum, in quibus, ut Pierius ad Virgil. Aen. 3, 341. refert, scriptum legitur *etquis:* nec tamen habent, quo illud *et* explicent. Cf. Burmann ad Propert. 2, 7, 39. Gifanius in Coniectan. in Lucret. p. 64. duplicem formam antiquis in usu fuisse affirmans, *ecquis* dicit esse *numquis*, sed *et quis* idem quod *quis:* nam *et* elegantiae caussa additam redundare, siculi *et cur ita est?* Quibus nihil demonstratur, nisi hoc, praemitti posse in interrogatione voculam *et.* Nec potest voc. *etenim* in hunc censum vocari. Tamen hanc derivationem comprobaverunt Ernestius in Tursellino et Bentleius ad Terent. Andr. Prol. 25. et Schneiderus in Gramm. 1. p. 242. qui verba *iccirco*, *quicquam* comparat. Et desumpta haec videntur ex observatione Agroetii p. 1265. *ecquando increpando vel inquirendo interrogantis adverbium est: etquando simpliciter loquentis.* Alii deducebant ab *ecce*, ut Schwartzius, alii ab *en*, alii etiam ab *an.* Sed tenendum est id, quod p. 341. exposuimus, syllabam *e* praefigi cum vi demonstrativa, et duplicata littera *ecquis* scribi, quod et pronuntiatione vulgari et scriptura ei accommodata effertur *etquis. E* est graecum *ἠ*, quod in formam *ἦ* transiisse, in AN diximus Vol. 1. p. 297. Nam etiamsi non prorsus inepta, tamen dubia videtur mihi esse ea opinio, qua ex praeceptis Prisciani p. 556. et

Cassiodori p. 2319. *en* substituatur, quod et interrogationi et exclamationi inserviat, id est, *e* demonstrativum cum *n*-interrogativo compositum. Sive igitur primitiva forma *equis*, sive *enquis* fuerit, significatio eadem est una. Veluti verba *ecquis in villa est?* vertamus: *ist da wer im Hause?* Sic in *num*, quod est *nunc*, monstrativam vim interrogationi aptatam videmus. In *ecquis* vero non exspectatur negatio, quod fit in *num:* sed quaeritur simpliciter de incerta re. Quare falsum praeceptum tradidit Aug. Grotefendus in Gramm. n. 127.

Buttmannus in Excursu ad Demosthen. in Mid. p. 146. compositas censuit esse voces *ec* et *quis*, illique tribuit notionem indefinitam: quae qualis sit, aut quomodo cum *alius* in *aliquid* comparari possit, non perspicio. Edu. Huschkius in Analect. litt. p. 145. discrimen hoc ponit: „*et quis* tantumdem valet, quantum *etiamne quis:* ut respondendum sit: ne ullus quidem omnino. Plene enim est *et aliquis.* Sed qui quaerit *ecquis?* plerumque (?) exspectat, ut certus homo nominetur, quem adhuc nominaverat." Scilicet vir doctissimus opinatur interrogationem formari posse verbis *et aliquis.*

De vocabulo *ecquis* quaesiverunt critici multi, quos nominat Drakenborch. ad Sil. Ital. 3, 560. et ad Liv. 5, 36, 5. Broukhus. et Burmann. ad Propert. 1, 11, 1. Cort. ad Plin. Ep. 6, 4, 2. et ad Lucan. 4, 542. Cf. Ramshorn. Gr. 159. 1. 3. Cortius omnia revocat ad unum modum, sive *ecquis* pro *et quis* accipiatur, sive *et quis* scribatur. Tamen re vera differunt. *Ecquis* enim semper quaerit indefinite: estne aliquis, num quis? *et quis* in sententiarum nexu locum potest obtinere peculiari vi, sed sonat definite: quis est? Nostrum in conspectum veniunt *ecquid*, *ecquo*, *ecquando*.

I. 1. ECQVID ponitur et in interrogatione recta et in obliqua. Sed quum *quid* per se significet *cur*, sententiarum nexus et continuatio ita comparata esse potest, ut praestet scribere *et quid*. *Ecquid* est *etwa*, *wol*, et ponitur etiam in exspectatione affirmationis.

Terent. And. 5, 2, 30. *ecquid te pudet?* Cic. Acad. 2, 39, 122: *sed ecquid nos eodem modo rerum naturas persecare, aperire, dividere possumus?* ad Att. 2, 2. *sed heus tu, ecquid vides calendas venire, Antonium non venire.* p. Cluent. 26, 71. *quid tu, inquit? ecquid me adiuvas, Bulbe, ne gratis rei publicae serviamus?* Propert. 1, 11, 1. *ecquid te mediis cessantem, Cynthia, Baiis — nostri cura subit?*

Ovid. Trist. 3, 3, 47. *ecquid, ut audieris, tota turbabere mente, et feries pavida pectora fida manu?* 3, 7, 11. *tu quoque, dic, studiis communibus ecquid inhaeres; doctaque non patrio carmina more canis?* ubi ineptus exsistet sensus, quum, ut alii fecerunt, reddideris: *du hängst wol auch an der Neigung?* Hoc enim iamdudum Ovidius noverat. Dicit vero: nonne tu quoque nunc carminibus componendis incumbis? Liv. 36, 34, 8. *ecquid vides, te in duabus urbibus occupandis tempus terere?* Ovid. Trist. 5, 2, 1. ex Pont. 2, 10, 1.

Cum *tandem* coniunctum Cic. p. Rosc. Am. 16, 46. *ecquid tandem tibi videtur — senex ille Caecilianus minoris facere Eutychum, filium rusticum, quam illum alterum Chaerestratum?*

Cic. ad Fam. 7, 16, 4. *quid agatis, et ecquid in Italiam venturi sitis hac hieme, fac plane sciam.* Liv. 5, 52, 1. *ecquid sentitis, Quirites, quantum — paremus nefas?* 4, 3, 8.

Liv. 27, 10, 2. *quaesiveruntque ab iis, ecquid milites ex formula paratos haberent?* alii codd. *numquid:* sicut variant apud Ovid. Her. 15, 1.

Lucan. 3, 36. *ille — maior in artus ruit, certa cum mente malorum. Et, quid, ait, vani terremur imagine visus?* ubi vid. Cortius. Sicut Virgil. Ecl. 1, 26. *et quae tanta fuit Romam tibi caussa videndi?* Olim legebatur *ecquae.* Plin. Pan. 54, 1.

2. Eodem modo quaeritur de caussa, ut *ecquid* idem esse videatur quod *cur:* sed quaeritur, num aliqua sit caussa.

Liv. 42, 26, 5. *quaesitum, ecquid ita non adissent magistratum, ut ex instituto loca, lautia acciperent.*

3. Cum alia interrogatione coniungitur per *et,* quod ex sua parte ostendit, formam *etquid* non veram esse. Cur vero Lambinus illud *et* damnaret, nulla erat caussa.

Cic. ad Fam. 7, 16, 4. *quid agatis, et ecquid in Italiam venturi sitis hac hieme, fac plane sciam.*

4. Plautus etiam *ecquid* pro *an aliquid* dixisse videtur Stich. 1, 1, 32. *ubi sint, quid agant, ecquid agant, neque participant nos; neque redeunt.* At illud *aliquid* non est verbo *ecquid* expressum, sed intelligitur ex ipsa sententia. Neque vero apud Ciceronem Brut. 6, 22. *nam mihi — in mentem venit vereri, ecquodnam curriculum aliquando sit habitura tua natura admirabilis.* idem est ac *quodnam*, ut credidisse vide-

tur Ellendtius, sed num aliquod. Cuius rei bene gnarus Gesnerus correxit Plin. Pan. 49, 3. *ecquid ergo? discimus experimento fidissimam esse custodiam principis, ipsius innocentiam.* ubi Schwarzius et Gierigius falluntur, pro *quid* accipientes. Interpungendum erat: *ecquid ergo discimus — innocentiam?* Vide Schaeferum.

In Cic. de Fin. 1, 9, 30. edidit Orellius: *ecquid percipit, ecquid iudicat, quo aut petat, aut fugiat aliquid, praeter voluptatem et dolorem?* Sed Goerenzius, qui scripsit *praecipit*, explicat: nihil natura praecipit, cur aliud quid homini fugiendum sit aut appetendum quam voluptas et dolor. Quod alienum est ab hoc loco. Argumentatio ita procedit: hominis natura iudicat sensibus, et quod in appetendis et fugiendis rebus percipit et iudicat, nihil est nisi voluptas et dolor. Quare optima est scriptura antiquissimae editionis: *et quid percipit, aut quid iudicat* etc.

II. 1. Ecqvo dicitur pro *num aliquo*, de loco vel via.

Cic. Phil. 13, 11, 24. *quid esses, si tibi ille non tam multa tribuisset? Ecquo te tua virtus provexisset?*

2. Pro *ecquo* Plautum *ecqui* de modo dixisse, auctoritate codicum suorum firmant Gulielmus et Gruterus. Aul. Prol. 16. *coepi observare, ecqui maiorem filius mihi honorem haberet, quam eius habuisset pater.* quod est: num aliqui. Etiam in Cic. Tusc. 1, 8, 15. codices sat multi exhibent: *ecqui ergo intelligis, quantum mali de humana conditione deieceris?* Idque reiiciunt critici ob exempli raritatem. Plura fortasse haberemus, nisi librariis incognitus fuisset hic usus. Cf. Mencken. Observ. p. 297. Plin. Epist. 6, 4, 2. *ecquid denique secessus voluptates regionisque abundantiam inoffensa transmitteres.* Sed alii codd. *ecqui.* cui nullo pacto obstat voc. *inoffensa.*

III. 1. Ecqvando eodem modo usurpatur quo *num quando.* Est enim *aliquandone.* Male quidam explicant *quando.* Sed ipsum verbum monstrat, quo modo indignationi et acerbitati et vehementiae orationis aptum sit.

Cic. Verr. 2, 17, 43. *quae, malum, ista fuit amentia? ecquando te rationem factorum tuorum redditurum putasti? ec-*

quando his de rebus tales viros audituros existimasti? 5, 26, 66. *ecquando igitur isto fructu quisquam caruit, ut videre piratam captum non liceret?* Coelius ad Cic. 8, 15, 1. *ecquando tu hominem ineptiorem quam tuum Cn. Pompeium vidisti?* Liv. 3, 67, 10. *qui finis erit discordiarum? Ecquando unam urbem habere, ecquando communem hanc esse patriam licebit?* ubi certissima erat emendatio codicum, qui habent *et quando.* Ita Seneca de Ira 3, 28, 2. *age, infelix, ecquando amabis?* quemadmodum scribendum esse vidit Goerenzius, non *et quando.* Valer. Flacc. 2, 395. *ecquando natorum tempora, gentem qui recolant, qui sceptra gerant?*

2. Adiicitur praeter necessitatem particula interrogationis, sicut dicunt *ecquaenam*, de quo Goerenz. ad Cic. de Fin. 4, 24, 67. Vid. Gruner. ad Vell. P. 2, 14.

Propert. 2, 8, 15. (7, 39.) *ecquandone tibi liber sum visus.* Vellei. Pat. 2, 14, 2. *ecquandone, inquit, propinqui amicique, similem mei civem habebit res publica?* ut restituit Ruhnken. Cic. de Fin. 5, 22. Apulei. Apol. p. 290, 11. (p. 450. Oud.).

3. *Ecquando* etiam pro *num umquam* ponitur, sequente *nisi* et *si non.*

Cic. Agrar. 2, 7, 17. *quaero a populari tribuno plebis, ecquando, nisi per XXXV tribus, creati sint.* de Fin. 5, 22, 63. *quoties hoc agitur, ecquandone, nisi admirationibus maximis?* ita non sine codicum testimonio emendavit Davisius.

Livius scripsisse videtur 5, 44, 2. *ecquando ego vobis pro tantis vestris in me meritis gratiam referam, si nunc cessavero?*

*) In tot locis vix unus est, in quo librarii non mutarint formas sibi incognitas: idemque factum animadvertimus in *ecquis*. vd. Schwarz. ad Plin. Pan. 54, 1. Drakenb. ad Liv. 3, 67, 10. 5, 44, 2. et 5, 36, 5. Cort. ad Plin. Epist. 6, 4, 3. Heindorf. ad Cic. de Nat. d. 3, 16, 41. Goerenz. ad Cic. de Fin. p. 42. 506. 613. Otto ad Cic. de Sen. 1, 1.

EDEPOL.

De formatione huius verbi dictum iam est p. 342. Nomina *dee Pollux* (nam illa vocativi forma a Prudentio non inventa, sed renovata erat) monstrativum *e* praefixum habent. Nemo enim nunc probabit absurdam explicationem: per aedem Pollucis. Sed Meursius in Ex-

ercit. crit. T. 1. p. 80. pro *epol*, sicuti diceretur *ecastor*, *eiuno*, veteres dixisse *eepol* et interposita D littera *edepol*, quemadmodum *medecum*. Et comparari poterant *audeo*, *gaudeo*, *indigeo*, alia.

Gellius 11, 6. *edepol autem, quod iusiurandum per Pollucem est, et viro et feminae commune est. Sed M. Varro asseverat, antiquissimos viros neque per Castorem, neque per Pollucem deiurare solitos, sed id iusiurandum fuisse tantum feminarum, ex initiis Eleusiniis acceptum: paullatim tamen inscitia antiquitatis viros dicere edepol coepisse, factumque esse ita dicendi morem.*

EPOL incertae esse auctoritatis monstrant lexicorum auctores. Manutius id restituendum temere censuit in Cic. de Sen. 8, 25.

Coniungitur *edepol* cum aliis vocabulis affirmativis: *profecto*, *vero*.

Plaut. Most. 5, 1, 34. *immo edepol negat profecto*. Pseud. 3, 2, 84. *immo edepol vero hominum servator magis*. Most. 3, 2, 79.

EH.

EH interiectionem Gruteri ingenio debemus. Is enim quum animadvertisset, in Plaut. Poen. 2, 26. codices exhibere: *pugna — qua sexaginta millia hominum uno die volaticorum manibus occidi meis*. LY. *Evolaticorum hominum?* coniecit scribendum esse *eh volaticorum*. Editiones quaedam *ehem*. vid. Parei Analect. p. 600. Gronovius scripsit *eu* i. e. *heu*, Bothius *en*. Quid vero? Etiam paullo ante quum legatur in codicibus *evolaticorum*, nonne idem eodem errore iterum positum putabimus? Interiectionem nec sententia requirit, nec versus.

EHEM.

Interiectio EHEM non, ut alii putant, varium habet usum, sed est laeta exclamatio eius, qui rem non exspectatam deprehendit, aut rem ex inopinato supervenientem cum quadem admiratione excipit. Quare saepe in laeta salutatione usurpatur. Reddi potest *sieh da*. Neque aliter ii, quibus cogitantibus redit res. Arripiunt eam cum laeta exclamatione.

Plaut. As. 2, 4, 43. *ehem, optume: quam dudum tu advenisti?* Mil. 4, 9, 5. *ehem, te quaero: salve, vir lepidissime.* Rud.

3, 5, 25. Terent. Ad. 5, 7, 8. *ehem, pater mi, tu hic eras?* Eun. 1, 2, 6. vid. Faernus ad Ad. 1, 2, 1. Hec. 3, 3, 5. Eun. 3, 2, 9. *ehem, Parmeno. Bene fecisti.*

Plaut. Stich. 1, 3, 71. *ehem, annuistin'?* Gelasimus aliquem invenisse, qui liceretur, existimabat, eumque cum gaudio alloquebatur. Most. 3, 2, 38. *quid? ehem, vix tandem percepi super his rebus nostris te loqui.* Miratur rem non exspectatam, Simonem de compotationibus loqui.

Terent. Eun. 3, 2, 51. *quid? quid aliud volui dicere? ehem curate istam diligenter virginem.* Haec non recte ceperunt interpretes. Secum loquitur Thais, quaerens, quid aliud dicere voluerit. Iam in mentem ei venit, id fuisse virginem. Est igitur *ehem* id quod: iam teneo. Quare interpungendum est post exclamationem. Sic Apulei. Met. 2. p. 124, 29. *ehem, et quod pene praeterieram, si qui* etc. Male legitur apud Plaut. Pseud. 1, 5, 28. *quam pauci estis homines commodi. Ehem, illuc est patrem esse, ut aequum est, filio.* Sed antiqui libri corrupte *commodiorem ille esse patrem ut esset aequior filio.* Beroaldi codex *illic.* Fortasse scripsit Plautus: — *commodi. Hem, illic est, patrem esse ut aequom filio.*

EHEV.

1. Scaliger de Caussis lat. ling. 10, 164. bene observat, *eheu* vocem esse compositam, non deductam. Atque composita est ex *e* et *heu*. Vtuntur vero hac exclamatione ii, qui lacrimantur aut lamentantur, aut qui vehementius dolent. Tamen qui ita loquutus sit, neminem cognovi scriptorum prosaicorum, nisi ex recentissimis temporibus: sed saepe, ut par erat, comici et alii poetae.

Apud Sallust. Iug. 14 (15), 9. legitur *eheu me miserum.* Sed codd. aut *heu heu*, aut *heu* praebent, neque erat caussa, cur Rivius aliique scriberent *eheu*. Valerius Probus p. 1450. affert *heu.* Heinsius usum non cognoverat, quum in Petron. Sat. 34. corrigi iubebat *eheu* pro *heu, heu.* Quod apud Ciceronem legi dicunt: *eheu conditionem huius temporis*, id reperitur in aliquibus editionibus falsae orationis ad Populum antequam iret in ex. 12, 30.

Lacrimantes loquuntur apud Plaut. Mil. 4, 8, 32. Terent. Heaut. 1, 1, 31. Lamentantes apud Plaut. Poen. 3, 6, 46. Rud. 2, 6, 28. 36, 65. Dolentis sunt Terent. Heaut. 5, 4, 20. *eheu, quam ego nunc totus displiceo mihi.* Plaut. Capt. 5, 3,

107. *eheu, cur ego plus minusque feci, illi quam aequum fuit.* ubi tamen alii codd. *heu,*

De integritate scripturae dubitari licet in Plaut. Trin. 2, 4, 102. *eheu, ubi usus nihil erat dictum, spondeo, dicebat.* Et edit. princ. *heu.* In hac quidem sententia vix obtinebit locum *eheu.* Falsum est enim, quod Passeratius ad Propert. 2, 22, 50. tradidit. Vid. HEV. Admirationem neque in Horat. Sat. 2, 3, 106. neque in 1, 3, 66. neque in Pers. 5, 137. intelligi, haud dubium est.

2. Saepe *eheu* ponitur sequente *quam.* Qui ita loquitur, dolet rem tam magnam, tamve diram esse.

Horat. Sat. 1, 3, 66. *eheu, quam temere in nosmet legem sancimus iniquam!* Virgil. Ecl. 3, 100. *eheu, quam pingui macer est mihi taurus in ervo!* Poeta apud Cic. de Off. 1, 39, 139. *o domus antiqua! eheu quam dispari dominare domino!*

3. Particula haec non modo ab initio sententiae, sed etiam in media oratione collocatur, lugubribus verbis praefixa.

Ovid. Trist. 5, 7, 21. *vivit in his, eheu, tenerorum oblitus amorum.* Anthol. 4, 223, 5. *accipe nostri aeternas, eheu, carminis exsequias.*

4. Musonius quum ad Virgil. Ecl. 2, 58. declarasset, *eheu* prima brevi iambum esse, Burmannus uterque et Schraderus et critici nostrae aetatis multi, ubicumque inveniebant priorem syllabam in *eheu* producendam, correxerunt *heu, heu,* atque illud praeceptum iterum atque iterum incredulis inculcarunt. Mihi haec sapientia inanis et perversa semper visa est. Nam primum erat demonstrandum, poetas, qui non comoedias fecerunt, aut numquam hac forma *eheu* usos esse, aut adhibuisse productionem syllabae *e.* Etenim nemo usurpavit usquam brevi syllaba. Quo minus vero in interiectione *e* littera etiam produceretur, nullum aderat impedimentum. Et Valerius Probus Gram. inst. p. 1450. *heu, sive eheu, interiectiones productas syllabas habent, ut heu quae nunc tellus inquit, et eheu quam pingui macer est. Sed haec omni genere poetarum aptari potest.* Nec sine auctoritate Broukhusius ad Propert. 2, 19, 22. refert, libros, quos longior aetas commendet; veluti Horatii praestantissimum codicem, non *heu heu,* sed *eheu* exhibere, idque verum esse affirmat Oudendorp. ad Apul. Met. p. 653. Contrarium de Horatii codicibus narrat Burmann. ad Antholog. Tom. 3. p. 579. Illud ta-

men negari nequit, in permultis locis ab Aldo et ab aliis in editionibus *eheu* esse pro *heu* et *heu heu* scriptum. Si quod in hac re iudicium sensu confici potest, in quibusdam locis, praesertim in extremo versu et in initio sententiae, nimia esse videtur vis duplicis *heu*, sicut apud Horat. Sat. 1, 3, 66. et in Anthol. l. l. In aliis querulae particulae geminatio, maxime sequente spondeo, peculiarem habet leporem, uti iam Broukhusius ad Tibull. p. 94. animadvertit. Sed quum codicum consensus plerumque desideretur, res ipsa manebit incerta, modo ne contra codicum auctoritatem *eheu* mutemus, neu temere statuamus, saepius librarios *eheu* in *heu heu* mutasse. In fine versuum semper servandum esse videtur *eheu*. Oudendorpius ad Apulei. Met. p. 533. adeo in negando processit, ut geminatum *heu heu* merum commentum librariorum esse censeret; quod equidem pronuntiare non ausim.

Bentleius ad Terentii Phorm. 1, 4, 10. observat, ibi *eheu*, ut alias, monosyllabon esse.

Cf. Pierius et Burmann. ad Virgil. Ecl. 2, 58. et ad Petron. 84. Burm. Sec. ad Anthol. T. 1. p. 579. T. 2. p. 528. ad Lotich. p. 467. Cruq. et alii ad Horat. Epod. 15, 23. Cortius ad Sall. Iug. 14, 9. I. H. Vossius ad Virg. Ecl. 2, 58. Sillig. ad Catull. p. 283. Broukhusium sequitur Drakenborchius ad Sil. Ital. 11, 212. huncque Weberus ad Pers. 5, 137. et Huschkius ad Tibull. 2, 3, 2.

Brevem syllabam offert Terent. Heaut. 1, 1, 31. *quaeso, quid de te tantum meruisti?* M. *eheu*. Vbi hiatus in fine orationis non caussa esse potest, ut cum Bentleio *oiei* scribamus.

In extremo versu Horat. Sat. 2, 3, 156. *quanti ergo? Octussibus. Eheu.* Qui locus conferri debet cum Persii 5, 137. *sed Iuppiter audiet. Eheu, baro.* ubi Orellius ex uno cod. dedit *heu heu.* 1, 3, 66. *communi sensu plane caret, inquimus. Eheu, quam temere in nosmet legem sancimus iniquam.* Ovid. Met. 3, 495. *quoties puer miserabilis Eheu dixerat, haec resonis iterabat vocibus Eheu.* ubi Gierigius quia non statim correxit, idcirco reprehensus est a Krebsio. Sil. Ital. 11, 212. *post Paullum, post Flaminium componimur, eheu.*

Inscriptio sepulcralis apud Orell. n. 2277. *eheu, heu, Taracsi, ut acerbo es deditus fato.* Alia in Anthol. 4, 161, 3. *vir conlibertus fuit eidem, quo careo, eheu.*

5. „*Heu* dativum, accusativum, vel vocativum adsciscit: *eheu* non nisi accusativum habet.“ Noltenius in

Lex. antib. p. 1522. At recte dixeris, nullum habere casum. Legitur apud Terent. Hec. 1, 1, 17. *eheu, me miseram.* Phorm. 1, 4, 10. *eheu, me miserum.*

EHO.

Eho interiectio, in comicorum sermonibus obvia, triplicem habet usum.

1. Praemittitur interrogationi, quae cum quadam vehementia, vel ob admirationem, vel propter rem vix credibilem, profertur. Plerumque haec interrogatio personam eius, ex quo quaeritur, attinet. Quare saepe occurrit formula *eho tu*, in qua evocandi quaedam vis inest: atque errant ii, qui pronomen ab interiectione secernunt. Rariora autem exempla sunt, in quibus interrogatio alienam rem tractat.

Plaut. Epid. 3, 4, 69. *eho, ain? quid eum liberaverit, volo scire, si scis.* 5, 2, 22. *eho, quid agis?* Most. 1, 3, 21. *eho, mavis vituperari falso quam vero extolli?* Terent. Heaut. 3, 2, 26. *eho, quaeso, laudas, qui heros fallunt?*

Plaut. Most. 2, 2, 23. *eho, an tu tetigisti has aedes?* Terent. Andr. 3, 2, 20. *eho, an tute intellexti hoc adsimulari?* vide Tom. 1. p. 346. Plaut. Merc. 5, 3, 109. *eho, quae tu somnias?*

Plaut. Bacch. 4, 7, 5. *eho tu, loquitatusne es gnato meo male per sermonem?* Merc. 1, 2, 77. *eho tu, eho tu, quin cavisti, ne eam videret?* Poen. 1, 2, 95. Terent. Eun. 4, 4, 24. Andr. 5, 4, 5. male scribitur: *eho, tu Glycerium hinc civem esse ais?* et apud Cic. Orat. 47, 157. ex Terent. Phor. 2, 3, 35. *eho, tu cognatum tuum non noras?* Comma est enim post *tu* ponendum.

Plaut. As. 2, 4, 26. *eho ecquis pro vectura olivi resolvit?* Most. 5, 1, 35. *eho, an negavit sibi datum argentum? obsecro.* Cist. 1, 1, 70. *eho, an amare occipere, amarum est, obsecro?* Terent. And. 4, 4, 42. Plaut. Mil. 2, 3, 30. *eho, an non domi est?* Terent. Ad. 3, 3, 35. Plaut. Trin. 1, 2, 17. *eho tua uxor quid agit?* Terent. Andr. 4, 4, 9. *eho, Mysis, puer hic unde est?* Eun. 2, 2, 55. 2, 3, 42.

Terent. Eun. 4, 2, 10. *quid? nil? si non tangendi copia est, eho, ne videndi quidem erit?* ubi Donatus: *eho, ridicule additum: tamquam omnino non secum loquatur, sed cum altero.* Andr. 1, 1, 61. *eho, quid Pamphilus?* Narrat colloquium, in quo Simo ex servis quaesiverat: eho, dic, quid Pamphilus. vid. n. 2.

2. Praeponitur *eho* imperativo in alloquio, quo aliquis ad aliquam rem statim perficiendam advocatur. Sed qui appellantur, servi sunt aut homines de plebe.

Plaut. Most. 3, 2, 157. *eho, istum, puer, circumduce hasce aedes et conclavia.* Men. 2, 3, 78. *eho, Messenio, accede huc.* Pseud. 1, 3, 114. Terent. Hec. 4, 4, 97. Ad. 5, 9, 18. *eho, accede huc ad me: liber esto.*

Plaut. Epid. 4, 1, 40. *eho istinc, Canthara, statim i, iube Acropolistidem prodire filiam ante aedes meam.*

Terent. Andr. 4, 1, 42. *at tibi di dignum factis exitium duint. eho, dic mihi, — quidni hoc consilium darent?* Plaut. Capt. 3, 4, 90.

Terent. Ph. 5, 9 (8), 12. *eho tu,* int. fac.

3. *Eho* dicit, qui iratus aut indignabundus aliquem increpat et contumeliis insequitur. Nos dicimus *i du.*

Plaut. Bacch. 3, 3, 40. *eho senex minimi pretii, ne attingas puerum istac caussa.* Mil. 3, 2, 12. *eho, tu sceleste, qui illi suppromus es, eho.* Pers. 3, 3, 2. Cas. 2, 3, 21. Terent. Andr. 4, 2, 27. *eho tu impudens non satis habes quod huic dicculam addo?* Terent. Phor. 4, 4, 3. *eho, verbero.*

4. Terentius *dum* adiecit, de quo p. 329. dictum est.

Terent. Andr. 2, 1, 24. *ehodum dic mihi, num quid amplius tibi cum illa fuit, Charine?* Eun. 2, 3, 69. Andr. 3, 5, 10. *ehodum, bone vir, quid agis?* 1, 2, 13. *ehodum ad me.*

5. Praeter hunc modum non usurpatur haec particula. Nam quod apud Plautum Pseud. 4, 7, 90. legitur BA. *Eho!* HA. *Mitte.* BA. *Quid mercedis petasus hodie domino demeret?* particula cohaeret cum interrogatione, quae sequitur, et Harpax interpellat loquentem verbis *mitte me.* Et in Rud. 4, 3, 10. *eho, modo est operae pretium, quod tibi ego narrare volo.* aliam verborum compositionem ipsa metri ratio requirit. Apud Ciceronem de Inv. 1, 49, 91. et ad Herenn. 2, 25, 39. leguntur haec Ennii: *eho tu, di, quibus est potestas motus superum atque inferum, pacem inter sese conciliant, conferunt concordiam.* Quod cod. Leid. praebet *pacem enim inter sese c.* bene restituit Orellius. Sed prima pars sententiae interrogationem continet cum admiratione coniunctam.

EI.

Vide in HEI.

EIA.

Eia sive, ut in aliis libris antiquis legitur, heia, varium animi affectum exprimit, sed plerumque laetum et dulciorem. Est graecum εἶα. Aspiratio facile adiici poterat, ut in *ohe* ab ὠή. Et factum id videtur esse posteriore tempore.

1. Ac primo ita loquitur, qui cum gaudio miratur rem eximiam vel gratam.

Terent. Heaut. 5, 5, 19. *heia, ut elegans est.* Plaut. Rud. 2, 3, 8. *eia, corpus quoiusmodi.* Men. 2, 3, 29. *eia, delicias facis.* Terent. Heaut. 3, 2, 9. SY. *Visa vero est, quod dici solet, aquilae senectus.* CH. *Eia.*

2. Tum is, qui alicui blanditur aut blanda prece aliquem adit, aut qui aliquem solatur et tranquillum reddit, aut qui irascentem mitigat et ad moderationem reducit.

Plaut. Cas. 2, 3, 14. *eia, mea Iuno, non decet te esse tam tristem tuo Iovi.*

Plaut. Truc. 4, 2, 8. *eia, Astaphium, indica: qui perit?*

Plaut. Bacch. 4, 3, 16. MN. *Nunc acria atque acerba eveniunt. — Immerito tibi iratus.* PI. *Eia, bonum habe animum.*

Plaut. Bacch. 3, 3, 4. *eia, Lyde, leniter qui saeviunt, sapiunt magis.* Poen. 3, 1, 69. *eia, haud vostrum est, iracundos esse, quod dixi ioco.* Terent. Eun. 5, 8, 35. *heia, haud sic decet.* Neque aliter Plaut. Cas. 3, 6, 4. ubi coquus verbo *eia* indicat sententiam: ne ita tu semper coquis maledicis. Sic etiam Lambinus intellexit, quem vide. Quod Heinsius Ovid. Met. 6, 639. scripsit: *iam sua fata videntem, eia et iam mater clamantem et colla petentem ense ferit Procne*, quasi esset blandientis, id non convenit orationi trementis pueri, nec bene interponuntur verba *et iam*.

3. Deinde affirmationem exprimit rei certae, in qua omnis dubitatio inepta esset.

Plaut. Pseud. 1, 3, 40. BA. *Miserent, ei familiam alere possim misericordia.* PS. *Eia, scimus nos quidem te, qualis sis.* Bacch. 1, 1, 43.

4. Hoc sensu etiam in ironia locum habet: ubi nos *ei ja wohl*.

Plaut. Capt. 5, 2, 9. HE. *At ego faciam, ut pudeat: nam in ruborem te totum dabo.* ST. *Eia credo: imperito plagas minitaris mihi.* Contrarium vult hoc: ego iam longo usu plagas cognovi.

5. *Eia vero* formula est, qua ii utuntur, qui nimium quid, praesertim in laude mirantur, neque id, quod ab altero dictum est, credere videntur. Germani dicunt: *ei der tausend*, vel *warum nicht gar?* Quod caussae fuisse videtur, quapropter quidam interrogationem ita exprimi arbitrarentur.

Plaut. Epid. 2, 2, 76. EP. *Vos priores esse oportet, nos posterius dicere, qui plus sapitis.* AP. *Eia vero! Age dic.* Mil. 4, 4, 4. PA. *Quia enim non sum dignus prae te, ut figam palum in parietem.* AC. *Eia vero.* Rud. 2, 3, 9. AM. *Sed Pleusidippus tuus herus ubi, amabo, est?* TR. *Eia vero. Quasi non sit intus.*

Cic. de Re p. 3, 5. *et Philus, heia vero, inquit: geram morem vobis.* Praecedit laus probitatis et subtilitatis magna.

6. Haec omnia ad hilaritatis sensum pertinent. Sed sunt loci quidam, in quibus indignantes aut rei impatientes loquuntur. Sic per vocem *eia* vel alter alterius malos mores miratur, vel cum indignatione aliquem evocat. Eodem modo etiam impatientia exprimitur in castigandis iis, qui cessant et moram trahere videntur. Similiter Graeci εἶα. Eurip. Iphig. Taur. 1423. Recentiores *eia age* in quacumque re properanda dixerunt. cf. T. 1. p. 212.

Plaut. Merc. 5, 4, 38. *pergin' tu autem, eia superbe, invehere?*

Plaut. Most. 3, 1, 71. *eia; mastigia, ad me redi.* Plin. Epist. 4, 29, 1. *eia tu, quum proxime res agetur, quoquo modo ad iudicandum veni.*

Virg. Aen. 9, 37. *ferte citi ferrum, date tela, scandite muros, hostis adest. Eia,* i. e. quid cessatis? 4, 569. *videbis iam fervere litora flammis, si te his attigerit terris Aurora morantem. Eia age, rumpe moras.* Unde formula epicorum *eia age, rumpe moras.* Stat. Ach. 2, 198. vid. Burm. ad Propert. 1, 1, 21. Val. Flacc. 8, 110. *eia, per ipsum scande, age.* Horat. Sat. 2, 6, 23. *eia, ne prior officio quisquam respondeat,*

surge. 1, 1, 18. *vos hinc mutatis discedite partibus. Eia. Quid statis? Nolint.* Ita est interpungendum. Ante Heindorfium coniunxerunt verba *eia quid statis?* Ille cum superioribus copulavit. Sed poeta cessare videt, quos statim discessuros existimaverat, ideoque evocat moratos, additque, *quid statis?* Pers. 5, 132. *eia surge. Negas.*

Stat. Silv. 1, 2, 266. *eia age, praeclaros Latio properate nepotes.* Ach. 1, 508. *eia, irrumpe deos,* sed ibi alii codd. *eia age, rumpe moras:* quod restituendum. Corrige vitium scribendi T. 1. p. 212. Sidon. Apollin. 14, 6. *eia, Calliope, nitente palma da sacri laticis loquacitatem.* cf. Heins. ad Ovid. ex P. 4, 3, 21.

Non bene correxit Heinsius Ovid. Met. 2, 690. *et, eia, quisquis es, hospes, ait, — vidisse nega.* Abhorret hoc ab usu antiquo. Optime codices *at illi.*

7. Valerius Probus Inst. gram. p. 1430. *hortationis interiectio Eia constat trochaeo, et quia Virgilius ultimam sciebat esse brevem, ubique ei vocalem subiecit, ut Eia age rumpe moras, et Hostis adest eia, ingenti. Potest tamen in necessitate pro longa poni.* At p. 1421. contrarium docet: *eia constat spondeo: ultima sane syllaba in synaloepham cadit duobus his versibus, Eia age segnes et Hostis adest eia.* Sidonius Apollin. 14, 6. quum in reliquis hendecasyllabis spondeum praemitteret, produxisse videtur ultimam syllabam. Sed Valer. Flaccus brevem posuit 8, 110. cf. Vossius de Arte gram. 2, 24, p. 264.

ELOCO.

Verbi ELOCO mentionem non facerem, nisi quosdam criticos ad falsam opinionem lapsos vidissem, esse illam antiquam formam verbi *illico*, quemadmodum *ellum* pro *illum*, dictum esset. Sic Gulielmus Verisim. 2, 18. qui explicat, esse pro *eo loci*. Et Bothius per totum Plautum *eloco* scripsit, ubi recte codices praebent *illico*. Duo sunt verba *eloco* et *illico*, illudque nihil aliud quam contracta forma verborum *e loco*, ubi pro adverbio ponuntur. Et significat proprie fere idem quod *in loco*. Nam *ex* de eo dici potest, quod ex suo loco apparet aut progreditur. Atque, ut plurima loci nomina, ad tempus relatum usurpabatur de tempore, ut esset *statim*, αὐτόθεν. vid. Viger. p. 495. *auf der Stelle.*

In quibus vero locis Plauti *eloco* restituendum sit, critici ii aliquando demonstrabunt, qui antiquorum librorum censuram peracturi sunt. Restituit Gulielmus Truc. 2, 4, 89. *iam domo eloco iubebo ad istam quinque perferri minas.* ubi conf. Salmasius.

Plaut, Epid. 1, 2, 41. Gronovius coniecit: *nam ni ante solem occasum, eloco (meam domum ne imbites) tute in pistrinum.* Codex Beroaldi, cuius lectiones apud me sunt: *elo — imbites.* Vulgo *elocet — imbitas.* Sed in Varronis verbis apud Nonium 8, 5. *non vidisti simulacrum leonis ad Idam e loco, ubi quondam subito eum quum vidissent, quadrupedem galli tympanis adeo fecerunt mansuem, ut tractarent manibus?* Gulielmus non item recte correxit *eloco*, alii melius *eo loco.*

EM.

Em quod in quibusdam editionibus Terentii Ad. 5, 8, 2. et Phorm. 1, 2, 2. legitur, non differt ab HEM, quod vide. In Varrone de Re r. ediderunt 1, 2, 5. *em ibi tu quidquam nasci putas posse, aut coli natum?* et 1, 56. *ille, em quin adsum.* ubi Victorius: „In excusis antea *en*, antiqui libri *em*, ut mediceus codex in epistola Ciceronis ad Caesarem dictatorem, *em hic est ille.* Pronuntiata haec sunt δεικτικῶς." Igitur pro *en* dictum putant. Apud Cic. ad Fam. 13, 15, 2. alii *hem*, alii *en* scripserunt. Hoc verum esse videtur. Nec potest forma *em* analogia defendi, nec comparari licet *forsitam* in inscriptione male excusa apud Gruter. p. 340, 4. Quare etiam apud Varronem restituendum est *en.*

EMINVS.

De origine verbi EMINVS, quam viri docti variis opinionibus obscurarunt, diximus p. 94. Vsus easdem habebat mutationes, quas in verbo *comminus* notavimus. Igitur sive primariam significationem a telis ex manu missis, sive ab eo, quod extra obtinet locum suum, derivemus, antiquiores scriptores omnes hanc vocem non nisi de pugna ex longinquo commissa et vel hastis et lanceis vel sagittis vel saxis facta usurpabant.

Cic. de Senect. 6, 19, vide p. 95. Tacit. Hist. 3, 27. *primo sagittis saxisque eminus certabant.* Virg. Aen. 10, 801. *proturbant eminus hostem missilibus.* Liv. 38, 21, 13. Hirt. B. gall.

8, 18. *non solum ii, qui aut comminus opprimebantur, aut eminus vulnerabantur, sed etiam qui longius subsidiari consueverant.* Tacit. Agr. 36. *primo congressu eminus certabatur.* Hist. 5, 10.

Ita etiam de quocumque hostili aggressu dicitur, atque adeo de quocumque motu ex longinquo loco facto et de rebus procul iaciendis. Sed recentiores post Augusti tempora etiam cum iis verbis coniungere coeperunt, quae tectam in se habebant notionem motus, et simpliciter pro *ex longinquo* posuerunt. Certe apud antiquos semper exit aliquid ex remoto loco. Germani dicunt *aus der Ferne.* Quamquam sunt in usu verbi *comminus* plura, quae in *eminus* nullo exemplo comprobantur. Pro *longe* aut *procul* de situ loci ac de quiete nemo nisi recentiores dixerunt, iique tantum in illis formulis, in quibus nos dicimus *von ferne*, de eo, qui non accedit.

Caes. B. gall. 7, 24. *alii faces atque aridam materiem de muro in aggerem eminus iaciebant.*

Tacit. Ann. 13, 41. *praemissa levis armatura, quae muros interim ambiret oppugnationemque eminus inciperet.*

Ovid. ex P. 1, 6, 17. *at nunc, quod superest, fer opem, precor, eminus unam.* Met. 3, 119. *iaculo cadit eminus ipse.* i. e. eminus misso: ut saepe dicitur *eminus ictus.* Ovid. Her. 16, 40. 21, 212.

Sicut multis in locis dicitur *comminus videre*, de analogia negari vix poterit, *eminus videre* non ab usu abhorrere. Atque in verbis Corn. Nep. Alcib. 10. *quem ut barbari incendium effugisse viderunt, telis missis interfecerunt.* ubi quidam codices post v. *telis* habent *eminus*, editiones multae ante *viderunt*, Titzius, qui hoc recepit, magis de auctoritate librorum, quam de usu dictionis dubitare debebat. Lucan. 7, 649. *stetit aggere campi eminus, unde omnis sparsas per Thessala rura prospiceret clades.* Ovid. Met. 8, 405. *procul — consiste: licet eminus esse fortibus.* i. e. tela mittentibus. Sallust. apud Gellium 2, 27. *quae eminus facie sua ostentabat, aliquot adversis cicatricibus et effosso oculo.* Omnes consentiunt haec corrupta esse. Editt. vett. *cominus faciem suam ostentabat.* Boeth. Consol. phil. 5, 4. *eamdem corporis rotunditatem aliter visus, aliter tactus agnoscit. Ille eminus manens, totum simul iactis radiis intuetur, hic vero — rotunditatem partibus comprehendit.*

Quae si reputassent, Lachmannus coniecturam in Propertii

1, 4, 33. non fecisset, Iacobus non egregiam appellasset hanc: *quippe suburbanae parva eminus urbe Bovillae.* Nam ante omnia quaerant, num id antiquior usus admittat.

Quae ex Asconii Comm. in Cic. Verr. 1, 48. afferuntur: *eminus est Vulturnus Capua tria millia passuum.* nullam rationem nullumque sensum habent, et fortuito adsuta esse videntur.

EN.

En ex graeco ἠνί per apocopen factum plurimi perhibent: alii ex hebraeo vocabulo deducunt. At huius generis verba ipsa natura cuicumque linguae suppeditat. *E* monstrativum, de quo p. 342. diximus, adiuncta littera finali *n* nomen fit. Atque haec vis monstrativa numquam perit. Duplicatur ea in composito verbo *ecce*, quod quamquam cum *en* communem servat significatum, in nonnullis tamen singularem proprietatem habet. Comici, quod miraberis, non saepe hac particula utuntur: saepius vero alii poetae.

1. Primo igitur monstrat rem vel praesentem vel ante oculos positam, etiam de rebus in animi cogitatione sitis. Est igitur, hic est, hunc vide: *da.* Nam componitur et cum nominativo et cum accusativo, qui verbo suo carent. Accusativi rariora sunt exempla, sed non falsa. vid. ECCE.

Compositum cum *ecce* Virgil. Ecl. 5, 65. *en quatuor aras: ecce duas tibi, Daphni, duas altaria Phoebo.* Ex Plauti Frivolaria Varro de L. lat. 6, 3, 92. *ubi rorarii estis? en sunt. ubi sunt accensi? ecce.*

Virgil. Aen. 1, 461. *en Priamus. Sunt hic etiam sua praemia laudi.* Tacit. Ann. 1, 65. *en Varus.* vide infra n. 5. Senec. Hippol. 826. *en scelera.*

Val. Flacc. 1, 226. *cerno en thalamos ardere iugales.* 1, 342. *video en nostro tot in aequore reges.* ex certa correctione Heinsii.

In Cic. Verr. 1, 37, 93. (vide n. 2.) duo Lambini codices exhibebant *en memoriam — en metum:* quod Orellius deteriore nota signavit. Et Servius ad Virg. Aen. 4, 597. *sane en nominativo melius iungitur.* Sed Garatonius ad Cic. Phil. 5, 6. „ambigue in Verr. 5, 21. *en foederum interpretes:* ipse tamen Virgil. 5, 65. *en quatuor aras.* Quid ergo? nihilne valebit Servii iudicium? Valuit, opinor, ut olim a grammaticis emendaretur ea causa.“

Varro de Re r. 1, 56. *en quin adsum.* cf. p. 365. Sallust. Fragm. inc. libr. 18, 10. *adsum en C. Cotta consul.* Ovid. Met. 4, 356. *vicimus, en meus est.*

2. Haec vero ipsa caussa est, quare saepe cum pronominibus coniungatur. Vnde apud comicos formae *ellum*, *ellam:* quas Priscianus 12. p. 949. male dicit ex *ecce illum*, *ecce illam* compositas esse.

Virgil. Aen. 5, 672. *en ego vester Ascanius.* Ovid. ex Pont. 2, 3, 25. *en ego non paucis quendam munitus amicis.* Plin. Hist. n. 21, 3, 9. *en ego sum, inquit, illa.*

Cic. ad Fam. 13, 15, 2. *en, hic ille est de illis, maxime qui irridere et obiurgare me solitus est.* p. Cluent. 65, 184. *en hoc illud est, quod ante dixi: mulier abundat audacia.*

Plaut. Trin. Prol. 2. IN. *Finem fore quem dicam nescio.* LV. *Adest. En illae sunt aedes: i intro nunc iam.* Frustra defendunt, quod vulgo legitur *hem.* Etiam Terent. Andr. 3, 2, 6. ubi vulgo legitur *hem alterum*, codices exhibent *em alterum*; recte scripseris *en.* De verbis *en ipse* vide Oudendorp. ad Apuleii Met. p. 129.

Cic. Verr. 1, 37, 93. *haec est istius praeclara tutela: En cui tuos liberos committas: en memoria mortui sodalis: en metus vivorum existimationis.* 5, 47, 124. *en quod Tyndaritani libenter praedicent.*

Plaut. Curc. 2, 2, 28. *video occurrentem ellum in platea ultima.* Terent. And. 5, 2, 14. Ad. 2, 3, 7. CT. *Aeschines ubi est.* SY. *Ellum: te exspectat domi.* 3, 3, 35. *ellam intus.* Etiam Pompeius in Commento artis Donati 19, 18. *ellum* dicit *nihil significare quam ecce illum*, tamen addit exemplum Virgilii, in quo *en* legitur. Errorem iam notavit Lindemannus.

3. Praemittitur imperativo, praesertim eorum verborum, quae offerendi, accipiendi significationem habent.

Plaut. Poen. 1, 1, 81. *en me dato.* Virgil. Ecl. 6, 69. *hos tibi dant calamos, en accipe, Musae.* i. e. *da nimm sie.*

Pers. 5, 134. *en quid agam? Rogitas? En saperdam! advehe Ponto castoreum, stuppas.* Ita edidit cum Achaintrio Weberus, quasi sensus esset: age, affer ex Ponto saperdam. Quod de re non praesente, nisi verbum adiungitur, dici non potest. Quare necesse est interpungamus: *en saperdam advehe Ponto, castoreum.*

4. In interrogatione duplex est usus. Nam hac par-

ticula praemissa aut is, qui quaerit, animum eius, qui audit; attendere et in rem conspiciendam convertere iubet, aut exprimit admirationem et stuporem cum quaestione coniunctum, vel ironiam. Ita interrogatio induit formam exclamationis. Eadem ratione saepe dicitur *en cur*.

Plaut. Ps. 1, 2, 81. *tenes, quorsum haec tendant, quae loquor? En, excetra tu, quae tibi amicos tot habes, — num quoiquam est hodie tuorum opera conservorum nitidiusculum caput?* Val. Max. 1, 6. ext. 3. *en quam aliquis in acie hortaretur, ut pro salute coniugum et liberorum fortiter dimicaret?* Ita scribendum esse vidit Gronovius. Vulgo ante eum *en quem*. Alii codd. praebent *eamne umquam*.

Virgil. Aen. 4, 534. *en quid ago? Rursusne procos irrisa priores experiar?* quae formula non, ut Burmann. ad Anthol. T. I. p. 164. ait, tantum in extremo luctu adhibetur. Nam Dido stupet suam conditionem ancipitem. Et miratus sacerdos apud Prudent. Apoth. 470. *en quid ago? maius, rex optime, maius nescio quod numen nostris intervenit aris, quam sufferre queant spumantia cymbia lacte*. Varro de Re r. 1, 2, 5. vide p. 365. Pers. 5, 134. *en quid agam?* ita ex plurimis codd. Weberus, sed commate interposito, explicat: en adsum: *da bin ich*. Potius coniunge verba et redde: *ei was soll ich denn?* cf. 3, 5.

Virg. Ecl. 1, 71. *en quo discordia cives produxit miseros? en quis consevimus agros?* Cic. in Verr. 5, 20, 54. *utrum vobis consilium recitari tandem praetoris videbatur, quum audiebatis nomina, an praedonis improbissimi societas atque comitatus? En foederum interpretes, societatis pactores, religionis auctores!* Virgil. Aen. 6, 346. *en haec promissa fides est*. Vide Pricaeum ad Apulei. Met. 3. p. 149.

Cic. Phil. 3, 9, 22. *en cur magister eius, ex oratore arator factus, possideat — campi leontini duo millia iugera immunia*. p. Deiot. 6, 17. Philip. 5, 6, 15. *en causam, cur lex tam egregia tamque praeclara — inter fulmina et tonitrua ferretur*. Garatonius cum Mureto scribi iubet *em* i. e. *hem*: quod in hac formula non quadrat, nec loci comparati eiusdem sunt generis.

5. Vbi res dicitur apparere, aut ubi veritas, vel de improviso, elucet, oratio incipit ab *en*. Nos *sieh da*, *ei sieh da*. Ita etiam is loquitur, qui apud se cogitans sibi rem quasi ante oculos ponit. Atque potest

haec gravior demonstratio et indignationem et acerbitatem enuntiare. Cf. Manut. ad Cic. Verr. 1, 37. qui tamen exempla aliena admiscuit, et Lipsius ad Liv. 22, 29, 2. Sed falsa est regula grammaticorum (vid. Noltenii Supplem. p. 140.), qua in exprobrando usitatiorem esse accusativum dicunt, quam nominativum.

Plaut. Truc. Prol. 7. *abnuunt. En mehercle in vobis resident mores pristini, ad denegandum ut celeri lingua utamini.*

Cic. p. Deiot. 6, 17. *en crimen, en caussa, cur regem fugitivus, dominum servus accuset.* Quae cum indignatione proferuntur. p. Sext. 27, 59. *en, cur ceteri reges stabilem esse suam fortunam arbitrentur.* in Verr. 1, 37, 93. vid. supra p. 368. Virgil. Aen. 4, 597. *en dextra fidesque.* Alia vide apud Pricaeum ad Apuleii Met. 3. p. 149. (p. 200. Oud.).

Liv. 28, 27, 8. *equidem — nullum locum tota provincia, nullos homines credebam esse, ubi vita invisa esset mea. — In castris en meis — fama mortis meae non accepta solum, sed etiam exspectata est.*

6. Poetae epici, qui in describendis rebus versantur, et in orationibus animos excitatos describunt, saepe usurpant hanc dictionem ita, ut rei magnitudinem vel atrocitatem vel insolentiam una hac voce vel praemissa, vel interposita indicent. Conf. Cortius ad Lucan. 2, 130. et ad 3, 21. Stewechius ad Apuleii Met. p. 680. Oud. „*en, ecce* particulae sunt perfamiliares iis, qui magnum aliquod facinus narraturi et velut in scena fabulam posituri sunt.“ N. Heinsius, non simplicitate contentus, hac particula supposita lumen carminibus addere conatus est multis in locis, sed temere. vd. ad Ovid. Amor. 1, 2, 10.

Lucan. 6, 51. *en quantum Tigris, quantum celer ambit Orontes — subitum bellique tumultu raptum clausit opus.* 5, 37. *en totis viribus orbis Hesperiam pensant superi.*

Ovid. Met. 13, 496. *en, ne perdiderim quemquam sine caede meorum, tu quoque vulnus habes.* Lucan. 2, 555. *te quoque si superi titulis accedere nostris iusserunt, valet, en, torquendo dextera pila.* Ita meliores codd. 3, 21. *semperque potentis detrahere in cladem fato damnata maritos, en nupsit tepido pellex Cornelia busto.* 4, 809. *libycas en nobile corpus pascit aves.*

Apulei. Met. 9. p. 223, 14. *fabulam denique bonam prae ceteris suave comptam ad aures vestras afferre decrevi, et, en, occipio.*

7. Quod Palmerus Spicileg. p. 649. T. IV. Grut.

Lamp. *en*, sicut *ecce*, de quo vid. p. 846. poni in re subita, id non destituitur ratione, sed desunt mihi exempla.

8. *En age* poetarum est formula, qua aliquis excitetur vehementius. Exempla vide Tom. 1. p. 212. Adde Valer. Flacc. 4, 70. Sil. Ital. 3, 179.

9. *En tandem* composuit Curtius 10, 2, 23. *en tandem Illyriorum paullo ante et Persarum tributariis Asia et tot gentium spolia fastidio sunt.* De *en iam* vid. Turneb. Advers. 3, 5.

10. Peculiaris formula interrogationis est *en umquam*, in qua exponenda Gronovius egregie versatus est. Nam ad Liv. 30, 21, 8. eos reprehendit, qui pro simplici interrogatione acceperant, et formula est, inquit, παθητικὴ vehementer optantium per interrogationem, aut etiam indignantium. Addere debebat, non tantum iram et indignationem, sed quemcumque vehementiorem animi affectum, praesertim desiderium et dolorem hoc modo exprimi, neque vero deesse locos, in quibus interrogatio tantum intendatur atque significetur, si contrarium esset, mirum videri. Sic etiam *en quidquam* dictum esse, non sine veritatis specie perhibent critici quidam. Vulgari scriptura in unum contrahebatur verbum *enumquam*.

Festus: *enumquam*, *ecquando*. Gloss. Philox. *enumquam εἴ ποτε*, *καὶ ποτε*. Plaut. Trin. 3, 1, 189. *en umquam adspiciam te?* Cordolium suum significat. Rud. 4, 4, 73. Virgil. Ecl. 1, 67. *en umquam patrios longo post tempore fines — post aliquot, mea regna, videns mirabor aristas?* ubi vid. Vossius. Liv. 9, 10, 5. *en umquam futurum, ut congredi armatis cum hoste liceat?* 30, 21, 8. Sil. Ital. 16, 91. *en umquam lucebit in orbe ille dies, quo te armorum, Karthago, meorum adspiciam sonitus — trementem?*

Terent. Phorm. 2, 3, 1. *en umquam cuiquam contumeliosius audistis factam iniuriam quam haec est mihi?* ubi vid. Donatus. Liv. 10, 8, 10. *en umquam fando audistis patricios primo esse factos, non de coelo demissos —?* 4, 3, 10.

Plaut. Men. 5, 5, 26. *dic mihi, en umquam tibi intestina crepant, quod sentias?* Rud. 4, 3, 48. Cist. 1, 1, 48. *sed tu en umquam cum quiquam viro consuevisti?* Dubitat Lena, ac putat, numquam Silenium consuevisse. Est igitur fere idem quod *umquamne*. Terent. Phorm. 2, 2, 15. *cedodum, en umquam*

iniuriarum audisti mihi scriptam dicam? Nulla inest indignatio, sed, ut iam Donatus ait, *plus est, hoc per interrogationem intulisse, quam si diceret: Numquam mihi scripta est iniuriarum dica.*

Liv. 24, 14, 3. *senserat — murmur in agmine esse quaerentium, en umquam liberi militaturi essent?* Ita ex uno cod. put. Gronovius correxit vulgatum *numquamne:* florent. et alii libri *numquam.*

Interposito alio vocabulo Virgil. Ecl. 8, 7. *en erit umquam ille dies, mihi quum liceat tua dicere facta?*

De hac re dixerunt Erythraeus in Indic. Virgil. s. v. *umquam.* Mercer. ad Nonium s. v. *crepare.* Acidal. Divin. Plaut. Cist. c. 2. Guilielm. Misc. Quaest. c. 5. p. 462. Grut. Meurs. Exerc. crit. 1. p. 93. Rivius ad Terent. Ph. 2, 2, 15. Pareus in Lex. crit. p. 417. et in Mantissa p. 86. Sciopp. Susp. Lect. 4, 1. Heinsius ad Virgil. Ecl. 1, 68. Burm. ad Quinctil. Inst. 12, 2. p. 1059. Duker. et Drakenb. ad Liv. 24, 14, 3. 10, 8, 10. 4, 3, 10.

Pareus l. l. contendit eodem modo etiam dici *en quidquam,* atque dixisse ita Terent. Phorm. 5, 9, 20. *en quidquam hodie est factum indignius?* et Ovid. Amor. 3, 3, 33. *en quisquam pia tura focis imponere curat?* 3, 8, 1. *en quisquam ingenuas etiamnum suscipit artes?* Remed. Am. 523. *en quisquam* etc. Nec ratio, puto, deest. Et apud Terentium legitur *en,* non *an* in libris scriptis. vid. Acidal. Divin. p. 151. qui tamen in Ovidii locis defendit *et* ob maiorem indignationis vim. Sed in his pensandis rebus sensum deficit iudicium. Certe libri antiqui non nisi Am. 3, 8, 1. *en* praebent. Sed Varro de Re r. 1, 2, 5. *en tibi tu quidquam nasci putas posse?* vid. p. 365.

11. A poetis haec particula inseritur post verba *videre, adspicere* et similia. Vide ECCE p. 345. et Burmann. in l. l.

Ovid. Met. 8, 283. *testes en adspice crines.* Sil. Ital. 2, 505. Ovid. Am. 1, 8, 31. *prosit ut adveniens, en adspice, dives amator te cupit.* Stat. Theb. 7, 386. *cerne en.* Ovid. Met. 13, 264. *adspicite en.* Stat. Theb. 5, 124. *en cernite.*

12. Quemadmodum coniunguntur verba *ecce tibi,* ita etiam *en tibi.* Ratio omnino eadem est. Quare vide p. 350.

Catull. 61, 156. *en tibi domus ut potens et beata viri tui.* Male quidam *tibi* ad ea, quae sequuntur referebant. Calpurn. 3, 24. *Phyllide contentus, — Callirhoen sprevi, quamvis cum*

date rogaret. En sibi cum Mopso calamos intexere cera incipit. Burmannus maluit *en tibi* et Nodellius Not. crit. p. 84. *cum* accepit pro coniunctione *quum*. Neutrum probo. Nam *en tibi* non cuicumque indignationi aptum est, neque ita iungitur coniunctioni *quum*, quae paullo post iterum legitur.

13. Particulam non semper ab initio orationis, sed etiam post alia verba et in media oratione, poni, id bene observarunt Cortius ad Lucan. 5, 37. et Drakenborch. ad Liv. 2, 6, 7. ubi vide exempla.

14. Vtramque particulam *en* et *ecce* coniungere ex recentissimis quidam ausi sunt ad vim orationis augendam.

Senec. Oedip. 1004. *en ecce rapido saeva prosiluit gradu Iocasta vecors.* Apulei. Met. 8. p. 213, 24. *servum vobis pulcellum en ecce mercatus perduxi.* 10. p. 243, 6. *et en ecce prolatam coram exhibeo.* vid. Oudendorp ad 1. p. 9. Pareus et in prima editione Gruterus scripserunt Plaut. Amph. Prol. 120. *nam meus pater intus, en eccum, Iuppiter.* ubi vulgo legitur *intus est eccum.* Haec Bothius corrupit potius quam correxit. Sensum reddas sic: *mein Vater Iuppiter ist drinnen dort.*

Senec. Herc. f. 523. *en, en sonitus herculei gradus.* Baden recepit ex cod. florent. *est, est.* primum propterea quod geminatio ista abhorreret a consuetudine, postea quia sonitus manu demonstrari non posset. Hoc argumentum parum valet, illud verum esse videtur. Vide quae de *ecce* dixi p. 348. Neque vero auctoritas codicis est spernenda. Aliam rationem habent Sil. Ital. 11, 550. *dextra en, en dextera.* cf. Heins. ad Ovid. Met. 15, 677.

*) Confunduntur in libris *en* et *et*. vid. Heins. ad Val. Flacc. 1, 342. Cort. ad Lucan. 5, 58. Oudendorp. ad Apulei. Met. p. 129. et *at*. vd. Cort. ad Lucan. 6, 51. 3, 23. 2, 556. et *iam*. vd. crit. ad Lucan. 10, 524. et 6, 51. et *nam*. vd. Cort. ad Lucan. 6, 51. et *in*. vd. eumdem ad 2, 556. 3, 21. et *est*. vd. Heins. ad Ovid. Met. 15, 677.

ENDO.

Antiqui homines et si qui recentissimi antiquitatis robiginem affectabant, dixerunt *endo* pro *in* et in compositis verbis et in praepositione singulari. Est vero ἔνδον, quod ex Sicilia in inferiorem Italiam, hinc Romam pervenit. Valckenaer. ad Theocr. Adoniaz.

p. 364. B. Exempla, quae adhuc exstant, Ennii et aliorum collegerunt Gifanius in Collect. Lucret. p. 61. Laurenbergius in Antiquar. p. 153. et alii lexicorum auctores. Sed etiam *indo* et *indu* in usu erant. Nam Festus narrat olim dictum esse *indostrius*, et Lucret. 1, 241. *indupedita*. 83. *indugredi*: quamquam Gifanius desiderat antiqua testimonia. Hoc iterum mutabatur in *indi*: unde *indigena*. Nam in Cypro et in Creta dixerunt ἐν et ἔνδον. Voss. ad Catull. p. 331. Valcken. l. l.

Praepositionis significatio in hac forma una videtur fuisse localis. Pauca sunt exempla accusativi, ut apud Gellium 20, 1. *endo dies* et *endo em* i. e. in eum: nam quod ex Cic. de Leg. 2, 8. affertur: *quos endo coelum merita vocaverunt*. critici secundum Lactantii testimonium correxerunt *endo coelo merita locaverunt*. Ausonius Idyll. 12. Grammat. 18. *endo suam do*, quod etiam Charisius p. 249. ex antiquo scriptore habet. Neque in ullo vocabulo composito particula vim privativam habet. vid. Schneideri Gram. T. I. p. 568.

ENIM.

Quam difficile esset vocabulorum fines et discrimina constituere, grammatici maxime in particulis ENIM et NAM experti sunt. Nam a falsis principiis doctrinae exorsi, eam ad opiniones deduxerunt, quae nec rationibus stabiliri, nec cum vario linguae usu conciliari poterant. Dicunt enim his particulis significari caussam, sed per *nam* addi rationis expositionem magis exactam, in qua Germani voce *nemlich* utantur, per *enim* rei caussam declarari, qua cognita res ante dicta constet aut cognosci possit. Sic, ut unum et novissimum auctorem nominem, Ramshornius p. 845. praecepit, quem sequitur etiam Aug. Grotefendus p. 175. At non ipsa caussa indicatur his vocabulis, sed veritas alicuius sententiae ex veritate alius sententiae demonstratur, et quum praesertim ex caussis intelligatur rerum veritas et ratio, id, quod per *enim* et *nam* adiicitur, saepe in se habet caussam. Haud raro tamen *nam* transitioni, *enim* explicationi inserviunt ita, ut caussae notio prorsus absit. Neque vero illud, quod his particulis grammatici assignant discrimen in ipsarum natura cernitur, neque confirmatur usu scriptorum veterum. Plurima

enim utrique communia sunt. Alioquin Cicero non potuisset de Off. 2, 12, 42. dicere: *neque enim aliter esset ius:* quae paullo post dixit: *nam aliter iustitia non esset.*

Nam particulam etiamsi non cum Gerh. Vossio dicam, per metathesin factam esse ex graeca μάν, quae est μήν, tamen negari non potest, latinam iisdem elementis constare et ab hac origine habere vim confirmandi. Haec significatio accommodatur et expositioni rerum et comprobationi, quandoquidem in utraque veritatis confirmandae argumentum inest. Sic graecum γὰρ ortum est ex γε ἄρα. Demonstrativa accedit maior vis, quae significationem intendit, praefixa syllaba *e*, et sicut *equidem* et simili formantur, ita *enim* ex *nam*. Cf. p. 341. Differt igitur *enim* ab *nam* certa designatione, quae quoniam vel ad unam rem praecipue pertinet, vel sententiam arctius innectit, particula uni vel pluribus verbis postponitur, amplectens quasi partem aliquam sententiae.

Comparari potest formatio verborum germanicorum *denn* et *wann*: nam illud, quod ipsum demonstrativam formam prae se fert, antiquo tempore etiam *dannta*, hoc *wanta* pro *denn* dicebatur.

Otto Schulzius in Gramm. 105. p. 636. hanc fecit distinctionem: *enim* indicare rationem in re positam, *nam* illustrare cogitationem, sive opinionem. Quae quam falsa sit, ex nostra demonstratione patebit.

Vniversa significatio huius particulae in eo posita est, ut veritas alicuius rei vel sententiae alia re vel argumento monstretur. Atqui veritas et rem esse, et qualis ea sit ostendit, et potest vel in explicata, vel in comprobata, vel in affirmata re cognosci. Quare triplex est genus dictionum particulam *enim* recipientium, expositionis, comprobationis, asseverationis. Quae quamquam Latini uni rationi submittunt, nos Germani non possumus uno vocabulo reddere, neque alia gens nostri temporis. Sed omnia haec id commune habent, ut in iis ex sententia aliqua ad aliam transgrediamur, quod fit et componendis enuntiationibus sive iudiciis, et ratiocinatione, quae constat praemissis sententiis et conclusione.

I. 1. Primo igitur *enim* usurpatur in expositione, qua, quod antecedentis sententiae veritatem illustret aut stabiliat et constituat, apponitur, ubi Germani dicunt *nemlich*. Qui ita loquitur, ad aliam sententiam progrediens sensum exprimit hunc: quod verum vel tale esse intelligitur ex hoc. Id quum interpretes non satis repputarent, sed unam illam significationem, quae comprobationem caussae exprimit, et germanico *denn* respondet, unice tenerent, ad ellipsin vario modo explendam saepissime confugiebant, et omissam dicebant aliquam sententiam, cui comprobandae alia hoc modo adiiceretur. At nihil omissum est, sed aliquanto differt latinum vocabulum a germanico. Et quamvis grammaticis concedamus veteres scriptores saepe ea non verbis exposuisse, quae per se facile intelligi possent, tamen ne id quidem opus erit, ut illos in hoc genere dicendi aliquid ausos esse putemus per praecipitem transitum ad aliam sententiam, nisi in oratione animi vehementius commoti, aut in neglecto sententiarum nexu. Nam ipsum vocabulum *enim* monstrat veritatem, et si quid in comparando recentiorum linguarum usu ad complendam cogitationem desideratur, id nihil aliud est quam sententia: hoc verum est. Haec vero dictio in iis praesertim usurpatur, quae dicta aliquis possit mirari, aut in dubitationem vocare. Atque additur plerumque haec declaratio uni alicui parti antecedentis sententiae, unive verbo. Quare saepe enuntiatio parenthesi inclusa et propterea interposita videtur, ne quis demonstrationis cursum dubitatione interrumpat.

Comici dixerunt *ut enim* et *quia enim* et recentiores scriptores *quod enim*, in quibus critici quidam particulam abundare putant. Est vero *weil nemlich*.

Cic. Tusc. 1, 13, 30. *multi de diis prava sentiunt: id enim vitioso more effici solet: omnes tamen esse vim et naturam divinam arbitrantur.* Hottingerus interponendam censet hanc sententiam: sed hoc mirari non decet: id enim vitium etc. Sed ipso vocabulo *enim* haec veritatis confirmatio exprimitur. de Off. 3, 13, 57. *non igitur videtur nec frumentarius ille Rhodios, nec hic aedium venditor celare emptores debuisse. Neque enim id est celare, quidquid reticeas, sed quum, quod tu scias, id ignorare emolumenti tui caussa velis eos, quorum intersit id scire.* Non est supplendum *non celare debuisse, sed reticere.* Sed additur argumentum, quo verbum *celare* recte positum

esse appareat. Tusc. 1, 39, 94. *nam, reor, non ullis, si vita longior daretur, posset esse iucundior. Nihil enim profecto homini prudentia dulcius.* Somn. Scip. 7. *quum praesertim apud eos ipsos, a quibus audiri nomen nostrum potest, nemo unius anni memoriam consequi possit: homines enim populariter annum tantummodo solis, id est unius astri reditu metiuntur: quum autem ad idem, unde semel profecta sunt, cuncta astra redierint,* etc. Supplent: annum dico verum et perfectum sive magnum, non vulgarem: homines enim etc. Quae ipse Cicero verbis, quae sequuntur, exponit. Sed vocabulo *enim* hoc dicit: id intelligo hoc modo. de Off. 1, 9, 29. *facile, quod cuiusque temporis officium sit, poterimus, nisi nosmet ipsos valde amabimus, iudicare. Est enim difficilis cura rerum alienarum.* i. e. facile id fieri intelligitur ex eo, quod difficilis est cura rerum alienarum.

Schellerus in Praeceptis stili p. 484. docet, saepe sequi caussalem enuntiationem, quum tamen non praecesserit ea, cuius caussam illa contineat. Atque addit, hanc omissam enuntiationem debere esse talem, ut e contextu facillime intelligi queat. Sed quae exempla afferat vide. Cic. ad Fam. 1, 8, 10. *quibus in rebus me sibi ille affixum habebit: neque a me ulla res, quae ad te pertineat, negligetur. Neque enim verebor, ne sim ei molestus, cui iucundum erit etiam propter id ipsum, quod me esse gratum videbit.* Deesse putat: colloquar itaque cum Pompeio de te. At hoc ineptum esset, post illa verba *quibus in rebus* etc. iterum haec cogitare. Talia commenta grammaticorum ignorans Wielandus vertit: *und dies um so mehr, da ich nicht zu besorgen habe.* Cic. ad Fam. 9, 14, 9. *nam quum te semper tantum dilexerim, quantum tu intelligere potuisti, tum his tuis factis sic incensus sum, ut nihil umquam in amore fuerit ardentius. Nihil est enim, mihi crede, virtute formosius, nihil pulchrius.* Hic omissum esse ille dicit: huius mei erga te amoris caussa virtus tua est: in quibus ipsis iterum desiderabis *nam* vel *enim*. Et sic de reliquis exemplis. Nec aliter Hottingerus in notis ad Cic. de Divin. passim.

In his ellipsibus complendis saepe adeo ridiculae conclusiones proponuntur. Sic Schmiederus Terentii verba, de quibus infra dicam, Andr. 5, 1, 4. *immo enim nunc quam maxime abs te postulo,* explicat: contra non faciam orandi finem (quod inest in voce *immo*), nam quam maxime postulo.

Plaut. Pers. 4, 2, 32. SY. *Si futurum est, do tibi operam hanc.* MI. *Quomodo?* SY. *Vt enim ubi mihi vapulandum est, tu corium sufferas.*

Terent. Hec. 3, 1, 31. *quapropter? quia enim qui eos gubernat animus, infirmum gerant.* Plaut. Mil. 3, 2, 20. LV. *Di me perdant, si bibi, si bibere potui.* PA. *Qui iam?* LV. *Quia enim absorbui.* Capt. 4, 2, 104. HE. *Quid tu per barbaricas urbes iuras?* EV. *Quia enim item asperae sunt.* Cas. 2, 6, 33. vid. III, 8.

Apulei. Met. 9. p. 228, 26. *pone tergum eius maritus acceperat sonum sternutationis, quod enim putaret ab ea profectum.* Alia multa exempla dedit Oudendorp. p. 615.

2. Inprimis haec particula ponitur in gnomis sive in sententiis, quae veritatem generalem exponunt.

Cic. p. Ligar. 12, 37. *nihil est enim tam populare quam bonitas. Nulla de virtutibus tuis plurimis nec admirabilior nec gratior misericordia est. Homines enim ad deos nulla re propius accedunt quam salutem hominibus dando.* Primum *enim* omittunt quidam libri, sed si non adesset, hoc quidem loco desideraremus. Lael. 8, 28. coll. de Nat. d. 1, 44, 121. et ad Fam. 9, 14, 9.

3. Id, quod rem magis declaret, esse potest exemplum, quod veritatem dicti confirmat. Tum ponitur *enim* et *nam* et *γάρ*. Tantum vero abest, ut haec vocabula significent *exempli caussa*, ut tantum addant aliquod veritatis documentum, ex experientia sumptum. Sic *neque enim* est: nam nisi hoc verum est, non illud esse potest. Germani dicunt *so denn*.

Cic. de Fin. 1, 18, 57. *clamat Epicurus — non posse iucunde vivi, nisi sapienter, honeste, iusteque vivatur: nec sapienter, honeste, iuste, nisi iucunde. Neque enim civitas in seditione beata esse potest.* quod est: *und so kann denn ein Staat nicht glücklich seyn.* Cornel. Praef. 3. *hi si didicerint, non eadem omnibus esse honesta atque turpia, sed omnia maiorum institutis iudicari, non admirabuntur, nos in Graiorum virtutibus exponendis mores eorum sequutos. Neque enim Cimoni fuit turpe, — sororem germanam habere in matrimonio.* Cic. de Div. 1, 30, 65. *ex quo et illud Calani — et homerici Hectoris, qui moriens propinquam Achilli mortem denuntiet. Neque enim illud verbum temere consuetudo approbavisset, si ea res nulla esset omnino.* ubi nullo supplemento opus est. Hottingerus mutavit *enim* in *iam*. Cf. Tusc. 3, 15, 31. Curt. 10, 1, 40. *scilicet res secundae valent commutare naturam, et raro quisquam erga bona sua satis cautus est. Idem enim paullo ante Lyncesten Alexandrum delatum a duobus indicibus damnare non sustinuerat, humiliores quoque reos contra suam voluntatem — passus absolvi.*

Cic. p. Mil. 3, 8. *an est quisquam, qui hoc ignoret, quum de homine occiso quaeratur, aut negari solere omnino esse factum, aut recte ac iure factum esse defendi? Nisi vero existimatis, dementem P. Africanum fuisse —. Neque enim posset aut Ahala ille Servilius, aut P. Nasica — non nefarius haberi, si sceleratos cives interfici nefas esset.* Goerenzius modo refert ad rationem allati exempli, modo ironiam expressam videt. vid. ad Acad. 2. p. 78. de Fin. p. 81. Huldricus omissam putat sententiam hanc: *quod nemo existimabit.* Weiskius *neque enim* idem esse censet quod *neque vero* graviter affirmantis. In quibus fere omnibus aliquid verum. Nam Cicero exemplis veritatem sententiae, non omnem hominis caedem esse damnandam, confirmat, idque etiam poterat dici *neque vero*, sed gravius: *auch könnte in der That nicht.* Cf. Matthiae ad h. l.

Cic. de Off. 1, 28, 98. *ut enim pulchritudo corporis apta compositione membrorum movet oculos et delectat hoc ipso, quod —: sic hoc decorum* etc. Comparatio et illustrat et auget proximam sententiam, ut ait Gernhardus.

4. Huius generis est haec dicendi forma, in qua pronomen demonstrativum, vel simile nomen monstrativum praemittitur, et rei expositio per *enim* adiicitur.

Cic. de Div. 1, 37, 80. *atque etiam illa concitatio declarat vim in animis esse divinam. Negat enim sine furore Democritus quemquam poetam magnum esse posse.* Hottingerus vertit: *auch die Begeisterung der Dichter beweist es, daſs in der Seele eine göttliche Kraft liegt. Denn Democrit behauptet, daſs ohne eine gewisse Art von Raserei kein groſser Dichter werden könne.* Quae sententiarum coniunctio aut nulla, aut absurda est. Nam Cicero vim divinam in animis esse demonstrat, Democritus autem, esse concitationem in animis poetarum. Sed dicit Cicero *illam concitationem*, et addit, quae eius veritatem declarent: quasi dixisset: illa concitatio, de qua Democritus ait etc. de Nat. d. 2, 9, 24. *quod quidem Cleanthes his etiam argumentis docet, quanta vis insit caloris in omni tempore. Negat enim ullum esse cibum tam gravem, quin is die et nocte concoquatur.* de Off. 2, 16, 56. de Orat. 1, 61, 258. de Fin. 1, 6, 18. 3, 16, 54.

Cic. de Sen. 18, 65. *sic se res habet: ut enim non omne vinum* etc.

5. Atque sic expositio pergit ad singulas res, etiam in oratione obliqua.

Cic. ad Fam. 9, 19, 2. *nescis me ab illo omnia expiscatum:*

recta enim a porta domum meam venisse. Curt. 5, 5, 17. *Theaetetus Atheniensis orsus est dicere: neminem pium habitu corporis suos aestimaturos: utique saevitia hostis, non natura calamitosos. Dignum esse omni malo, qui erubesceret fortuita. Tristem enim de mortalitate ferre sententiam et desperare misericordiam.*

6. Sed etiam ab initio cuiuscumque expositionis, quae antea praedicta exspectatur, particula *enim* ponitur, qua ad rem ipsam declarandam accedimus. Simili, tamen diverso modo usurpatur *igitur*. Nos dicimus *nemlich*.

Cic. de Div. 1, 6, 11. *nihil, inquit, equidem novi, nec quod praeter ceteros ipse sentiam. Nam quum antiquissimam sententiam, tum omnium populorum et gentium consensu comprobatam sequor. Duo sunt enim divinandi genera.* Nemo Davisio credidit, qui particulam eiiciendam censuerat: neque vero recte novissimus interpres eam retulit ad superiora verba *nihil novi — sentiam.*

Cic. pro Lege Man. 2, 6. *primum mihi videtur de genere belli: deinde de magnitudine, tum de imperatore deligendo esse dicendum. Genus est enim belli eiusmodi, quod maxime vestros animos excitare atque inflammare ad studium persequendi debeat. Agitur populi romani gloria.* Ita cum aliis libris cod. Erfurt. Critici eiecerunt *enim* et post *agitur* inseruerunt. Sed talia saepius omittuntur a librariis, quam apponuntur. Quae est optima Wolfii observatio.

7. In enumeratione rerum si quaedam ex alicuius rei partibus vel membris nominantur, aliae desiderantur, ea pars, quae omitti videtur, per *enim* additur eo modo, ut appareat, et dicenti cognitam fuisse rem totam, et partes illas commemorari ex ratione totius rei. Conf. formula *quid enim dicam?* de qua infra.

Cic. de Nat. d. 1, 7, 16. *tres enim trium disciplinarum principes convenistis. M. enim Piso si adesset, nullius philosophiae, earum quidem, quae in honore sunt, vacaret locus.* Tacit. Dialog. 16. *pro duobus, inquit Maternus, promitto. Nam et ego et Secundus exsequemur partes, quas intellexerimus te non tam omisisse, quam nobis reliquisse. Aprum enim solere dissentire et tu paullo ante dixisti et ipse satis manifestus est* etc.

8. Ponitur *enim* in evocatione et exhortatione, qua, remotis alienis rebus, ad id, quod considerandum sit, accedere iubemus: quasi dicamus: quum ita sit, iam etc. Idem saepe exprimitur, quod vocabulo *igitur*.

Nam tecta quaedam veritatis conclusio inest in his enuntiationibus. Germani eodem modo *denn* dicunt, vel etiam *nemlich*. Etiam Graeci ita loquuntur. Soph. Philoct. 1054. *ἄφετε γάρ αὐτόν.*

Vid. ad Wopkens. Lect. Tull. p. 108. qui male arbitrabatur, coniunctivum cum hac particula habere rationem.

Cic. de Nat. d. 2, 12, 31. *nam quid potest esse mundo valentius, quod pellat atque moveat calorem eum, quo ille tenetur? Audiamus enim Platonem, quasi quemdam deum philosophorum: cui duo placet esse motus* etc. Tusc. 4, 17, 40. *etenim quis erit tandem modus iste? Quaeramus enim modum aegritudinis, in qua operae plurimum ponitur.* Nonnulli codd. praebent *igitur.* de Div. 2, 36, 76. *sed de hoc loco plura in aliis: nunc hactenus. Externa enim auguria — videamus.* Tusc. 5, 24, 68. *proponenda quaedam quasi moventia sunt, quae nos magis ad cognitionem intelligentiamque convertant. Sumatur enim nobis quidam praestans vir optimis artibus.*

Cic. Phil. 2, 13, 31. *attende enim paullisper, cogitationemque sobrii hominis punctum temporis suscipe.* Virgil. Ge. 3, 69. *semper erunt, quarum mutari corpora malis: semper enim refice.*

9. Haec exponendae veritatis ratio proprium locum huic particulae assignat in parenthesi. Inseruntur enim extra verborum constructionem ea, quae ante dicta veritati aliquo modo vindicant, aut illustrant. Sic is, qui loquitur, saepe caussam, cur ita loquatur, exponit.

Cic. de Off. 2, 12, 41. *eademque constituendarum legum fuit caussa, quae regum. Ius enim semper est quaesitum aequabile (neque enim aliter esset ius). Id si* etc. Tusc. 2, 24, 58. *sumus enim natura, ut antea dixi (dicendum est enim saepius), studiosissimi honestatis.* Bene vidit Wopkensius Lect. Tull. p. 89. (64.) caussam referri, cur haec iterum repetantur. Davisio displicuerat particula. Eodem modo Lael. 22, 85. *quocirca (dicendum est enim saepius) quum iudicaveris, diligere oportet!* Plin. Ep. 1, 3, 3. *quin tu (tempus est enim) humiles et sordidas curas aliis mandas.* Cic. Acad. 2, 7, 22. *quod si essent falsae notitiae (ἐννοίας enim notitias appellare tu videbare), si igitur essent hae falsae* etc. Liv. 27, 22, 9. 27, 7, 12. Ovid. Her. 16, 223. *rumpor et invideo (quid enim non omnia narrem).*

Cic. Lael. 21, 77. *sin — in reipublicae partibus dissensio intercesserit (loquor enim, ut paullo ante dixi, non de sapientium, sed de communibus amicitiis), cavendum erit.* Ita codices boni: alii non male *loquar iam.* Bene observat Goerenzius in Iahnii

Annal. 1, 1. p. 44. non raro particulam in parenthesin inculcatam esse a librariis, qui consuetudinem existimarent perpetuam esse. Quare eam recte abesse in Cic. Phil. 1, 13, 31. ut abest 3, 11, 27.

Curt. 10, 2, 21. *nec ut cum militibus meis (iam enim destitistis), sed ut cum ingratissimis oportet, agere decrevi.*

10. Haec parenthesis praemitti potest ei sententiae, cui adiici debuit.

Ovid. Met. 3, 336. *at pater omnipotens (neque enim licet irrita cuiquam facta dei fecisse deo) pro lumine adempto scire futura dedit.* Trist. 1, 2, 1. *di maris et coeli (quid enim nisi vota supersunt?) solvete quassatae parcite membra ratis.*

11. Saepe in demonstratione alicuius rei oratio ex sententia aliqua ad aliam transgreditur, quae aut veritatem istius diligentius persequitur, aut aliquid declarat, quod cum ea cohaeret. In quo nexu nos disputationis progressum designare et vocabulis *nun*, *nun aber* uti solemus. Ergo critici saepe *enim* in *autem* mutandum esse censebant. Latini autem nexum potius utriusque veritatis tenent, et *enim* dicunt. Id Gifanius in Observ. lat. ling. p. 82. (168.) et Cortius ad Cic. Epist. 1, 4, 1. et Wopkens. Lect. Tull. p. 89. 347. et Frid. Heusingerus ad Cic. de Off. 1, 16. et Ruhnken. ad Terent. Andr. 5, 1, 4, et Goerenz. ad Cic. de Leg. 1, 16, 45. et ad Acad. 2, 17, 52. de Fin. 4, 14, 37. pro *autem*, *vero*, *nimirum* usurpari praecipiunt. Sed per *autem* oratio procedit ad aliam partem, in *enim* idem est et accuratius explicandum argumentum: *vero* gravius affirmat, et saepe, sicut in *neque vero*, quod novum addit, ab altera parte. Certe omnis vis adversativa abhorret ab *enim*, nec omissa est adversativa sententia, cuius caussa adiiciatur. Quare frustra laborant, qui etiam in his caussalem nexum requirunt. cf. Gernhard. ad Cic. de Off. 1, 28, 98.

Kühner ad Cic. Tusc. 4, 17, 40. virorum doctorum opinionem de adversativa vi particulae reiiciens, demonstrare vult, Latinos ita ponere *enim*, ut mente suppleatur enuntiatio, quae sententiae antecedenti opposita sit. Quod si veteres fecissent, perverso loquendi modo usi essent.

Cic. de Off. 1, 28, 100. *animi motus probandi, qui item ad naturam accommodati sunt. Duplex est enim vis animorum atque natura.* Heusingerus correxit *autem*. Sed declaratur ex animi vi atque natura, quinam animi motus ad naturam accommodati

sint. de Sen. 10, 32. *non plane me enervavit, nec afflixit senectus: non curia vires meas desiderat, non rostra, non amici, non clientes, non hospites. Nec enim umquam sum assensus veteri illi laudatoque proverbio, quod monet mature fieri senem, si diu velis esse senex.* i. e. *nun habe ich auch nie beigestimmt.* de Off. 1, 16, 50. *quae natura principia sint communitatis et societatis humanae, repetendum videtur altius. Est enim primum quod cernitur in universi generis humani societate. Eius autem vinculum est ratio et oratio.* Quibus in verbis non intellectis alii correctione, alii interpunctione vitium tollere studuerunt. Sed Hermannus in censura edit. Gernhard. verum vidit, sensumque reddidit ita: *wir müssen den Ursprung der menschlichen Gesellschaft tiefer aufsuchen: nun finden wir, dafs das gesammte Menschengeschlecht überhaupt eine grofse allgemeine Gesellschaft bildet: das Band aber, welches dieselbe verbindet, ist Vernunft und Sprache.* ad Fam. 9, 21, 2. *quid tibi ego in epistolis videor? Nonne plebeio sermone agere tecum? Nec enim semper eodem modo. Quid enim simile habet epistola aut iudicio, aut concioni?* i. e. ego facile concesserim me tibi talem videri, sed cum hac quidem exceptione, non semper eodem modo me in epistolis scribendis versari. de Div. 2, 63, 129. *venit enim iam in contentionem, utrum* etc. ubi Hottingerus male coniecit *autem.* de Fin. 4, 14, 37. *vos autem, Cato, quia virtus, ut omnes fatemur, altissimum locum in homine et maxime excellentem tenet —, aciem animorum nostrorum virtutis splendore perstringitis. In omni enim animante est summum aliquid atque optimum.* Errant, qui illud *enim* pro *autem* dictum existimant. Saepe ita in rerum expositione progreditur Lucretius: vid. 3, 754.

Cic. de Fin. 1, 3, 7. *nec vero, ut noster Lucilius, recusabo, quo minus omnes mea legant.* Codices plurimi habent *nec enim.* Sed progreditur oratio ad alterum argumentum diversum. Contra Statius Silv. 2, 1, 198. *inde magis sequitur: neque enim magis ille trahentem spernit, et ignota credit de stirpe nepotum.* Marklandus temere coniecit *neque iam.*

12. In interrogationibus *nam* et *enim* et graecum γὰρ poni omnibus notum est. Id quum Vigerus docuisset, Hoogeveenus bene intelligens non ab ipsa particula proficisci interrogationis formam, in omnibus exemplis inesse contendit argumentationem, et γὰρ significare *igitur, ergo,* hocque nomine differre *nam quis* et *quisnum,* quod esset *quis vero.* Quare ubique aliquam sententiam, cuius ratio redderetur, omissam esse cen-

iebat. Id vero negat Hermannus ad Aristoph. Nub. 192. et ad Viger. n. 300: quamvis interrogationem ita comparatam esse, ut intelligatur, *incertus sum* vel *miror* vel *dic mihi*. Quo nihil mutatur in isto iudicio, nisi ut rationem reddendam non cum Hoogeveeno ad sententiam aliquam ante ponendam, sed ad ignorationem vel mirationem eius, qui interrogat, referamus. Manet igitur vis reddendae rationis, sed quum quicumque interrogat, semper se nescire rem, aut se quaerere velle profiteatur, haud facile intelligitur, cur idem non in quacumque interrogatione, aut in nulla fiat. Quare huius interrogationis certa esse debet caussa certumque genus. Atque hoc non in una inscitia cernitur, sed in omnibus iis rebus, quae interroganti ius et potestatem quaerendi praebent, et eum impellunt, ut interroget. Haec igitur esse potest admiratio, stupor, novarum rerum studium, dubitatio, inscitia, et alia, quorum sensus ad istam occultam conclusionem eum, qui interrogat, perducit. Ex hoc sensu rationem et caussam ille petit, instantius cur interroget: et vim dictionis, si totam comprehendere velis, reddas modo: ex eo quod sentio, *in Folge dessen, was ich fühle*. Nec negari potest, istum sensum ipsum agnosci in particula, sive in hac forma interrogationis, quae propria est animo vehementius aliquo affectu commoto. Sic ponitur ea post exclamationis verba et post verba *age*, *φέρε*. Ceterum nemo in eo haerebit, quod ratio quaestionis ipsi rei, quam interrogatio complectitur, tribuitur: haec enim caussa est, quare quis ita affectus sit. Sed ex tota hac animi cogitatione non verbis expressa, recipit suam formam interrogatio. Quare etiam *nam* et *denn* postponuntur, et adhaerent verbis quaestionis, *quisnam*, *wer denn*.

Cic. Tusc. 1, 6, 10. M. *An tu haec non credis? A. Minime vero. M. Male, hercule, narras. A. Cur? quaeso. M. Quia disertus esse possem, si contra ista dicerem. A. Quis enim non in eiusmodi caussa?* i. e. miror te ita loqui. Nos *wer denn nicht*. Plaut. Amph. 2, 2, 62. *quid enim censes?* Horat. Sat. 2, 3, 122. *filius aut etiam haec libertus ut ebibat heres, — custodis? Ne tibi desit? Quantulum enim summae curtabit quisque dierum, unguere si caulis oleo meliore caputque coeperis impexa foedum porrigine?* Sulpit. Sat. 20. *quid reputemus enim?* i. e. quid in hac dubitatione longe reputemus? Curt. 5, 8, 11. *quousque enim in regno exsulabo?* 10, 2, 20. *subest nimirum altius*

malum, quod omnes avertit a me. Quando enim regem universus exercitus deseruit?

Ab his diversa sunt, in quibus particula caussa alia regitur. Sic Cic. de Fin. 4, 24, 65. *nec tamen ille erat sapiens (quis enim hoc? aut quando? aut ubi? aut unde?), sed quia studebat laudi et dignitati, multum in virtute processerat.* Male Goerenzius *enim* explicat germanico *ei.* Lucret. 3, 801. *quippe etenim mortalem aeterno iungere, — desipere est. Quid enim divorsius esse putandum est* etc.?

Goerenzius in Iahnii Annal. 1, 1. p. 300. observat apud Ciceronem in interrogatione, quae comparativum in se habet, fere semper apponi *enim*, vel aliam coniunctionem: de Sen. 19, 68. *quid enim stultius, quam* etc. Vnum exemplum esse de Fin. 2, 15, 50. *quid turpius quam sapientis vitam ex insipientium sermone pendere?* et alterum Lael. 6, 22. *quid dulcius, quam habere* etc.? At haec sufficient, et in loco de Senect. etiam codd. aliqui omittunt *enim.* Quare non erat quod Beierus locum Laelii corrigeret.

Sed non tantum ex sensu fit haec conclusio, sed etiam ex cogitatione antecedentis argumentationis, ut intelligatur: quum ita res sit, quaero.

Cic. de Leg. 1, 18, 49. *ut enim quisque maxime ad suum commodum refert, quaecumque agit, ita minime est vir bonus, ut, qui virtutem praemio metiuntur, nullam virtutem nisi malitiam putent. Vbi enim beneficus, si nemo alterius caussa benigne facit?* Male Goerenzius explicat *autem.* de Orat. 1, 2, 6. *nam — permultos excellentes in quoque genere videbis, non mediocrium artium, sed prope maximarum. Quis enim est, qui si clarorum hominum scientiam rerum gestarum vel utilitate vel magnitudine metiri velit, non anteponat oratori imperatorem?* Ita explicandus est locus Ovidii, alioquin valde suspectus, Met. 3, 261. *tum linguam ad iurgia solvit. Profeci quid enim toties per iurgia? dixit: ipsa petenda mihi est.* Verte: *was habe ich nun in so vielen Malen durch Vorwürfe gewonnen?* Tum recte se habent priora verba: quae Hottingerus eo vindicare voluit, ut intelligeret: sed mox, cur hoc facio, inquit. Quid enim etc.

Transit haec particula etiam in obliquam orationem. Et potest in ea interrogatione poni, quae in conclusionis formam exit.

Liv. 3, 39, 9. *quod enim vos per populum egisse.*

Cic. Acad. 2, 14, 43. *quid enim agant, si, quum aliquid definierint, roget eos quispiam, num illa definitio possit in aliam*

rem transferri quamlibet? Si posse dixerint, quid enim dicere habeant, cur illa vera definitio sit? Ita codices plerique.

13. Peculiaris formula est verborum *quid enim dicam?* qua utitur is, qui acquiescendum putat in argumentis vel rebus memoratis, aut superflua esse alia indicat.

Liv. 4, 3, 12. aliis exemplis Numae et Tarquinii et Tullii commemoratis pergit: *quid enim de T. Tatio Sabino dicam, quem Romulus, parens urbis, in societatem regni accepit?* Vide, quomodo frustra laboret Schellerus Praec. stili p. 487. in expiscanda sententia, quae ante omissa sit.

14. *Quid enim?* Latini dicunt, quum significare volunt se recte sentire, vel verum dicere, neque eum, quicum loquuntur, contra dicere quidquam posse. Ita Lambinus ad Horat. Sat. 1, 1, 7. ubi Acron: *quare non? et est comicum.* quod recte Heindorfius intelligit de quotidiano sermone. Eodem modo Graeci τί γάρ; Vid. Heindorf. ad Plat. Soph. 38. Iacobsii Obs. crit. in Anthol. p. 36. Cicero saepissime utitur hac formula, sed nisi semper, tamen plerumque ita, ut altera subiiciatur interrogatio. Cf. Salmas. ad Tertull. de Pallio p. 365. et Goerenz. ad Cic. de Fin. p. 508. Heindorfius plenam sententiam hanc esse putat: quid est enim, quod contradici queat. Sufficit intelligere: quid dicis? quo quaecumque contradictio praecluditur.

Cic. ad Fam. 5, 15, 3. *quid enim? ad amicosne confugiam?* Luccei. ad Cic. 5, 16, 5. *quid enim? tu solus aperta non videbis?* Cic. de Fin. 2, 22, 72. *quid enim? fortemne possumus dicere eumdem illum Torquatum?* 2, 28, 93.

Horat. Sat. 1, 1, 7. *quid enim? concurritur.* 2, 3, 132. *quid enim? neque tu hoc facis Argis, nec ferro ut demens genitricem occidis Orestes.* Vtroque in loco, quod criticis placuit, *quidni?* idem significat. vd. Heindorf. Phaedr. 3, 8, 6. *illa irascitur, nec gloriantis sustinet fratris iocos, accipiens (quid enim?) cuncta in contumeliam.*

II. 1. Altera vis particulae *enim* cernitur in comprobatione, quae caussam addit, vel rationem reddit. Germani dicunt *denn.*

Cic. ad Att. 11, 15. *video difficile esse consilium: sum enim solus.* de Orat. 2, 78, 315. *principia autem dicendi semper quum accurata et acuta et instructa sententiis, apta verbis, tum vero caussarum propria esse debent. Prima est enim quasi*

cognitio et commendatio orationis in principio. Tusc. 4, 25, 55. *at commode dixit Afranius: dummodo doleat aliquid, doleat quidlubet. Dixit enim de adolescente perdito ac dissoluto: nos autem de constanti viro ac sapienti quaerimus.* Quae male explicat Ramshornius Gramm. p. 848. Nam Cicero comprobat iudicium suum de commodo dicto.

2. Comprobatio alicuius iudicii vel notionis eo etiam conficitur, ut obiectionem, quae fieri possit, praeoccupemus, et argumento removeamus. Tum Latini ad hanc argumentationem cogitatione properantes ponunt *enim* et *nam*, sicut nos Germani *denn*.

Cic. Tusc. 5, 9, 26. *an malumus Epicurum imitari? qui multa praeclare saepe dicit: quam enim sibi constanter convenienterque dicat, non laborat.* Integra esset sententia haec: hoc non temere loquor, sed vere: nam, quod aliquis obiiciat, quam sibi constanter dicat, id Epicurus non laborat. de Orat. 2, 6, 24. *quando denique nihil ages? Tum illud addidi: mihi enim liber esse non videtur, qui non aliquando nihil agit.* de Leg. 2, 7, 17. *unum illud mihi videris imitari orationis genus. M. Vellem fortasse. Quis enim id potest, aut umquam poterit imitari?* Male supplent: sed non possum: quis enim etc.?

3. Latinae linguae communis cum graeca est ille modus, quo id, quod aliquam sententiam comprobat aut ratione constituit, ipsi praemittitur, atque hoc inverso ordine persuasio ante occupatur.

Cic. de Nat. d. 3, 4, 10. *affers haec omnia argumenta, cur dii sint: remque mea sententia minime dubiam argumentando dubiam facis. Mandavi enim memoriae non numerum solum, sed etiam ordinem argumentorum tuorum. Primum fuit, quum coelum suspexissemus* etc. Illis verbis ante iam declarat, cur dicturus sit *primum fuit.* Ovid. Met. 1, 250. *talia quaerentes (sibi enim fore cetera curae) rex superum trepidare vetat.*

4. Ad hoc genus etiam ex iis, quae primo generi ob expositionis vim adnumeravi, quaedam referri posse, facile concesserim. Nam, ut iam supra dixi, saepe haec particula regitur ab occultae conclusionis ratione, qua, qui loquitur, sua verba veritati vindicat. vid. n. 9. et 12.

III. 1. Tertium genus exemplorum diximus esse asseverationis. Haec enim in iis sententiis apparet, quae rem veram esse, et facile intelligi ac concedi affirmant:

ubi nos dicimus *freilich*, *allerdings*, *eben*. Sic adiicitur *videlicet*. Et potest ita dici in reiicienda aliqua sententia, et in obiectione: unde fit, ut *enim* pro *at enim* poni videatur. Sed ii, qui in hac particula nihil nisi caussalem vim vident, etiam in his ab ellipsi petunt explicandi subsidium. Sic Schützius Doctr. Partic. p. 161. *enim* non ipsum putat asseverare, sed caussam reddere omissae asseverationis. Et Ramshornius Gram. p. 847. (564.) semper intelligi debere ait: recte mones, neque id mirum est, facile credo.

Cic. p. Font. 9, 19. *qui primum illud verbum consideratissimum nostrae consuetudinis* a r b i t r o r — *ex toto testimonio suo sustulit, atque omnia se scire dixit. Verebatur enim videlicet, ne quid apud vos populumque romanum de existimatione sua deperderet.*

Plaut. Stich. 4, 2, 36. *tua pol refert enim.* Terent. And. 3, 2, 23. *certe enim scio.*

Cic. Acad. 2, 13, 41. *quae autem sumunt, ut concludant id, quod volunt, ex his duo sibi putant concedi: neque enim quisquam repugnat.* Cic. p. Caec. 3, 8. *at si quis mihi hoc iudex recuperatorve dicat: potuisti enim leviore actione confligere* etc. de Off. 1, 39, 139. *ornanda est enim dignitas domo, non ex domo tota quaerenda.*

Cic. de Nat. d. 3, 15, 39. *nec vero vulgi atque imperitorum inscitiam despicere possum, quum ea considero, quae dicuntur a Stoicis. Sunt enim illa imperitorum. Piscem Syri venerantur:* etc. *Haec igitur indocti.* Liv. 21, 7, 12. *haec vos, si Philippus in Italiam transmiserit, quietura aut mansura in fide creditis? Manserunt enim punico postea bello. Numquam isti populi nisi quum deerit, ad quem desciscant, a nobis non deficient.* i. e. *sie blieben allerdings.* Caes. B. civ. 2, 32. *an — vos, incerta victoria Caesarem sequuti, diiudicata iam belli fortuna, victum sequamini, quum vestri officii praemia percipere debeatis? Desertos enim se ac proditos a vobis dicunt et prioris sacramenti mentionem faciunt. Vosne vero L. Domitium, an vos L. Domitius deseruit?* Nihil omissum est, sed vertendum: *allerdings*, sive *freilich sagen sie.* Liv. 22, 25, 2. *quum, laeta civitate, dictator unus nihil nec famae, nec litteris crederet —: tum M. Metilius tribunus plebis, id enim ferendum esse negat.* Ovid. Met. 14, 523. *nec prius obticuit, quam guttura condidit arbor. Arbore enim succoque licet cognoscere mores.* Quae Heinsius

mutat in arborem: vel *adhuc* ineptior tamen opinio, qua Bothius verba *arbor enim* in parenthesi posita putat.

Cic. in Verr. 1, 9, 25. *nam accusandi mihi tempus mea caussa datum est, ut possem oratione mea crimina caussamque explicare. — Caussam enim, inquit, cognosci oportet. Ea re quidem, quod aliter condemnari reus — non potest.* Phil. 2, 12, 29. *ecquis est igitur, excepto te et iis, qui illum* (Caesarem) *regnare gaudebant, qui illud aut fieri noluerit, aut factum improbarit? Omnes enim in culpa. Etenim omnes boni — Caesarem occiderunt.* Quod Faernus substituit et in vaticano libro legitur *omnes ergo*, a correctore profectum est, qui et in part. *enim* haeserat, et ad *etenim* respexerat.

Plin. Pan. 70, 6. *vides enim: si quid bene fecero, sciet Caesar.* ubi corrigere voluerunt critici non uno modo, sed frustra. Est *du siehst ja.* Plaut. Epid. 5, 2, 35. *si ergo matris filia est, in meum nummum, in tuum talentum pignus da.* v. *Enim istaec captiost,* i. e. *das ist ja offenbar ein Kniff.* Trin. 5, 2, 10. *enim me nominat.* i. e. *da nennt er ja mich.*

Marklandus iniuriam fecit auctori Epistolarum Bruti, quum in Epist. 1, 16. reprehendebat haec: *fortem et liberum animum, quo et consul et nunc consularis rem publicam vindicasti, sine constantia et aequabilitate nullum esse putaris. Fateor enim duriorem esse conditionem spectatae virtutis quam incognitae.* Etiam Cicero ita dixisset.

2. Interdum in eiusmodi oppositione sententiarum usurpatur, ut potius aliquam particulam exspectemus, quae aliam sententiam opponat. Quare interpretes saepe pro *verum*, *autem* acceperunt. *Neque enim* saepe dicitur, ut sit *auch nicht eben*, *auch ja nicht.*

Huc pertinent, quae antea posui ex Cic. Verr. 1, 9, 25. p. Caec. 3, 8. Ovid. Met. 1, 597. *ne fuge me. Fugiebat enim. Iam pascua Lernae — reliquerat* etc. 15, 565. *aut sua fluminea quum vidit Cipus in unda cornua, (vidit enim) falsamque in imagine credens esse fidem —, quae vidit, tetigit.* Curt. 8, 8, 13. *verumtamen eorum mores in Macedonas transfundo. In multis enim gentibus esse video, quae non erubescamus imitari.*

Cic. p. Sext. 20, 45. *unum enim mihi restabat illud, quod fortasse non nemo vir fortis et acris animi magnique dixerit.* Cum Graevio Schützius aliique *enim* deleverunt. Sed defendendum erat: Ernestius vidit esse *scilicet.*

Virgil. Ge. 2, 103: *sed neque quam multae species, nec nomina quae sint, est numerus: neque enim numero comprendere refert.*

Ibi I. H. Vossius demonstrat, enim et germanicum ja referri ad sententiam aliquam omissam. Tamen concedi debet, utrique vocabulo esse vim confirmativam.

3. Sed possunt duae res ita componi, ut altera esse affirmetur, altera tamen non esse aut non valere dicatur: id quod alibi per *quidem* exprimitur. Huic oppositioni convenit etiam *enim*. Atque hoc fit maxime in verbo *esse*, de quo postea dicam.

Cic. Catil. 1, 1, 3. *habemus enim senatusconsultum in te, Catilina, vehemens et grave; non deest reipublicae consilium, neque auctoritas huius ordinis: nos, nos, dico aperte, consules desumus.* ubi editores huius rei nescii eiecerunt particulam, restituit Beneckius, quamquam male accepit pro *iam vero*.

4. Haec affirmatio etiam ad rhetoricam interrogationem pertinet. Nam praemissam interrogationem sequitur saepe sententia, qua illud, quod quaesitum erat, argumento simul adiecto affirmatur. Id fit plerumque in negativa, quae praecedit, interrogatione. Interdum vero caussa exponitur ipsius quaestionis, et demonstratur esse, cur ita sit quaerendum. Cf. Wopkens. Lect. Tull. p. 147. (107.) et p. 62. Germani dicunt *ja*.

Cic. Lael. 15, 52. *nam quis est, — qui velit, ut neque diligat quemquam, nec ipse ab ullo diligatur, circumfluere omnibus copiis atque in omnium rerum abundantia vivere? Haec enim est tyrannorum vita, in qua nimirum nulla fides, nulla caritas, nulla stabilis benevolentiae potest esse fiducia.* Quod supplent critici *nemo profecto est*, iam adest in interrogatione. de Leg. 1, 16, 45. *quis igitur prudentem et, ut ita dicam, catum non ex ipsius habitu, sed ex aliqua re externa iudicet? Est enim virtus perfecta ratio: quod certe in natura est.* de Sen. 10, 31. *videtisne, ut apud Homerum saepissime Nestor de virtutibus suis praedicet? Tertiam enim iam aetatem hominum vivebat, nec erat verendum, ne, vera de se praedicans, nimis videretur aut insolens aut loquax.* Quinctil. 6, 2, 29. *at quomodo fiet, ut afficiamur? neque enim sunt motus in nostram potestatem.*

Cic. Acad. 2, 29, 93. *quid plura? Hoc enim fateris, neque ultimum te paucorum, neque primum multorum respondere posse.* 2, 26, 82. *quid ego de navi? Vidi enim a te remum contemni.* 2, 17, 54.

Virgil. Aen. 6, 51. *cessas in vota precesque, Tros, ait, Aenea? cessas? neque enim ante dehiscent attonitae magna ora domus.* Cic. Tusc. 4, 26, 56. *an sine misericordia liberales esse non*

possumus? non enim suscipere ipsi aegritudines propter alios debemus, sed alios, si possumus, levare aegritudine. de Leg. 1, 1, 1. *quale est istuc, quod poetae serunt? Mihi enim videris fratrem laudando suffragari tibi.*

5. Asseveratio coniuncta esse potest cum quadam ironia, aut cum irrisione, aut cum indignatione: quod Germani exprimunt verbis *freilich*, *freilich wol*. Id bene observavit Goerenzius ad Cic. Acad. 2, 13, 41. Atque additur etiam particula *videlicet*, ironiae propria. Saepe haec ironia in eo posita est, quod res affertur, quam falsam aut absurdam esse omnes sciunt. Vd. Matthiae ad Cic. p. Arch. p. 5, 11.

Plaut. Capt. 3, 4, 86. *tu enim repertu's, Philocratem qui superes veriverbio.* Cic. Brut. 84, 288. *at non assequimur. Isti enim videlicet Attici nostri, quod volunt, assequuntur.* Catil. 2, 6, 12. *homo enim videlicet timidus et permodestus vocem consulis ferre non potuit.* ubi cum Ernestio multi eiecerunt *enim*, revocari id iussit Goerenzius.

Cic. p. Arch. p. 5, 11. *census nostros requiris scilicet. Est enim obscurum, proximis censoribus hunc cum clarissimo imperatore L. Lucullo apud exercitum fuisse.* cf. n. 7. p. Deiot. 12, 33. *Blesamius tyrannum Caesarem scriberet? Multorum enim civium capita viderat; multos iussu Caesaris vexatos, verberatos.* cf. 12, 34. Philip. 7, 8, 21. *occulta enim fuit eorum voluntas iudiciumque de M. Antonio.* Liv. 34, 7, 14. *id enim periculum est, ne sacrum montem — aut aventinum capiant.* 7, 32, 13. *patricius enim eras et a liberatoribus patriae ortus.*

Horat. Ep. 1, 19, 44. *fidis enim, manare poetica mella te solum.* Art. poet. 299. *nanciscetur enim pretium nomenque poetae, si — caput — numquam tonsori Licino commiserit.*

Plautus adeo coniunxit *namque enim*. Trin. 1, 2, 22. *taxo haud tantillum dederis verborum mihi.* MR. *Namque enim tu, credo, mihi imprudenti obrepseris.* h. e. *da sollst du nicht erst gute Worte geben.* MR. *Ei du willst mich, glaub' ich, übertölpeln.* Vid. Gronov. Alii aut mutarunt *enim*, aut eiecerunt. Tamen praevalet auctoritas librorum.

Opprobrium exprimitur, quum Cicero adversarii infert verba. Verr. 4, 11, 25. *amicum enim nostrum in iudicium vocabas.* ubi antea in similibus obiectionibus *at* et *verum* posuit. Verte: *du hast ja unsern Freund vor Gericht gerufen.* Qui unam rationem caussalem tenent, supplent haec: te non invitavimus: nam amicum etc.

6. Asseverationem particula addit imperativo et futuro, qui pro imperativo ponitur, ubi nos Germani praesenti utimur.

Cic. Philip. 2, 18, 31. *attende enim paullisper cogitationemque sobrii hominis punctum temporis suscipe.* Tusc. 4, 25, 55. *ecquis hoc animadvertit? vincite enim!* — Ita veteres editiones, ut videtur, de antiqua auctoritate. in Verr. 2, 34, 82. *accipite nunc aliud facinus nobile, et multis locis saepe commemoratum, et eiusmodi, ut in uno omnia maleficia inesse videantur. Attendite enim diligenter. Invenietis enim id facinus natum a cupiditate.* Primum *enim* eiecerunt critici.

Plaut. Pers. 2, 2, 53. *enim non ibis nunc vicissim, nisi scio.* i. e. *du gehst gewifs nicht von der Stelle.* Quae Schützius ut suo modo explicet, omissa esse dicit haec: mitte quaerere, quid id ad me attineat. Frustra enim quaeris. Non enim ibis nunc. Most. 5, 2, 12. *non enim ibis. Ego ferare faxo, ut meruisti, in crucem.*

7. Quum proprium sit particulae *enim*, ut aliquam veritatem alia veritate confirmet, sunt quaedam verba, quae, etiamsi cum reliquis verbis ad superiora comprobanda referantur, peculiarem confirmandi vim ex hac particula recipiunt. Sic *est enim* asseverationi inservit, significatque *est revera, es ist wirklich;* et in oppositione duarum sententiarum, sicut nostro *freilich*, idem exprimitur, quod particula *quidem*. Pronomina coniunguntur cum *enim*, ut, quod ante dictum erat, distinctius demonstretur, et id, quod additur, ex sua parte veritatem sententiae antecedentis comprobet. Quare a criticis saepe in *quidem* est mutatum, vel per *enimvero* explicatum. vid. Davis. ad Caes. B. gall. 5, 7.

Cic. de Off. 1, 9, 30. *est enim difficilis cura rerum alienarum.* Quae plurimi referunt ad verba *nisi nosmet ipsos valde amabimus:* Pearcius *enim* in *quidem*, Ernestius in *autem* mutat. Sed dicuntur, ut apud nos: *es ist eben, es ist wirklich schwer.* Verr. 1, 13, 35. *est enim obscurum et eiusmodi factum eius.* cf. p. Arch. p. 5. 11. vid. p. 391. ubi ironia inest. Tusc. 1, 32, 78. *in his est enim aliqua obscuritas.* i. e. *in diesem ist wirklich (freilich) einige Dunkelheit.* Tusc. 4, 24, 53. *nam superiores definitiones erant Sphaeri, hominis in primis bene definientis, ut putant Stoici. Sunt enim omnino omnes fere similes, sed declarant communes notiones alia magis alia.* Quem locum male tractavit Wolfius corrigens *autem*, et tamen vertens *übrigens sind sie alle ähnlich.* Est enim: *freilich (zwar) sind sie a. ä.*

Cic. de Leg. 3, 10, 23. *ego enim fateor in ista ipsa potestate inesse quiddam mali.* de Div. 2, 16, 37. *ego enim possum vel nescire etc.*

Cic. Acad. 2, 17, 52. *plurimum interest, sed id omittamus. Illud enim dicimus, non eandem esse vim, neque integritatem dormientium et vigilantium.* ubi male explicuerunt esse pro *autem*. Caes. B. gall. 5, 7. *Caesar — si vim faciat* (Dumnorix) *neque pareat, interfici iubet. — Ille enim revocatus resistere ac se manu defendere suorumque fidem implorare coepit.* Morus explicuit *enimvero*, Beierus ad Cic. de Off. 1, 9, 30. ellipsin ita explet: neque praeter necessitatem hac imperii severitate usus est Caesar. Herzogius, qui propius aberat a probabili interpretatione, anachronismum nescio quem statuit, quo posterior Dumnorigis defensio diceretur caussa prioris suspicionis Caesaris; quod absurdum esset. Sed simplex est hic verborum sensus: ille re vera, ille quidem: *Und jener eben.* Bell. civ. 1, 81. *Caesar — proelio amplius non lacessit et eo die tabernacula statui passus non est, quo paratiores essent ad insequendum omnes —, Illi enim, adverso vitio castrorum, tota nocte munitiones proferunt, castraque castris convertunt.* Cic. de Div. 2, 26, 56. *id enim est, inquies, ostentum.* Non opus habes supplemento criticorum, modo vertas: *dies eben ist ein Wunder.* Terent. Phor. 1, 2, 62. *obsecrat, ut sibi eius faciat copiam. Illa enim se negat; neque eum aequom facere ait.* Liv. 22, 25, 3. *id enim ferendum esse negat.* cf. n. 1. Ita explicari debet Cic. Tusc. 3, 11, 25. *id enim sit propositum.*

Cic. de Nat. d. 3, 4, 9. *sed quia non confidebas, tam esse id perspicuum, quam tu velles, propterea multis argumentis deos esse docere voluisti. Mihi enim unum satis erat, ita nobis maiores nostros tradidisse.* Caes. B. civ. 2, 32. *vos enim vestrumque factum, inquit, omnia deinceps municipia sunt sequuta, neque sine caussa et Caesar amicissime de vobis et illi gravissime iudicaverant.* Alii his rationem reddi putabant superioris sententiae: *magnam partem Italiae beneficio atque auctoritate eorum suam fecit.* quod sufficeret, nisi sequerentur verba: *neque sine caussa etc.*

Virgil. Aen. 8, 81. *ecce autem subitum atque oculis mirabile monstrum — procubuit, viridique in litore conspicitur sus, quam pius Aeneas tibi enim, tibi, maxuma Iuno mactat, sacra ferens.* Servius: *vacat e n i m et tantum ad ornatum pertinet.* Schützius respici putat cognomen, quo Aeneas *pius* appellatur, hoc sensu: quam Aeneas mactat, et hac re iterum pietatem suam declarat: tibi enim, maxima Iuno, eam mactat. Quod

perquam absonum. Concedas potius etiam cum pronomine coniunctum idem fere esse quod *quidem*.

8. In responsione, sive interrogatio praecedit, sive alia rei expositio alterius assensum excitat, *enim* ab eo ponitur, qui rem, de qua agitur, accurate definit, ubi nos dicimus *eben*, aut qui dictam rem affirmat, aut cum quadam conclusione ad rationem reducit. Oratio saepe ita pergit, quasi ea, quae quis antea dixerat, ab eo, qui respondet, dicta essent. Sed haec omnia grammatici explicare solent per omissae sententiae supplementum. vid. Schelleri Praec. stili p. 486.

Plaut. Bacch. 4, 4, 51. M. *Nunc quid nos vis facere?* CH. *Enim nihil, nisi ut ametis, impero.* i. e. *nichts eben.* Terent. Hec. 5, 4, 10. PA. *At ego scio.* PAM. *Quid?* PA. *Nihil enim: nam neque* etc. Ad. 4, 5, 22 (5, 2, 22.). Plaut. Most. 3, 1, 24. Mil. 2, 5, 19. PA. *Quid metuis?* SC. *Enim ne nosmet perdiderimus uspiam.*

Plaut. Cas. 2, 4, 1. CH. *Te uxor aiebat tua me vocare.* ST. *Ego enim vocari iussi.* i. e. *allerdings.* Cas. 2, 6, 14. OL. *Tibi daretur illa.* ST. *Mihi enim. Ah non id volui dicere. Dum mihi volui, huic dixi.* Ita est interpungendum. vid. I, 1.

Terent. Heaut. 1, 2, 14. CH. *Quapropter?* CL. *Quia enim incertumst etiam, quid se faciat.* Plaut. Cas. 2, 6, 33. CH. *Quid tu id curas?* OL. *Quia enim metuo, ne in aqua summa natet.* Pers. 2, 2, 46. Cic. Tusc. 1, 31, 77. — *si quidem vel dii ipsi vel cum diis futuri sumus.* A. *Quid refert?* M. *Adsunt enim, qui haec non probent.* Etiam hoc loco ellipsin esse dicunt: at non omnes eadem sentiunt: adsunt enim etc. Quae omitti non poterant. In ipsa particula inest vis haec: verum est quod dixi, et aliquid refert: *es sind ja Leute da, welche es nicht billigen.*

Terent. Andr. 3, 2, 22. D. *Quasi tu dicas, factum id consilio meo.* SI. *Certe enim scio.* Omissum esse dicunt *tace* vel *recte ais.* Cic. de Leg. 2, 17, 43. Q. *sed nimis saepe secus aliquanto videmus evadere.* M. *Non enim, Quinte, recte existimamus, quae poena divina sit.* i. e. *ja freilich haben wir falsche Ansicht.* de Re p. 2, 15. *tum Scipio, falsum est enim, Manili, inquit, id totum.* Quinctil. 6, 3, 77. *qui pedibus aeger, quum — diceret se iam bina millia passuum ambulare, Dies enim, inquit, longiores sunt.* ubi Badius explicat: facile credo, aut, nihil miror: dies enim etc. 6, 3, 63. *hinc eques romanus, ad quem in spectaculis bibentem quum misisset Augustus, qui ei diceret, Ego si prandere volo, domum eo. Tu enim, inquit, non times,*

ne locum perdas. Cic. de Orat. 2, 10, 40. Cf. Wopkens Lect. Tull. p. 340.

Cic. de Div. 1, 54, 123. *quum autem ille respondisset, in agro ambulanti adductum, ut remissus esset, in oculum suum recidisse, tum Socrates, non enim paruisti mihi revocanti, quum uterer, qua soleo, praesagitione divina.* i. e. igitur re vera.

9. Et potest alia sententia contraria opponi. Id distinctius exprimitur verbis *immo enim.* Sed simplex *enim* etiam ita infertur, ut ex sententia ab altero colloquentium proposita alia constituatur sententia, quae sit contraria. Cf. Wopkens. Lect. Tull. p. 371. (277.)

Terent. Andr. 5, 1, 2. *orandi iam finem face. Dum studeo obsequi tibi, pene illusi vitam filiae.* SI. *Immo enim nunc quum maxime abs te postulo atque oro.* Eun. 2, 3, 66. C. *Duras fratris partes praedicas.* P. *Immo enim si scias, quod donum huic dono contra comparet, magis id dicas.*

Cic. de Rep. 2, 15. *saepe enim hoc de maioribus natu audivimus, et ita intelligimus vulgo existimari: neque vero satis id annalium publicorum auctoritate declaratum videmus. Tum Scipio, falsum est enim, Manili, inquit, id totum.* Ita defendenda etiam est codd. scriptura in Cic. de Divin. 2, 10, 25. *addunt ad extremum, omnia levius casura rebus divinis procuratis. Si enim nihil fit extra fatum, nihil levari re divina potest.* Critici aut mutaverunt particulam, aut eiecerunt. At haec colloquii formam imitantur, in quo alter alteri recta hoc opponet; immo enim si nihil fit extra fatum... Nil obstat particula *si*, p. Caec. 1, 3. *si enim sunt viri boni* etc. Quinctil. 3, 6, 6. *Quid? si enim dicat quis, sonus est duorum inter se corporum conflictio: erret, ut opinor.* Ita est interpungendum.

10. Ita fit etiam in iis responsionibus, in quibus cum quadam confidentia concluditur ex re haud dubia, aut dubitanti demonstratur res conspicua. Nos dicimus *ei nun.*

Terent. Phorm. 4, 4, 11. *cedo nunc porro Phormio dotem si accipiet, uxor ducenda est domum. Quid fiet?* G. *Non enim ducet.* i. e. *ei nun, er nimmt sie nicht.* Adelph. 4, 7, 12. D. *Quid nunc futurum est?* M. *Id enim quod res ipsa fert. Illinc huc transferetur virgo.*

Sic formula *dicam enim* Plaut. Most. 4, 2, 7. PH. *Qui parasitus sum?* SE. *Ego enim dicam: cibo perduci poteris quovis.* Cas. 2, 6, 20. *dicam enim, mea malum.* Mil. 3, 1, 214. *ego enim dicam tum, quando usus poscet.* i. e. *ei nun ich will dir's dann*

Ingen.: Terent. Phorm. 5, 8, 89. n. *Alloquere ac retine, dum ego huc servos evoco.* c. *Enim solus nequeo. Accurre huc.* i. e. *ja allein kann ich's nicht.*

IV. 1. Cum aliis particulis *enim* coniungitur, et saepe quidem cum adversativis. Sic *at enim*, *sed enim*, *verum enim*. Quo haec differant, exposui T. I. p. 444. In verbis *enim etiam*, quae non cohaerent, grammatici nonnulli nescio quid insuavis inconcinnitatis animadverterunt. Apulejus dixit *vel enim* singulari modo pro *vel* simplici, sive pro *vel potius*.

Cic. p. Arch. 3, 5. *statim Luculli — enim in domum suam receperunt. Sed enim hoc non solum ingenii ac litterarum, verum etiam naturae atque virtutis, ut domus, quae huius adolescentiae prima fuerit, eadem esset familiarissima senectuti.* ubi Matthiae: „sed hoc non satis est, quod Luculli eum receperunt, hoc enim non solum ing. etc." Vid. Oudendorp. ad Apul. Apolog. p. 496.

Terent. Phorm. 3, 3, 22. *verum enim metuo malum.* Conf. VERVM et ENIMVERO. De *at enim* vide in AT. Adde quae Classen ad Cic. pr. Cluent. p. 185.

Quinctil. 10, 3, 12. *accidit enim etiam ingeniosis adolescentibus frequenter.* alii codd. omittunt *etiam*, alii *enim*: compositae displicuerunt Spaldingio, sicut 6, 3, 9. *erumpit enim etiam invitis saepe.* ubi quod nonnulli codd. non habent *enim*, factum est more consueto.

Apulei. de Deo Socr. p. 47, 5. *quae neque tam bruta quam terrea, neque tam levia quam aetherea, sed quodammodo utrimque seiugata, vel enim utrimque commixta sint.* Apolog. p. 329, 36. p. 576. Oud. *mater futura in ipso materno sinu nubat, in segete adulta, super foecundam glebam; vel enim sub ulmo marita cubet.* Florid. p. 340, 15. sed ibi alii libri *vel etiam*, vid. Oudend. p. 5. Mercer. ad Nonium p. 132.

2. *Certe enim* idem significat quod *enimvero*.

Plaut. Amph. 1, 1, 175. *certe enim hic nescio quis loquitur.* Asin. 3, 3, 24. *certe enim tu vita es mihi.*

3. Vt inopportunas criticorum suspiciones revellerent, prudentiores demonstraverunt, Latinos non offendi crebra repetitione huius vocabuli. Atque ea tanto minus displicuit, quanto necessaria erat in veritate aliunde deducenda. Ponitur igitur intra breve spatium bis, terve, quaterve. Saepius praecedit aut sequitur

alia sententia a *nam* incipiens, aut quae habet *etenim*. Sic Graeci quoque. Vid. Porson. ad Eurip. Med. 140. Frotscher ad Xenoph. Hier. 11, 6. Plautus adeo coniunxit verba *namque enim*.

Proxime se excipiunt sententiae per *enim* iterum positum apud Cic. de Leg. 1, 18, 49. Acad. 1, 2, 6. ubi vid. Goerens. et ad de Fin. 3, 12, 40. 3, 7, 26. Wopkens. Lect. p. 90. Heindorf. ad Cic. de Nat. d. p. 68. Frotscher. ad Quinctil. 10, 1, 131. Ter legitur apud Cic. ad Fam. 5, 12, 14. Tusc. 3, 11, 25. Quater apud Cic. ad Fam. 5, 12, 21. Quinctil. 3, 6, 5.

Praemissae voculae *nam* multa nos supra attulimus exempla.

Cic. de Lege agr. 1, 4, 10. *etenim quod superiore parte legis praefinitum fuit, — id rursus liberum infinitumque fecerunt. Lubet enim eosdem decemviros.* Ita optimi codd. Sed Orellius: „*enim* non placet post *etenim*."

Cic. de Sen. 10, 31. *tertiam enim — loquar.. Etenim — oratio.*

Plaut. Trin. 1, 2, 23. *namque enim tu, credo, mihi imprudenti obrepseris.*

4. *Enim* antiquo tempore non unam in ordine verborum habebat sedem, sed et ab initio ponebatur et post alia verba. Sed postponitur, ut sententiam nexu magis adstricto iungat, aliquod verbum quasi complectens. Id vero apud bonos scriptores unum est ex primariis verbis sententiae, quod si coniunctum cum aliis unam notionem exhibet, etiam secundum et tertium esse potest. Dixi de hac re Tom. I. p. 377. Non numerantur vocabula, sed boni scriptores cavent, ne nexus desit sententiis, sed ut una tantum notio antecedat. Nam ubi *enim* non respicit ad superiora, quocumque loco suum verbum sequitur. cf. Virgil. Aen. 8, 84. Goerenzius ad Cic. Acad. 1, 2, 5. negavit, quarto loco et ne apud poetas quidem particulam poni. Potest tamen, si tria verba unam notionem constituunt. Sic etiam in his Cic. Tusc. 4, 38, 88. *in ea est enim fons miseriarum*, secundum locum obtinet. Maiorem adeo licentiam in graeco γάρ observarunt Hemsterhus. ad Lucian. Dial. mort. 25. p. 526. aliique.

Quinctilianus *enim* ab initio positum ad transmutationem refert, qua ordo turbatur, 1, 5, 39. Sed tamen fert mos antiquorum poetarum et eorum, qui obsoletis verbis delectabantur, Apuleii, Solini. Plaut. Pers. 4, 4, 60. Mil. 2, 5, 19. Aul.

3, 5, 26. Cas. 5, 2, 36. Terent. Hec. 2, 1, 41. Lucret. 6, 1276. Vid. Bopma de Vsu antiq. locut. 1, 16. p. 619. Gifan. in Ind. Lucret. s. h. v. Mercer. ad Apulei. de Deo Socr. p. 140. Vossius de Analog. 4, 26. p. 274. Palmeri Spicileg. 7. p. 730. Grut. Gronov. ad Liv. 34, 32, 13. Oudendorp. ad Apulei. Met. 4. p. 255. 6. p. 399. ad Flor. p. 34. et 38. ubi vide exempla. Ruddimann. 1. p. 323. Forbiger ad Lucret. 6, 1276.

Corruptionem critici iamdudum cognoverunt in his: Cic. ad Att. 4, 12. *enim auctionem Larini video.* Praeposuerunt *idibus.* Ac desideratur temporis definitio. Liv. 34, 32, 13. *enim, ut iam ita sint haec, quid ad vos, Romani?* Id defendit Gronovius exemplis Plautinis, Drakenborchius e cod. mogunt. recepit *at enim.* 23, 45, 10. *enim minor est res.* alii codd. *etenim*, alii *en*, quod probari non potest, nisi, abiecto *est*, cuius sedes in codd. dubia, scribatur *en minor res.* Tacit. Hist. 4, 11. *asiaticus (enim is libertus) malam potentiam servitii supplicio expiavit.* edit. pr. omittit *is.* cod. Agr. *etiam* habet. Videntur haec verba a glossatore, qui 2, 95. legerat, adscripta. Senec. de Benef. 7, 5, 1. *enim sic omnia sapientis esse dico* etc. Sic Lipsius e codd. Sed alii libri *enimvero* praebent. Quare dubia est res in hoc quoque loco. Ex sententia Gifanii et Zumptii numquam praeponitur, nisi significat *enimvero, sed enim.* Oudendorpius in alloquutione saepius fieri observavit.

Auctor apud Duker. de Latinit. ictor. p. 330. affert locum Iuliani in Dig. 7, 4, 17. ubi florentin. praebet *enim dum proprietatem acquiris:* alii tamen *dum enim* et *tu enim dum.* Gifanius in Ind. Lucret. etiam Paullum narrat dixisse in Dig. 22, 5, 28. *enim potest hoc memoria teneri.* Sed ibi quoque incerta est lectio. vid. Duker. l. l.

Etiam in demonstranda ea libertate, qua *enim* post secundum et tertium verbum locatum sit, plurimi falsos adhibebant testes. Sic dicunt Varronem apud Non. 1, 149. scripsisse: *non mirum si caecutis. Minus aurum enim non praestringit oculos quam —.* Sed et auctoritas codicum et sensus loci aliter suadet. Liv. 30, 1, 3. *ei quoque enim proconsuli imperium in annum prorogabatur.* Nam *quoque* non poterat a suo nomine avelli. Vide alia paullo post.

Poetarum sunt haec: Virgil. Aen. 5, 850. *Aenean credam quid enim fallacibus austris?* Nam quod veteres scholiastae verba *quid enim?* interposita seiungunt, id simplicitatem dictionis turbat. vd. Heynius. 8, 84. *quam pius Aeneas tibi enim — mactat.* Lucret. 2, 1147. *omnia debet enim cibus integrare novando.* 3, 236. *rara quod eius enim constat natura.*

Sulpicia Sat. 20. *quid reputemus enim?* Lucret. 1, 681. *nil referret enim.* Horat. Sat. 2, 7, 105. *tergo plector enim.* Plautus adeo extremo sententiae loco in Nervolaria apud Varron. de Ling. lat. 6, 3. *scobinam ego illum actutum adrasi enim.*

Vnum restat exemplum apud Cic. ad Att. 14, 6. *odiosa illa enim fuerant, legiones venire.* de quo quidem dubitare decet. De loco de Orat. 2, 4, 218. vide in QVIPPE. Cic. de Fin. 1, 18, 61. *multoque hoc melius nos veriusque quam Stoici. Illi enim negant bonum quidquam esse, nisi nescio quam illam umbram* etc. Goerenzius scribendum esse censuit *illi negant enim esse bonum*: quo sensus fit deterior. Nam Cicero universam Stoicorum sententiam explicare vult, non unam negationem istam boni.

Excusationem in ipsa vocabulorum natura quaeramus apud Liv. 45, 39, 10. *diis quoque enim, non solum hominibus debetur.* 27, 7, 12. *his quoque est enim prorogatum in Sicilia imperium.* 36, 27, 7. *eo quoque enim mittendos fore legatos.* 27, 22, 9. Labeo in Digest. 16, 244. *simul atque enim victus quis est* etc.

Quartum vocabulum, tamen ob notionis unitatem secundo loco positum est *enim* in his Cic. de Off. 1, 20, 67. *in eo est enim illud, quod* etc. 2, 7, 25. *ab ea est enim ipsa interfectus.* de Orat. 61, 206. *non ad unam enim rem aliquam, sed ad plures accommodatur.* Nam et praepositio et negatio una notione unoque accentu cum verbo cohaerent. Plin. Pan. 17, 4. *quam speciosum est enim.*

Caussam, quapropter *enim* postponi soleat, et *nam*, quod eiusdem sit originis, praeponi, Schellerus Praec. stili p. 735. inter eas refert, quae prorsus nos latent. Zumptius p. 300. voc. *enim* eam vim tribuit, qua rationem in uno verbo, non in tota sententia contineri indicet. At totam sententiam nectit una aliqua arrepta et conclusa voce. Ramshornius ea, quae in Gramm. prima editione p. 564. scripserat de significatu particulae praemissae, in secunda delevit, et p. 850. omnia ad antiquitatis usum retulit, sed p. 845. docuit, *enim* semper post id vocabulum poni, quod momentum caussae exprimeret. Id non est verum.

5. Ex quo Schaeferus ad Plinii Epist. Praefat. p. 12. id, quod iam Erasmus ad Cic. Off. 3, 17. observaverat, exposuit, Latinos non raro particulam *enim* post verbum *est* collocasse, praesertim in interrogatione et negatione, critici non admodum cunctati sunt omnes, qui huic doctrinae repugnarent, locos corrigere. Ellendtius vero, qui ad Cic. Brut.

49, 182. novam de hac re quaestionem instituit, exceptiones tam multas proposuit, ut ipsa regula, iis obrueretur. Nec nescius sum earum legum, quas Krebsius in Arte latine scribendi n. 580. p. 473. condidit, Otto ad Cic. de Senect. p. 222. tamquam unice veras comprobavit et ipsarum veritatem, nescio qua de caussa, miratus est. Sunt enim hae: si in sententia aliqua plena subiectum primo loco ponatur, sicut fit in definitionibus, particulam praecedere verbo *esse:* sin praedicatum ab initio sententiae collocetur, et si praemisso subiecto praedicatum enuntiatione relativa per *qui* vel *quin* exprimatur, et si verbum *esse* cum singulari vi praeponatur, particulam habere locum post verbum *esse.* Haec quamquam ex sua parte vera sunt, ipsa caussa non intelligitur, cur ita fiat, nec quae sit in praedicato praemisso potestas attrahendi verbum, neque etiam cur idem subiecto contingat, quando praedicatum non uno vocabulo, sed relativa sententia continetur, aut cur excipiantur formulae *quis est* et *nihil est.* Ego vero eadem via incedo, quam ingressus sum in voc. *autem* p. 578. T. 1. ubi quae dixi, conferantur. Primum enim, quo minus recte dicatur *quid enim est*, *nihil enim est*, nulla obstat ratio, nec potest codicum auctoritas falsa interpretatione infirmari. Tum vero discrimen proficiscitur ex natura verbi *esse*, quod quum non plenam significationem praestet, cum nomine coniungitur in unam notionem, et encliticorum more comprehenditur uno accentu: sed ubi significat *vere esse*, *exstare*, attrahit interrogandi particulam. Quare triplex est interrogationis genus. Qui quaerit, *quid est enim?* aut exspectat responsionem, nihil esse vel nihil aliud esse, aut, an res vere sit, dubitat: qui interrogat *quid enim est*, de certo genere rei quaerit, vel interrogationis vi intenta indicat, non hoc esse vel prorsus nihil esse. Nam tota vis continetur uno verbo *quid.* Quibus omnibus efficitur, ut particula semper obtineat secundum locum: nec alterum minus latinum, nec alterum magis tullianum appellabimus. Atque hoc ad alias quoque formas pertinet, quae verbum *est* encliticum nomini coniunctum habent. Praedicatum enim inverso ordine praeponitur fere tum, quum vim et lumen habet, eiusque notio firmius constat adiuncto verbo substantivo: quare post hoc collocetur particula necesse est. Sed potest etiam per se stare praedicatum, et medium poni copulativum verbum:

veluti *falsa enim est querela.* Ceterum per se intelligitur, cur non idem fiat in obliquis formis coniunctivi, aut cur omnia exempla tertiam praesentis formam verbi exhibeant. Reliquae enim formae nisi in verbis non secernendis, ut est negatio *non*, numquam ita usurpantur: et ne pluralis quidem *sunt*, nisi incertis, tamen non multis testimoniis confirmatur. Atque in verbo *est* saepe scriptores utuntur ea libertate, qua, ut una sententia diversae rationi submittatur, diversoque modo, quo lubeat, exprimatur, meditationi conceditur.

Caussa, quam Otto in suavitate arctioris coniunctionis verborum cognovisse se putat, non perspicitur, cur non ad subiecti nomen etiam pertineat. Observatio autem, quam vir doctus in Ephemer. scholast. 1827. n. 26. p. 204. fecit, quasi Cicero genera nominum distinxerit, et *quis enim est*, sed *quae est enim* et *quid est enim* dixerit, omni ratione destituitur et absona est. Goerenzius ad Cic. de Leg. 1, 12, 34. „*quid enim est*, inquit, vim habet in particula rationem simpliciter indicante: in *quid est enim* haeret sonus in *est*, et rogatione sublata *nihil sane est* notat." Idem ad Cic. de Fin. 2, 5, 46. et ad 1, 13, 43. Hoc ridet Beierus ad Cic. de Off. 1, 3, 9. et negat Ellendtius verum esse. Tamen ex parte aliqua verum est. Beierus ait, in his sibi constare usum loquendi, ut, praemissa coniunctione, monosyllabum verbum substantivum non possit tertium occupare locum, nisi in parenthesi. De parenthesi dubitari decet: at reliquum praeceptum est falsum. Gernhardus ad Lael. 5, 17. de caussa quaerens, Ciceronem ita propterea dixisse existimat, quod ipsum hoc verbum non multum abesset, quin prorsus omitti posset, et iunctum esset arctissime primae periodi voci. Tum distinguit ea, in quibus *enim* non ad totam enuntiationem, sed ad unam primam vocem pertinet, aut primae vocis nulla cum verbo substantivo coniunctio est.

Exempla admodum multa collegerunt Schaeferus et Ellendtius: sed rationis necessitate exposita, unum sufficit ex quocumque genere formularum. Cic. de Nat. d. 2, 53, 133. *ratio est enim, quae praestat omnibus.* Orat. 50, 169. *plus est enim in verbis et in sententiis boni.* vid. Goerenz. ad de Fin. p. 60. Cic. de Re p. 2, 21, 37. *perspicuum est enim, quanta in singulos reges rerum bonarum et utilium fiat accessio.* Off. 1, 19, 64. *nullum est enim tempus, quod* etc. de Orat. 2, 44, 183. *facilius est enim currentem incitare.* 1, 28, 129. *nihil est enim tam insigne — quam id, in quo aliquid offenderis.* p. Ligar. 12, 37.

de Leg. 1, 10, 29. Adiectivorum multa exempla vide apud Beierum ad Cic. de Off. p. 150. Fragm. libri de Consol. apud Lactant. de Ira d. 10, 45. *nihil est enim in animis mistum.* Tusc. 3, 15, 31. *hic est enim ille vultus semper idem.* 3, 21, 79. *non est enim philosophia similis artium reliquarum.* de Re p. 1, 45, 69. *non est enim caussa conversionis, ubi in suo quisque est gradu firmiter collocatus.* Tusc. 3, 16, 35. *non est enim in nostra potestate.*

Cic. de Orat. 1, 45, 199. *quid est enim praeclarius quam* etc. 2, 89, 362. *quae est enim alia caussa nisi* etc. de Re p. 1, 32, 49. *quid est enim civitas, nisi iuris societas?* Plin. Pan. 18, 1. *quam speciosum est enim, quod disciplinam castrorum lapsam exstinctamque refovisti.* Cic. Tusc. 1, 4, 8. *haec est enim, ut scis, vetus et socratica ratio — disserendi.* p. Planc. 33, 80. Ita in formula *id est enim* de Leg. 3, 19, 44. 3, 20, 47.

Cic. de Off. 1, 20, 67. *in eo est enim illud:* ubi *in eo esse* una notione continetur.

Cic. de Div. 2, 41, 85. *dicendum igitur putas de sortibus? quid enim sors est?* Hic Ellendtius existimat, numerum prohibere legitimum ordinem verborum: nam *sortem* non bene ultimo loco poni. Quae falsa argumentatio nihil pollet. „Vertas *was eigentlich ist denn das Glückslos?* et necessariam putabis illam verborum collocationem. de Orat. 1, 8, 31. *quid enim est aut tam admirabile* etc. de Leg. 1, 4, 14. *quid enim est tantum, quantum ius civitatis?*

Cic. Acad. 2, 7, 22. *quid enim est, quod arte effici possit, nisi is, qui artem tractabit, multa perceperit.* Verr. 4, 25, 55. *quis enim est, qui de hac officina — non audierit?* de Orat. 1, 2, 7. *quis enim est, qui — non anteponat oratori imperatorem?* de Leg. 1, 12, 34. *quid enim est, quod differat, quum sint cuncta paria.* Talia non sunt falsa, ut Beierus arbitrabatur, ipse suo iudicio non confisus ad Off. 1, 48, 153. nec meliora haec de Off. 1, 5, 16. *quis est enim, cui non perspicua sint.* In illis quaero *w e r ist denn*, in hoc diverso accentu, *wer i s t denn.* Cf. ad Fam. 4, 2, 3. Tusc. 5, 14, 41. de Leg. 3, 1, 1. Caes. de B. civ. 2, 32. *quid enim est illis optatius, quam uno tempore et nos circumvenire* etc.

Cic. p. Caec. 26, 73. *quod enim est ius civile, quod neque inflecti gratia, neque perfringi potentia — possit?* Beierus ob sensum verborum *denn wo gibt es ein bürgerliches Recht?* mutandum censuit *quod est enim.* At ille sensus vere exprimitur vulgata scriptura.

Non modo recte se habent, sed necessario ita dicuntur haec,

sive praecedat subiectum sive praedicatum. Cic. de Re p. 2, 25, 45. *hic ille iam vertetur orbis, cuius naturalem motum atque circuitum a primo discite agnoscere. Id enim est caput civilis prudentiae.* 1, 27, 43. *populi res (ea enim est, ut dixi ante, publica) non maxime expetenda* etc. de Off. 1, 19, 64. *nullum enim est tempus, quod iustitia vacare debeat.* Graevius temere haec mutavit. Potius omitti poterat verbum *est* secundum cod. gud. Quinctil. 1, 1, 1. *falsa enim est querela.* Plin. Ep. 6, 29, 3. *aequum enim est agere nonnumquam gloriae et famae, id est suam caussam.*

Non admittitur inclinatio, ubi nexus superiorum verborum intercedit: quare semper dicitur *neque enim est.* Cic. de Orat. 1, 50, 215. *neque enim est interdictum.* Brut. 24, 91. *nec enim est eadem — caussa non scribendi.* Nec ubi primum verbum per se constat: Cic. Tusc. 5, 15, 46. *quod enim est bonum, id non quivis habere potest.* Neque etiam in formis verbi obliquis. Cic. de Nat. d. 3, 10, 26. *quid enim sit melius, quid praestabilius — non distinguitur.*

Falsum est; quod duo codd. praebent Cic. de Orat. 1, 43, 192. *omnia sunt enim posita ante oculos.* et recte se habent, quae paullo post sequuntur: *eadem enim sunt elata.* de Off. 1, 17, 53. Manutium sequuti Schütz. et Beier. dederunt *multa sunt enim civibus inter se communia:* quod non erat necessarium, nec melius. de Re p. 2, 15. *ea sunt enim demum non ferenda in mendacio:* quem locum suae doctrinae contrarium omittit Otto. Sed valde dubito de integritate scripturae ob vocabulum *demum* ad verbum *sunt* apponendum. Prorsus alia est ratio in his Plin. Pan. 25, 2. *aequati sunt enim populo milites.* Ep. 1, 8, 2. *petiturus sum enim, ut* etc.

Cic. p. Caec. 1, 3. *si enim sunt viri boni, me adiuvant.* de Orat. 3, 45, 177. *non enim sunt alia sermonis, alia contentionis verba.* Brut. 3, 12. *illa enim sunt curricula multiplicium variorumque sermonum.* Quod Beierus de Off. 1, 17, 53. correxit *multa sunt enim*, de coniectura factum est.

Cic. Phil. 1, 15, 37. *satis erat enim probatum illum esse populo romano.* Ita ex optimis codd. nunc restitutum. Caussam frustra quaerit Goerenzius (vd. Iahnii Annal. 1. 1. p. 46.) in maiore asseveratione: ea inest in componendis verbis *satis esse*, quae pro uno accipiantur. In Acad. 1, 5, 21. Goerenz. e tribus codd. revocavit *id erat enim tertium.* et comparat formulam *id est enim:* atque in hac suppetit vera ratio. Tamen dubito in hoc loco de auctoritate codd.

Vbi codices variant, nisi eorum auctoritas extrinsecus ac-

cedit, saepe decet, quod optionem suadeat. Sic Cic. Lael. 15, 52. *haec est enim tyrannorum vita, in qua nimirum nulla fides.* alii codd. *haec enim est.* Neutrum dicas melius esse. 15, 55. *eius enim est istorum quidque, qui vincit viribus.* alii libri *eius est enim.* cf. Goerenz. in Iahnii Annal. 1, 1. p. 308.

6. Apud comicos *m* littera in *enim* in mensura vocabuli evanescit, sicut fit in *quidem:* unde Palmerius Spicil. p. 679. et 889. Grut. *eni* scribendum esse censebat. Vid. Terent. Ph. 5, 8, 90. *enim solus.* Wassius de Licentia vet. poet. 13. p. 180. Monosyllabum esse adeo in hexametro comprobaverunt Heusing. et alii ad Cic. de Off. 1, 24, 84. et Otto ad Cic. de Sen. 4, 10. In comicorum versibus recte defenditur haec licentia. vid. Terent. Andr. 5, 1, 4. *immo enim nunc quum.*

*) In libris scriptis particula compendia habet haec *n.* vid. Heusing. Emendat. p. 31. et *ēm* vid. Goerenz. ad Cic. de Leg. 2, 2, 5. et *enī* vid. Gauppii Folia Digestor. Neapol. reperta p. 33. et ·H· vel H. vid. Wunder. Var. Lect. p. 38. unde *haud* transiit in *enim aut.* Saepius a librariis omittitur. Schwarz. ad Plin. Pan. p. 40. 320. 589. Wolfius in Analect. 2. p. 307. Goerenz. ad Cic. Acad. 2. p. 144. sed saepe etiam temere additur. Cic. de Leg. 1. 11, 27. Wolf. ad Tusc. 2, 11, 26. Drakenborch. ad Liv. 8, 39, 24. 10, 39, 4. 32, 7, 3. Oudendorp ad Suet. Caes. 56. Gernhard. ad Cic. Lael. 2, 9. Giesius ad l. de Div. 1, 25, 52. Mutatur in *est.* vd. Cic. de Fin. 5, 12, 35. et in *etiam.* vd. Drakenb. ad Liv. 36, 41, 3. Gernhard. ad Cic. Lael. 7, 23. ad Cat. 5, 13. Cic. Acad. 1, 2, 6. Heindorf. ad Cic. de Nat. d. 1, 7, 16. et in *autem.* vid. ad Wopkens. Lect. Tull. p. 89. Orellius et Giesius ad Cic. de Div. 2, 10, 25. Spalding. ad Quinctil. T. 4. p. 358. et ob sensum in *ergo* Cic. Phil. 2, 12. et in *igitur.* Heusinger. ad Cic. de Off. 2, 3. p. 397. et in *vero* Cic. de Sen. 22, 80. et propter compendii similitudinem in *non*, et in *ei.* vid. Drak. ad Liv. 9, 19, 5. 3, 14, 44. 34, 50, 7. et in *eum.* vd. ad Liv. 27, 17, 11, et critici ad Curt. 5, 5, 17. et in *tum.* vid. Drakenb. ad Liv. 4, 44, 9. et in *huius.* vid. Wunder. l. l.

ENIMVERO.

ENIMVERO, ex *enim* et *vero* compositum, non mutat primitivam significationem suam. Nam *enim*

veritatem alicuius rei ostendit, et *vero* vehementiorem addit affirmationem. Alia forma, sed maioris gravitatis est *verum enim*. Similiter *certe enim* dicunt.

Sunt, qui disiunctis verbis *enim vero* scribendum censeant. At duo haec verba semper unam partem orationis exhibent, unumque accentum habent.

Schützius in Doctr. Part. p. 162. huic particulae tribuit vim adversativam, et graecum ἀλλὰ γὰρ comparavit. Neutrum potest comprobari.

1. Primo igitur *enimvero* affirmat rem cum eo animi affectu, qui cum cognitione veritatis conspicuae coniunctus est et graviorem vim iniicit affirmationi aut negationi, ut sit, profecto, re vera, sed una cum conclusione ex ipsa re facta. Est *wirklich, nun wirklich,* sive *in der That*, graecum δή, καὶ δή. cf. Drakenb. ad Liv. 1, 51, 8. et ad 2, 22, 6.

Terent. And. 1, 3, 1. *enimvero, Dave, nil locist segnitiae, neque socordiae, quantum intellexi modo senis sententiam de nuptiis.* ubi Boeclerus: „Donatus: *enimvero significationem habet nimium permoti atque irritati animi.* Verius est, asseverationem inesse vocabulo ex quacumque caussa affectuque. Vnde Glossae Philoxeni non aliter explicant: ὁμολογουμένως, ἀσφαλῶς." Heaut. 5, 5, 1. *enimvero Chremes nimis graviter cruciat adulescentulum.* Plaut. Capt. 3, 4, 95. *enimvero non fuit, nugas agit.* v. 60. *enimvero iam nequeo contineri.* Terent. Heaut. 2, 3, 79. *enimvero reticere nequeo.* Hec. 4, 4, 51. *enimvero prorsus iam tacere non queo.* Cic. de Orat. 1, 36, 165. *enimvero, inquit Crassus, mirari satis non queo, etiam te haec, Scaevola, desiderare etc.* Liv. 5, 25, 6. *enimvero illud se tacere suam conscientiam non pati.*

2. Id imprimis usurpatur, ubi certum quoddam tempus, certave rei conditio indicanda est. Quare coniunguntur vocabula *tum, nunc,* et ipsum *enimvero* ponitur pro *tum vero.*

Plaut. Capt. 3, 4, 1. *enimvero nunc ego occidi.* Liv. 2, 36, 6. *tum enimvero deorum ira admonuit.* 9, 26, 13. *tum enimvero Maenius, iam famae magis quam imperii memor, — verba fecit.* ubi *enimvero* sensum hunc habet: nec aequo animo Maenius haec tulit, sed re vera, abdicaturus se dictatura, verba fecit. 2, 22, 6. *enimvero tum Latini gaudere facto.* Sueton. Tiber. 12. *enimvero tunc non privatum modo, sed etiam obnoxium et trepidum egit.*

Liv. 1, 51, 8. *enimvero manifesta res visa.* ubi Vrsinus *tum vero*, Dukerus *tum enimvero* scribendum esse existimabant. sed vid. n. 3. 27, 16, 14. *enimvero laetus successu fraudis, si ne Fabius quidem dolo invictus esset, haud procul Metaponto insidias ponit.*

Liv. 24, 31, 1. *enimvero, conclamant, bonum ut animum haberent.* Ita vulgo interpungitur. Sed rectius coniunguntur verba *enimvero conclamant.* i. e. *und in der That riefen sie.* Sicut corrigenda est interpunctio haec 10, 35, 13. *tunc, enimvero, consul, indignum facinus esse, vociferari.* Scribendum enim: *tunc enimvero consul, indignum f. esse, vociferari.*

3. In aliis conclusionis indicium magis apparet. Ita dicitur *enimvero* de re, quam veram esse ex aliis rebus concludimus: *und so allerdings:* aut quae negari non potest, ut sit *manifesto* sive *offenbarlich, gewifslich.*

Quinctil. 9, 4, 117. *occasionibus utendum et cum re praesenti deliberandum. Enimvero spatia ipsa, — quod possunt, nisi aurium, habere iudicium?*

Terent. Andr. 1, 1, 64. *enimvero spectatum satis putabam et magnum exemplum continentiae.* Plaut. Capt. Prol. 22. *enimvero di nos quasi pilas homines habent.*

Praemittitur verbo *manifestum* in apodosi apud Liv. 1, 51, 8. *comprehensisque servis, — quum gladii abditi ex omnibus locis deverticuli protraherentur, enimvero manifesta res visa iniectaeque Turno catenae.*

Tacit. An. 15, 55. *enimvero liberales semper epulas struxisse et vitam amoenam et duris iudicibus parum probatam.* i. e. negari non posse, sed manifestum esse, se non semel, sed semper liberales epulas struxisse.

4. Atque idem adhibetur in rebus, quae sufficiant, aut quarum caussa facile a quovis intelligatur, ubi nos dicimus *mit Recht, mit gutem Grunde, es versteht sich.* Et quum animi affectus in significandis rebus molestis facile admisceat asseverationem, particula haec proprie usurpatur in rebus iis affirmandis, quae ingratae atque indignae cuivis videantur. Saepe Livius iungit cum vocabulo *indignum.* vid. Drakenb. ad 27, 30, 13.

Quinctil. 1, 8, 15. *circa glossemata etiam — non ultima eius professionis diligentia est. Enimvero iam maiore cura doceat tropos omnes.*

Tacit. An. 1, 17. *enimvero militiam ipsam gravem, infructuo-*

sam. Liv. 2, 45, 11. enimvero non ultra contumeliam pati Romanus posse. 25, 41, 1. enimvero indignum ratus Marcellus, se his terra marique victis ab se hostibus cedere. 33, 46, 5. 34, 58, 4. 27, 30, 13. 43, 1, 9. enimvero senatus indignari, tantum consulem ausum.

Adeo in apodosi Liv. 6, 14, 12. *quae ubi obiecta spes est, enimvero indignum facinus videri.*

5. Affirmationem certissimam exprimit in responsione. Est enim *in Wahrheit, wirklich.*

Plaut. Pers. 2, 2, 2. TO. *Ain' vero, verbereum caput.* P. *Aio enimvero.* Amph. 2, 2, 126. AL. *Tun' te abisse hodie hinc negas?* AM. *Nego enimvero.*

Plaut. Capt. 3, 4, 95. HE. *Fuistin' liber?* TY. *Fui.* AR. *Enimvero non fuit, nugas agit.*

Terent. Eun. 2, 3, 38. PA. *Incommode hercle.* CH. *Immo enimvero infeliciter.*

6. Atque ita adscendere potest oratio ad maiora, ubi Germani dicunt *ja, und allerdings.*

Sueton. Ner. 36. *nobilissimo cuique exitium destinavit: enimvero multo magis et quasi per iustam caussam duabus coniurationibus provulgatis.* i. e. *ja noch mehr.* Tacit. An. 15, 45. *interea conferendis pecuniis pervastata Italia — . inque eam praedam etiam dii cessere, spoliatis in urbe templis egestoque auro, quod triumphis, quod votis omnis populi romani aetas prospere aut in metu sacraverat. Enimvero per Asiam atque Achaiam non dona tantum, sed simulacra numinum abripiebantur.*

7. Ex his vero colligi potest, quo errore Schwarzius ad Plin. Pan. 81. et alii opinati sunt, *enimvero* pro *sed* poni. Quod numquam fieri potest. Nam etiamsi *vero* saepe opponit rem aliquam, tamen quae in eo minor est asseverationis vis, magnam in se habet *enimvero*, quod et rem miram ac magnam de veritate confirmat, nec separat aut ex adverso opponit.

Tacit. An. 2, 64. *mox Rhescuporis egredi fines, vertere in se Cotyi data, et resistenti vim facere cunctanter sub Augusto, quem auctorem utriusque regni, si sperneretur, vindicem metuebat. Enimvero audita mutatione principis immittere latronum globos, exscindere castella, caussas bello.* Male vertunt *doch*, quasi esset *sed*. Est vero *und wirklich:* quod sub Augusto cunctanter egit, eo mortuo re vera exsequutus est.

Tacit. Ann. 6, 35. *enimvero apud Sarmatas non una vox ducis, se quisque stimulant.* i. e. quod mirum videri potest, re vera factum est. Neque aliter in loco Sueton. Ner. 36. iam dicto.

8. His proxima est significatio, quae fere idem, quod *scilicet, nimirum*, sive germanicum *freilich* exprimit. Saepe igitur *enimvero* componitur cum *si* ita, ut affirmatio e conditione deducenda, ipsi conditioni attribuatur: *freilich wenn.*

Liv. 45, 23, 18. *superbiam, verborum praesertim, iracundi oderunt, prudentes irrident: utique si inferioris adversus superiorem est: capitali poena nemo umquam dignam iudicavit. Id enimvero periculum erat, ne Romanos Rhodii contemnerent.*

Terent. Phorm. 5, 8, 44. *enimvero si porro esse otiosi pergitis* —. Cic. ad Q. fr. 1, 1, 9. *quantum vero illud est beneficium tuum, quod iniquo et gravi vectigali aediliciorum, magnis nostris simultatibus, Asiam liberasti? Enimvero si unus homo nobilis queritur, te,— sestertium CC sibi eripuisse: quanta tandem pecunia penderetur, si omnium nomine, quicumque Romae ludos facerent, quod erat iam institutum, erogaretur?* Plin. Pan. 81, 4. *enimvero si quando placuit idem corporis robur in maria proferre, — aut oculis sequitur, aut manibus.*

Saepe etiam factum est, ut haec particula ironiam, et indignationem et quemcumque doloris affectum designaret. Quam significationem Sigonius unicam esse putabat. Sed vid. Drakenb. ad Liv. 2, 22, 6. et ad 31, 30, 4. Iam supra notavimus, quo modo cum nominibus rerum molestarum componatur.

Terent. And. 5, 2, 7. D. *Ubi voles, accerse.* S. *Bene sane: id enimvero hinc nunc abest.* i. e. *das fehlt warlich hier noch.* Cic. Verr. 1, 26, 66. *hic tum alius ex alia parte: enimvero ferendum non est: vocetur mulier.* Quae dicta sunt cum indignatione. Terent. Phorm. 3, 1, 1. *enimvero, Antipho, multimodis cum istoc animo es vituperandus.*

9. Ad proprietatem huius vocabuli refero eum usum, quo coniungitur cum pronominibus demonstrativis in narratione, in qua, quod ex altera parte factum sit, cum asseveratione exponitur. Saepius praesens verbi sequitur.

Cic. Verr. 4, 66, 147. *postridie mane ab eo postulo, ut Syracusanis liceret senatus consultum, quod pridie fecissent, mihi reddere. Ille enimvero negat.* Hoc Ramshornius Gr. p. 849.

explicat: sed illum non commoveo: negat enim. 5, 89, 102. *rogat, ut id facere desistant, et in sua quisque navi dicat se tantum habuisse nautarum, quantum oportuerit, neque quemquam esse dimissum. Illi enimvero se ostendunt, quod vellet, esse facturos.* 3, 25, 61. *refertur eius sermo ad Apronium. Enimvero iste ridere ac mirari, Lollium nihil de Matrinio, nihil de ceteris rebus audisse.* 3, 60, 139. *hic enimvero tu exclamas, hominem improbum* etc. Liv. 3, 35, 8. *ille enimvero, quod bene vertat, habiturum se comitia professus, impedimentum pro occasione arripuit.*

10. In exclamatione particula vim addit, qua magnitudo rei distinctius designatur.

Plin. Pan. 2, 8. *enimvero quam commune, quam ex aequo, quod felices nos, felicem illum praedicamus.* 25, 3. *enimvero qua benignitate divisum est.*

11. Locus, quem in enuntiatione occupare potest haec particula, vel primus est, vel post alia vocabula. Vid. Drakenborch. ad Liv. 2, 36, 6.

12. Duplicatur affirmationis vis praemisso vocabulo *verum.* Atque verbis *verum enimvero* opponitur res, cuius veritati simul additur pondus. Vide VERVM. De *at enimvero* vide Tom. 1. p. 450.

*) A librariis modo *enim*, modo *vero* omittitur. vid. Drakenb. ad Liv. 2, 26, 6. et ad 3, 35, 8. et ad 5, 25, 6. Confunditur *etiam vero.* vd. Quinctil. 9, 4, 118.

EO.

Vsus verbi EO nos ad ea tempora antiquissima revocat, quibus dativo et ablativo una erat forma, et *eo loco* etiam pro *ei loco* dicebatur. Cf. Vossius de Analogia 4, 6. p. 202. Wüllner in libro de Casibus et Modis p. 74. Ea vero, quae posterior aetas et forma et usu distinxit, etiam in hac doctrina seiungamus, atque primum de iis agamus, in quibus ablativus pronominis speciem induit adverbii.

I. 1. Eo pro in eo loco, ibi, ob ambiguitatem, ut videtur, nemo veterum scriptorum dixit. Quare si quando usurpabant, addiderunt genitivum *loci.* Quod ut cum reliquis conciliaret, Matthiae ad Cic. p. Sext. 31.

dictum esse censuit pro: res in eum locum venit et in eo erat. At *eo* etiam esse potest *eo loco.*

Aetatem suam prodidit falsus auctor Epistolarum ad Brutum, qui Ep. 2. haec: *quinque autem cohortibus quid se nam facturum arbitratus est, quum tu eo quinque legiones, optimum equitatum, maxima auxilia haberes?* Celsus 8, 9, 1. *quo loco maxime humor intus perseverabit, ibi pus proximum erit: eoque uri debebit.* at libri veteres exhibent *eaque.*

Plin. Hist. n. 11, 37, 50. *in Oriente quidem et viris aurum gestare eo loci decus, existimatur.* Tacit. Ann. 15, 74. *templum Saluti exstrueretur eo loci, ex quo Scevinus ferrum prompserat.* Apud Celsum 7, 7, 8. correctio est Lindenii: nam antiquiores editt. habent *eo loco.*

In metaphora semel Cic. p. Sext. 13, 68. *res erat et caussa nostra eo iam loci, ut erigere oculos et videre viderentur.* Tacit. Ann. 14, 61. *non eo loci res suas agi, ut de matrimonio certet.* Vlpian. in Dig. 5, 1, 52, 3.

2. De caussa dicitur *eo* pro *ea re.* Neque vero opus est, ut unum quoddam nomen intelligamus semper. Sed non tantum de re dicitur, qua aliquid factum sit, quod est *dadurch*, sed etiam de re, propter quam aliquid fiat. Significat igitur *ideo*, *propterea.*

Liv. 28, 19, 10. *nocte et mittebantur et perveniebant: eo custodias hostium fallebant.* 9, 2, 4. vide n. 4.

Plaut. Truc. 1, 1, 66. *is nunc dicitur venturus peregre: eo nunc commenta est dolum: reperisse simulat sese.* Sallust. Cat. 21, 3. *eo consulem initium agendi facturum.* 52, 12, 1. Terent. Hec. 2, 1, 41. *enim lassam oppido tum esse aibant: eo ad eam non admissa sum.* 2, 2, 20. 1, 11, 8. *eo scuta illi pro aureis congesta.* Liv. 3, 71, 6. *eo rem se vetustate oblitteratam, ceterum suae memoriae infixam afferre.* 8, 8, 8. *eo et in postremam aciem reiiciebantur.* Tacit. Ann. 4, 24. *disperso rumore rem romanam aliis quoque ab nationibus lacerari eoque paullatim Africa decedere.* Hist. 2, 65. An. 2, 35. Alia vide apud Heinsium ad Vellei. Pat. 2, 6. et apud Drakenb. ad Liv. 1, 11, 8. 5, 16, 3. 34, 31, 8. et apud Bünemann. ad Lactant. 1, 15, 17. et apud Cortium ad Plin. Epist. 1, 5, 4. et apud Spalding. ad Quinctil. 2, 4, 30. et in Bötticheri Lex. Tacit. p. 6.

3. Additur per *eoque*, *et eo*, *et eo quoque* novum, quod ex antecedente prodit, praedicatum, ubi nos dicimus *und eben darum*, *und eben daher.* Nonnulli

scriptores *eoque* etiam ab initio sententiae ponere amant, imprimis Velleius et Quinctilianus.

Velleius Pat. 2, 127, 4. *nihil sibi vindicantem eoque assequentem omnia.* Tacit. Ann. 1, 50. *an impeditius et intentatum eoque hostibus incautum.* Liv. 33, 37, 2. *magno circuitu per aperta eoque tuta loca ad collegam pervenit.* Ita Gronovius scripsit, idque confirmat cod. bamberg.

Vellei. 2, 115, 2. *per gentes integras immunesque adhuc clade belli et eo feroces ac truces.*

Cic. Acad. 2, 17, 55. *Democritum dicere innumerabiles esse mundos, et quidem sic quosdam inter se non solum similes, sed undique perfecte et absolute ita pares, ut inter eos nihil prorsus intersit, et eo quoque innumerabiles.*

Ab initio sententiae positum vocabulum vide apud Vellei. 2, 60, 5. 2, 67, 4. apud Quinctil. 4, 1, 42. 4, 3, 3.

4. In expositione caussae altera pars enuntiationis adiicitur per vocabula caussalia *quia*, *quoniam*, *quod*. Sed in *quod*, diversis exemplis dispositis, quorum alia comparativum habent, in aliis *eo* significat *per id*, non multa restant, eorumque maxima pars in eum modum formata, ut *quod* proprie sit *qua ratione*, *in wiefern*.

Plaut. Amph. 2, 2, 124. *eo fit, quia mihi plurimum credo.* Capt. 1, 1, 2. Terent. Eun. 4, 4, 17. *nunc eo videtur foedus, quia illam non habet.* Heaut. 3, 1, 96. 4, 5, 38. Eun. 3, 1, 25. Cato de Re r. 6, 4. *nam convenit arundinetum cum corruda eo, quia foditur et incenditur.* Cic. ad Att. 10, 17. *ego autem, quia scripseras, te proficisci cogitare (etenim audieram, nemini aliter licere), eo te habere censebam* (diploma). ad Fam. 9, 16, 9. Sallust. Cat. 20, 3. *sed quia multis et magnis tempestatibus vos cognovi fortes fidosque mihi, eo animus ausus maximum et pulcherrimum facinus incipere.* Tacit. Agr. 22. *irritis hostibus eoque desperantibus, quia — tum aestate atque hieme iuxta pellebantur.*

Gellius 7, 13. *haec eo strictim notavi, quoniam in M. Catonis oratione — quaeri solet —.*

Celsus 3, 4. *antiqui medicamentis quibusdam datis concoctionem moliebantur, eo quod cruditatem maxime horrebant.* 4, 3. *id quidam utique vitandum dixerunt, eo quod maxime tum corpus calore egeret.* 3, 18. p. 149.

Cic. Verr. 1, 8, 22. *intelligere debetis, primum interesse, utrum id onus vosmet ipsi reieceritis, an, quod probare populo romano*

fidem vestram et religionem non potueritis, eo vobis iudicandi potestas erepta sit. In Epist. ad Att. 11, 12. legitur *maxime quod*, non, ut nonnulli narrant, *eo maxime*. Sed Liv. 9, 2, 4. *fidem auxere captivi eo maxime, quod sermo inter omnes congruebat.* ubi est i. q. per id. Caes. B. gall. 1, 23. *Helvetii seu quod timore perterritos Romanos discedere a se existimarent, — sive eo, quod re frumentaria intercludi posse confiderent*, etc. ubi vide Oudendorp. et ad 3, 13. et Clarkium ad 4, 2. Cf. Oudend. ad Cic. de Inv. 1, 30.

Varro de Ling. lat. 7, 22. *haec apertius dixissem, nisi brevius eo nunc mallem, quod infra sunt planius usurpanda.* alii codd. *quae infra.*

5. Sed dicunt Latini *eo quo*, cum coniunctivo, et *eo ut*, *eo ne*, ut sit *propterea ut.*

Cic. ad Att. 8, 9. *tamen eo scripsi, quo in suadendo plus auctoritatis haberem.* Sallust. Cat. 22, 2. *aperuisse consilium suum atque eo, dictitare, fecisse, quo inter se fidi magis forent, alius alii tanti facinoris conscii.*

Cato de Re r. 7, 3. *eo lotium suillum aut stercus ad radicem addere oportet, ut stabilia mala fiant.* Cic. ad Fam. 13, 69, 2. *haec ad te eo pluribus scripsi, ut intelligeres, me non vulgare, nec ambitiose, sed ut pro homine intimo ac mihi pernecessario scribere.* 16, 1, 3. 11, 10, 1. ad Att. 8, 5. 1, 10. de Orat. 3, 49, 187. *quod eo saepius testificor, ut auctoribus laudandis ineptiarum crimen effugiam.* in Verr. 1, 14, 37. Lactant. 4, 5, 9. *quae omnia eo profero, ut errorem suum sentiant.*

Terent. Ph. 5, 1, 17. *verum istoc me nomine eo perperam olim dixi, ne vos forte imprudentes foris effutiretis.* Cic. ad Att. 9, 2. *quod ego non eo vereor, ne mihi noceat.* de Orat. 3, 49, 189. Plaut. Aul. 2, 2, 63. Cic. p. C. Rabir. 3, 9. *quin etiam suspicor, eo mihi semihoram a Labieno praestitutam esse, ut ne plura de pudicitia dicerem.*

6. Hinc formulae *non eo — quo*, *non eo — quod*, quibus aut caussa aut consilium, quod quis existimare possit, negatur fuisse aut esse rei. Est *nicht in so fern — als:* quod esse potest *darum weil* et *darum daſs.* Coniunctivus quomodo cogitationem exprimat, satis constat. Similiter dicitur *non eo — quin.*

Terent. Eun. 1, 2, 16. *non pol, quo quemquam plus amem aut plus diligam, eo feci.* Cic. ad Att. 3, 15. med. *neque haec eo scribo, quo te non meo casu maximo dolore esse affectum sciam.* p. Rosc. 18, 51. *neque ego haec eo profero, quo con-*

ferenda sint cum hisce, de quibus nunc quaerimus, sed ut etc. p. Quinct. 2, 5. Vid. Cortius ad Cic. Epist. 10, 12, 3.

Terent. Heaut. 3, 2, 43. *neque eo nunc dico, quod quidquam illum senserim.* Id Bentleius mendosum appellat, et cum Faerno ex libro bembino *quo* restituit. Varro de Re r. 1, 5. *neque eo dico, quod non habeant et utilia et communia quaedam.*

Plaut. Trin. 2, 2, 60. *non eo hoc dico, quin, quae tu vis, ego velim et faciam lubens, sed ego hoc verbum dico quum illi cuidam dico, praemonstro tibi* etc. Asin. 5, 1, 16. *ea res male habet: ac non eo, quin tibi non cupiam, quae velis: verum istam amo.*

7. In formula *non si — eo* cohaerent verba *non eo*, quae significant *non propterea*. Attrahitur autem negatio a coniunctione *si*, et exprimitur caussa sub forma conditionis.

Varro de Ling. lat. 4, 1, 4. *non si non potuero indagare, eo ero tardior: sed velocior ideo, si quievero.* Alia vide in NON.

8. Qualitas duarum rerum comparari potest verbis *eo — quo*. Haec enim magnitudinem vel ambitum determinant, *in dem Maaſse, in welchem*. Nec absurdum esset dicere: *ille est eo fortis, quo robustus.* At usus haec restrinxit, et ad unum comparativum accommodavit, quemadmodum *tanto — quanto* dicitur. Sic sensus exsistit verborum *um so viel mehr — je mehr, je mehr — desto mehr*. Atque dicitur etiam *quantum — eo, quanto — eo*. Ordo vero, quo partes orationis disponantur, *eo* vel ante vel post *quo* posito, plerumque a gravitate et pondere sententiae regitur.

Quod Schwartzius negavit, *eo — quo* idem esse quod *quanto — tanto.*, Ernestius non sine iusta caussa affirmavit. Nam utroque vocabulo ratio magnitudinis exprimitur.

Varro de Re r. 1, 32. *quae eo fructuosiores fiunt, quo calidiore terra aratur.* Cic. ad Att. 11, 11. *quarum rerum eo gravior est dolor, quo culpa maior.* p. Quint. 9, 32. *quum — spes esset ad talem tamen virum, iudicem, veniendi, unde eo plus opis auferret, quo minus attulisset gratiae, sponsionem facere maluit.* ad Fam. 2, 19, 1. *eo iucundiorem mihi eam sortem sperabam fore, quo diutius in provincia mecum fuisses.* de Sen. 31, 77.

Liv. 44, 7, 6. *et quantum procederet longius a Thessalia, eo maiorem rerum omnium inopiam sentiens.* 3, 15, 2. 3, 8, 8. *quum circumacto agmine redirent, quanto longius ab urbe hostium abscederent, eo solutiore cura.* 30, 30, 23.

Haud raro omittitur in hac comparatione *eo*, quod ne cum Schwartzio ad depravatam latinitatem referamus, non tam exempla scriptorum haud despiciendorum declarant, sed etiam ipsa ratio. Defendit hunc usum omnibus aetatibus communem Ruhnkenius ad Rutil. Lup. p. 17. Cic. de Fin. 5, 13, 37. *carioresque, quo perfectiores sint.* Liv. 2, 51, 5. *quo plures erant, maior caedes fuit.* 25, 38, 23. *quo audacius erat, magis placebat.* Alia multa vide apud Drakenb. ad 26, 20, 5. cf. ad 29, 14, 2. Horat. Sat. 1, 1, 92. *denique sit finis quaerendi, quoque habeas plus, pauperiem metuas minus.* Plin. Hist. n. 24, 14, 78. *vetustate et haec maxime nigrescit: melior, quo candidior.* 34, 18, 55. Ovid. Her. 4, 19. Manil. 4, 6. Quinctil. 8, 3, 16. Columell. de Re r. 8, 11, 9. de Arbor. 10, 4. Senec. Qu. nat. 4, 2, 11. Et omisso adeo adiectivo Liv. 4, 20, 6. *vexati omnes et ante alios rex ipse, quo gravior aetate erat, difficultate viae est.* Curtius semper omittit *eo*, quando sequitur aut praecedit *quo*.

9. Hinc formulae *eo magis*, *eo minus*, quae in coniungenda sententia assumunt copulativas *et*, *que*, ut fiant: *et eo magis*, *eoque magis*, *eoque minus*. Atque haec oratio, qua res per caussam vel per conditionem distinctius definitur, continuatur verbis *quo*, et *quod*, et *quoniam*, et *si*, et *ut* vel *ne*. Rarius dicitur *etiam magis*. Sed in his omnibus omittitur verbum, quod ante iam dictum est, et copula simplex *et* ponitur pro *et quidem*: quod ipsum interdum dicitur. Interponitur interdum *etiam*. Suetonius usurpavit formulam *nec eo secius*, alibi non obviam.

Plaut. Trin. 2, 1, 36. *eo mihi magis lubet cum probo potius quam cum improbis vivere vanidicis.*

Celsus 8, 4. p. 520. Alm. *eadem, quae in vulneribus praecepi, servanda sunt, eo magis, quo periculosius haec pars afficitur.* Cic. ad Fam. 3, 11, 7. *nunc vero eo magis, quo tanta penuria est in omni vel honoris vel aetatis gradu, ut tam orba civitas tales tutores complecti debeat.*

Varro de Ling. lat. 6, 1. *cascum vetus esse significat Ennius, quod ait: quam Prisci* etc. *eo magis Manilius, quod ait: cascum* etc. Cic. ad Att. 2, 16. *si ulla res est, quae bonorum animos — vehementius possit incendere, haec certe est, et eo magis, quod portoriis Italiae sublatis, agro campano diviso, quod vectigal superest domesticum, praeter vicesimam?* ad Fam. 2, 16, 15. *an dubitas — quin ea me cura vehementissime sollicitet, et eo magis, quod in communibus miseriis hac tantum oblectabar specula.* ad Att. 9, 12.

Liv. 22, 4, 6. *eo magis Romanis subita atque improvisa res fuit, quod orta ex lacu nebula campo, quam montibus, densior sederat.*

Vatin. ad Cic. Epist. 5, 10, 1. *de Dionysio tuo adhuc nihil extrico, et eo minus, quod me frigus dalmaticum, quod illinc eiecit, etiam hic refrigeravit.* Cic. ad Att. 15, 10. Caesar B. gall. 5, 9. *eo minus veritus navibus, quod in littore molli atque aperto deligatas ad anchoram relinquebat.*

Cic. Tusc. 4, 33, 70. *solliciti tamen et anxii sunt: eoque magis, quod se ipsi continent et coercent.* de Off. 3, 22, 88. ad Att. 5, 6. 5, 8. 10, 11.

Celsus Praef. p. 17. *eo magis, quoniam, si compresserit aliquem morbus, aut fuderit, quilibet etiam imperitissimus videt.*

Cic. Tusc. 1, 39, 94. *ex his igitur hora octava quae mortua est, provecta aetate mortua est: quae vero occidente sole, decrepita:* eo magis, *si etiam solstitiali die.*

Cic. de Off. 2, 14, 48. *nihil admirabilius fieri potest, eoque magis, si ea sunt in adolescente.*

Cic. ad Att. 15, 9. *hoc autem tempore, quod scriberem nihil erat, eoque minus, quod dubitabam, tu has ipsas litteras essesne accepturus.* Celsus 2, 8. p. 75.

Cic. ad Att. 9, 13. *ego illa extuli semper et eo quidem magis, ne quid ille superiorum meminisse me putaret.* Plaut. Mil. 4, 2, 88. *comminus dixi, ne haec censeret me advorsum se mentiri.*

Rhetor. ad Heren. 2, 8, 12. *eo diligentius omnes eius partes perscrutati sumus, ut ne parvula quidem titubatione aut offensione impediremur.* Cic. p. C. Rabir. 3, 9. *quin etiam suspicor, eo mihi semihoram a Labieno praestitutam esse, ut ne plura de pudicitia dicerem.*

Cic. ad Att. 10, 8. extr. *et ego fortasse discedens dabo ad te aliquid: eo etiam magis, quod Tullia te non putabat hoc tempore ex Italia.* in Verr. 2, 29, 70. *idemque hoc amicis eius et defensoribus videbatur: atque eo etiam magis, quod iste — in consilio habebat homines honestos.* cf. in Catil. 2, 3, 5.

Sueton. Ner. 42. *nec eo secius quidquam ex consuetudine luxus atque desidiae omisit.* De clar. gram. 20. *nec eo secius plurimos docuit.*

10. Hoc vero etiam ad adiectivum attinet, et dicitur *eo maior, si.*

Cic. de Off. 2, 14, 51. *maxima autem et gloria paritur et gratia defensionibus eoque maior, si quando accidit, ut ei subveniatur, qui potentis alicuius opibus circumveniri urgerique videatur.*

11. Goerenzius in Iahnii Annal. I, 2. p. 298. observat, a Cicerone in formulis *eo magis*, *eo minus* non poni pronomen *id* vel *hoc*, sed aut *eo* aut pronomen omitti, nec recte criticos edidisse in Laelio 4, 15. *idque eo magis est cordi, quod ex omnibus saeculis vix tria aut quatuor nominantur paria amicorum.* At huic observationi omnis deest ratio, nec multa dici possunt exempla, quae eam confirmare videantur. Nam quum *eo magis* a *magis* sensu diverso differat, potest necessitas intercedere, qua illud etiam praemisso pronomine ponatur. Et saepius dici *quod eo magis* ipse vir doctissimus agnovit. Sed ad Famil. 12, 5. *id autem eo facilius* etc. de Off. 2, 19, 65. *idque eo indignius* etc. de Re p. 1, 10. *atque hoc eo magis est in Romulo admirandum.* Acad. 2, 1, 3. *idque eo fuit mirabilius, quod* etc. et sic alia. In Laelio si omittas *eo*, necesse erit, ut *idque* ad ea, quae sequuntur, referas: quo inepta exsistet sententia. Iure igitur abrogamus istam regulam. Et ipse Goerenzius usum, quem postea negavit, defenderat in Acad. loco, quamquam argumento, ut mihi videtur, non probabiliore.

12. *Eo* cum comparativo positum interdum sequitur *quo* cum positivo. Id Perizonius ad Sanctii Min. 4, 7. p. 289. aliique explicant ita, ut omissum *magis*, quod in antecedente comparativo insit, addant. Vid. Gronov. et Drakenb. ad Liv. 1, 25, 13. et ad 34, 4, 3. Attamen hoc non necessarium erit, si modo in inversa oratione proprium sensum verborum tenebimus. Nam *eo — quo* significat *in eo modo, in dem Grade, inwiefern*, atque potest in altera re apparere amplitudo vel vis solito maior, in altera vero conditio simplex. Cuius dictionis non multa sunt exempla: quod temere negavit Ernestius.

Liv. 1, 25, 13. *Romani ovantes et gratulantes Horatium accipiunt eo maiore cum gaudio, quo prope metum res fuerat.* Hoc non est: *mit desto gröſserer Freude, je näher man der Furcht*, sed *und insofern mit gröſserer Freude, als man der Furcht nahe stand.* Cic. ad Att. 16, 16. (18.) Capitoni: *quantum semper apud eos, quibuscum sis, posse soleas, eo plus apud hominem facillimum atque humanissimum, Plancum.* ad Fam. 3, 11, 7. *nunc vero eo magis, quo tanta penuria est in omni vel honoris vel aetatis gradu.*

13. Similem his rationem in iis conspicimus, in

quibus post *eo* cum comparativo coniunctum, vel ante haec verba, caussa vel conditio exponitur: ubi nos dicimus *desto*, *um desto*, *um so*. Qui *eo* in his pro *propterea* accipiunt, non habent, quo comparativum explicent. Is cum *eo* cohaeret saepissime. Nam quum Cicero dicit *eo mihi iucundius est, quod tu eo laetaris*, sensus est: eum in modum iucundius, quo multum valet id, quod tu laetaris. Nam si quis hoc obiiciat, quod Cicero ibidem ad Att. 13, 36. adiicit: *certiusque eo est, quod a te dicitur*, id ostendit, etiam verbis *eo — quod* addi posse comparativum illum absolutum, quo res aliquanto maior significatur. Atque ob hanc caussam postponitur adverbium, quod alias praefigitur comparativo.

Sallust. Cat. 13, 5. *animus imbutus malis artibus haud facile lubidinibus carebat: eo profusius omnibus modis quaestui atque sumptui deditus erat.* ubi Cortius interpretatur *propterea*. Cic. de Inv. 1, 4, 5. *quare — nihilo minus eloquentiae studendum est, etsi ea quidam et privatim et publice perverse abutuntur: sed eo quidem vehementius, ne mali magno cum detrimento bonorum — plurimum possint.* ad Fam. 6, 21, 1. *dederam triduo ante pueris Cn. Plancii litteras ad te. Eo nunc ero brevior.* 3, 6, 11. *molestissime autem fero, quod te ubi visurus sim, nescio: eoque ad te tardius scripsi, quod quotidie te ipsum exspectabam.* p. Mil. 7, 17. ad Att. 13, 36. ad Fam. 12, 5, 1. *id autem eo facilius credebatur, quia simile vero videbatur.* de Off. 2, 13, 45. ad Fam. 9, 16, 9. *quod eo nunc magis facit, quia vivunt mecum fere quotidie illius familiares.* Alia n. 9. et apud Burmann. ad Suet. Ner. 29.

Plaut. Poen. 4, 2, 60. *tum autem si quid tu adiuvas, eo facilius poterit facere.*

Plaut. Aul. 2, 2, 8. *iam illic homo aurum me scit habere, eo me salutat blandius.* Cornel. Con. 9, 1, 2. *sed tum abfuit, eoque peius res administrata est.*

II. 1. Ad dativi rationem pertinet significatio, qua *eo* vel motum ad aliquem locum directum, vel finem indicat. Atque primum est *in eum locum*, *dahin*, sed eadem ratione, quam in *alio* Tom. 1. p. 238. demonstravi. Id quomodo fieret, Schwartzius hoc modo explicuit: intelligi praepositionem *in*, et antiquissimis temporibus etiam motum ad locum designatum esse ablativo casu. Alii nuper caussam in eo invenisse sibi visi sunt, quod in eiusmodi dictionibus non motus ad

locum, sed locus, in quo consisteret res mota, cogitaretur, atque ablativo exprimeretur. Qua incerta coniectura in re certa non opus est. Nam *eo* ut *alio*, *quo* dativos olim fuisse negari non potest. Dativus vero directionem significat. Atque *eo* pro adverbio usurpatur, quod ad substantivum ante dictum refertur.

Cato de R. r. 1, 2. *uti eo quum introeas, circumspicias, uti inde exiri possit.* 18, 4. *eo plumbum infundito — eo capitulum robustum indito.* 156, 7. *eo addito oleum bene.* Terent. Ad. 2, 2, 23. *nisi eo ad mercatum venio, damnum est maxumum.* Sallust. Iug. 35, 10. *sed postquam Romae egressus est, fertur saepe eo tacitus respiciens postremo dixisse* etc. Hirt. B. afr. 72. *quo miles — cognosceret — quae pars eius* (elephanti) *corporis nuda sine tegmine relinqueretur, ut eo tela coniicerentur.* Caesar saepe componit verbum *imponere.* vid. B. gall. 1, 42. 7, 58. B. civ. 3, 24. Liv. 1, 7, 5. *ipsa vestigia quaerentem dominum eo deductura erant.*

2. Saepe locus vel res distinctius definitur additis aliis verbis. Quare respondent particulae *eo* alia vocabula *quo, ubi, unde.* Vbi res intelligitur, potest oratio, sicut fert natura pronominum, post verba *spectare, accedere* et alia per *ut* procedere ad rei explicationem.

Cic. ad Att. 8, 11. *quod is in eadem loca, quae nos petebamus, profectus, celerius etiam, quam nos possemus, eo, quo intenderet, venturus esset.* p. Mur. 9, 22. Terent. Phor. 4, 3, 35. *immo non potuit melius pervenirier eo, quo nos volumus.* Cic. p. Rosc. Am. 30, 83. *venio nunc eo, quo me non cupiditas ducit, sed fides.* Sallust. Iug. 54, 4. *quo cuiusque animus fert, eo discedunt.* Cic. ad Fam. 5, 20, 1. 6, 31, 6. Horat. Epist. 2, 2, 40.

Varro de R. r. 3, 16, 21. *si e bono loco transtuleris eo, ubi idonea pabulatio non est, fugitivae fiunt.*

Cic. p. Quint. 11. *heres eius P. Quintius — venit in agrum communem: eo denique, ubi non modo res erat, sed ratio quoque omnis.* Vellei. 2, 108, 2. Cornel. Dat. 3, 1.

Liv. 6, 26, 6. *bellum eo, sicubi est, avertatis, precamur.*

Cic. ad Att. 2, 16. *eo, unde discedere non oportuit, aliquando revertamur.* 12, 21. *eo vocas, unde, etiam bonis meis rebus, fugiebam.* Liv. 6, 35, 2. Coel. ad Cic. 8, 16, 10. *ne te sciens prudensque eo demittas, unde exitum vides nullum esse.* Sallust. Cat. 60, 2. Curt. 4, 12, 21.

Rhetor. ad Heren. 1, 9, 14. *rem breviter narrare poterimus — si non ad extremum, sed usque eo, quo opus erit, persequemur.*

Cic. ad Fam. 6, 1, 12. *atque haec eo pertinet oratio, ut perditis rebus omnibus, tamen ipsa virtus se sustentare posse videatur.* 6, 11, 9. de Div. 2, 57, 118. *hoc autem eo spectabat, ut eam a Philippo corruptam diceret.* 13, 4, 6. Planc. ad Cic. 7, 21, 10. *accessit eo, ut milites eius — conclamarint.* Quinctil. 2, 10, 3.

Adhaeret nomen *loci* apud Vlpianum in Dig. 47, 2, 3, 2. *priusquam eo loci rem pertulerit, quo destinaverat.* 10, 4, 11, 1. *perducendam eo loci, ubi actum sit.* Alia vide apud Hadrianum p. 227. (76.)

Ellipsin non modo sermo familiaris admisit apud Plaut. Capt. 3, 5, 106. *reducam te, ubi fuisti.* sed saepe *quo, unde, ubi* ponitur non praecedente *eo*. Vid. Gronov. ad Liv. 26, 46, 2.

3. Sicut in ablativo factum erat, recentiore aetate etiam dativo, tamquam substantivo, quod partem significaret, adiecerunt genitivum; quod cur quidam reprehenderent, nulla erat caussa. Conf. T. 1. p. 140. et Cort. ad Sallust. Iug. 1, 5. Sic Graeci εἰς τοῦτο cum genitivo. vid. Matthiae Gram. 341. (319.)

Scioppius in Instit. Gr. p. 53. *eo* non adverbium esse arbitratur, sed accusativum pluralem, pro *ea*, sicut *ambo*, *duo* dictum esset.

Sallust. Iug. 1, 5. *eo magnitudinis procederent* etc. Flor. 3, 12. Liv. 25, 8, 11. *ubi iam eo consuetudinis adducta res est, ut — porta aperiretur.* Tacit. Ann. 2, 33. *postquam eo magnificentiae venerit, gliscere singulos.* 4, 10. 4, 14.

Lucan. 7, 405. *Romam — mundi faece repletam cladis eo dedimus, ne tanto in corpore bellum iam possit civile geri.* Cortius bene: „in eam usque cladem traximus."

Plin. Pan. 16, 5. Iustin. 3, 5, 6. Curt. 5, 12, 3. *eo rerum ventum erat, ut tam periculosum esset* etc. Flor. 3, 12, 6.

Tacit. An. 2, 55. *eo usque corruptionis provectus est, ut sermone vulgi parens legionum haberetur.* Senec. de Benef. 2, 29.

4. Sic a loco ad finem transfertur significatio, qua terminus agendae rei constituitur. Sequitur *ubi*, vel *ut*, vel *ne*. Est enim εἰς τοῦτο, *bis dahin*, *dass*. Idque etiam pro *tantopere* dicitur. Et adhaeret interdum *usque*.

Sallust. Iug. 1, 5. *eo magnitudinis procederent, ubi pro mortalibus gloria aeterni fierent.*

Cic. p. Rosc. Am. 34, 96. *eo rem iam adducam, ut nihil divinatione opus sit.* Plancus ad Cic. 10, 7, 2. *dum perducerem*

eo rem, ut dignum aliquid et consulatu meo et vestra exspectatione efficerem. Cic. ad Att. 2, 18. Horat. Epist. 2, 1, 226. *quum speramus eo rem venturam, ut simulatque carmina rescieris nos fingere, commodus ultro arcessas.* Plaut. Mil. 3, 3, 17. Liv. Praef. 4. *quae ab exiguis profecta initiis eo creverit, ut iam magnitudine laboret sua.*

Cic. in Verr. 4, 18, 39. *quod ubi audivit iste, usque eo est commotus, ut sine ulla dubitatione insanire omnibus — videretur.* Columell. de Arbor. 6, 2. *sin autem usque eo exaruit, ut curvari non possit.* Tacit. Ann. 6, 9. *constantia orationis — eo usque potuere, ut accusatores eius — exsilio et morte mulctarentur.* 3, 13. 13, 33. Vide alia in VSQVE.

Cic. de Orat. 3, 49, 189. *Sed eo te ne laudandi quidem caussa interpellavi, ne quid de hoc tam exiguo sermonis tui tempore verbo uno meo deminueretur.*

5. Et de tempore *eo usque* dicitur sequente vocabulo *dum*, vel *donec*, sive sit *so lange als*, sive *so lange bis*. Recentissimi scriptores posuerunt *eo usque — quamdiu*.

Cic. de Nat. d. 2, 49, 124. vide p. 322. Liv. 23, 19, 14. *eone usque, dum ea nascantur, ad Casilinum sessurus sum?* Columel. de Re r. 6, 6, 4. *tum concitate agitur pecus eo usque, dum anhelet.* 12, 20, 4.

Tacit. An. 4, 18. *Nam beneficia eo usque laeta sunt, dum videntur exsolvi posse.*

Liv. 40, 8, 18. vide p. 294. Tacit. Ann. 1, 32. *eo usque flagitatus est, donec ad exitium dederetur.* Pallad. 11, 14, 4. Valer. Max. 1, 7. Ext. 5. Plin. Pan. 21, 2.

Lamprid. Alex. Sev. 45. *id quidem eo usque, quamdiu ad fines barbaricos veniretur.* Orosius 6, 1. *hoc eatenus factum est, donec foecunda crudelitas eo usque inter tormenta ac per tormenta proficeret, quamdiu ipsum regium culmen — occuparet.*

Loci notione cum tempore consociata Columell. de Re r. 4, 24, 20. *licet eo usque materiam producere, dum pene terram contingat.* 4, 30, 4. *perticae cacuminum — optime panguntur eo usque, dum ad solidum demittantur.*

*) In libris scriptis confunduntur vocabula *eo* et *ego*. vid. Drakenb. ad Liv. 2, 18, 6. et *ea*. vid. Heusingeri Emendat. p. 194. et *ideo*. vd. Cort. ad Plin. Ep. 1, 5. Burmann. ad Sueton. Ner. 29.

EOAD.

Mirifica haec vox exstat in uno loco Apuleii Apolog. p. 318, 13. *verum enimvero vanis frustrationibus nuptias eludit, eoad dum puerorum avus fato concessit, relictis filiis eius heredibus.* Si vera est scriptura, inversam habemus formam verbi *adeo*, quod quomodo cum *dum* componatur, vide Tom. 1. p. 130. Sed modus, quo verbum *quoad* conformatur, alius est, quamquam illi originem dedisse videtur: siculi dictum etiam est *adquo*. vid. Tom. 1. p. 178.

EODEM.

Eodem, quod communem rationem habet cum *eo*, non excedit notionem loci. Nam dicitur, sed, ut videtur, rarius, de loco, in quo quid positum sit, adiecto nomine *loci*.

Cic. ad Att. 1, 13. *res eodem est loci, quo reliquisti.* Tacit. Ann. 4, 4. *quamquam arduum sit eodem loci potentiam et concordiam esse.* Sueton. Aug. 65. *cavit enim senatus consulto, ut eodem loci in perpetuum contineretur.* Calig. 53. Plin. Pan. 1, 5.

2. Saepius occurrit *eodem* ex dativi ratione pro *in eumdem locum* dictum. Et sequuntur verba *quo, unde.*

Cic. ad Att. 1, 14. *accedit eodem etiam noster Hortensius.* Caes. B. gall. 1, 4. *omnes clientes obaeratosque suos — eodem conduxit.* 3, 65. Cornel. Paus. 4, 1. *quod nemo eorum rediisset, qui super tali caussa eodem missi erant.* Sueton. Caes. 64. *pluribus eodem praecipitantibus.* Galb. 19.

Cornel. Paus. 5, 5. *cuius mortui corpus quum eodem nonnulli dicerent inferri oportere, quo hi, qui ad supplicium essent dati.* Curt. 4, 15, 2.

Plaut. As. 1, 2, 13. *ego pol te redigam eodem, unde orta es, ad egestatis terminos.* Caes. B. gall. 4, 28. *tanta tempestas subito coorta est, ut nulla earum cursum tenere posset, sed aliae eodem, unde erant profectae, referrentur, aliae ad inferiorem partem insulae — deiicerentur.* 5, 11. *ipse eodem, unde redierat, proficiscitur.*

Lactant. de Opif. d. 8, 2. *hunc ad coeli contemplationem rigidum erexit, bipedemque constituit, scilicet ut eodem spectaret, unde illi origo est.* Sic Erasmus et Wopkensius emendarunt pro *eadem*, quod defendi potest ac debet. vide ad Wopk. Lect. p. 262.

3. Etiam de rebus ipsis usurpatur, sicut *eo* dicitur pro *ad id.*

Cic. p. Planc. 16, 40. *eodemque adiungas, quos naturâ putes asperos?* Liv. 27, 34, 13. *eodem honores poenasque congeri,* i. e. *in eumdem civem.* Cic. de Amic. 18, 65. *addendum eodem est, ut ne in criminibus aut inferendis delectetur, aut credat oblatis.* p. Rosc. Am. 31, 86. *quid si accedit eodem, ut tenuis antea fueris?* ad Fam. 4, 13, 16.

Cic. ad Att. 8, 9. *eodemque pertinet, quod caussam eius probo.* Caes. B. gall. 1, 14.

Celsus 6, 6, 21. *id quoque eiusdem, quod sphaerion nominabat, eodem valet.*

Notanda est dictio Plauti Curc. 4, 2, 20. *eodem, hercle, vos pono et paro.* i. e. eodem loco habeo.

4. Interdum nihil aliud significare videtur quam *eo* vel *ad haec.*

Cato de Re r. 108. *polentam grandem dimidium acetabuli in caliculum novum indito et vini sextarium, de eo vino, quod voles experiri, eodem infundito.* Scribon. Larg. 153. *inde sumuntur cyathi tres, et eodem adiiciuntur vini cyathi duo.*

EOIEI.

Vocem *eoieï* sive *eoi eï*, quae sit longior forma exclamationis *oieï*, restituit Bentleius in Terent. Eun. 4, 4, 47. ex antiquis libris, et in eumdem modum emendari iussit Plaut. Capt. 1, 2, 49. ubi tamen recte scripsit Lindemannus *heu heu.* Dubia est res in tanta penuria exemplorum. Donatus: *bene oi ei σχετλιασμὸν rusticum posuit, utpote et servi et novitii. Et est deploratio ab eis sic dicta.* Cf. Oudendorp. ad Apulei. Met. p. 533.

EQVIDEM.

In vocabulo EQVIDEM iam antiquo tempore grammatici sua auctoritate usum constituerunt atque coercuerunt. Fuerunt enim, qui ex *ego* et *quidem* compositum esse censerent, eorumque praecepta sequuti, scriptores quidam hanc particulam non nisi cum prima persona verbi singularis coniunxerunt. Hanc vero opinionem iam Priscianus, ut videtur, non solus, nec primus refutavit 16. p. 1033. *sciendum tamen, quod quidam*

equidem coniunctionem compositam esse existimant ab ego et quidem: sed errant. Simplex enim est. Et hoc maxime ex ipsa quoque constructione orationis possumus intelligere. Nam equidem facio, equidem facis, equidem facit dicimus. Et potest equidem et ad primam, et ad secundam, et ad tertiam transferri personam: quod minime fieret, si esset compositum ex ego et quidem. Nemo enim dicit: ego quidem facis, ego quidem facit, sed ego quidem facio, tantummodo ad primam personam. Et hoc usus etiam auctorum comprobat, qui, equidem praeposita, ego subiungunt, ut Sallustius in Catilinario: Equidem ego sic existimo, patres conscripti, omnes cruciatus. Si esset enim composita equidem ex ego et quidem minime ei ego subiungeretur. Et Cledonius p. 1930. *equidem alii dicunt hanc habere significationem ego quidem, sed melius iuxta Sallustium intelligendum quidem, ut compositum sit equidem.* His Gerh. Vossius de Analog. 4, 27. adiicit tertium argumentum, *equidem* etiam plurali iungi, ipseque vocabulum esse censet simplex, vel si compositum sit, valere *et quidem*, ita ut *et* vim habeat eam, quam in illo Maronis: *et quisquam numen Iunonis adoret praeterea?* Hanc sententiam contra Noltenium defendit Longolius in Actis Erudit. a. 1731. p. 188. et adstipulati sunt Cortius ad Sallust. Cat. 5. aliique multi. Sed duplici de caussa assentiri nequimus: nam, ut Cortius ad Plin. Epist. 2, 12, 11. observavit, dicitur interdum *et equidem*, *equidem et*; quod vix fieri posset, si vera esset originatio, neque intelligitur, quid significet illud *et* in verbo *equidem*. Propius ad veritatem accessit Drakenborchius, qui ad Liv. 5, 54, 3. compositam vocem esse ait ex particula *e*, quae intendat significationem, ac fortius affirmet, quemadmodum in *edurus*, *egelidus*: quamquam ipse vidit huic etymologiae obstare mensuram litterae *e*, quae in reliquis longa, in *equidem* brevis sit. At respicere debebat ad voc. *enim*, cuius prima syllaba non producitur. Quae tamen non improbans, Burmannus ad Virg. Aen. 2, 77. unum hoc novum superaddit argumentum, quod comparat nomen *ecastor*. Nuperrime de hac re quaesiverunt Müllerus ad Cic. p. Sext. 57. p. 155. et Kritzius ad Sallust. Cat. 51, 15. ille in reiicienda vulgari opinione adquiescens, hic originem verbi ad *ego quidem* rursus revocans, et duplicem mo-

dum constituens, quo *equidem* aut significet *ego quidem*, aut *mea quidem sententia*. Neque ego invideo laudibus, quas vir doctissimus hac expositione iam apud multos consequutus est, sed nollem, eas in arrogantiam vertisset, qua in Iahnii Annal. 10, 1. p. 65. eos, qui aliter sentiant, proscindere gestit. Nam profecto falsa est ipsius doctrina. Quod ad Servii auctoritatem attinet, ea parum admodum valet: nam ad Virg. Georg. 1, 193. quae leguntur verba: *quod multi pro ego accipiunt, id est, ego quidem*, sunt ea a recentiori manu adiecta, et quae ad Aen. 1, 576., usum Virgilii spectant, eique regulam accommodant. Neque luce clarius est, ut ille ait, *equidem* ex *ego quidem* esse conflatum. Nam quomodo hoc fieri potuerit, nemo adhuc docuit. Atqui non potuit principalis syllaba *go* abiici, nisi omnis natura vocabuli destrueretur. Quo vero differat *equidem* a *quidem*, et quo iure alium locum in ordine verborum obtineat, id ex ipsa conformatione vocabuli proficiscitur. Haec enim illam proprietatem particulae infert, qua non ad unam notionem, sed ad totam sententiam adiicitur confirmatio. Nihil vero perversius cogitari potest, quam quod dicunt, *equidem*, saepe orationi interiectum, sensum habere *mea quidem sensentia*, sive *ut ego quidem arbitror*. Quo enim modo id fiat? an per ellipsin verborum? an per conturbationem orationis? Non ineptior esset sententia, si quis arbitretur, etiam verba *ego quidem* absolute dicta orationi interponi posse eodem sensu. Nec video, qua ratione istius opinionis defensores se expediant in locis eius generis, cuius est Cic. de Orat. 2, 6, 25. *sic ego, si iam mihi disputandum sit de his nostris studiis, nolim equidem apud rusticos* etc.

Equidem factum est ex *quidem* et *e* illa syllaba, cuius vim monstrativam et confirmativam illustravimus in *ecastor* et in *enim*. *Quidem* vero, ex *qui* et *dem* compositum, quum vel notionem, cui additur, restringat, vel rem insigniter denotet, eoque aut sententiam confirmet, aut vim adiiciat orationi ita, ut in plurimis comparari possit germanicum *eben* (quemadmodum etiam *idem*, *ibidem*, *ebendas*, *ebenda* formantur), ab altera parte maiorem potestatem demonstrativam accipit ex vocula *e* praefixa. Ita exsistit particula ad sententiam vario modo confirmandam idonea. Illam vero, quae adhaeret, monstrativam vim antiquus usus

in eum praesertim modum adhibet, ut is, qui loquitur, ea, quae de se suaque sententia aut de suis rebus profiteatur, cum quadam affirmatione designet. Vnde factum est, ut *equidem* fere cum prima persona verbi coniungeretur. Latini igitur propriam habebant vocem, qua loquentes animum eius, qui audiebat, ad suam rem suamve sententiam converterent, atque professioni de se factae adderent pondus. Quod quum usus stabilivisset, vulgaris opinio invenit interpretationem, vocabulum esse compositum ex *ego* et *quidem*, eique, iam antiquitus in grammaticorum doctrinam receptae, suam dictionem scriptores quidam accommodarunt. Atque fuerunt inter veteres, qui *equidem* aut raro aut numquam cum reliquis verbi personis componerent; alii recentiores *equidem* pro *ego quidem* ponere solebant: alii vero pro simplici *quidem* usurpabant. Quae quum ita sint, omnis quaestio redit ad usum cuique scriptori proprium: neque vero possumus assentiri Bentleio, qui ad Terent. Heaut. 4, 1, 19. et ad Ad. 5, 3, 65. docuit: *equidem* cum verbo primae personae semper iunctum esse ante Neronis aetatem. In Plauti comoediis observavi quindecim locos, quos infra apponam. In Terentio tres loci adhuc exstant, in quibus particula non primae personae adiungitur: sed uti hi a criticis sunt nunc correcti, ita in aliis, certe in uno loco grammatici iam operam suam interposuisse videntur. Ennii et aliorum antiquissimorum poetarum fragmenta nullum suppeditant exemplum huius vocabuli: nec Catonis libri: nam quod afferunt, legitur in falsa scriptione de antiquis Italiae populis. Varro in libris de Re rustica semel dixit *equidem*, sed composuit cum tertia persona verbi 1, 5, 1. saepe autem *ego vero* 1, 2, 13. 1, 2, 3. 2, 2, 9. et *ego arbitror* 1, 38, 2. In libris de Lingua latina nusquam legitur, nisi in corrupto loco 8, 24. ubi codices praebent: *et quid verba nescis, ut apud illos sint alia finita, alia non* (al. *ne*)*: sic utra esse apud nos equidem* (al. *quidem*) *non dubito qui animadvertunt* (al. *animadverterunt*)*; item in eam innumerabilem similitudinem numerum, ut trium temporum verba, ut trium personarum.* Iam Popma coniecit: *et quid verba nescis, — sic utraque esse apud nos? Equidem non dubium his, qui animadverterunt* etc. Certe ex hoc loco non potest demonstrari, Varronem vocabulo *equidem* ex aliorum more usum esse. Ciceronis consuetudinem

accurate observasse sibi visi sunt Ernestius in Clavi et Heusingerus in Observat. p. 403. et ad Cic. de Off. 1, 12, 1. eosque sequuti sunt Garaton. ad Orat. p. Mil. 2. et Goerenzius ad Cic. de Fin. 3, 1, 1. et alii: numquam a Cicerone aliam personam, nisi primam singularis coniungi, atque omnes eos locos, qui repugnent, corruptos et ad regulam revocandos esse. Quam eamdem sententiam iam Vossius sibi informaverat de Analog. 4, 27. Etiamsi vero Cicero fere semper primam personam posuit, fecit id non propterea, quod existimaret esse *ego quidem*, sed quod propria erat haec vox in affirmanda re vel sententia eius, qui loqueretur. Numquam enim dixit pro *ego quidem*, quod esset *ego ex mea parte*; et si qui sunt loci, in quibus pronomen *tu* vel alia persona opponitur, cavendum erit, ne fallamur hac ipsa oppositione, non per hanc particulam expressa. Nec prorsus abstinuisse videtur Cicero a liberiore usu, cuius plura haberemus exempla, nisi librorum correctores grammaticam regulam ubique admovissent, et vel *quidem*, vel *et quidem* scripsissent. vid. Goerenz. ad Cic. de Fin. p. 161. Quod igitur in Cicerone non negamus, eum in quibusdam locis, quamvis pauci sint, etiam cum secunda et tertia persona *equidem* composuisse, id saepius fecerunt Sallustius et alii. De Virgilio Servius ad Aen. 1, 576. *in omni Virgilio ego quidem ubique significat, sed in aliis et pro quidem tantum ponitur.* Tamen in Aen. 10, 29. non possunt coniungi *equidem credo.* Sallustius utitur hac particula ad quamcumque sententiam vehementius affirmandam. Celsus numquam dixit. Quinctilianus Ciceronis consuetudinem imitatus est, saepius tamen *et quidem* usurpans. Curtium semper primae personae particulam iunxisse, ne credas Heusingero in Emendat. p. 223. Sed idem affirmat Schwarzius de Plinio iuniore, ad Paneg. 62, 2. tamen dubitationem movent quidam loci Epist. 9, 23, 2. 6, 16, 3. qui infra retractandi. In Taciti libris nusquam apparet *equidem*, nisi uno in loco Dialogi: ad quod attendere oportebat criticos, qui de auctore quaesiverunt. Neque reperio exemplum in Symmachi Epistolis.

1. *Equidem* confirmat rem dicendam, atque indicat, id, quod sit, esse re vera, vel rem vere factam esse: *fürwahr, wirklich, in der That.* Sed proprium est

vocabulum ad designandam et confirmandam rem ab ipso, qui loquitur, factam. Quare usurpat, qui aliquid a se vere factum esse dicit, aut aliquid de se affirmat. Imprimis vero de sententia et de animo: quare saepissime componitur cum verbis *puto*, *scio*, *credo*, *arbitror*, ut ei, qui audit, omnem dubitationem eximat.

Plaut. Amph. 1, 1, 255. *equidem Sosia Amphitruonis sum.* 2, 2, 87. SO. *Insania.* AL. *Equidem sana sum.* Terent. Heau. 3, 2, 36. *facile equidem facere possum, si iubes.* 4, 3, 31. *huic equidem consilio palmam do.* Plaut. Poen. 1, 2, 82. AG. *I in malam rem.* MI. *Ibi sum equidem.* Cic. ad Fam. 6, 4, 14. *equidem mihi omnia propono.* de Fin. 2, 9, 28. *quod equidem non reprehendo.*

Cum praeterito. Terent. Eun. 2, 3, 32. *id equidem adveniens mecum stomachabar modo.* 2, 3, 87. *iocabar equidem.* Hec. 2, 1, 22. *iampridem equidem audivi, cepisse odium tui Philumenam.* 5, 4, 39. *equidem plus hodie boni feci imprudens quam sciens ante hunc diem umquam.* Epid. 3, 4, 48. *equidem hercle argentum pro hac dedi.* Merc. 2, 3, 66. Terent. Heau. 4, 1, 3. *dixi equidem, ubi mi ostendisti, ilico eum esse.* i. e. *ich habe ja sogleich gesagt.* Horat. Sat. 2, 5, 23. *dixi equidem, et dico.* Cic. de Div. 1, 6, 11. *nihil, inquit, equidem novi.* ad Fam. 11, 29, 4. *equidem et ante hoc tempus te dilexi, et semper me a te diligi sensi.* 12, 30, 9. *requisivi equidem proprias ad me unum epistolas.* 16, 12, 2. *equidem, ut veni ad urbem, non destiti omnia et sentire et dicere.* Virgil. Ge. 1, 193. *semina vidi equidem multos medicare serentes.*

Cum futuro. Terent. And. 2, 1, 27. *dabo equidem operam.* Plaut. As. 3, 3, 17. *nam equidem me, iam quantum potest, a vita abiudicabo.* Pers. 1, 1, 45. *quaeram equidem, si quis credat.* Cic. ad Fam. 3, 3, 6. *equidem pro eo, quanti te facio, quidquid feceris, approbabo.* 2, 3, 2.

Plaut. As. 1, 1, 37. *equidem scio iam.* Terent. Ad. 4, 7, 30. *equidem arbitror.* Cic. ad Fam. 5, 2, 5. Plaut. Pseud. 5, 2, 10. *credo equidem potesse te, scelus, Massici montis uberrimos quatuor fructus ebibere in una hora.* Poen. 5, 4, 11. *spero equidem.* Cic. ad Fam. 10, 27, 7. Aul. 4, 9, 2. *atque equidem quo eam, aut ubi sim, aut qui sim, nequeo cum animo certum investigare.* Cic. ad Fam. 6, 4, 9. *equidem, nos quod Romae sumus, miserrimum esse duco.* 9, 6, 11. *equidem hos tuos tusculanenses dies instar esse vitae puto.* 9, 13, 7. 5, 12, 6. *equidem ad nostram laudem non multum video interesse.* 13, 1, 10. 13, 72, 3. 15, 15, 4. 15, 4, 36. *equidem etiam mihi illud animum advertisse videor.*

Quinctil. 9, 3, 69. *quod etiam in iocis frigidum, equidem tradi inter praecepta miror.*

Cic. ad Fam. 3, 6, 8. *quum interea, credo equidem, malevoli homines — conabantur alienare a te voluntatem meam.*

2. Nihil differunt ea, in quibus pluralis numerus verbi locum habet.

Terent. Ph. 3, 1, 7. *equidem, here, nos iamdudum hic te absentem incusamus, qui abieris.* ubi critici ex aliis codd. receperunt *et quidem*, quod non praestat. Cic. de Fin. 3, 2, 9. *sic equidem diligentius saepiusque ista loquemur inter nos, agemusque communiter.* ubi qui *et quidem* praeferunt, non habent, quo illud *sic* in Cicerone defendant. p. Sext. 57, 122. *quae tum significatio fuerit omnium, — equidem audiebamus: existimare facilius possunt, qui adfuerunt.* Quae quo alio nomine Goerenzius in suspicionem vocaverit, quam quod *equidem* cum plurali positum est, non intelligo. Sallust. Cat. 52, 11. *iampridem equidem nos vera rerum vocabula amisimus.* 51, 20. *de poenis possumus equidem dicere.* Plin. Hist. n. 25, 13, 95. *remedia liberationi, quibus bibenda censetur, non equidem praeceperimus.*

3. Haec eadem ratio valet in ea verborum constructione, in qua quamquam alia est verbi persona, tamen de re agitur, quae ad ipsum, qui loquitur, pertinet.

Varro de Re r. 1, 5, 1. *equidem innummerabiles mihi videntur.* Propert. 2, 31 (23), 5. *hic equidem Phoebo visus mihi pulcrior ipso marmoreus tacita carmen hiare lyra.* Plaut. Pers. 4, 4, 87. *atque equidem miseret tamen.* Stich. 2, 2, 5. *nam equidem harum miserebat.* Cic. ad Att. 8, 3. *adhuc equidem valde me poenitet.* Correxerunt *quidem.*

Virgil. Aen. 10, 29. *equidem, credo, mea vulnera restant.* Et fortasse etiam hoc nomine comprehendi possunt Cic. ad Att. 13, 26. Tacit. Dial. 27. quae infrà. Certe in his Cic. p. Cluent. 1, 4. *nemo est enim, qui invidiae sine vestro ac sine talium virorum subsidio possit resistere. Equidem quod ad me attinet, quo me vertam, nescio.* facilius erit construere verba *equidem nescio*, quam explicare: nam *equidem* ad totam sententiam pertinet, nec tantum affirmat Cicero, se id nescire, sed attentionem advertit ad suas res ita, ut reddamus verba: *Niemand vermag ohne euern Beistand dem Hasse zu widerstehen. Und in der That, was mich anlangt, weifs ich nicht, wohin ich mich wenden soll.*

4. Sed etiam alienae res vere exsistentes vel vere factae hoc modo affirmantur. Ita et tertia et secunda persona a Plauto et Terentio ponuntur in multis locis, quos et veteres et recentiores critici emendandos rati, sicut in aliis antiquum verbum oblitteraverunt. De qua re conf. Gifanius in Observat. p. 82. (170.) Schellerus in Observat. p. 111. Miscell. Observ. T. 6. p. 555. Ruddimann. T. 1. p. 322.

Plaut. Pers. 4, 3, 76. *equidem edepol liberali'st, quisquis est.* Epid. 4, 2, 33. *adolescentem equidem dicebant emisse.* Bacch. 4, 9, 50. *quadringentos filios habet, atque equidem omnes lectos sine probro.* Men. 2, 2, 35. *insanit hic equidem, qui ipse maledicit sibi.* Mil. 3, 1, 54. *o lepidum senicem, si, quas memorat, virtutes habet: atque equidem plane eductum in nutricatu venerio.* Men. 3, 3, 27. *di me equidem omnes adiuvant.* Rud. 3, 5, 47. *haec equidem Palaestra, quae respondit, non mea est.* Reizius scripsit *quidem.* Aul. 2, 1, 18. *decet equidem vera proloqui.* vulgo additur *te:* alii codd. *quidem.* Trin. 3, 1, 10. *atque equidem ipsus ultro venit Philto oratum filio.* Hermannus dedit *atque quidem.*

Plaut. Pers. 2, 2, 5. *equidem si scis tute, quot habeas hodie digitos in manu.* Stich. 4, 1, 48. *dum equidem, hercle, quod edant, addas.*

Terent. Eun. 5, 4, 34. (5, 14.) *atque equidem orante ut ne id faceret, Thaide.* Bentleius, omnium librorum consensum nihili pendens, correxit *et quidem.* Heaut. 3, 2. 7. CH. *Quid tu istic?* SY. *Recte equidem. Te demiror, Chreme.* Ita enim est interpungendum. vid. 5, 1, 24.

Cic. Tusc. 5, 35, 100. *vestrae equidem coenae non solum in praesentia, sed etiam postero die iucundae sunt.* Ita boni codices exhibent. ad Att. 13, 26. *equidem credibile non est, quantum scribam die.* ubi quamquam verba praecedunt: *tu litteras conficies:* tamen non aliorum admonitione adduci possum, ut coniungam verba *equidem scribam.* in Pis. 34, 84. *quum equidem tibi etiam accessio fuit ad necem Platoris Pleuratus eius comes.* Sic codd. palatini et erfurt. nec negari potest, graviore affirmatione nervum addi orationi: '*da in der That du auch eine Einleitung fandest.* ad Att. 13, 26. *sic ages igitur. Equidem id erit primum: proximum Clodiae.* Iamdudum correxerunt *et quidem.* Neque absurda, sed bona est scriptura codd. Pithoei et bernensis in Lael. 22, 82. *equidem in talibus ea, quam iamdudum tractamus, stabilitas amicitiae confirmari potest.* de Fin.

2, 3, 9. multi codd.: *equidem, inquit, vehementer errat.* Vulgo *et quidem*, quod dicunt esse *sed sane.*

Sallust. Cat. 52, 16. *quare vanum equidem hoc consilium est.* 58, 4. *scitis equidem, milites, socordia Lentuli quantam ipsi cladem attulerit.* ubi ineptum esset intelligere, ex mea quidem sententia: nec minus ineptum in Liv. 5, 51, 4. *equidem, si nobis cum urbe simul positae traditaeque per manus religiones nullae essent, tamen tam evidens numen hac tempestate rebus affuit romanis, ut omnem negligentiam divini cultus exemptam hominibus putem.*

Lucret. 3, 1091. *certe equidem finis vitae mortalibus adstat.* Qui ediderunt *certa*, Aldus et alii, ipsum *equidem* vitiosum existimarunt: de auctoritate vindobonensis codicis non sine caussa dubitamus. Lucan. 8, 824. *haud equidem immerito cumanae carmine vatis cautum, ne Nili pelusia tangeret ora hesperius miles.* Pers. 5, 45. *non equidem hoc dubites.* 1, 110. *per me equidem sint omnia protinus alba.* Tacit. Dial. 27. *quod apud me equidem in confesso est.* Plin. Hist. n. 18, 35, 86. *equidem et montium sonitus nemorumque mugitus praedicunt.* Sueton. Aug. 11. *Pansae equidem adeo suspecta mors fuit.* ubi vid. Oudend. Iustin. 38, 5, 3. *nam bellum equidem iam tunc secum ab illis geri coeptum* etc. 39, 3, 8. *sororem equidem germanam esse.* ubi Modius et alii praeferunt *et quidem.* vid. Beneckium ad h. l. Curt. 8, 8, 10. *equidem moderationis meae certissimum indicium est, quod ne victis quidem superbe impero.* 4, 12, 20. 5, 13, 3. vide infra n. 11. Apulei. Met. 1. p. 102, 35. *haec equidem ipsa vocis immutatio desultoriae scientia stilo, quem accessimus, respondet.* Et sic saepe Apuleius. vid. Oudend. p. 10. Auson. Profess. 1, 5. *non equidem certans cum maiestate duarum.* Edyll. 12. p. 204. Bip. *qui nuptias quondam eiusmodi ludo descripserat, aptis equidem versibus et compositione festiva.* Cod. Iustinian. 6, 21, 7. *libertatem equidem directam competere tibi.*

5. Per significationis similitudinem particula haud raro coniungitur cum aliis vocabulis affirmationis, et praesertim cum interiectionibus *ecastor, edepol, hercle* et aliis.

Plaut. Mil. 2, 5, 28. *certe equidem noster sum.* Aul. 2, 2, 38. Pers. 2, 2, 27. Virgil. Ecl. 9, 7. *certe equidem audieram.* Plaut. Amph. 1, 1, 291. *equidem certo idem sum, qui semper fui.*

Plaut. Amph. 1, 1, 125. *eam quoque edepol etiam multo haec vicit longitudine. Credo edepol equidem dormire solem.* Most. 1, 3, 22. *equidem pol vel falso tamen laudari multo malo quam*

vero culpari. 1, 3, 29. Terent. Eun. 5, 2, 37. Plaut. Amph. 2, 2, 66. *equidem ecastor vigilo.* Men. 4, 2, 95. Cist. 1, 1, 54. *equidem hercle addam operam sedulo.* Epid. 3, 4, 48. Mil. 4, 7, 24. Terent. Phorm. 5, 3, 24. *equidem hercle nescio.* Plaut. Men. 3, 2, 39. *vigilo hercle equidem.*

6. Interdum haec particula usurpatur, ut orationi vim afferat, atque hac, quae inest, demonstratione aliquid intente et instanter pronuncietur.

Terent. Eun. 2, 3, 88. *quo trudis? perculeris iam tu me. Tibi equidem dico, mane.*

7. Sic etiam in re magna affirmanda et in exclamatione.

Terent. Heau. 3, 3, 8. *ut equidem, ita me di ament, metui, quid futurum denique esset.* i. e. *wie sehr habe ich in der That gefürchtet.*

8. Vbi quis prece aut evocatione aliquem instat, hic cedens affirmat per hanc particulam, se esse petenti satisfacturum: ubi nos *nun wohl.*

Plaut. Bacch. 1, 1, 66. PI. *Sine.* BA. *Sino equidem, si lubet.* Merc. 3, 3, 21. *quid stamus? quin ergo imus atque obsonium curamus, pulchre ut simus.* LY. *Equidem te sequor.* Cic. de Leg. 2, 27, 69. *sed perge cetera.* M. *Pergam equidem.*

9. Ita locum habet in votis, in quibus graviore affirmatione excluditur dubitatio.

Terent. Eun. 3, 5, 49. *tum equidem istuc os tuum impudens videre nimium vellem.* i. e. *fürwahr, da hätte ich dein unverschämtes Antlitz sehen mögen.* Ad. 5, 3, 64. *atque equidem filium, tum etiam si nolit, cogam, ut cum illa una cubet.* Cic. ad Fam. 4, 7, 11. *equidem, etiamsi oppetenda mors esset, domi atque in patria mallem.* 7, 31, 3. *equidem vellem, uti pedes haberent.*

Plauti verba Merc. 3, 4, 22. apponam, quomodo se habent in antiquo Beroaldi codice: *disperii: illaec interemit me modo oratio. Odiosa ne oratio est, quum rem agas longinquam, longinqui. Equidem ad capita rerum perveni.*

10. Sunt etiam loci, in quibus per hanc dictionem significatur, rem per se intelligi, aut fieri ex necessitate sua: ubi nos dicimus *freilich*, vel *ja.*

Cic. ad Att. 14, 14. *coronatus Quintus noster Parilibus? Parilibus? solusne? etsi addis Lamiam: quod demiror equidem.* i. e. *worüber ich mich freilich wundere.*

Plin. Epist. 9, 23, 2. *nosti me, et quidem ex studiis.* Sed in eius generis sermone necessarium videtur id, quod mediceus et pragensis cod. praebent, *nosti me equidem ex studiis.*

11. Sed ut *quidem*, ita etiam *equidem* e conformanda sententia recipit vim concessivam, atque affirmatione sua alteram partem rei, quae conceditur, opponit alteri parti, quae secernitur. Germani dicunt *freilich.* Et sequitur vel *sed*, vel *verum*, vel *tamen*, et *sed tamen*, et *verum tamen.* Curtius *ceterum* opposuit.

Plaut. Rud. 4, 4, 59. *dixi equidem, sed si parum intellexti, dicam denuo.* Cic. de Orat. 2, 6, 26. *sic ego, si iam mihi disputandum sit de his nostris studiis, nolim equidem apud rusticos, sed multo minus apud vos.* ad Att. 1, 13. *quibus epistolis sum equidem abs te lacessitus ad scribendum: sed idcirco sum tardior, quod* etc. 2, 5. 7, 1. ad Fam. 15, 8, 2. *in consulatu vero cupio equidem, te minus habere negotii: sed moleste fero, me consulem tuum studium adolescentis perspexisse.* 4, 3, 14. *quare non equidem te moneo, sed mihi ita persuasi* etc. de Fin. 3, 2, 9. Liv. 3, 68, 9. *vellem equidem vobis placere, Quirites: sed multo malo vos salvos esse, qualicumque erga me animo futuri estis.* Curt. 5, 13, 3. *certiora deinde cognoscit —, non equidem vinctum regem, sed in periculo esse aut mortis, aut vinculorum.* de quo loco iudicium haud probabile Heusingerus tulit in Emendat. p. 222.

Cic. ad Fam. 16, 16, 3. *amo te omnibus equidem maximis de caussis, verum etiam propter hanc, quod mihi sic, ut debuisti, nuntiasti.* Terent. Heau. 4, 1, 34. *scilicet equidem istuc factum ignoscam: verum, Sostrata, male docet te mea facilitas multa.*

Liv. 4, 3, 2. *quantopere vos, Quirites, contemnerent patres — saepe equidem et antea videor animadvertisse: nunc tamen maxime, quod* etc. Plin. Pan. 31, 1. *omnibus equidem gentibus fertiles annos gratasque terras precor: crediderim tamen* etc.

Cic. ad Fam. 11, 14, 4. *habes obtrectatores: quos equidem facillime sustineo, sed impediunt tamen.* 9, 13, 7. *quod dicturus eum, puto equidem non valde ad rem pertinere: sed tamen nihil obest dicere.* ad Fratr. 3, 5. *abduco equidem me ab omni rei publicae cura: sed tamen indicabo tibi, quod mehercule in primis te celatum volebam.* de Sen. 10, 32. Horat. Sat. 2, 1, 79.

Cic. ad Fam. 12, 30, 8. *non dubitabam equidem: veruntamen multo mihi notiorem amorem tuum effecit Cherippus.*

Curt. 4, 12, 20. *sed caligo, quam circa humidi effuderant montes, universam equidem rei faciem non abstulit, ceterum agminum discrimina atque ordinem prohibuit perspici.* ubi cur hanc codicum scripturam Zumptius mutaret, nulla erat caussa.

12. Tantum vero abest, ut *equidem*, quod multi dicunt, compositum sit ex *ego quidem*, ut ne pro hoc quidem ponatur a bonis scriptoribus antiquioris aevi. Errant ergo, qui explicant *ego ex mea parte*, *ich meines Theils*. Nam personarum oppositio, quam illi requirunt, exprimitur verbis diversae terminationis personalis, sed in altera parte, qua, qui loquitur, de se affirmat, accedit particula affirmativa. Semper enim praevalet haec affirmandi vis.

Plaut. Men. 2, 3, 18. MN. *Quicum haec mulier loquitur?* ER. *Equidem tecum.* Non est *ego tecum*, sed *profecto tecum.* Neque aliter Pers. 2, 2, 43. Asin. 3, 3, 17. 5, 1, 17. Rud. 3, 2, 25. *equidem tibi bona exoptavi omnia.* D. *Bene equidem tibi dico, qui, te digna ut eveniant, precor.* Cic. ad Fam. 10, 14, 3. *equidem exspectabam iam tuas litteras.* i. e. *ich erwartete allerdings schon Briefe von dir.* conf. 6, 4, 3. 11, 27, 17. *ea si tu non audis, quid dicam, nescio. Equidem, si quando audio, tam defendo, quam me scio a te contra iniquos meos solere defendi.* ubi non est *ego autem*, sed sensum habet: hoc verum est, si quando audio, defendo. ad Att. 6, 3. *de urbanis rebus scilicet plura tu scis: saepius et certiora audis. Equidem doleo, non me tuis litteris certiorem fieri. Huc enim odiosa afferebantur.* Non opus est cum aliis explicemus: ego vero ex mea parte: sed est sensus: *und in der That thut mir es leid.* quemadmodum de Leg. 2, 1, 2. *equidem, qui nunc primum huc venerim, satiari non queo.* Neque aliter ad Att. 11, 5. *rem et summam negotii vides. Equidem ex tuis litteris intellexi, —te subdebilitatum novas rationes tuendi mei quaerere.* p. Rabir. Posth. 6, 6. *quid ergo senatum defendam hoc loco, iudices? Omni equidem loco debeo: ita de me est meritus ille ordo.* In his nihil maius exprimitur, quam quod supra n. 10. et infra n. 14. dictum est: nam *equidem* ad *omni loco* pertinet.

Cic. de Orat. 1, 14, 61. *atque haud scio, an minus hoc verbis sim probaturus: equidem non dubitabo, quod sentio, dicere.* Male sensum ceperunt, qui explicant *sed ego.* Est id, quod vir quidam doctus scribi iubebat, *certe quidem.*

Virgilio quod tribuitur carmen Cir. 14. *si me iam summa Sapientia pangeret arce, — non ego te talem venerarer munere tali, non equidem.* Inepta exsistit sententia, si accipis pro *non ego quidem.* Est vero *certe non*, *gewiſs nicht.*

Nec raro componuntur *equidem ego*, vel *ego equidem*, quemadmodum Plautus *ipsus equidem* dixit.

Plaut. Merc. 2, 2, 40. *amavi hercle equidem ego olim in adolescentia: verum ad hoc exemplum numquam.* Bacch. 3, 3, 33. *id equidem ego certo scio.* Terent. Heau. 4, 1, 19. *id equidem ego, si tu neges, certo scio.* ubi Bentleius praetulit *quidem* propterea, quod *equidem* per se valeret *ego quidem*. Quae Ciceronis affert Servius ad Virgil. Aen. 1, 576. *ego equidem ceteras tempestates:* haec sunt verba orationis p. Mil. 2, 5. et habet ita cod. barb. sed reliqui, ut vulgo, *equidem*. de Orat. 2, 6, 25. *sic ego — nolim equidem.* Sallust. Catil. 51, 15. *equidem ego sic existumo.* Iug. 10, 6. *equidem ego vobis regnum trado.* 85, 26.

Plaut. Amph. 2, 2, 122. *qui ipsus equidem nunc primum istanc tecum conspicio simul.*

Attamen recentiori aetate, quum grammatici docuissent esse idem quod *ego quidem* vel *ego*, scriptores quidam huic praecepto suum usum accommodarunt.

Plin. Hist. n. 2, 23, 25. *quod equidem sciam.* 2, 98, 101. *ut nihil, quod equidem noverim, praeteream.*

13. Quod in multis locis, praesertim apud Ciceronem, factum videmus, *equidem* ab initio sententiae poni, id propriam habet caussam. Demonstrativa enim sua vi particula nectit enuntiationem, quae affirmatione insignita novum argumentum, vel aliam sententiam addat. Quod quum Germani dicant *und in der That, und eben*, multi in eam opinionem adducti sunt, ut *equidem* esse *et quidem* dicerent. Ipsa vero copula non inest, sed particula transitum parat.

Liv. 9, 19, 10. *nae ille saepe, etiamsi prima prospere evenissent, Persas et Indos et imbellem Asiam quaesisset, et cum feminis sibi bellum fuisse dixisset: quod Epiri regem Alexandrum — dixisse ferunt —. Equidem, quum per annos quatuor et viginti, primo punico bello classibus certatum cum Poenis recordor, vix aetatem Alexandri suffecturam fuisse reor ad unum bellum.* Alia vide supra.

14. Pertinet particula haec, ut iam dixi, ad totam, cui praefigitur aut interponitur, sententiam. Tamen sunt etiam, in quibus uni verbo praecipue adhaerens, huius vim auget et adstringit, ut pro *quidem* accipi possit. Apud Ciceronem saepe post verbum ponitur.

Cic. de Orat. 2, 6, 25. vid. p. 432.

Quinctil. 7, 2, 24. *cuius actionem equidem solam in hoc tempus emiseram.* ubi Spaldingius temere coniecit *et quidem*.

Plaut. Capt. 4, 2, 86. editio princ. praebet: *mihi equidem esurio, non tibi.*

Cic. ad Att. 14, 14. *quod demiror equidem.* vid. Goerenz. ad Cic. de Leg. 2, 27, 69.

Plin. Epist. 6, 16, 13. *tum se quieti dedit et quievit verissimo equidem somno.* Ita plurimi codices. Vid. Cortius.

15. Et sunt quaedam vocabula, quibus imprimis particula se applicare solet. Cuius generis esse video negativa verba *non, neque, nihil, nusquam, minime,* et *immo, quin.* Nos *in der That nicht.*

Plaut. Amph. 1, 1, 172. *non equidem ullum habeo iumentum.* Most. 4, 3, 2. *non equidem in Aegyptum hinc vectus fui.* Aul. 4, 4, 13. *non, hercle, equidem quidquam sumsi.* Mil. 3, 2, 18. *neque equidem heminas octo expromsi in urceum.* Bacch. 3, 3, 15. *non sino, neque equidem illum me vivo corrumpi sinam.* Terent. Ad. 4, 5, 7. *non equidem istas, quod sciam.* Horat. Epist. 2, 1, 69.

Plaut. Aul. 4, 4, 8. *nihil equidem tibi abstuli.* Cas. 4, 2, 12. *nihil equidem speculor.* Pers. 2, 2, 43. Terent. Andr. 5, 2, 17. SI. *Quidnam apportas?* D. *Nihil equidem, nisi quod illum audivi dicere.* Eun. 2, 2, 42. GN. *Quia tristi's.* PA. *Nil equidem.* Bentleius correxit *quidem.* Horat. Sat. 2, 6, 53.

Plaut. Aul. 2, 1, 26. *nusquam equidem bibi.* Cic. ad Fam. 2, 10, 2. *equidem numquam domum misi unam epistolam.*

Terent. Hec. 1, 2, 10. *minime equidem me oblectavi.* 5, 3, 16. *sed cessas?* P. *Minume equidem.*

Plaut. Men. 5, 9, 20. M. *Tun' meo patre es prognatus?* M. *Immo equidem, adolescens, meo.* 3, 3, 12. *immo equidem memini.* Amph. 1, 1, 212. 2, 2, 54. Aul. 2, 4, 28.

Plaut. Aul. 4, 4, 23. *quin equidem ambas profero.*

16. Saepe componuntur in confirmanda re *nam equidem.*

Plaut. Men. 5, 5, 56. *nam equidem, postquam gnatus sum, numquam aegrotavi unum diem.* Ps. 2, 2, 26. Mil. 3, 1, 35. *nam equidem haud sum annos natus praeter quinquaginta et quatuor.* Pers. 2, 1, 5. Rud. 2, 6, 9. Asin. 3, 3, 16. *bene vale: apud orcum te videbo: nam equidem me iam quantum potest.*

17. Cum copulativis *et, atque* coniungitur *equidem,* quod non esse *et quidem,* etiam hoc argumento demonstrari potest.

Plaut. Cist. 2, 1, 46. *di me omnes — faxint, ne ego dem vivos suavium Silenio, nisi ego te tuamque filiam meque hodie obtruncavero, — et equidem hercle nisi pedatu tertio omnis efflixero.*

Plaut. Most. 5, 1, 1. *qui homo timidus erit in rebus dubiis, nauci non erit. Atque equidem quid id esse dicam verbum nauci, nescio.* Mil. 3, 1, 55. vid. p. 429. Poen. 3, 1, 5. *atque equidem hercle dedita opera amicos fugitavi senex.* Merc. 4, 4, 2. Terent. Eun. 5, 4, 34. (5, 14.) vid. p. 429.

18. *Equidem iam* significat nostrum *wirklich schon.*

Cic. ad Fam. 12, 18, 7. *equidem sic iam obdurui, ut ludis Caesaris nostri aequissimo animo viderem T. Plancum.* Coel. ad Cic. 8, 17, 4. *equidem iam effeci, ut maxime plebs — vester esset.*

19. Ponitur *equidem* intercedente sententia, quae vel temporis vel caussae conditionem indicat. Sic *ut, quum, si, etiamsi* in vicinia apparent.

Cic. Somn. Scip. 1. *quem ut agnovi, equidem cohorrui.* 3. *quem ut vidi, equidem vim lacrymarum profudi.* ad Fam. 16, 12, 2. *equidem, ut veni ad urbem, non destiti etc.*

Quinctil. Prooem. 1. *quum a me quidam familiariter postularent, ut aliquid de ratione dicendi componerem, diu sum equidem reluctatus.*

Cic. ad Fam. 5, 20, 6. *commodius equidem possem de singulis ad te rebus scribere, si M. Tullius scriba meus adesset.* 13, 1, 10. *equidem, si, quid ipse sentiam, quaeris, nec cur ille tantopere contendat, video, nec cur tu repugnes.* Curt. 8, 5, 19. *quos equidem victores esse confiteor, si ab illis leges, quis vivamus, accipimus.*

Cic. ad Fam. 4, 7, 11. *equidem, etiamsi* etc.

*) Librarii saepissime *equidem* in *et quidem* mutarunt. vid. Schwarz. ad Plin. Pan. 62, 3. et ad 32, 4. Drakenb. ad Liv. 5, 54, 3. 34, 5, 8. Goerenz. ad Cic. de Fin. p. 161. et hoc in illud. vid. Cic. ad Fratr. 3, 1, 3. p. Planc. 12, 31. Vid. ad Liv. 34, 5, 8. Saepe intercepta est littera prima ab ultima vocis praecedentis: unde ortum *quidem.* vid. Drakenb. ad Liv. 4, 3, 2. cf. Goerenz. ad Cic. de Fin. p. 307. Interdum *equitem* scripserunt. vid. Liv. 6, 12, 10.

ERGA.

Perversa erat sapientia, qua Schellerus cum aliis *erga* et *ergo* facta esse putabat ex verbis *e regione*, quemadmodum germanicum *gegen* cum nomine *Gegend* cohaereret. Nam eiusmodi contractio nullam omnino rationem habet, et germanica ista vocabula a *gen* vel *gan*, unde *gehen* est, descendunt. Nec meliora Gerh. Vossius, qui *erga* existimabat esse graecum ἔργα, *ergo* autem, quod duplex esset, et ab ἄρα et ab ἔργον diversa origine derivabat. Magna quidem est copia formarum, quae cum vocabulis *erga* et *ergo* cognatione continentur, in quibus quamquam notiones quaedam obscuratae non possunt distinctius demonstrari, tamen constat ipsius cognationis caussa. Atque *erga* et *ergo* et *vergere* unius sunt familiae, quemadmodum ἔργον transiit in *Werk*, ἔργειν in *wirken*. Cuius stirpis principium apparet in verbo ἔργω, quod quomodo in ἔρδω transmutatum sit, graeci grammatici docuerunt. Vid. Buttmann. Gramm. T. 2. p. 225. Hoc vero ἔργω digamma praeposito fit *vergo*, ut alia similiter. Vnde factum est, ut *erga* et *ergo*, ablativae formae obsoleti vocabuli, alium significatum acciperent ex notione, quae rem vel ad aliquid vergentem vel ex aliqua re deflectentem, quod est, *her- und hinwenden*, designat, alium ex notione conficiendi. Quod discrimen quum veteres grammatici intellexissent, et adeo pronuntiatione distinctum vidissent, in quantitate syllabae extremae diversa quaerebant argumentum. Sic Festus duplicem significationem verbi *ergo* explicari posse putabat. Ego vero notiones per varia verba dispersas in *ergo* video rursus collectas, nec miror diversitatem significationis.

1. Igitur *erga*, quod non est ἔργα, quasi, ut ait Vossius, occupatus sit animus, ut bene maleve ei faciat, erga quem bene aut male affectus sit, nec ab εἶργω repetendum est, quod Scheidio ad Sanctium p. 228. videbatur, quasi significet *nexu*, *coniunctione*, rationem eam significat, qua quid ad aliquam rem vergit. Et dicitur de loco ac regione, quae est versus aliquam rem: *gegen etwas hin*. Sed haec notio iam antiquo tempore obsolevit. Renovata est consuetudo novissimo tempore. Priscianus p. 990. *erga etiam περὶ graecum significat.*

Plaut. Truc. 2, 4, 51. *tonstricem Suram novisti nostram, quae modo erga aedes habet.* Sed edit. princ. *quae erga aedem sese habet.* Camerarius introduxit *modo*, quum legisset in codd. *quem.* Sed scribendum videtur *quae med erga aedes habet.* vid. n. 6. Sensus est: quae prope me, e regione mearum aedium, habitat.

Apulei. de Dogm. Plat. p. 9, 10. *sed et machinamenta, quibus ad sentiendas diiudicandasque quantitates et qualitates sensus instructi sunt, ibidem erga regiam capitis constituta esse.*

2. Ea vero significatio, quae per omnia tempora permansit, rationem eam designat, qua se quis in aliquem vertit, et se vel studio ac voluntate vel agendo gerit; quod nos dicimus *gegen.* Atque hoc, quod per se quemcumque animi conatum continet, refertur usu frequentissimo ad animum amicum et benevolum. Charisius p. 208. *Item in et erga hoc differunt: fere enim erga ad affectum refertur, quasi erga illum benignus; in ad simultatem, quasi in illum sum saevus.* cf. Priscian. p. 989. Beda p. 2332. *erga ad animum spectat, maxime quum aliquem propensiorem affectum generat proximorum.* Atque in veterum libris semper est persona, ad quam praepositio haec refertur, non res, nisi quae ad aliquam personam attinet: recentiores autem scriptores etiam de rebus dicebant *erga aliquid* pro *in aliquid.*

Cic. de Am. 16, 56. *ut eodem modo erga amicos affecti simus, quo erga nosmetipsos; — ut nostra in amicos benevolentia illorum erga nos benevolentiae pariter aequaliterque respondeat.* de Fin. 1, 20, 68. Plaut. Capt. 2, 3, 49. *ut fueris animatus erga suum gnatum atque se.* Trin. 3, 1, 18. *ut mihi, ut erga te fui et sum, referas gratiam.* Cic. p. Quint. 25, 78. *si nihil diceret, tacito ipso officio et studio, quod habebat erga propinquum suum, quemvis commoveret.* ad Planc. in Epist. ad Att. 16, 16. *magnam attulit accessionem tua voluntas erga me meaque erga te par atque mutua.* Terent. Heaut. 2, 3, 24. vide n. 5. Plaut. Capt. 2, 2, 100. *quod me esse scit erga se benevolum.* Rud. 5, 3, 33. *quando ergo erga te benignus fui.* Mil. 4, 6, 15. Cic. de Orat. 2, 43, 182. *animosque eorum, apud quos agitur, conciliari quam maxime ad benivolentiam tum erga oratorem, tum erga illum, pro quo dicet orator.* Plaut. Mil. 3, 1, 41. *magis nosces meam comitatem erga te amantem.* Cic. de Nat. d. 2, 23, 60. *id non sine divina bonitate erga homines fieri arbitrabantur.*

Plaut. Amph. 5, 1, 49, *utut erga me merita est.* Cist. 1, 1, 111. Cic. ad Fam. 1, 9, 1. *quum illud ipsum gravissimum et sanctissimum nomen pietatis levius mihi meritis erga me tuis esse videatur.* Plin. Pan. 80, 6. *qui erga omne hominum genus vice sua fungereris.*

Plaut. Capt. 2, 3, 63. *nunc adest. occasio benefacta cumulare, ut erga hunc rem geras fideliter.* Trin. 5, 2, 2.

Cic. ad Att. 8, 3. *quum merita Pompeii summa erga salutem meam — tum ipsa rei publicae caussa me adducit* etc. de Provinc. cons. 1, 1. *quum in universam rem publicam, tum etiam erga meam salutem fide ac benevolentia singulari.* p. Domo. 56, 142. *omnes — omne suum erga meam dignitatem studium et iudicium non modo commissum, verum etiam commendatum esse arbitrabuntur.*

Plin. Pan. 50, 4. *magnum hoc tuum, non erga homines modo, sed erga tecta ipsa meritum.* Tacit. Ann. 4, 20. *ea prima Tiberio erga pecuniam alienam diligentia fuit.* Ammian. 16, 10. *fama — erga haec explicanda, quae Romae sunt, obsolescit.* Alia Orosii, Hegesippi, Augustini vide apud Wopkens. in Actis Soc. Rheno-traiect. T. 4. p. 371.

3. Nihilominus tamen etiam de rebus haud iucundis et de animo adverso atque malevolentia dicitur pro *contra*, *adversus.* Apud Ciceronem nusquam inveni; Cornelius Nepos, sive quisquis vitas imperatorum scripsit, nihil frequentius.

Plaut. Aul. 4, 10, 62. *si quid ego erga te imprudens peccavi.* Pseud. 4, 3, 4. *ne malus item erga me sit, ut erga illum fuit.* Cas. 3, 4, 27. *quid ego umquam erga Venerem inique fecerim.* Epid. 3, 3, 9. Terent. Hec. 3, 5, 36. *quae numquam quidquam erga me commeritast, quod nollem.* Cornel. Dat. 10, 3. *odio communi, quod erga regem susceperant.* Ham. 4, 3. Hann. 1, 3. Alc. 4, 4. Tacit. Hist. 2, 99. Ann. 2, 2. vide n. 4.

4. Sed non modo de animo dicitur, qui aut benevolentiam aut inimicitiam in aliquem confert, sed etiam de quacumque animi sententia et affectione, quam quis vel coram aliquo vel per aliquem concipit, aut quo se gerit coram aliquo. Vnde opinio quorumdam grammaticorum, *erga* significare *propter.* vid. Doelekii Gramm. p. 52. Hoc vero maxime ad usum recentiorum refero. Proprie dicunt *honor erga aliquem.* Sed de aliis quoque rebus usurpatur, quae aguntur de aliquo *(in Bezug auf einen).*

Tacit. Ann. 4, 74. *anxii erga Seianum, cuius durior congressus.* Hist. 4, 49. *provinciam et militem alienato erga Vespasianum animo fuisse.* Ann. 11, 25. *isque illi finis inscitiae erga domum suam fuit.* ubi Acidalius emendat *circa domum.* 2, 2. *accendebat indignantes — fastu erga patrias epulas.*

Ad haec accedit Cic. de Orat. 2, 49. 201. *ut — in meis moribus erga necessarios declarandis mansuetissimus viderer.*

Plin. Pan. 55, 3. *non alius erga te novus honor superest.* Tacit. Ann. 3, 74. *prisco erga duces honore.* Similiter 3, 2. *ut — suprema erga memoriam filii sui munera fungerentur.* Hist. 2, 55. *erga germanicos exercitus laudes grateque.*

Tacit. Ann. 4, 11. *atrociore semper fama erga dominantium exitus.* Hist. 1, 20. *iisdem erga aliena sumptibus.*

5. Ex animi ratione desumptum est Plauti Asin. 1, 1, 5. *si quid med erga tu hodie falsum dixeris.* quasi sit idem quod *mihi.* Nam intelligitur: ut me fallas.

6. Praepositio haec apud poetas etiam post nomen suum obtinet locum, praesertim post pronomina personalia: unde factae sunt formulae *med erga, ted erga,* quas in usu fuisse negari non potest. vid. Vossius de Arte gr. 2, 14. p. 206. et Schneideri Gram. T. 1. p. 144. Meursius in Exercit. crit. T. 1. p. 112. monstrat, in hac compositione duo nomina in unum coniuncta fuisse, ut scriberetur *mederga:* idque probabile videtur. Certe uno accentu continentur.

Plaut. Trin. 5, 2, 4. *si quid amicum erga bene feci.* Terent. Heaut. 2, 3, 24. *animus te erga idem ac fuit.* Plaut. Capt. 2, 1, 47 (54). *nunc te oro per precem, per fortunam incertam et per mei te erga bonitatem patris.* Terent. Hec. 3, 3, 29. 1, 2, 15. *timet omnia, patris iram et animum amicae se erga ut sit suae.*

Plaut. As. 1, 1, 5. *si quid med erga tu hodie falsum dixeris.* Epid. 3, 3, 8. *quasi quid filius meus deliquisset med erga.* Capt. 2, 3, 56.

*) *Erga* cum glossemate *apud* confusum vide apud Schwarzium ad Plin. Pan. 58, 2. Saepe *ergo* pro *erga* scriptum legitur. vid. Drakenb. ad Liv. 1, 18, 6.

ERGO.

Ergo eiusdem esse originis et *erga*, antea exposui. Atque pro diversa notionis conformatione duplex est

huius vocabuli vis et natura, quae tamen in multis partibus conspirat ita, ut, quae usu coaluerunt, non possint subtili distinctione divelli. Etenim *ergo* habet significationem et rei alicunde deducendae et rei comprobandae. Altera illa oritur in notione vergendi et convertendi, altera in notione conficiendae rei. Nam ἔργειν sive ἔρδειν et ἔργον et *Werk*, *wirken* dicuntur de laborantium opera, quippe qui rem manibus versent.

Ergo graecum esse ἔργῳ, et significare *re*, sive *ea re*, quae pro caussa dicatur, omnes nostri temporis grammatici post Sanctium docent. At nemo explicuit, quomodo ἔργον rem significare potuerit. Et profecto non potest. Nam nihil aliud significat quam id, quo quid efficitur. Nos omnem vocabuli usum triplici modo complectimur. Nam *ergo* aut rationem indicat, qua quid efficitur, sive hoc sit caussae sive conclusionis, aut rem confectam designat, *das Wirkliche*, ab *Werk* nominatum, aut rem dicendam ex alia re nectit et inde deducit sic, ut vel ex alia re ad aliam transgrediamur, vel ad superiora respici iubeamus. Vossius de Arte gram. 2, 17. „primo nomen fuit eoque gignendi casum adsciscebat: quae effectus ac caussae significatio etiam mansit, quum valet *igitur*.“ Et Perizonius in notis ad Sanctii Minerv. 4, 14. omnia ad unum significatum caussae referre conatus est. Sed praeterquam quod exempla addita non quadrabant, ut usus quosdam explicaret, necessarium ei erat statuere, interdum „rationem originis vel parum habitam, vel non animadversam, vel etiam integrum comma, cui responderet *ergo*, per ellipsin omissum esse.“ Quo omnis illa doctrina concidit.

Iam antiqui grammatici appellabant nomen indeclinabile, quibus quum Servius obloquitur, ut comprobet, esse meram particulam, universam rem tantum ex aliqua parte complexus est. Nam quod nomen erat, simul et adverbii formam induit, sicuti *modo*, et in coniunctionem transiit. Charisius p. 199. et alii in coniunctionum numerum adscribunt.

I. 1. Primum igitur caussam indicat, qua quid efficitur: *durch das Werk einer Sache*. Cf. Vossius de Construct. 64. p. 580. Haec est primitiva illa forma, quae substantivi instar cum genitivo coniungitur, quemadmodum *gratia*, *caussa*. Quum reddimus ἕνεκα, *wegen*, non omnem vim vocabuli comprehendimus.

Hoc autem sensu semper postponitur substantivo, et habet productam syllabam ultimam.

Festus: *ergŏ correptum significat idem, quod apud Graecos οὖν: producte idem quod χάριν, hoc est gratia: quum scilicet gratia intelligitur pro caussa. Sed illud superius etiam sine exemplis notum est; hoc inferius sic formatur, quum dicimus de aliquo, statua donatus est honoris virtutisque ergo, id est honoris virtutisque caussa.* Servius ad Virg. Aen. 6, 670. *illius ergo*] *propter eum. Ergo autem coniunctio fuit: sed per accentus mutationem in adverbium transit: et est sola particula, quae habet in fine circumflexum. Multi male putant nomen esse indeclinabile, et dicunt positum esse pro caussa. Caussa autem nomen est, quod ponitur pro ratione. Qui casus declinatione caret.* Vide p. 441. Et re vera nemo dixit *eo ergo*, quemadmodum dicebant *ea caussa*, *ea gratia*. Sed contra Servium iam Beroaldus p. 273. Tom. 1. Lamp. Gruter. istam significationem vindicavit.

Nonius p. 544. *ergo positum pro ea caussa. Virgilius lib. 6, 670. illius ergo venimus, et magnos Erebi transnavimus amnes. Sisenna Histor. lib. 4. milites, ut lex calpurnia concesserat, virtutis ergo civitate donati.*

Apud Plautum nullum exstat exemplum. Sed Cato de Re r. 139. *harumce rerum ergo sive ego sive quis iussu meo fecerit.* 141. *Mars pater eiusdem rei ergo, macte hisce suovitaurilibus lactentibus esto.* et sic saepe. Epist. ad regem Pyrrhum apud Gellium 3, 8, 8. ex Claudio Quadrigario: *sed communis exempli et fidei ergo visum est, uti te salvum velimus, ut esset, quem armis vincere possimus.* Lucret. 5, 1245. *hostibus intulerant ignem formidinis ergo.*

Cic. de Leg. 2, 23, 59. et 25, 64. *mulieres genas ne radunto, neve lessum funeris ergo habento.* 3, 4, 9. *rei suae ergo ne quis legatus esto.* Et sic saepe in legibus. de Opt. gen. orat. 7, 19. *de eo igitur Ctesiphon scitum fecit, nullis ab ipso rationibus relatis, ut corona aurea donaretur — atque ita praedicaretur, eum donari virtutis ergo benevolentiaeque, quam erga populum atheniensem haberet.* Ita ex solemni formula etiam Cornel. Paus. 1, 3. Cic. ad Att. 3, 23. *alterum caput est tralaticium de impunitate, si quid contra alias leges, eius legis ergo, factum sit.*

In tabula publica apud Liv. 40, 52. *eius rei ergo aedem Laribus Permarinis vovit.* itemque 41, 28, 9. Et in senatus decreto 25, 7, 4. *neu dono militari virtutis ergo donaretur.* 25, 12, 15. *haec est origo ludorum Apollinarium victoriae, non*

valetudinis ergo, ut plerique rentur, votorum factorumque. non pauci codd. praebent *gratia.* 1, 18, 6. *cui* (auguri) *deinde honoris ergo publicum id perpetuumque sacerdotium fuit.* ita e codd. quidem restituit Gronovius, sed antea legebatur *honoris gratia.* 22, 38, 4. *sese fugae atque formidinis ergo non abituros.* alii codd. omittunt *ergo*, alii habent *caussa.* De cod. florent. Drakenborchius iudicare videtur ex silentio eius, qui contulit librum. 37, 47. *victoriae navalis ergo in unum diem supplicatio decreta est.* Ne in hoc quidem loco deest illa scripturae varietas.

2. Haec vero caussae efficientis notio etiam adverbialiter exprimitur. Nam *ergo* ponitur, ubi ipsa intelligitur caussa: *ob hanc caussam*, vel ubi sensus est: *inde factum est, ut, qua ex re, qua de caussa, daher, deshalb.* Perizonius ad Sanctium 4, 14. p. 431. ita: „sicuti dicitur *illius ergo venimus,* sic et simpliciter recte dicitur eodemque sensu, *ergo venimus*, h. e. illius memoratae rei ergo, ea gratia.“ Curtius et alii in narrandis rebus saepe hoc vocabulo indicant caussas rerum.

Plaut. Pseud. 4, 6, 21. *malum et scelestum et periurum aiebat esse me.* SI. *Pol haud mentitu'st.* BA. *Ergo haud iratus fui: nam quanti refert te nec recte dicere, qui nihili faciat, quique infitias non eat.* Lucil. apud Cic. de Fin. 1, 3, 9. *Graecum te — maluisti dici. Graece ergo praetor Athenis — te saluto.* Plaut. Cist. 1, 1, 74. GY. *Perfidiosus est amor.* SI. *Ergo in me peculatum facit.*

Cic. de Fin. 2, 11, 34. *Polemoni et iam ante Aristoteli ea prima visa sunt, quae modo dixi. ergo nata est sententia veterum Academicorum.* ubi vid. Goerenz. qui quem locum affert Tusc. 1, 2, 4. non huc pertinet. Alii coniecerunt *hinc ergo*, et *inde*, et *eo*, et *ex quo.* Liv. 1, 27, 5. *Albano non plus animi erat quam fidei. Nec manere ergo, nec transire aperte ausus, sensim ad montes succedit.* Tacit. Ann. 1, 58. *ex quo a divo Augusto civitate donatus sum, amicos inimicosque ex vestris utilitatibus delegi. — Ergo raptorem filiae meae, violatorem foederis vestri, Arminium apud Varum — reum feci.* Virgil. Ecl. 5, 56. *candidus insuetum miratur limen Olympi, sub pedibusque videt nubes et sidera Daphnis. Ergo alacris silvas et cetera rura voluptas Panaque pastoresque tenet.* ubi Servius explicat *merito:* itemque in Georg. 2, 393. *ergo rite suum Baccho dicemus honorem carminibus patriis.* Plin. Hist. n. 17, 14, 24. *agricola sedulus, casam sepis munimento cingens, quo minus putrescerent sudes, limen subdidit ex hedera. At illae vivaci morsu apprehensae suam ex aliena fecere vitam, apparuitque truncum esse pro*

terra. Aufertur ergo serra aequaliter superficies; laevigatur falce truncus.

Curt. 8, 11, 14. *evaserant tamen Alexander et Charus —, etiam pugnare comminus coeperant: sed quum superne tela barbari ingererent, saepius ipsi feriebantur, quam vulnerabant. Ergo Alexander, — dum acrius quam cautius dimicat, confossus undique obruitur.* 3, 8, 16. *motis ergo castris superat Pinarum amnem.* 5, 3, 8.

Ex his intelligitur, quam falsum sit praeceptum grammaticorum, quo tradunt *ergo* non rationem indicari in rebus ipsis cognitam, sed tantum eam, quae argumentatione constituatur. Vid. Aug. Grotefendi Gramm. p. 174.

3. Caussa, ex qua aliquid factum aut faciendum sit, interdum, praesertim in colloquiis, non verbis exprimitur, sed ex sententia praecedente, vel ex re acta colligitur.

Plaut. Cist. 1, 1, 119. Silenium, puella, quum et verbis et squalidis vestimentis declarasset, se misero amore perire, Gymnasium, postquam illa abiit, ait: *ecastor mihi visa amare.* Tum lena: *istuc ergo aures graviter obtundo tuas, ne quem ames.* i. e. haec, quam vides amantium esse miseriam, caussa est, quapropter aures tuas obtundam: *eben darum.*

Cic. Phil. 5, 16, 16. *hanc ergo et reliquas eiusmodi leges, etiamsi sine vi, salvis auspiciis, essent rogatae, censerem tamen abrogandas.* Antea exposuit, quibus intelligeretur legis istius turpitudo.

Virgil. Ge. 1, 489. *ergo inter sese paribus concurrere telis romanas acies iterum videre Philippi.* Antea narrantur signa, quibus futurum bellum civile praemonstratum sit.

4. Et potest caussa, ad quam *ergo* refertur, postea demum addi, ipsum autem praemitti.

Plaut. Mil. 4, 6, 18. *ergo iste metus me macerat, quod ille fastidiosus est, ne oculi eius sententiam mutent, ubi viderit me.* Amph. 1, 1, 222. *ergo istoc magis, quia vaniloquus, vapulabis.*

5. Haec est ratio, qua *ergo* usurpatur in conficienda argumentatione et in finienda conclusione. Est enim *ex hac ratione, eo fit.* Marius Victorinus in Rhetor. Cic. 32. p. 111. *ubicumque enim ergo vel igitur est, conclusio sit necesse est.*

Ita Varro expositionis finem facit conclusione: *non ergo est in his analogia.* 8, 24. 25, 26. *non est ergo analogia.* 8, 32.

Plaut. Epid. 4, 2, 20. *negat haec filiam me suam esse: non ergo haec mater mea est.*

Cic. Phil. 2, 12, 29. *quid enim interest inter suasorem facti et probatorem? aut quid refert, utrum voluerim fieri, an gaudeam factum? Ecquis est igitur, te excepto et iis, qui illum regnare gaudebant, qui illud aut fieri noluerit, aut factum improbarit? Omnes ergo in culpa.* Sed vide in ETENIM.

6. Atque hoc modo colligitur ex superioribus id, quod sequitur. Nos dicimus *also*, *daher*, *sonach*. Sic progreditur et absolvitur ratiocinatio, in qua saepe futurum ponitur de re, quae esse praesumitur.

Cic. de Fin. 4, 13, 34. *ut Phidias potest a primo instituere signum idque perficere: potest ab alio inchoatum accipere et absolvere. Huic sapientia similis: non enim ipsa genuit hominem, sed accepit a natura inchoatum. Hunc ergo intuens debet institutum illud quasi signum absolvere.* de Inv. 1, 9, 12. *relinquitur ergo, ut omnia tria genera sint caussarum.* Acad. 2, 40, 125. *sin agis verecundius et me accusas non quod tuis rationibus non assentiar, sed quod nullis, vincam animum, cuique assentiar, deligam. Quem potissimum? Democritum?* Tum exponit, quam ob caussam Democriti prava doctrina adsciri non possit, et pergit ex his conclusionem faciens: *non ergo id agitur, ut aliquid assensu meo comprobem.* Quo in loco cur abruptam putaverint orationem, eamque lineola signaverint, equidem non perspicio.

Cic. de Fin. 2, 9, 27. *quis est enim, in quo sit cupiditas, quin recte cupidus dici possit? Ergo et avarus erit, sed finite: et adulter verum habebit modum.* de Sen. 14, 47. *cupidis enim rerum talium odiosum et molestum est fortasse carere: satiatis vero et expletis iucundius est carere quam frui. Quamquam non caret is, qui non desiderat. Ergo non desiderare dico esse iucundius.* i. e. tamen, si rem accuratius cognoscas, videbis non carere eum, qui non desideret. Hinc sequitur, ut in illo *carere* intelligam hoc *non desiderare*, quod iucundius est.

7. Sic proxime componitur *ergo* cum verbis *si*, *quum*, *quia* et aliis huius generis, ubi ex alia sententia consequutio instituitur, aut ubi rerum consequentia format iudicium.

Plaut. Epid. 5, 2, 34. EP. *Aio: vel da pignus, ni ea sit filia.* PE. *Quam negat novisse mater?* EP. *Ni ergo matris filia est, in meum nummum, in tuum talentum pignus da.* i. e. *wenn also nicht.* Liv. 2, 40, 8. *ergo ego nisi peperissem, Roma*

non oppugnaretur. **Lactant. 6, 6, 28.** *si ergo et philosophis ipsorum confessione adempta sapientia est* etc.

Plaut. Capt. 2, 3, 63. *ergo quum optume fecisti, nunc adest occasio benefacta cumulare.* **Petron. 16, 1.** *ostium satis audaci strepitu impulsum exsonuit. Quum et ipsi ergo pallidi rogaremus, quis esset: aperi, inquit, iam scies.* **17, 3.** *ut ergo tam ambitiosus detonuit imber,* etc.

Plaut. Aul. 4, 10, 25. *ergo quia sum tangere ausus, haud caussificor quin eam ego habeam potissimum.*

8. Goerenzius ad Cic. de Fin. 3, 7, 26. hoc praeceptum fecit, quo sibi nihil certius visum est: *igitur* in quavis consequutione, *ergo* non nisi in eius fine poni, nec dici posse *quum ergo.* Quod utrumque non verum est, nec Ciceronis usu confirmatur. Nam *ergo* in cuiusvis generis consequutione locum obtinet, quippe quod significet: ex hoc colligitur, ex hoc sequitur, atque recte dicitur *quum ergo, quia ergo,* non aliter quam *quum igitur*, ubi ex superiore enuntiatione alia pendet. Ratio enim aut in re cernitur, quae conclusionem fieri iubeat, idque significatur verbis *quare* et *ideo*, et quum modus cogitatur, *itaque* (nos vocamus *Erklärungsgrund*), aut constat ipsa cognitione, qua conficitur conclusio (*Erkenntnifsgrund*). Vtrumque vero complectitur *ergo* cum affirmatione, qua certam esse conclusionem indicamus. Haec omnia vero miscet quotidianae vitae sermo.

Sic Varro de Ling. lat. 8, 38. *in mare et femina et neutro neque natura mas transit, neque femina, neque neutra: et* ***ideo*** *non dicitur feminus, femina, feminum, sic reliqua.* ***Itaque*** *singularibus ac secretis vocabulis appellati sunt.* ***Quare*** *in quibus rebus non subest similis natura aut usus, in his vocabulis huiuscemodi ratio quaeri non debet.* ***Ergo*** *dicitur ut surdus vir, surda mulier, sic surdum theatrum.*

Cic. de Fin. 1, 21, 71. *qui quod tibi parum videtur eruditus, ea caussa est, quod nullam eruditionem esse duxit, nisi quae beatae vitae disciplinam iuvaret. An ille tempus aut in poetis evolvendis — consumeret? — aut se in musicis, geometria, numeris, astris contereret? — Eas ergo artes persequeretur, vivendi artem — relinqueret? Non ergo Epicurus ineruditus, sed hi indocti, qui, quae pueros non didicisse turpe est, ea putant usque ad senectutem esse discenda.* **De priori ergo vide IV, 1.: alterum redde:** *sonach ist Epicurus wirklich nicht einsichtlos.* **5, 9, 24.** *ergo omni animali illud, quod appetit, positum est in*

eo, *quod naturae est accommodatum.* i. e. ex his colligitur. Tum pergit: *Ita finis bonorum exsistit, secundum naturam vivere sic affectum, ut optime affici possit.*

Cic. de Inv. 1, 9, 12. *exposita re, comprehendit singula in uno: relinquitur ergo, ut omnia tria genera sint caussarum.* Sed pergit: *Deliberatio igitur et demonstratio non possunt recte partes alicuius generis caussae putari. Male igitur eas generalis constitutionis partes esse dixit.* Si verum esset id, quod Goerenzius praecepit, commutanda essent vocabula *ergo* et *igitur:* nam Hermagoram male dixisse partes, id Cicero erat comprobaturus. Lael. 23, 88. *quis tam esset ferreus, qui cam vitam ferre posset, cuique non auferret fructum voluptatum omnium solitudo? Verum ergo illud est, quod a Tarentino Archyta, ut opinor, dici solitum nostros senes commemorare audivi* etc. Errat Gernhardus, quum de quarumdam editionum scriptura *igitur* agens, ait: „*igitur* in fine argumentationis minus aptum est." Nam non finis est argumentationis, sed accedit Archytae dictum, ut illustret superiora, et *ergo* idem est quod *igitur.* Cf. Gernhard. ad c. 14, 51. ubi *igitur* et *ergo* non alio nomine differunt quam varietate formae.

9. Sic per vocabula *igitur* et *ergo* bis terve repetita promovetur argumentatio, alia sententia ex alia deducta. Ita Cicero de Nat. deor. 2, 20, 56. *igitur — ergo — ergo igitur* in una serie sententiarum.

10. Saepe intelligitur *si hoc est*, vel *quum hoc sit.* Tum vero ab *igitur* non differt *ergo*, nisi affirmationis, quae adhaeret, vi. Sic in colloquio alter in alterius oratione aliquid arripit, quo conclusionem faciat de re dicta.

Plaut. Merc. 5, 2, 58. CH. *Non curo istuc, illam quaero.* EV. *De illa ergo ego dico tibi. Sane hoc non in mentem venit dudum, uti tibi.* i. e. *nun so rede ich von ihr.* Stich. 3, 2, 36. *ergo oratores populi summates viri summi accumbent, ego infimatis infimus.* i. e. *wann das ist, so werden* etc.

Plaut. Mil. 3, 3, 18. *ergo istuc mecum convenit vobis faciendum utrumque.* intell. si hoc verum est. Plin. Pan 43, 3. *nemo est ergo tam tui, tam ignarus sui, ut locum istum post te concupiscat.* i. e. *so ist also wirklich niemand* etc.

Plaut. Most. 2, 2, 59. *ait venisse illum in somnis ad se mortuum.* TH. *Nempe ergo in somnis.* TR. *Ita.* i. e. *also freilich nur im Traume.*

Cic. de Fin. 4, 13, 34. *huic sapientia similis: non enim ipsa genuit hominem, sed accepit a natura inchoatum. Hanc ergo*

intuens, debet institutum illud quasi signum absolvere. i. e. *diese also eben.* Alii codd. *igitur*, sed praestat *ergo* affirmationis vi. Similiter 4, 23, 64.

11. Serioris temporis scriptores in conditionali sententia apodosin signare solebant particula *ergo*, cui ne affirmativam potestatem tribuamus, monet nos vocabulum *igitur*, eodem modo usurpatum. Nec aliter nos Germani dicimus *so* in apodosi.

Lactant. 6, 13, 9. *quodsi mortalis conditio non patitur, esse hominem ab omni macula purum, debent ergo largitione perpetua peccata carnis aboleri.* 6, 11, 16. 1, 16, 14. *si domibus carent, ergo et concubitu: si concubitus ab his abest, et sexus igitur femineus.*

12. Eiusmodi conclusio saepe inservit demonstrationi. Atque ea saepe ad rem non verbis expressam, sed animo infixam respicit: ut dicitur *sic*, *sic igitur*. Ita poetis licet carmen incipere ab hac particula.

Lucret. 6, 1245. *optumus hoc leti genus ergo quisque subibat.* quae male vertit Knebelius. Est enim sensus: ita moriebantur optimi hoc mortis genere.

Propert. 3, 23 (21), 1. *ergo tam doctae nobis periere tabellae.* i. e. *also verloren sind* etc. Ovid. Am. 2, 7, 1. *ergo ego sufficiam reus in nova crimina semper.*

13. Ab his paullo differunt ea, in quibus *ergo* conclusionem facit, sed oratio statim in interrogationem vertitur. Tum particula ab initio ponatur, necesse est.

Cic. de Fin. 2, 15, 50. *quid nunc honeste dicitur? idemne quod iucunde? Ergo ita, non posse honeste vivi nisi honeste vivatur? an nisi populari fama?* Ita enim est interpungendum. Quod Orellio placuit *dicit*, a correctore, qui ad *intelligit* respexerat, profectum est. 2, 5, 17. *ergo in eadem voluptate eum, qui alteri misceat mulsum ipse non sitiens, et eum, qui illud sitiens bibat?* 5, 30, 92. *ergo, si semel tristior effectus est, hilara vita amissa est?* ubi cur Goerenzius futurum requirat, nulla est caussa. Vtraque enim forma suum modum tenet.

14. Colloquentium quum quis rem aliquam proposuit, alter adhibito hoc vocabulo per consequentiam ad aliam rem transit, aut ex alterius oratione colligit, quid sit faciendum aut quid fiat: ubi nos *so*, *sonach* dicimus. Id vero proprium esse videtur particulae *ergo*, quod simul necessitas consequentiae significari potest.

Plaut. Poen. 3, 2, 17. AG. *Hic trecentos nummos numeratos*

habet. AD. *Ergo nos inspicere oportet istuc aurum.* Bacch. 3, 3, 91. PH. *Serva tibi sodalem, et mihi filiam.* MN. *Factum volo.* PH. *In te ergo hoc onus omne impono.* Men. 2, 1, 15. *hominem inter vivos quaeritamus mortuum: nam invenissemus iam diu, si viveret.* ME. *Ergo istuc quaero certum qui faciat mihi, qui sese dicat scire eum esse mortuum.*

Plaut. Capt. 2, 3, 23. exposita sententia Philocratis, Tyndarus: *ergo animum advortas volo, quae nuntiare hinc te volo in patriam ad patrem.* Mil. 4, 2, 43. PY. *Iube adire.* PA. *At scin' quid tu facias? Face te fastidii plenum, quasi non lubeat.* — PY. *Memini et praeceptis parebo.* PA. *Voco ergo hanc, quae te quaerit.* Male haec extrema in editionibus signantur interrogationis nota.

Plaut. As. 3, 1, 13. *ergo una pars orationis de die dabitur mihi.*

15. Interdum adhaeret gravior affirmatio.

Plaut. Capt. 5, 4, 23. TY. *Meritus est.* TY. *Ergo edepol meritam mercedem dabo.* i. e. *nun so will ich ihm auch wahrhaftig den verdienten Lohn geben.*

16. *Ergo* verbum esse hominum stomachantium et conquerentium, Broukhusius ad Propert. 3, 5, 1. notavit. Omnes grammatici ei assenserunt. Sed remotis alienis exemplis, pauca restant, in quibus animus dolore affixus est ad rem perpetiendam. Itaque ex sua conditione is, qui dolet aut indignatur, conclusionem facit de re mirabili et magna.

Propert. 2, 8, (7) 11. *munera quanta dedi et qualia carmina feci! Illa tamen numquam ferrea dixit: amo. Ergo tam multos nimium temerarius annos, improba, qui tulerim teque tuamque domum.* Est idem, quod sequitur, *sic igitur.*

Tacit. Ann. 3, 17. *in quam optimi cuiusque secreti questus magis ardescebant: id ergo fas aviae, interfectricem nepotis adspicere, alloqui, eripere senatui.* Nisi est ironia. Curt. 8, 7, 11. *haec ergo sunt Macedonum praemia.*

II. 1. Alia potestas huius vocabuli confirmationem rei verae exhibet. Hoc est germanicum *wirklich.* Atque in sententiis rem universam affirmantibus usurpatur, sed etiam in quacumque dubitatione expellenda. Cf. Priscian. p. 1170.

Plaut. Rud. 2, 3, 71. *ergo animus aequus optimum est aerumnae condimentum.* Amph. 1, 1, 20. *ergo in servitute expetunt*

multa iniqua. Epid. 3, 4, 41. quum senex a servo deceptus, fidicinam sibi emptam esse ratus, hoc nomine eam e domo evocasset, miles, *quin tu fidicinam*, inquit, *produci intus iubes?* Tum senex: *haec ergo est fidicina. Hic alia nulla'st.* Cas. 3, 4, 9. *nempe tute dixeras, tuam arcessituram esse uxorem meam.* ST. *Ergo arcessivisse ait sese.* Cic. de Amic. 18, 47. *ergo hoc proprium est animi bene constituti et laetari bonis rebus et dolere contrariis.* Propert. 3, 7 (5), 1. *ergo sollicitae tu caussa, pecunia, vitae es.*

Liv. 23, 12, 17. *hostium quidem ergo*, *inquit*, *adhuc nimis multum superest, sed multitudo ea quid animorum, quidve spei habeat, scire velim.* 4, 8, 13. *ergo, dum nullum fastiditur genus, in quo eniteret virtus, crevit imperium romanum.*

Cic. Acad. 2, 1, 3. *tantus ergo imperator in omni genere belli fuit, proeliis, oppugnationibus, navalibus pugnis, totiusque belli instrumento et apparatu, ut ille rex post Alexandrum maximus, hunc a se maiorem ducem cognitum quam quemquam eorum, quos legisset, fateretur.* Quem locum Goerenzius ad 1, 5. p. 31. male refert ad genus interruptae orationis. Est enim: Profecto tantus etc.

2. Ita per *ergo* additur affirmatio rei, quae aut negari, aut mira esse videtur. Quod etiam tum fieri potest, quum sententia, ad quam comprobatio referatur, omissa est.

Plaut. Bacch. 4, 1, 39. MN. *Quid? amas Bacchidem?* PI. *Duas ergo hic intus eccas Bacchides.* i. e. *es sind ja zwei B. drinnen.*

3. Affirmatio augescit additis verbis asseverationis: *profecto*, *edepol*, *ecastor*, *hercle*.

Plaut. Most. 1, 3, 18. *ergo hoc ob verbum te, Scapha, donabo ego profecto hodie aliqui.*

Plaut. Merc. 2, 3, 39. *ergo edepol palles.* i. e. *bei Gott, du bist wirklich blafs.* Men. 5, 7, 34. Mil. 2, 1, 63. *ergo mecastor pulcher est, inquit, mihi et liberalis visus.* 2, 4, 27.

4. Affirmatio potest in eum modum intendi, ut res, de qua loquimur, tamquam eximia distinctius designetur, aut ab omni dubitatione remota per se intelligi existimetur: quod Germani dicunt *eben*, *gerade*, *freilich:* sed quoniam in eiusmodi sententiis interponere solebant adversativam *aber*, saepe male explicuerunt latinam particulam, eamque iam olim in libris scribendis saepe in *vero* mutarunt.

Plaut. Stich. 1, 2, 54. AN. *At ego ex te exquiro atque ex istac tua sorore.* PI. *Edepol, pater, scio, ut oportet esse, si sint ita, ut ego aequom censeo.* AN. *Volo scire ergo, ut aequom censes.* i. e. *ich will eben wissen.* Merc. 5, 4, 10. *tibi ergo dicit.* i. e. *dies sagt er eben (vorzüglich) dir.*

Terent. Andr. 5, 2, 8. *quid istic tibi negotist?* D. *Mihin?* S. *Ita.* D. *Mihi?* S. *Tibi ergo.*

Cic. de Sen. 13, 44. *at caret epulis exstructisque mensis et frequentibus poculis. Caret ergo vinolentia et cruditate et insomniis. Sed si aliquid dandum est voluptati — quamquam immoderatis epulis caret senectus, modicis tamen conviviis potest delectari.* Intellige *freilich*, *allerdings.* Quod in quibusdam libris additum *etiam*, id adiecerunt librarii ex suae linguae ratione. Verba *at* — *poculis* sunt interloquentis.

5. Affirmandi vis inservit indignationi et ironiae. Nos dicimus *ja* vel *freilich.*

Plaut. Bacch. 1, 2, 17. LY. *Non hic placet mihi ornatus.* PI. *Nemo ergo tibi hoc apparavit: mihi paratum est, quoi placet.* i. e. *er ist ja nicht für dich gemacht.*

Fortasse quispiam huc referet locum, quem supra p. 449. posui, Tacit. Ann. 3, 17.

6. Ob hanc affirmationis caussam fit etiam, ut *ergo* proprie adiungatur pronominibus, et *ergo ille* dicitur pro *dieser eben.*

Gratii Cyneg. 103. *haud illo quisquam se iustior egit, aut fuit in terris divom observantior alter. Ergo illum primis nemorum dea finxit in annis.* Casp. Barthius bene sensit, non caussae notione haec necti. Nam alii quum interpretantur: ob iustitiam et metum deorum Diana eum ab ipsa pueritia instituit: inconcinnam habent sententiam: nam iustitia et pietas ad omne vitae tempus pertinebat, nec institutioni puerili poterat praecedere.

III. 1. Cum imperativo coniungitur *ergo* non uno modo. Nam is, qui hac particula utitur, aut per consequentiam aliquid fieri iubet (*darum*, *also*), aut procedit ex re praesente ad id, quod faciendum est, quasi finem imponat expositioni (*nun so*), aut ad ipsam rem promotus, eam amplecti et persequi iubet, aut quum impatienter et cum vehementia instat vel cum indignatione urget. Formula est apud comicos *quin tu ergo.*

Plaut. Asin. 2, 2, 60. *placide ergo unumquidque derogita, ut acquiescam.* i. e. quum hoc sit. Men. 2, 3, 72. ER. *Pallam*

illam — ad phrygionem ut deferas, ut recbnecinnetur, atque ut opera addantur, quae volo. ME. *Hercle quin tu recte dicis. Eadem ignorabitur, ne uxor cognoscat te habere, si in via conspexerit.* ER. *Ergo mox auferto tecum, quando abibis.* Cic. Acad. 2, 30, 96. *vide ergo, hanc conclusionem probaturusne sis.* Vbi non video, cur Goerenzius orationem dicat ad verba longe superiora recurrere. Simpliciter nectuntur haec cum proximis: quae quum ita sint, vide.

Plaut. Ps. 2, 2, 56. HA. *Omnem rem tenes.* PS. *Quid ego ni teneam?* HA. *Dato ergo istum symbolum illi.*

Plaut. Mil. 2, 1, 100. *intro abi ergo et si isti est mulier, eam iube cito domum transire.* Cic. Lael. 10, 33. SC. *Recte tu quidem. Quam ob rem audiamus.* LAE. *Audite ergo, optimi viri, ea quae* etc. ubi vid. Beier. Est: *nun so hört.*

Vsitata est formula *sequare ergo.* Plaut. As. 2, 4, 83. Rud. 1, 2, 94. Stich. 5, 2, 20. *nun so komm.*

Plaut. Curc. 1, 2, 24. L. *Quam longe a me abest?* P. *Lumen hoc vide.* L. *Grandiorem gradum ergo fac ad me, obsecro.* i. e. *nun so mach einen großen Schritt zu mir.*

Curc. 1, 3, 26. *tene me, amplectere ergo.* Dixit antea Phaedromus, nihil esse, quod magis cupiat. *Nun so umarme mich.*

Caes. B. Civ. 3, 19. *desinite ergo de compositione loqui: nam nobis, nisi Caesaris capite relato, pax esse nulla potest.* i. e. *Hört nun auf* etc. Conferantur p. 444. ea, in quibus caussa, quam verba priora spectant, postponitur.

Plaut. Cas. 4, 2, 12. ST. *quid hic speculare?* PA. *Nihil equidem speculor.* ST. *Abi. Tu hic cunctas? intus alii festinant.* PA. *Eo.* ST. *Abi hinc sis ergo, pessumarum pessuma.* i. e. cessanti iterum instat: *so geh doch.* Aul. 3, 3, 14. *tace ergo.* i. e. *so schweige doch.* post interpellationem. Epid. 2, 2, 57. *tace ergo, ut audias.* Men. 5, 7, 27. *mittite ergo.* i. e. *so laſst doch los.* Pers. 2, 2, 57. *dic ergo, quid est?* i. e. *so sag mir's doch.*

Plaut. Rud. 3, 2, 14. *quin tu ergo omitte genua.* i. e. *ei so laſs doch das Knieen weg.* Merc. 5, 2, 114. *quin tu ergo i modo.* i. e. *ei so geh doch nur.*

2. In colloquio si quis quaesivit, alter, qui respondet, ut voluntati quaerentis satisfaciat, expositionem suam incipit verbis *ausculta ergo: nun so höre.*

Plaut. Pers. 4, 6, 18. *sed scire velimus, quod tibi nomen siet.* — SA. *Ausculta ergo, ut scias.* Cas. 2, 4, 8. *quod velis modo, id velim me scire.* ST. *Ausculta ergo, loquar.* Alii *ego loquar.*

3. Saepe *ergo* componitur cum verbo *age*, sive *agedum*; de quo vide Tom. 1. p. 204. ubi exempla multa. Hic tantum ordinem verborum, qui non semper unus est, indicabo.

Plaut. Aul. 5, 12. *age ergo loquere.* Curc. 5, 3, 49. Most. 3, 1, 133. *age comminiscere ergo.* As. 2, 4, 81. Rud. 3, 5, 6. *agedum ergo, accede huc modo.* 3, 4, 15.

4. Coniunctivus et futurum eodem modo usurpatur, quem in imperativo iam notavimus.

Plaut. Cas. 3, 6, 17. *intro ergo abeant.* Mil. 5, 27. *ergo des minam auri nobis.* 3, 3, 69. *abeamus ergo intro.* 1, 1, 78. *age eamus intro.* Cic. de Fin. 5, 8, 28. *ergo instituto veterum, quo etiam Stoici utuntur, hinc capiamus exordium.* Brut. 42, 157. *hic Atticus, dixeram, inquit, a principio, de re publica ut sileremus: itaque faciamus. Nam si isto modo volumus singulas res desiderare, non modo querendi, sed ne lugendi quidem finem reperiemus. Pergamus ergo, inquam, ad reliqua et institutum ordinem persequamur.* i. e. quum ita sit. Non recte explicuit hunc locum Ellendtius ad 48, 177.

Plaut. Mil. 2, 5, 66. *ergo, si sapis, mussitabis.*

IV. 1. In interrogatione varius est usus. Nam qui hoc vocabulo adhibito quaerit, aut ex praecedentibus consequutionem colligit *(also)*, aut alia re concessa inde ad aliam pergit, aut rem affirmatione praeoccupat *(doch wol, also doch)*, aut vehementius instat, aut miratur rem, sicuti praesertim in verbis *cur ergo? warum nur?* Et utitur hac particula is, qui ad suam quaestionem redit post interpellationem, et is, qui non acquiescens in responsione data iterum distinctius quaerit, ubi nos dicimus *aber*.

Plaut. Pseud. 4, 1, 10. PS. *Istuc ego iam satis scio.* SI. *Cur ergo, quod scis, me rogas?* Cas. 3, 2, 17. vide n. 5. Cic. de Fin. 2, 35, 117. *ergo in his adolescentibus bonam spem esse dicemus?* Liv. 21, 10, 11. *dedemus ergo Hannibalem? dicet aliquis.*

Plaut. Rud. 5, 3, 56. *quam mox mihi argentum ergo redditur?*

Plaut. Trin. 1, 2, 152. *nunc ego te quaeso, ut me opera et consilio iuves.* — ME. *Polliceor operam.* CA. *Ergo ubi eris paullo post?* ME. *Domi.* Bacch. 4, 8, 59. *ubi nunc Mnesilochus ergo est?* i. e. si verum est, quod contendis, Mnesilochum non esse cum muliere, ubi nunc est?

Plaut. Pers. 1, 1, 17. SA. *Quid agitur.* TO. *Vivitur.* SA. *Satin' ergo ex sententia?* TO. *Si eveniunt quae exopto, satis.*

i. e. doch wol nach Wunsche. Cist. 4, 2, 80. *hiccine tu ergo habitas?* i. e. *du wohnst wol hier?*

Plaut. Pers. 2, 2, 33. s. *Quo agis?* P. *Quo tu?* s. *Dic tu, prior rogavi.* P. *At post scies.* s. *Eo ego hinc haud longe.* P. *Et quidem ego haud longe.* s. *Quo ergo, scelus?* i. e. *wohin denn, Schurke?* Sic Epid. 2, 2, 74. Periphanes impatiens longae expositionis interrumpit orationem Epidici his: *ergo ubi est, Epidice?*

Plaut. Most. 4, 2, 54. *Philolaches hic habitat, — qui, postquam pater ad mercatum abivit hinc, tibicinam liberavit.* TH. *Philolaches ergo?* PH. *Ita.* Trin. 4, 2, 145. s. *Ipsus es?* CH. *Ipsus, inquam, Charmides sum.* s. *Ergo ipsusne es?* CH. *Ipsissumus.*

Plaut. Aul. 4, 10, 14. *quid tibi ergo meam me invito tactio est?* Cic. de Fin. 4, 18, 49. *quis tibi ergo istud dabit praeter Pyrrhonem?* Martial. 6, 20, 1. *mutua te centum sestertia, Phoebe, rogavi, quam mihi dixisses: exigis ergo nihil?*

Plaut. As. 3, 3, 21. *cur ergo minitaris tibi te vitam esse amissurum?* i. e. *warum nur.* Truc. 1, 2, 73. *cur, obsecro, ergo ante ostium pro ignoto alienoque adstas?* Carmen in Maecen. 113. (Anthol. T. 1. p. 276.) *redditur arboribus florens revirentibus aetas. Ergo non homini, quod fuit ante, redit?* Cum admiratione rei quaerit: *und wirklich?*

Plaut. Epid. 1, 1, 19. *sed ubi est is?* TH. *Adveni simul.* EP. *Vbi is ergo est?* Horat. Sat. 2, 3, 156. *quanti emptae? Parvo. Quanti ergo? Octussibus.*

Plaut. Bacch. 4, 2, 5. P. *Quem quaeritis?* PA. *Bacchidem.* P. *Vtram ergo?* PA. *Nihil scio, nisi Bacchidem.* Pseud. 1, 1, 38. *ergo quin legis?* i. e. *nun warum liest du nicht?*

2. *Num ergo* in reiicienda sententia, quam alius quis concepit, usurpatur ita, ut quaeratur, num re vera hoc, quod dixit, censeat (*glaubst du wirklich?*). Non additur particula adversativa, quam aliae linguae interponunt.

Cic. Acad. 2, 23, 74. *furere tibi Empedocles videtur: at mihi dignissimum rebus his — sonum fundere. Num ergo is excaecat nos, aut orbat sensibus, si parum magnam vim censet in his esse ad ea, quae sub eos subiecta sunt, iudicanda?*

3. Indignationi et dolori exprimendo inservit hoc interrogationis genus, in quo miramur, rem ita se habere, uti appareat. Sic Graeci ἆρα cum dolore dicunt. Vid. Hermann. ad Soph. Aiac. 1005.

Propert. 2, 16 (13), 15. *ergo muneribus quivis mercatur amorem?* Coelius ad Cic. 8, 17, 1. *ergo me potius in Hispania fuisse tum, quam Formiis, quum tu profectus es ad Pompeium?* — Curt. 4, 11, 29. *sed finge, iustum intulisse te bellum, cum feminis ergo agere debueras?*

Horat. Carm. 1, 24, 5. *ergo Quintilium perpetuus sopor urget?* Curt. 6, 10, 6. *potuit ergo Dimnus eum praeterire, quem sequebatur?*

4. Formula admodum frequens est apud comicos *quin tu ergo* —, sive *quin ergo*. Ea utitur, qui miratur, aliquam rem non factam esse, vel non fieri.

Plaut. Asin. 1, 1, 15. *quin tu ergo rogas?* i. e. *warum fragst du also nicht?* Merc. 5, 2, 88. *quin tu ergo itiner exsequi meum me sinis?* Asin. 2, 2, 113. *quin tu officium facis ergo, ac fugis?* Mil. 4, 2, 93. *quin ergo abis, quando responsum est?* Vbi cur interrogationem non signaverint, non intelligo: est enim: *warum gehst du nicht, da du Antwort hast?*

Plaut. Merc. 3, 3, 21. *quid stamus? quin ergo imus atque obsonium curamus?*

Perverse igitur scribebatur in Plaut. Bacch. 4, 9, 126. *quin ergo istic, quod perdundum est, properem perdere?* Scribendum erat: *quid ego istic, quod perdundum est, properem perdere?* ut habent codd.

5. Conclusio, quae ex superioribus fit, eam habet saepe speciem, ut non recta videatur esse interrogatio, sed enthymema. Sic in formula *non ergo* oratio inter affirmationem et interrogationem medium tenet. In his utrum signum interrogationis ponas, an punctum, parum refert.

Plaut. Cas. 3, 2, 16. *Non ornatis istic apud vos nuptias?* CL. *Orno et paro.* AL. *Non ergo opu'st adiutrice.* Cic. de Leg. 1, 5, 17. *non ergo a praetoris edicto —, sed penitus ex intima philosophia hauriendam iuris disciplinam putas.*

Propert. 1, 1, 15. *ergo velocem potuit domuisse puellam: tantum in amore preces et benefacta valent.* 3, 6, 1. *ergo sollicitae tu caussa, pecunia, vitae es.*

6. Singularem structuram habere videtur locus Cicer. Acad. 2, 20, 65. ita in scriptis libris plurimis conformatus: *nam si in minimis rebus pertinacia reprehenditur, calumnia etiam coercetur, ergo de omni statu consilioque totius vitae aut certare cum aliis pugnaciter, aut frustrari quum alios, tum etiam me*

ipsum velim? Haec bene se habere affirmaturus, Goerenzius aptum exemplum desiderat: nam quae ipse affert, alieni sunt generis. Sed Martialis eodem modo 6, 10, 10. *si negat hoc vultu, quo solet ergo dare?* Est igitur *ergo* in apodosi positum, commutata orationis forma. Et confer quae supra I, 11. diximus.

7. Notandus praeterea est usus in obliqua interrogatione, quae non respuit particulam rectae aptam.

Liv. 2, 28, 5. *correpti consules quum, quid ergo se facere vellent — percunctarentur, decernunt, ut delectum quam acerrimum habeant.*

8. Quod in quibusdam libris veterum scriptorum legitur *ergone*, non videtur ex antiquo usu sumptum, sed recentissimo tempore natum.

In Cic. Epist. ad Fam. 8, 14. quidam codd. praebent *ergone potius in Hispania fuisset.* quod inepte comprobavit Bernardinus Rutilius. Carmen de Aeneide, quod Augusto Caesari adscribitur in Vita Virgilii, sed scholastici est (Anthol. 2, 184.): *ergone supremis potuit vox improba verbis tam dirum mandare nefas?* Vid. Broukhus. ad Propert. 3, 5, 1.

9. Verbis *quid ergo* instituitur interrogatio ex antecedentibus. Atque ea vel cum reliqua interrogatione coeunt, vel per se constant, sive sequatur nova quaestio, sive non. Sed varius est usus. Ita enim et is loquitur, qui ex praecedentibus aliquid colligit: *quae quum ita sint: warum also?* et is, qui distinctiorem rationem requirit eorum, quae ante dicta sunt: *quid his verbis tibi vis? wie so dies?* et is, qui de consequentia quaerit: *was nun?* et is, qui miratur rem, quae dicta erat antea, in consequentia haud probabilem: *quid hoc est? wie so?* et is, qui cum indignatione respondet, rem fieri de consequentia: *warum auch?* In plurimis his comparari potest graecum τί οὖν. Oratores utuntur formulis *quid ergo? quid ergo est?* ut animum attendant ad id, quod ex aliqua re colligi poterit, et quod vel ex aliena quaestione sibi opponunt atque obiectionem occupant (*wie also?*), vel prioribus tamquam proxima et consequentia connectunt (*und nun?*), vel ut remotis iis, quae ante dixerunt, propius ad rem accedant: saepe etiam, ut conclusionem ipsi conficiant, et ut transitum sibi parent ad uberiorem expositionem, in quibus saepe oratorie idem exprimitur, quod simplex *ergo* alibi significat.

Sequitur vero interrogatio, cui illa verba praeludunt, vel affirmativa vel negativa, quam plerumque excipit responsio verbis *minime, immo vero.*

Plaut. Mil. 4, 2, 17. *quid ergo hanc dubitas colloqui?* i. e. *warum also?* Cic. de Fin. 4, 14, 36. *quid ergo dubitamus in tota eius natura quaerere, quid sit effectum?* Tibull. 3, 6, 49. *periuria ridet amantum Iupiter et ventos irrita ferre iubet. Ergo quid toties fallacis verba puellae conqueror?* Terent. Ph. 5, 8, 55. *quid vos, malum, ergo me sic ludificamini, inepti vestra pueri sententia?*

Plaut. Cas. 3, 5, 28. PA. *Imitatur malorum malam disciplinam, viro suo quae interminatur vitam?* ST. *Quid ergo?* Cic. Brut. 26, 99. *quid ergo? estne ista Fannii? nam varia opinio pueris nobis erat.* i. e. *quomodo ita loqueris?* in Verr. 3, 28, 69.

Varro de L. L. 8, 23. *quid ergo, quum omnes animae hominum sint divisae in octonas parteis, eae inter se non proportione similes?* Cic. de Fin. 2, 3, 6. *atqui, inquam, aut Epicurus, quid sit voluptas, aut omnes mortales, qui ubique sunt, nesciunt. Quonam, inquit, modo? Quia voluptatem hanc sentiunt omnes, quam sensus accipiens movetur, et iucunditate quadam perfunditur. Quid ergo istam voluptatem, inquit, Epicurus ignorat?* i. e. quomodo hinc sequitur, quomodo his concludis, Epicurum ignorare istam voluptatem. Male aut post *ergo* interponunt signum interrogationis (nam haec omnia una enuntiatione cohaerent), aut post *quid:* de qua re paullo post dicam.

Cic. Tusc. 3, 18, 39. *quid ergo? huiusne vitae propositio et cogitatio aut Thyestem levare poterit, aut Aeetam?* ubi vid. Kühner. Est *wie so dies?* de Off. 3, 19, 76. vide infra. Locus Epist. ad Att. 5, 20. ita emendandus esse videtur: *qui — isti Pindenissae? qui sunt? inquies: nomen audivi numquam. Quid ergo? Num potui Ciliciam Aetoliam aut Macedoniam reddere?*

Plaut. Cas. 1, 1, 18. PH. *Deridesne me?* PA. *Quid tu ergo insane rogitas, valeatne ostium.* i. e. *warum fragst du auch so albern?*

Oratorium usum confirmant haec: Cic. de Off. 3, 18, 73. *quid ergo? satin' hoc est, ut non deliquisse videantur? Mihi quidem non videtur.* p. Rosc. Am. 1, 2. *quid ergo? audacissimus ego ex omnibus? minime.* p. Caec. 20, 56. *quid ergo? isti homines latine non loquuntur? Immo vero tantum loquuntur, quantum est satis ad intelligendam voluntatem.* in Verr. 4, 46, 102. p. Sext. 18, 40. de Off. 3, 19, 76. *at vero, si qui voluerit animi sui complicatam notionem evolvere, iam se ipse doceat, eum virum bonum esse, qui prosit, quibus possit, noceat nemini, nisi lacces-*

situs iniuria? Quid ergo? hic non noceat, qui quodam quasi veneno perficiat, ut veros heredes moveat, in eorum locum ipse succedat? Acad. 2, 29, 92. *quid ergo? istius vitii num nostra culpa est? Rerum natura nullam nobis dedit cognitionem finium, ut ulla in re statuere possimus quatenus.*

Cic. in Verr. 3, 36, 86. *quid ergo? a Tissensibus — nonne plus lucri nomine eripitur quam quantum frumenti omnino exararant?* i. e. *und nun?* de Leg. 1, 19, 51. *quid ergo?* eos, *qui singulis vitiis excellunt, aut etiam pluribus, propter damna aut detrimenta aut cruciatus aliquos miseros esse dicimus, an propter vim turpitudinemque vitiorum?*

Cic. p. Mur. 23, 47. *poena gravior in plebem tua voce efflagitata est. — Morbi excusationi poena addita est: voluntas offensa multorum —. Quid ergo? haec quis tulit? Is qui auctoritati senatus, voluntati tuae paruit.* i. e. *wie nun?* Sed habet hic locus hanc proprietatem, ut, quum post verba *haec quis tulit?* exspectemus *nemo*, addatur affirmatio *is qui — paruit.*

Cic. pro Caec. 17, 50. *deiectus vero qui potest esse quisquam nisi in inferiorem locum de superiore motus? Potest pulsus, fugatus, eiectus denique: illud vero nullo modo potest, deiectus esse quisquam, non modo qui tactus non sit, sed ne aequo quidem et plano loco. Quid ergo? hoc interdictum putamus eorum esse caussa compositum, qui se praecipitatos ex locis superioribus dicerent? Eos enim vere possumus dicere esse deiectos.* i. q. ergo hoc interdictum putamus etc.

Quod Goerenzius ad Cic. de Fin. p. 644. ait, post formulam hanc semper sequi indicativum, non coniunctivum, nec ab ratione, quae etiam in interrogatione non obliqua coniunctivum admittit, nec ab usu confirmatur. Vide de Off. 3, 19, 76.

Cic. p. Quint. 2, 5. *non eo dico, C. Aquilli, quo mihi veniat in dubium tua fides et constantia, aut quo non in his, quos tibi advocasti, viris electissimis civitatis, spem summam habere P. Quintius debeat. Quid ergo est? Primum magnitudo periculi* etc. Vatin. ad Cic. Epist. 5, 10. *si mehercules Appii os haberem, in cuius locum suffectus sum, tamen hoc sustinere non possem. Quid ergo est? Faciam omnia sedulo, quae te sciam velle.*

Sed novam regulam, a Wolfio, ut videtur, acceptam, proposuit Goerenzius ad Cic. de Fin. 2, 3, 6. in ipsa, ut ait, linguae natura fixam et fundatam: in verbis *quid ergo*, nisi interrogationis particulae *num*, *ne*, *an*, *non* sequantur, *quid?* per se stare, et *ergo* ab interrogatione altera attrahi: quare scribendum esse: *quid? ergo istam*

voluptatem, inquit, Epicurus ignorat. At quomodo in his divellantur verba, quae ubique cohaerent, non potest intelligi, nec cur id non fiat in interrogatione, quae particulas *ne, an* habeat, in alia interrogatione recte fiat. Et quid censeamus de Plauti verbis supra allatis: *quid tibi ergo meam me invito tactio est?* et *quid tu ergo insane rogitas?* Sed ipsa verborum structura et vocabulum *inquit*, monstrant, omnia contineri una enuntiatione, et scribi debere: *quid ergo istam voluptatem, inquit, Epicurus ignorat?* Sic etiam Acad. 1, 4, 13. *quid ergo, inquam, Antiocho id magis licuerit, nostro familiari, remigrare in domum veterem e nova, quam nobis in novam e vetere?* i. e. *inwiefern sollte also wirklich dem Antiochus mehr frei stehen?* Sed ipse Goerenzius veram rationem perspexit in loco de Fin. 5, 29, 89. ita constituto: *quid ergo aliter homines, aliter philosophos loqui putes oportere, quanti quidque sit?* Quod mirari non decuit Orellium. Sic etiam Graeci. Plato Sympos. p. 202. D. *τί οὖν ἄν, ἔφην, εἴη ὁ Ἔρως θνητός; Ἥκιστά γε.* i. e. quid ergo putes Amorem esse mortalem? Minime. Quamquam aliter vulgo interpungitur. Cic. Tusc. 3, 20, 46. *quid ergo tu Epicurum existimas ista voluisse, aut libidinosas eius fuisse sententias? Ego vero minime.* p. Rabir. Posth. 3, 6. *corruptores nostri caussam dicunt, nos, qui corrupti sumus, non dicimus. Quid ergo senatum defendam hoc loco, iudices? Omni equidem loco debeo: ita de me est meritus ille ordo.* Si interpunxeris: *quid ergo?* sententiam exhibebis hanc: quid ergo faciendum? senatumne defendam hoc loco? Sin vero ita, ut scripsi modo, hic erit sensus: *Soll ich wol nun den Senat hier vertheidigen?* in Verr. 4, 46, 102. *quid ergo hoc solum auditione expetere coepit, quum id ipse non vidisset?* ad Att. 14, 14. *quid ergo ista culpa Brutorum?* p. Caec. 14, 39. Goerenzius igitur rem veram bene observavit, non tamen satis expedivit. Nam haec forma nullum locum habet, ubi ista verba interrogationi per eas, quas ille dixit, particulas expressae praeludunt. Omissa particula coeunt partes in unam enuntiationem. Attamen non semper. Nam verba *quid ergo?* etiam ibi per se stare possunt, ubi pergit oratio recta declaratione, quae exit in interrogationem. Sic Cic. Tusc. 2, 14, 34. *quid ergo? hoc pueri possunt, viri non poterunt?* in quibus tantum verba *viri non poterunt?* in interrogatione po-

sita sunt. Sensus enim est: quid ergo hinc colligitur? Hoc pueri possunt: an vero viri non poterunt? Itemque ubi singularis vis inest: *quid ergo est? quid ergo faciendum?* maxime in occupanda obiectione. Sic Cic. p. Rosc. Am. 1, 2. *quid ergo? audacissimus ego ex omnibus? Minime.* ubi Schützius male interpunxit post *quid?* p. Caec. 17, 50.

V. 1. Duplicem videmus esse vim particulae in iis, quae argumentationem ad aliud, quod cum ante dictis cohaereat, promovent, atque haec nova, quae adduntur, necessario nexu inter se coniungi, ostendunt. Particula enim praeposita et consequutionem totius argumentationis et simul necessitatem rerum consequentium indicat.

Cic. de Leg. 2, 5, 11. *ergo ut illa divina mens summa lex est, item quum in homine est, perfecta est in mente sapientis.* In his ex superioribus procedit argumentatio, et continentur duae sententiae aequali veritatis vinculo, atque affirmatur, ut divina mens sit summa lex, eodem modo eam in homine esse perfectam mentem sapientis. Hic enim est sensus verborum, neque assentior Madvigio, qui post *perfecta* interpungi iubet.

2. Huius generis est interrogationis ea forma, qua ex superioribus colligitur argumentatio de duabus rebus aequalibus, vel quae aeque possint esse, quarum si altera esse concedatur, quaeritur, cur non idem aequo vel maiore adeo iure alteri tribuatur. Vid. Tom. 1. p. 349. Comparantur duae res aequales vel similes, quasi absurdum sit, nisi id, quod in altera locum habet et agnoscitur, etiam in altera locum habeat et agnoscatur. Logici appellant argumentationem a minore ad maius, et, ut alii malunt, a maiore ad minus: utrumque vere, quum accedere possit, quod magis miremur, alteram rem satis iam constare. Quod tamen non semper fit, sicuti existimat Beierus ad Cic. de Off. 1, 31. p. 245. *Ergo* et deducit argumentationem ex antecedentibus, et nectit veritatem utriusque, quae exponitur, rei affirmatione: *also — wirklich.* Quare semper ab initio enuntiationis ponitur.

Cic. Tusc. 2, 17, 39. *ergo haec veteranus miles facere poterit, doctus vir sapiensque non poterit?* 2, 17, 41. 1, 14, 31. *ergo arbores seret diligens agricola, quarum adspiciet bacam ipse numquam, vir magnus leges, instituta, rem publicam non seret?* Ita codd. non *serit.* de Fin. 2, 33, 110. *ergo in bestiis erunt*

secreta a voluptate humanarum quaedam simulacra virtutum, in ipsis hominibus virtus, nisi voluptatis caussa, nulla erit? Tusc. 3, 15, 31. de Off. 1, 31, 114.

Cic. p. Arch. 9, 19. *ergo illi alienum, quia poeta fuit, post mortem etiam expetunt, nos hunc vivum, qui et voluntate et legibus noster est, repudiabimus?* 9, 22. *ergo illum, qui haec fecerat, rudinum hominem maiores nostri in civitatem receperunt: nos hunc heracleensem — de nostra civitate eiiciemus?* de Fin. 2, 4, 13. *ergo illi intelligunt, quid Epicurus dicat, ego non intelligo?* p. Arch. 8, 17. *ergo ille corporis motu tantum amorem sibi conciliarat a nobis omnibus, nos animorum incredibiles motus celeritatemque ingeniorum negligemus?* Orat. 51, 171.

Goerenzius ad Cic. de Fin. 2, 33, 110. nescio an in universum, contendit, in hac orationis forma requiri futurum in utroque membro. Cui sententiae et deest ratio, et obstant exempla modo allata et alia Tusc. 2, 14, 24. Orat. 41, 142. p. Planc. 20, 49. Et reiecit eam Beierus l. l. Illud vero erat animadvertendum, ubi diversae formae componuntur, et praesens vel praeteritum praecedit, primam partem extra interrogationem esse positam. Quo modo partes ex aequo compositae ad logicam formam revocari possint, et Madvigius in Emendat. p. 89. et ego Tom. 1. p. 349. demonstravi. Sed caussalis particula, quae substitui potest, ipsam expressam habemus apud Cic. Tusc. 3, 15, 31. *ergo hoc Terentius a philosophia sumptum quum tam commode dixerit, nos, e quorum fontibus id haustum est, non et dicemus hoc melius et constantius sentiemus.* Sic Varro de Ling. lat. 8 (9), 23. *quid ergo, quum omnes animae hominum sint divisae in octonas parteis, eae inter se non proportione similes?*

Wolfius in prima editione Tuscul. cum Davisio eiecit *quum*, quod abesse dicunt ab uno alterove codice: in secunda rursus recepit. Orellius vero quum vidisset illud *dixerit* a Wolfio pro *dixit* acceptum, monet esse futurum exactum. At comparari possunt Acad. 1, 4, 13. *ergo Antiocho id magis licuerit remigrare in domum veterem e nova, quam nobis in novam e vetere?*

VI. 1. In his, quae exposuimus, aut res intelligitur, qua aliquid efficiatur, aut quae ex superioribus pendeat conclusione quadam. Sed sunt alia, quae magis ad conformationem orationis pertinent. Atque primum si quis dixit se velle de aliqua re exponere, ipsam ex-

plicationem incipit verbo *ergo* inserto, et ita orationem nectit ex voluntate sua. Sic ponitur particula in initio expositionis.

Varro de Re r. 2, 4, 3. *nec tamen defugio, quin dicam, quae scio de suillo pecore.* Tum interpositis aliquibus sententiis expositionem incipit his: *ergo qui suum gregem vult habere idoneum, eligere oportet — bona aetate.* i. e. haec quum ita sint, et mihi de hac re sit dicendum. Cic. Acad. 1, 5, 18. *tum Atticus, tu vero, inquit, perge, Varro: valde enim amo nostra atque nostros. — Pergamus igitur, inquit, quoniam placet. Fuit ergo iam accepta a Platone philosophandi ratio triplex.* Columell. 11, 2, 15. *sed iam potius, quo quidque tempore terrae mandari plerumque conveniat, per menses digeramus. Ergo post calendas ianuarias* etc.

2. Tum ubi oratio sive alterius verbis, sive ipsius, qui loquitur, interrupta est, annectitur ea superioribus per particulam, quae vi demonstrativa sibi innata ad ea, quae remissa sunt, revocat, et distractam telam contexit. Ita etiam *igitur*. Cf. Goerenz. ad Cic. Acad. 1, 5, 19. qui aliena exempla contulit.

Cic. Orat. Part. 13, 45. c. p. *Argumentationem quaerere videris, quae est argumenti explicatio, quae sumpta ex iis locis, qui sunt expositi, conficienda et distinguenda dilucide est.* c. f. *Plane istuc ipsum desidero.* c. p. *Est ergo, ut supra dictum est, explicatio argumenti.* Philip. 12, 9, 22. *tres viae sunt ad Mutinam, quo festinat animus, ut* etc. —. *Tres ergo, ut dixi, viae.*

Cic. de Orat. 1, 57, 241. *attamen quae caussae sunt eiusmodi, ut de earum iure dubium esse non possit, omnino in iudicium vocari non solent. Num quis eo testamento* etc. — *Ergo in hoc genere iuris iudicia nulla sunt.* Top. 19, 72. *sed quoniam ita a principio divisimus, ut alios locos diceremus in eo ipso, de quo ambigitur, haerere, de quibus satis est dictum, alios assumi extrinsecus: de his pauca dicamus: etsi ea nihil ad vestras disputationes pertinent. — Neque enim tu is es, quem nihil nisi ius civile delectet* — etc. *Haec ergo argumentatio, quae dicitur artis expers, in testimonio posita est.*

Alia exempla vide apud Cic. de Off. 1, 3, 11. et cf. Gesner. ad Chrestom. Plin. p. 535.

3. Haec eadem ratio est, quando post parenthesin oratio interrupta subnectitur, eodem, quod ante dictum est, vocabulo iterum posito. Quemadmodum alibi *inquam* dicitur, et *igitur*. Cf. Cort. ad Cic. Epist. 15, 10, 1. Goerenz. ad Cic. Acad. 2, 41. p. 229.

Cic. ad Fam. 15, 10, 1. *quoniam id accidit; quod maxime mihi fuit optatum, ut omnium Marcellorum, Marcellinorum etiam (mirificus enim nominis ac generis vestri fuit erga me semper animus) quoniam ergo ita accidit, ut omnium vestrum studio tuus consulatus satisfacere posset, — peto a te, id quod facillimum factu sit, — ut quam honoroficentissimum senatus consultum litteris meis recitatis faciendum cures.* Tusc. 1, 7, 14. *omne pronuntiatum (sic enim mihi in praesentia occurrit, ut appellarem ἀξίωμα: utar post alio, si invenero melius) id ergo est pronuntiatum, quod est verum aut falsum.* In quibus variat orationis forma. vid. Kühner.

4. Interdum *ergo* post parenthesin excipit orationem ita interruptam, ut nova instituatur forma, atque anacoluthon exsistat. Cf. Goerenz. ad Cic. de Fin. 2, 34, 113.

Cic. de Fin. 2, 34, 113. *nec id ex animi solum partibus, in quibus inest memoria rerum innumerabilium (inde quidem infinita inest coniectura consequentium — mortisque contemptio) ergo haec in animis.* Tusc. 1, 7, 14. vd. paullo ante.

5. Peculiaris est orationis forma, qua, interpositis quae rem illustrant et confirmant exemplis, oratio pergit, per conclusionem ex his rebus factam ad superiora rediens.

Cic. Tusc. 1, 2, 4. *summam eruditionem Graeci sitam censebant in nervorum vocumque cantibus. Igitur et Epaminondas, princeps meo iudicio Graeciae, fidibus praeclare cecinisse dicitur: Themistoclesque aliquot ante annis, quum in epulis recusaret lyram, est habitus indoctior. Ergo in Graecis musici floruerunt, discebantque id omnes, nec qui nesciebat, satis excultus doctrina putabatur.* Hic *ergo* non est *hanc ob caussam*, ut ceperunt Goerenz. ad Cic. de Fin. p. 173. et Kühner.

6. Sed sunt etiam, in quibus nihil praecedit, quo referatur nectenda oratio, sed *ergo* simplicitur ponitur in initio expositionis.

Virgil. Aen. 10, 109. *accipite ergo animis atque haec mea figite dicta.*

Ciris, Virgilio adscriptum carmen, 29. episodium habet de peplo Minervae, quod incipit: *ergo palladiae texuntur in ordine pugnae* etc.

7. Poetae in narrandis rebus verbo *ergo* exprimunt progressum aut eventum, qui ex antecedentibus vel ex caussa antea dicta pendet. Est *so nun.*

Virgil. Aen. 6, 382. *his dictis curae emotae pulsusque parumper corde dolor tristi: gaudet cognomine terra. Ergo iter inceptum peragunt.* i. e. haec erat caussa, ut —. Sil. Ital. 4, 718. *ergo agitur raptis praeceps exercitus armis.* 4, 778.

8. Guil. Canterus quum in Nov. Lect. 4, 26. demonstravisset, *ergo* pro *deinde* poni, admodum multi ei assenserunt: Taubmann. ad Plaut. Most. 2, 1, 33. Cerda ad Virgil. Aen. 6, 382. Broukhusius, Burmannus ad Propert. 3, 2, 29. alii. Quo sensu Scaliger in Catalectis p. 271. ceperit, non satis liquet. At in argumentis, quibus Canterus et reliqui suam opinionem comprobare studuerunt, nullum erat, quod non per se corrueret. Nam quod Festus ait, *igitur* pro *inde* et *postea* dici, id si verum esset, tamen non ad vocabulum *ergo* pertineret, quod caussalem significationem numquam omnino exuit. Tum vero quod Cicero graecum *εἶτα* plerumque per *ergo* vertisse dicitur, factum est hoc in iis locis, in quibus *εἶτα* consequutionem aliquam designabat. Denique omnia, quae afferuntur, exempla non recte exposita sunt aut corruptione laborant.

De Virgil. Aen. 6, 382. modo diximus. De loco Eclog. 5, 56. vid. p. 443. de Plaut. Cas. 3, 4, 9. p. 450. de Bacch. 1, 2, 17. p. 451. de loco carm. in Maecen. p. 454. Sed Propert. 3, 3, (2,) 27. *hic erat affixis viridis spelunca lapillis pendebantque cavis tympana pumicibus. Ergo Musarum et Sileni patris imago fictilis, et calami, Pan Tegeaee, tui.* Vbi qui accipiunt pro *deinde* vel *tum*, iure castigantur a Lachmanno. Is vero cum Gifanio (in Ind. Lucret. s. v. *igitur*) particulae tribuit vim, qua incipiat rei expositionem uberiorem. Iacobus, *ergo*, inquit, transitum parat ad rem gravem in enumeratione.' Sed neque expositio est uberior rei ante iam dictae, sed in descriptione speluncae media pars, nec gravis cernitur res in hac enumeratione, neque ita umquam Latini loquuti sunt. Nihil certius puto quam in hoc loco corruptionem. Et narrat Canterus quidem, L. Carrionem in libro quodam legisse *illic*: Ferrarius idem invenit in suo. Ceterum mirabilis est Burmanni aliorumque inconsiderantia, qua se non intelligere fatentur, cur Broukhusius locutiones has, *pendere antra*, *pendentia tecta* illustraverit, ipsique *tympana* interpretantur de instrumentis musicis. Scilicet poeta dixit tympana in fastigio speluncae ex pumicibus facta, cf. Vitruv. 3, 5, 13. et sententiam similem expressit, quam qui inest in verbis Ovidii Met. 3, 159. *pumice vivo duxerat arcum.* Fast. 2, 315. *laqueata pumice vivo.* Apud Horat. Sat. 2, 6, 70. *ergo sermo oritur non*

de villis domibusve alienis. hoc sensu procedit oratio: quae coenae quum sint humanitatis et moderationis plenae et omnino meliores, sermo oritur inter convivas non vulgaris, sed ingeniosus.

VII. 1. *Ergo igitur* et comici antiqui et recentissimi scriptores coniungere solebant. *Itaque ergo* Terentius et Livius et alii dixere. Quod ipse Cicero p. Rosc. Am. 39. dixit *ergo idcirco*, apertum est non posse ad pleonasmum referri, sed *idcirco* cohaerere cum *quod*.

Plaut. Trin. 3, 3, 27. *quo pacto ergo igitur?* Apulei. Met. 1. p. 104, 25. *ergo igitur inefficaci celeritate fatigatus — ad balneas processeram.* Et sic saepe. vid. Oudend. p. 27. 158. 237. 473. 483. Pricae. p. 652. Misc. Obs. T. 2. p. 306. Sciopp. Susp. Lect. 5, 13.

Terent. Eun. 2, 3, 26. *itaque ergo amantur.* Liv. 1, 25, 2. *itaque ergo erecti suspensique in minime gratum spectaculum animo intenduntur.* ubi Drakenb. 3, 31, 5. ubi Gronov. 39, 25, 11. cf. Barthii Advers. 32, 15. Perizon. ad Sanctii Min. 2. p. 431.

Cic. p. Rosc. Am. 39, 112. *ergo idcirco turpis haec culpa est, quod duas res sanctissimas violat, amicitiam et fidem.*

2. Plautus composuisse videtur vocabula *hem ergo* quatuor in locis, Amph. 1, 1, 151. Asin. 2, 3, 69. 2, 4, 25. Poen. 3, 4, 16: at non cohaerent, sed sunt secludenda etiam interpunctione. Vid. HEM.

3. Non pauci sunt loci, in quibus composita reperiuntur verba *ergo iam, nunc iam ergo.* Illud est *also nun*, hoc, sicut *nunc ergo*, non habet proprietatem in ipsa compositione.

Plaut. Stich. 2, 1, 20. *ergo iam revortar.* Men. 2, 2, 51. *iam ergo haec madebunt faxo.*

Plaut. Amph. 1, 1, 151. *nunc iam ergo: sic colo.* Men. 5, 9, 93. *ergo nunc iam vis conclamari auctionem fore?*

Plaut. Pers. 2, 2, 9. *quo ergo is nunc?* 1, 1, 35. Most. 5, 2, 70. *aliud ergo nunc tibi respondeo.* Propert. 3, 21, 17.

4. *Et ergo* nusquam reperiri tradunt Grammatici, sicuti non dicatur *et igitur.* Potest tamen dici interposito aliquo nomine, quod superioribus coniungitur. *Neque ergo* dixit Plaut. Pseud. 5, 2, 32. *hercle me isti haud solent vocare, neque ergo ego istos.* i. e. *und daher auch ich nicht sie.*

Cic. Tusc. 5, 16, 47. *affectus autem animi in bono viro laudabilis: et vita igitur laudabilis boni viri: et honesta ergo, quoniam laudabilis.* ubi Lambinus et Manutius secundum *et* deleverunt: id vero non respondet alteri ante v. *vita* posito, ut existimat Orellius.

5. Quod ad mensuram verbi attinet, Festus docet *ergo*, quod sit *οὖν*, correptam habere ultimam, sed productam ubi sit pro *caussa* vid. p. 442. Sed Mar. Victorinus p. 2472. *ergo coniunctio pro longa habet ultimam litteram o, ut est illud, ergo iussa parat,* Broukhusius ad Propert. p. 276. „vix usquam reperies apud castos illos veteres alteram in *ergo* correptam; quod et nitidissimum Secundum fefellit. Est tamen fatendum, in hoc errore non sine venia peccari, et praeivisse posteris omnes eos, qui post Augusti aetatem scripserunt.“ Vossius de Arte gram. 2, 17. non errare potuisse existimat Verrium Flaccum: quare non absurdum esse discrimen a Festo notatum, sed coniunctionem habuisse sesquitempus. Pincierus Parerg. 2, 28. Festi distinctionem ieiunam et ridiculam appellabat. Locos, quos alii ex Ovidio afferunt Her. 5, 59. Trist. 1, 1, 87. corruptione laborantes, iam esse emendatos, monstravit Burmannus ad Lotich. 1, 2, 32. et ad Anthol. T. 1. p. 19. et locos, in quibus syllaba corripitur, nominavit hos: Valer. Fl. 2, 407. 8, 337—439. Adde Lucan. 9, 256. et Claudian. Epist. 4, 17. Cf. Santen. ad Mureti Carm. T. 4. p. 31. Huschkius ad Tibull. 3, 2, 9. p. 440. Accuratius haec tractavit Lennepius ad Ovid. Her. 5, 59. Nam recte observavit, Ovidium clausisse quasi agmen poetarum saeculi Augusti, et cum reliquis *ergo* bis terve corripuisse videri. De usu Terentiani Mauri dixit Santenius ad v. 2276. In versu Ennii apud Cic. de Senect. 4, 10. et de Off. 1, 24. nunc repositum legitur *ergo postque magisque.* cf. Santen. ad Catulli Eleg. 48. Huschkius ad Tibull. 1, 1, 19.

6. De loco, quem particula obtineat, omnes grammatici nunc docent, eam ab initio enuntiationis semper poni, nisi unum aliquod verbum insit in sententia, quod maius momentum habeat. Cf. Hoffmann. in Iahnii Annal. 7, 3. p. 269. Priscianus p. 1210. *igitur et ergo tam praeponuntur quam supponuntur.* Quam sedem sibi vindicet significatio caussalis, diximus p. 442. Et in reliquis animadvertendum, particula utrum ad totam

sententiam, an ad singulare quoddam nomen pertineat, cui adiungitur.

Saepe in media sententia locum habet. vd. Plaut. Curc. 1, 2, 25. Bacch. 2, 3, 112. Sed quod in fine sententiae olim legebatur Rud. 3, 2, 27. bene coniunxit Reizius cum verbis proximis et Mil. 4, 2, 52. Lindemannus auctoritate codicum mutavit in *credo*. Tamen Asin. 2, 3, 113. *quin tu officium facis ergo ac fugis?* Pers. 1, 1, 35. *quid nunc vis ergo?*

*) Commutantur in libris saepe per compendii similitudinem *ergo* et *ego*. vd. Drakenb. ad Liv. 37, 53, 11. Goerenz. ad Cic. de Fin. 2, 8, 24. Beier. ad Cic. de Off. T. 2. p. 123. Giesius ad Cic. de Divin. 1, 23, 46. Klein. ad Lambini Tull. Emend. p. 496. et *igitur*. vd. Drakenb. ad Liv. 21, 40, 6. Goerenz. l. l. p. 464. et 159. Beier. ad Cic. de Off. 3, 20. p. 337.

ET.

Originem particulae ET alii in litteris verbi graeci *τέ* transpositis quaesiverunt, alii in *ἔτι* conspicuam esse existimarunt. Vid. Vossii Etymol. s. h. v. Lennep. Etymol. Gr. 1. p. 297. At cognatio horum vocabulorum non ad unam stirpem graecam referenda est, sed cernitur ea in universa copularum conformatione, quae multis vel omnibus gentibus communis est. Sic veteres Gothi dixerunt *it*, Graeci *τέ*, quod factum est *que*, et rursus *καί*, atque *et*, veluti litterae locum mutant in *ἐμός* et *meus*. Haec igitur magis comparari possunt, quam deduci.

Notiones et sententiae aut coniunguntur simpliciter, aut adiunguntur accessione, aut iniunguntur aequatione. Idque Latini propriis verbis distinguunt. Nam *atque* res componit ex aequo, *que* autem adiungit id, quod alienum aut externum videri possit, et quod accedit. *Et* vero coniungit simplici et externo nexu notiones uni rationi submittendas, et ita saepe cohaerentes, ut unam notionem efficiant. Sed quum haec particula simplicem copulationem exhibeat, nihil impedit, quo minus etiam ea omnia complectatur, quae aliis istis vocabulis proprie designentur. Sic fit, ut *et* pro *atque* ponatur, sicuti *καί* pro *τέ*, ubi, quae singulari ratione cohaerere possunt, simpliciter coniunguntur, atque ista ratio, per *atque* significanda, aliis verbis vel ordine verborum exprimitur.

Quamquam sunt, in quibus propter hanc simplicem partium consociationem necessario ponatur *et*, non *atque*, nec *que*. Sic Varro quum de Ling. lat. 8, 1. ait: *quod est homo ex corpore et anima*, dicere aliter non potuit. Et facile intelligitur, quomodo differant verba Ciceronis Orat. 17, 55. *corporis quaedam eloquentia, quum constet e voce atque motu.* si integra est scriptura: nam editio prima exhibet *et voce et motu.* Sed, ut iam de particula *atque* demonstravi, accedunt interdum aliae caussae, quibus haec vocabula vel ob varietatem vel ob elegantiam dictionis commutentur: qua licentia apud bonos quidem scriptores non depravatur usus ipsorum vocabulorum. Nam in iis, quae Tacitus Agr. 4. dixit: *scilicet sublime et erectum ingenium pulchritudinem ac speciem excelsae magnaeque gloriae vehementius quam caute appetebat.* una particula *et* ter poni poterat, sed mutato sensu et colore.

Cum his conferri possunt, quae apud Orellium ad Cic. Tusc. p. 329. Becherus commentatus est. Zumptius Gramm. n. 331. docet, *et* coniungere ea, quae antea non coniuncta per se constiterint: Ramshornius tantum aequalia dicit hoc modo coniungi, Aug. Grotefendus n. 228. ea, quae sint eiusdem momenti. Quae omnia proprietatem particulae non recte constituunt.

Scriptores recentiores, in distinguendis vocabulis negligentiores, ab antiqua consuetudine saepe discesserunt. Curt. 4, 16, 32. *Perdiccas ac Coenus et Menidas sagittis prope occisi.* et sic saepe. cf. 5, 4, 19. 8, 13, 25.

Cic. de Orat. 1, 3, 10. *quis ignorat, ii, qui mathematici vocantur, quanta in obscuritate rerum et quam recondita in arte et multiplici subtilique versentur?* In his verba *multiplici subtilique* arctius copulantur quam antecedentia. in Cat. 2, 5, 9. *stuprorum et scelerum exercitatione assuefactus frigore et fame et siti ac vigiliis perferendis.* Verum est, quod in codd. legitur, *et vigiliis.*

Coniunguntur per *et* notiones atque sententiae et aequales et contrariae, si quae ratio intercedit inter eas vel externa vel interna, simplici copulatione comprehendenda. Grammatici vero, praesertim in Ciceronis usu explicando, duplici hoc errore duci solent, quod huic particulae multiplicem significationem, quae semper una est, tribuunt, et quod variam notionum compositarum formam et conditionem ad ipsam particulam

transferunt, atque demonstrant, *et* significare *insuper, porro, et quidem, et ita, et omnino, et sane* alia. Quae omnia intelliguntur ex verbis coniugatis, non significantur particula *et*. Quare si quid est in hac re observandum, positum est id in vario notionum coniunctarum genere, et in singulari modo sententias coniungendi, qui quibusdam in partibus alius est apud veteres Latinos quam apud nos. Atque haec nobis etiam nunc consideranda videntur.

I. 1. Figurae, quam grammatici polysyndeton vocant, natura et usus oratorius exponitur ab huius artis magistris. Sed omnium sapientissime Quinctilianus 9, 3, 54. *fons quidem unus*, inquit, *qui acriora facit et instantiora, quae dicimus, et vim quamdam prae se ferentia, velut saepius erumpentis affectus.* Cf. Schelleri Praecepta p. 678. Caningham. de loco Horat. Serm. 1, 2, 66. Sed rhetoricam figuram a grammatica distinguamus necesse est. Illa oratoriae gravitati inservit, haec vero nectendis singulis partibus. Atque in hac dictione veteres non offendit particula *et* ter quaterve repetita. Cf. Drakenb. ad Liv. 6, 16, 8. 35, 49, 8. Quinquies posita est a Cicerone in Brut. 21, 81. sexies de Fin. 2, 25, 81. novies legitur intra paucos versus apud Ovid. Her. 17, 177. cf. Werfer in Actis Phil. Monac. I. p. 524. duodecies apud Liv. 22, 1, 8. sexiesdecies 27, 10, 7.

Proprietas, quam Goerenzius ad Cic. de Fin. 3, 14, 45. exemplis coniungendis assignavit, nulla est.

Extremum vocabulum interdum iungitur per particulam *que*. Vide QVE.

2. De tribus pluribusve nominibus copulandis omnes grammatici nunc praecipiunt, aut unicuique addi copulam, aut in omnibus omitti, neque vero ex antiquorum consuetudine tertium adiungi per *et* semel positum. Id sumptum videtur maxime e doctrina Spaldingii, qui non primus quidem (nam Lambinus iam ita censuit), sed saepe in notis ad Quinctilianum 4, 2, 24. 1, 11, 14. 4, 2, 24. in Praef. Tom. 1. p. 7. barbariem et novitiam latinitatem exprobravit coniunctioni *et* tertio vel extremo loco semel comparenti. In qua opinione quomodo falsus fuisset, ipse confessus est in Praef. Tom. 3. p. 12. addiditque, reperiri tot huius usus apud Ciceronem exempla, ut ea librariis suo mori assuetis imputare

omnia modesti non esset critici. Sed *et*, omissum in secundo, nomini apponitur tertio tum, quum in certa designatione clauditur rerum ordo, omnes partes continens, veluti apud Cic. Lael. 11, 13. *C. Carbo, C. Cato, et minime tum quidem Caius frater, nunc idem acerrimus.* Quare *et* imprimis ante ea nomina occupat locum, quae totum genus complectuntur. Alia prorsus est res in *que*, quod iam dictis aliquid adiicit in aequam rationem. Tamen inveniuntur etiam apud Ciceronem loci, in quibus de veritate huius observationis dubitari possit: sed pauci sunt.

Male se habet codicum quorumdam scriptura in Quinctil. 8, 6, 25. *alii novem elementa posuerunt: personam, in qua de animo, corpore et extra positis.* Item 4, 2, 24. *ut iudex ad rem accipiendam fiat conciliatior, docilior et intentior.* Curt. 6, 7, 15. *adiicit his Aphoebetum, Ioccum, Dioxenum, Archepolim et Amyntam.* Cic. Tusc. 3, 34, 81. *certae scholae sunt de exsilio, de interitu patriae, de servitute, de debilitate, de caecitate et de omni casu, in quo nomen poni solet calamitatis.* Davisius et Wolfius eiecerunt *et*, quod abesse narrant a quibusdam codd. At recte se haberet, si consentirent libri. vid. Goerenz. ad Acad. 2, 27, 86. Tusc. 5, 4, 10. *studioseque ab iis siderum magnitudines, intervalla, cursus anquirebantur, et cuncta caelestia.* i. e. et sic omnino cuncta caelestia. Curt. 5, 5, 18. *deos — offerre patriam, coniuges, liberos et quidquid homines vel vita aestimant vel morte redimunt.*

Diversa est ratio eorum, in quibus partes ex adverso componuntur, velut apud Curt. 10, 8, 13. *forte ita acciderat, ut qui in agris erant, — confugerent in urbem, oppidani — urbe excederent et utrique generi tutior aliena sedes quam sua videretur.* Terent. Eun. 5, 8 (9), 44. *etenim bene libenter victitas, quod des paullum est, et necesse est multum accipere Thaidem.* i. e. et tamen. vid. p. 479.

Cic. Parad. 6, 2, 49. *signa, tabulas, supellectilem et vestem infinite concupiscenti.* Lambinus omisit *et*, sine dubio ob auctoritatem codicum. Tacit. Hist. 2, 95. *Asiaticus Polycletos, Patribios et vetera odiorum nomina aequabat.*

Vsum particulae *et* bis inter tria nomina positae exemplis multis declarat Drakenb. ad Liv. Epit. 46. Sed veteres scriptores variare solent orationis formam. Ita secundo loco *et*, tertio *que* frequentissime ponitur, et *ac* sive *atque*. Permagnam copiam exemplorum ex uno Caesare collegit Elberlingius Observat. ad Caes. p. 113.

3. Nomina, quae per *et* componuntur, diversi esse possunt generis ac formae. De qua re disseruerunt Sanctius et Perizonius in Minerv. 3, 14. Sic coniunguntur adverbia cum aliis nominibus, nomina cum verbis et cum participiis.

Liv. 2, 18, 7. *qui — M. Valerium, spectatae virtutis et consularem virum, legissent.*

Curt. 7, 1, 31. *quia pridie familiariter et sine arbitris loquutus est nobiscum.* Quinctil. 10, 1, 94. *multum et verae gloriae — Persius meruit.* Liv. 1, 40, 4. *et iniuriae dolor — eos stimulabat et quia gravior ultor — rex futurus erat.* cf. Praef. 4. 21, 31, 6. *maior et qui prius imperitarat, Brancus nomine.* Cic. ad Fam. 4, 6, 6. *qui filium consularem, clarum virum, et magnis rebus gestis, amisit.*

4. Critici praecipiunt, in adiectivis *reliqua*, *cetera*, *alia*, si collectivam vim habeant, sive, instituta rerum enumeratione, ea, quae restant memoranda, comprehendant, omitti copulam apud Ciceronem aliosque bonos scriptores, nec dici *et cetera*, *et alia*, *et alias*, *et alioquin*. Vid. Goerenz. ad Cic. de Leg. 3, 9, 20. de Fin. 3, 15, 51. Kritzius ad Sallust. Cat. 15, 2. et ad 43, 2. qui quidem recte revocat ad enumerationem rerum antea factam. At non satis attenderunt eam necessitatem, qua etiam in hac enumeratione optimus quisque scriptor copulam tum ponit, quum ea, quae restant, non missa facit, sed peculiari modo designat: neque vero in istis formulis, sicubi omitti potuerit, consensum et auctoritatem meliorum librorum praeceptione infringere licebit. Sed habent haec vocabula hoc commune cum omnibus aliis, quae tertio loco ponuntur. In *alias* et *alioquin* modo additur copula, modo omittitur. vid. Tom. I. p. 238. et cf. critici ad Suet. Aug. 10.

Discrimen facile intelligitur vel uno exemplo: Cic. Phil. 2, 12, 30. *Brutorum, C. Cassii, Cn. Domitii, C. Trebonii, reliquorum quam velis esse caussam.* de Leg. 3, 9, 20. *quid iam de Saturnio, Sulpicio, reliquis dicam?* Sed Sallust. Cat. 48, 4. *ne eum Lentulus et Cethegus aliique ex coniuratione deprehensi terrent:* ubi Kritzius quum p. 75. dixisset abiiciendas esse copulas, eas tamen legitime restituit.

Definitio rei additur per sententiam relativam: Sallust. Cat. 57, 1. *de Lentulo, Cethego, ceteris, quos supra memoravi, supplicium sumptum.* Cic. de Vniv. 11. *deinceps Iovem atque Iuno-*

nem, reliquos, quos fratres inter se agnatosque usurpari atque appellari videmus. '

Et cetera legitur in codd. Quinctil. 4, 2, 51. 5, 11, 12. Vopisc. Firm. 5. *quare sanctissimi Quirites, et reliqua.*

5. His contraria figura est dissolutio, sive quod rhetores appellant asyndeton. Et quum *et* verba simpliciter copulet, dicendum etiam est nobis de omissa copula. Cuius rei caussa et consilium triplex esse potest, ut aut duo verba arctissime consocientur una notione unave ratione, aut ut oratio adscendat per gradationem, aut in oppositione verborum recta vel in disiunctione rerum contrariarum, quae ad unam rationem referantur per appositionem. Primi generis sunt formulae *volens propitius*, *ventis remis*, *ferre agere*, *velle iubere*, quorum exempla vide apud Ramshornium 188. 1. p. 804. Alterum genus illustrant et Drakenborch. ad Liv. 1, 59, 1. et ad 5, 10, 9. et Kritzius ad Sallust. Cat. 43, 2. Auget vim orationis repetitio eiusdem, quod ante dictum est, vocabuli: cuius exempla multa vide apud Drakenb. ad Liv. 6, 39, 9. Tertii generis exempla frequentissima sunt. Vide Ramshorn. l. c. n. b. et Cortium ad Sallust. 11, 2. et imprimis Beier. ad Cic. p. Scauro p. 195. Saepe inservit haec forma exprimendis animi motibus celeribus: de quo usu bona est observatio facta a Cuninghamo in Animadvers. in Bentleii Not. ad Horat. p. 128. Et gravitatem saepe oratio adipiscitur ex hoc copulae defectu, uti Cic. p. Lig. 5, 13. *quod nos domi petimus, precibus, lacrimis, strati ad pedes.* Sed haec omnia a cuiusvis scriptoris ingenio et more terminos et modum accipiunt. Accedunt autem ea, in quibus singula genera rerum antea designata enumerantur: veluti apud Quinctil. 9, 4, 22. *tria sunt genera necessaria, ordo, iunctura, numerus.* vel in ordinibus describendis, ut Liv. 21, 54. *baliares locat ante signa, levem armaturam, octo ferme millia hominum.* Et sunt formulae solemnes, in quibus brevitatis caussa omittitur copula: *patres conscripti, usus fructus, sarta tecta, ruta caesa, iter actus, ferro igni, prima postrema* (Liv. 1, 24, 7.), *unum alterum*, de quo vid. Cort. ad Plin. Epist. 9, 10. Conf. Beier. l. l. et ad Cic. de Off. 1, 17, 56. Drakenb. ad Liv. 1, 59, 1.

Insignes sunt hi loci Sallust. Cat. 11, 5. *loca amoena voluptaria facile in otio feroces militum animos molliverant.* 20, 15.

res, tempus, pericula, egestas, belli spolia magnifica magis quam oratio mea vos hortentur.

In recta oppositione Tacit. Ann. 1, 11. *disserebat de magnitudine imperii, sua modestia.* In oppositione per repetitum vocabulum expressa Tibull. 2, 5, 117. *ipse gerens laurus, lauro devinctus agresti miles.*

In disiunctione: Liv. 9, 3, 3. *armati, inermes, fortes, ignavi, pariter omnes capti atque victi sumus.* 37, 53, 9. *sed omnibus interfuit bellis, quae in Graecia gessistis, terrestribus, navalibus.*

De usu Livii in componendis adiectivis vide Drakenb. ad 3, 9, 4. et in aliis, Walchii Emendat. p. 9.

6. Goerenzius ad Cic. de Leg. p. 165. demonstrat, copulam *et* inter plura membra, quae praepositionem aliquam in se habent, omitti interdum, numquam inter duo membra. At prorsus contrariam sententiam exposuerunt Crevier et Drakenborch. ad Liv. 22, 12, 12. nec sine legitima ratione.

Quinctil. 9, 4, 19. *de philosophia, de republica, similibus.*

Cic. de Leg. 2, 16, 41. *sed iam de periuriis, de incesto nihil sane hoc quidem loco disputandum est.*

Liv. 22, 12, 12. *pro cunctatore segnem, pro cauto timidum, affingens vicina virtutibus vitia, compellabat.* Sed codices vel *et cauto* vel *et pro cauto.*

7. In nominibus propriis Kritzius ad Sallust. Cat. 43, 3. tria observasse sibi visus est: uno tantum singularum personarum nomine posito, non posse copulam omitti, nisi tres personae deinceps memorentur: duobus autem positis copulam recte abesse posse, si nomini etiam praenomen additum sit, veluti in consulum nominibus: denique plerumque casus obliquos, rarius nominativum, in his nominibus sine copula compositis reperiri. Sed primum illud complectitur universa regula de tribus pluribusve nominibus coniungendis. Omissum vero praenomen quam rationem habeat, equidem non perspicio, nec desunt exempla his contraria.

Vellei. P. 2, 20, 2. *non erat Mario, Sulpitio, Cinna temperatior.* sicut dixit 1, 4, 1. *Athenienses in Euboea Chalcida, Eretriam colonis occupavere.*

De particula in nominibus consulum vel omissa vel posita vid. Drakenborch. ad Liv. 2, 17, 1. et ad 21, 15, 4.

8. Oratio, cuius priores partes nexae sunt per copulam *et*, potest exire in formam dissolutam, sive in asyndeton.

Lucret. 2, 1084. *quapropter coelum simili ratione fatendum est terramque et solem, lunam, mare, cetera, quae sunt, non esse unica.* Stat. Silv. 1, 2, 38.

Huius rei memores esse debebant critici in Virgil. Georg. 2, 259. *terram multo ante memento excoquere, et magnos scrobibus concidere montes, ante supinatas aquiloni ostendere glebas, quam laetum infodias vitis genus.* Sed vide Iahnium. Conf. Aen. 11, 170.

Propert. 3, 8, 12. *quae mulier rabida iactat convicia lingua, et Veneris magnae volvitur ante pedes, custodum gregibus circa seu stipat euntem, seu sequitur medias — vias.* ubi nuper Iacobus Puccii interpolationem probavit, quasi *et* non admitteret mos poetae, qui tamen eodem modo 4, 1, 83. loquutus est.

9. Interdum nomina in partes distribuuntur, ut bina per copulam coniungantur, partes autem sine copula apponantur. Atque ita etiam *que* pro *et* usurpatur. Gernhardus ad Cic. Lael. 5, 19. hoc genus dicendi non recte appellat abruptius.

Cornel. de Reg. 1, 3. *tres sunt praeterea eiusdem generis, Xerxes et duo Artaxerxes, Macrochir et Mnemon.*

Cic. de Leg. 2, 15, 38. *iam ludi publici, quoniam sunt cavea circoque divisi, sint corporum certationes cursu et pugilatione, luctatione curriculisque equorum usque ad certam victoriam: cantus voce ac fidibus et tibiis.* Ita restituenda mihi videntur verba: nam quae adduntur *circo constitutis cavea*, sunt glossema, nec opus est, ut ante *luctatione* inseramus copulam.

10. Cicero et alii scriptores, quibus copiosa dictio magis placet quam brevitatis elegantia, et poetae, qui res disponere solent in partes singulatim ad animum adducendas, apponunt per *et* verba, quae participio possunt brevius concipi. Omnibus autem scriptoribus communis erat usus, quo ea, quae iniungi possent sententiae, per *et* adiungebantur. Ita praecipue in caussa exponenda per *et quia*.

Cic. in Catil. 1, 6, 16. *quoties vero excidit casu aliquo et elapsa est.* quod est, *cecidit casu aliquo elapsa.*

Tacit. Agr. 4. *namque M. Silanum accusare iussus, et quia abnuerat, interfectus est.* Vbi interpretes, etiam Walchius,

temere negant *iussus* esse participium. Ann. 4, 12. *nam Seianus — ferox scelerum, et quia prima provenerant, volutare secum, quonam modo Germanici liberos perverteret.*

Stat. Silv. 2, 1, 206. *pectora blandus miscet et alternum puero partitur amorem.* i. e. miscens.

Horat. Art. p. 169. *quod quaerit et inventis miser abstinet ac timet uti.*

Hinc formula ab omnibus poetis frequentata *dixit et* Virgil. Aen. 1, 402. 2, 375. 705. 3, 258. Val. Flacc. 1, 569. 3, 476. Stat. Theb. 2, 120. 3, 253.

II. 1. Coniunguntur saepe duo adiectiva, quorum alterum alteri addit novum praedicatum, ex alio iudicio depromptum ita, ut, quod per sententiam relativam exprimendum est, in unam notionem contrahatur, eaque simul apponatur. Haec eadem est ratio, qua ex duobus praedicatis alterum ante substantivum, cui inhaeret, ponitur, alterum post. Grammatici particulae etiam in his vim explicativam tribuunt. vid. Goerenz. ad Cic. de Fin. 1, 18, 59. et alibi saepe.

Cic. de Fin. 1, 18, 59. *animi autem morbi sunt cupiditates immensae et inanes divitiarum, gloriae, dominationis.* i. e. cupiditates immensae, quae inanes sunt. de Off. 2, 20, 69. *sed quis est tandem, qui inopis et optimi viri caussae non anteponat in opera danda gratiam fortunati et potentis?* i. e. optimi, qui inops est.

2. Et sunt in veteribus linguis quaedam verba, quae in aliis non plenam habent attributivi notionem, praesertim quae ad numerum et magnitudinem pertinent. Sic Graeci dicunt πολλὰ καὶ μεγάλα, Latini *multa et magna*. Vid. Blomfield. ad Aeschyl. Pers. 249. Matthiae ad Eur. Hec. 615. Parum differt haec ratio ab ea, qua ex duobus adiectivis alterum pro adverbio apponitur.

Cic. de Lege agr. 2, 2, 5. *versantur enim, Quirites, in animo meo multae et magnae cogitationes.* Liv. 22, 19, 6. *multas et locis altis positas turres Hispania habet.* Horat. Epist. 1, 8, 3. *multa et pulchra minantem.* Vid. alia multa apud Cortium ad Sallust. Iug. 78, 5. et apud Heindorf. ad Horat. Sat. 2, 3, 9. et apud Ochsnerum Eclog. p. 206 (167).

Cic. de Orat. 1, 2, 6. Lambinus ex vett. libris edidit recte; *nam, quocumque te animo et cogitatione converteris, permultos et excellentes in quoque genere videbis non mediocrium artium,*

sed prope maximarum. Sallust. Iug. 32, 2. *plurima et flagitiosissima facinora fecere.* Quinctil. 10, 1, 95.

Vellei. 2, 110, 6. *omnia et in omnibus locis igni ferroque vastata.*

At non semper ita loquuti sunt veteres. Cic. Acad. 1, 6, 23. *dolorumque susceptio multorum magnorum.* p. Mil. 23, 61. *quum res ipsa tot tam claris argumentis signisque luceat.* De Graecorum usu, quo *καὶ* omittitur interdum, dixit Seidlerus in Ephem. litt. Ienens. 1816. p. 106.

Cic. de Divin. 1, 18, 35. *quum terrae saepe fremitus, saepe mugitus — multa nostrae rei publicae, multa ceteris civitatibus, gravia et vera praedixerint.* i. e. et vere.

3. Componuntur hac ratione adverbium et adiectivum, cui illud inhaeret.

Cic. Orat. 21, 70. *de quo praeclare et multa praecipiuntur.* quod nos ad vernaculam linguam accommodantes diceremus *praeclare multa praecipiuntur.* Sed vide quae de hoc loco critici hariolati sunt, et confer Beier. ad Cic. de Off. T. II. p. 111.

4. In his vero, uti iam T. 1. p. 463. exposui, certus est apud bonos quidem scriptores verborum ordo. Nam interposito *et* praecedit primo loco id nomen, quod alteri inhaeret, eiusque notionem amplificat et constituit.

Tacit. Ann. 1, 2. *quum — novis ex rebus aucti tuta et praesentia quam vetera et periculosa mallent.* Opponuntur tuta praesentia *(die sichere Gegenwart)* veteribus periculis *(den früheren Gefahren)*. 1, 40. *incedebat muliebre et miserabile agmen,* i. e. mulierum miserabile agmen: sed 15, 54. *etenim uxoris quoque consilium assumserat muliebre ac deterius.* q. e. muliebre et item deterius.

5. Id etiam ad eam formam attinet, quam grammatici ἓν διὰ δυοῖν appellant, de qua Tom. I. p. 462. diximus. Sed in ea ubivis constituenda critici quidam temere laboraverunt, quorum nimium studium nunc Böttcherus compescuit in Lex. Tacit. Proleg. p. 80. Nam nisi praecedit notio inhaerens, unitas notionis nulla conficitur. Et pauca sunt exempla vera. In oratione non contracta et copiosa semper maior vis clariusque lumen apparet in verbis singulis, et saepissime fit, ut generali notioni adiiciatur aliquod nomen speciem vel singularem rem significans.

Tacit. Agr. 16. *nec ullum in barbaris saevitiae genus omisit ira et victoria.* i. e. iracunda victoria. sed c. 4. *scilicet sublime et erectum ingenium pulchritudinem ac speciem excelsae magnaeque gloriae vehementius quam ante appetebat.* Est pulchritudo, quae est in specie. et 43. *speciem tamen doloris animo vultuque prae se tulit.* i. e. animo, qui in vultu apparet. Tacit. Hist. 2, 46. *furore quodam et instinctu flagrabant.* 2, 56. *spoliare rapere, vi et stupris polluere.*

Quinctil. 10, 1, 19. *repetamus autem et tractemus.* quod ad sensum idem esse ac *repetendo tractemus*, sed differre haec vi et gravitate, bene intellexit Frotscher.

Sed huius generis non sunt haec: Tacit. Hist. 5, 1. *comitate et alloquiis officia provocans.* Cic. p. Rosc. Am. 47, 136. *suum cuique honorem et gradum redditum gaudeo.*

6. Latini saepe coniungunt duas sententias duoque nomina per *et*, quorum alterum priori addit distinctiorem definitionem, idque illustrat et explicatione amplificat. Id critici verbis *et quidem*, *isque* notant, sed nimium ingerunt, quum dicunt ipsum *et* significare *et quidem*. Vid. Manut. ad Cic. Manil. 3, 7. Cort. ad Epist. 11, 29, 6. Oudend. ad Apulei. Met. p. 71. et p. 450. Heusing. ad Cic. de Off. 3, 33, 7. Ruhnken. ad Vellei. 2, 60. 2. Goerenz. ad Cic. de Fin. 1, 10, 33. Matthiae ad Cic. p. L. Manil. 3, 7. et p. Mil. 25, 67. Nam haec vis, quam particulae attribuunt, inest in collocatis reliquis verbis, quae rem explicant. Quare, ubi oratio gravior assurgit, iterum ponitur idem nomen. Cf. Manut. ad Cic. Epist. 2, 7. Beier. ad Cic. de Off. T. II. p. 111. Drakenb. ad Liv. 39, 5, 4. Graecum usum vocabuli *καί* observarunt Iacobsius in Additam. anim. in Athen. p. 157. Schaefer. ad Long. p. 351. qui quum graecismum appellat, intellexisse videtur utriusque linguae similitudinem. Cf. Walchii Emendat. Liv. p. 68. qui varia miscet.

Cic. p. Mil. 25, 67. *te enim iam appello, et ea voce, ut me exaudire possis.* de Nat. d. 1, 15, 39. *ignem praeterea et eum, quem ante dixi, aethera.* p. Lege Manil. 22, 64. *atque in hoc bello asiatico et regio non solum militaris illa virtus — sed aliae quoque virtutes animi multae et magnae requiruntur.* Alia vid. apud Beier. ad Off. 2, 16, 57. Horat. Epist. 1, 18, 54. *saevam militiam, puer, et cantabrica bella tulisti.* 1, 12, 7. *herbis vivis et urtica.* Tacit. Ann. 1, 55. *initio veris et repentino in Cattos excursu praecepit.* Acidalius cum Mureto eiici iubent *et*, idque Wolfius appellat ciceronianum: at ipse Cicero de Fin. 1, 10, 33.

temporibus autem quibusdam et aut officiis debitis, aut rerum necessitatibus saepe eveniet etc. Tacit. Ann. 1, 1. *inde consilium mihi, pauca de Augusto et extrema tradere.* Velleii. 2, 60, 2. *maluitque avunculo et Caesari de se quam vitrico credere.* Tacit. Dial. 20. *iam vero iuvenes et in ipsa studiorum incude positi.* ubi critici temere deleverunt particulam. Hirt. B. Afric. 10. *contra magnas copias et insidiosae nationis — se expositos videbant.* Quinctil. 10, 1, 94. *multum et verae gloriae — Persius meruit.* 10, 5, 4. *sed et illa ex latinis conversio multum et ipsa contulerit.* i. e. multum, et quidem per se: quemadmodum explicuit Sarpius, immerito reprehensus a Frotschero. sed vide nos infra V, 5. Tacit. Hist. 2, 34. *claudebat pontem turris, et in extremam navim educta.*

Goerenzius ad istum modum multos locos retulit, in quibus nullum vestigium huius rationis conspicitur: veluti Cic. de Fin. 1, 18, 59. 5, 9, 27. Alii in verbis *et eo magis*, *et maxime*, *et praecipue* quod supplent *quidem*, non exprimitur verbo *et*, neque eo opus est.

Repetitur idem vocabulum apud Cic. p. Deiot. 1, 3. *fugitivi autem dominum accusantis, et dominum absentem et dominum amicissimum nostrae rei publicae, quum os videbam* etc. p. Mil. 23, 61. *magna vis est conscientiae, iudices, et magna in utramque partem, ut neque timeant, qui nihil commiserint, et poenam semper ante oculos versari putent, qui peccarint.* ad Fam. 2, 7, 9. *petivi — nunc a tribuno plebis et a Curione tribuno.* ad Fratr. 1, 2, 5. *rem publicam funditus amisimus, adeo ut Cato adolescens nullius consilii, sed tamen civis romanus et Cato vix vivus effugeret.* in Verr. 2, 21, 51. *hostis et hostis in ceteris rebus nimis ferus et immanis, tamen honorem hominis, deorum religione consecratum, violare noluit.* in Catil. 2, 8, 17. Liv. 26, 13, 7. Cic. in Verr. 5, 46, 121. *errabas, Verres, et vehementer errabas.* p. Lege Manil. 4, 10. in Verr. 3, 65, 152. in Catil. 3, 10, 23. *erepti enim estis et crudelissimo ac miserrimo interitu, et erepti sine caede.* p. Lege Manil. 3, 7. *sed ab illo tempore annum iam tertium et vicesimum regnat, et ita regnat, ut se non Ponto, neque Cappadociae latebris occultare velit.* 4, 10. 12, 33. Divinat. in Caecil. 8, 25. p. Sext. 36, 78. Senec. de Clement. 15, 1. *T. Arium — nemo non suspexit, quod contentus exsilio et exsilio delicato.* Multa alia vide apud Beierum ad Cic. de Off. 1, 1, 2. p. 4. cf. Madvigii Epist. ad Orell. p. 52.

7. Saepe id, quod additur, ita comparatum est, ut antecedentem notionem alio nomine declaret, quod alibi verbis *aut*, *id est*, similibus exprimitur. Vid. Ouden-

dorp. ad Apulei. Met. p. 462. Goerenz. ad Cic. Acad. 1. p. 35. 2. p. 127. Kühner. ad Tusc. 1, 34, 82. de Buchholtz ad Vaticana Fragm. p. 15. Itaque saepe a librariis atque criticis *et* mutatum est in *aut*. Quemadmodum vero duae etiam sententiae saepe sic connectuntur, ut posterior tantummodo explanet et illustret priorem, id bene observavit Wopkensius in Lect. Tull. p. 136 (98). De Graecorum usu vid. Hermann. ad Viger p. 838. n. 323.

Cic. Acad. 2, 36, 117. *quam potissimum sententiam eliget et disciplinam.* ubi Lambinus scripsit *aut.* Tusc. 1, 34, 82. *video te alte spectare et velle in coelum migrare.* de Leg. 1, 7, 23. *parent autem huic coelesti descriptioni, mentique divinae et praepotenti deo.* Liv. 3, 1, 3. *possessores et magna pars patrum — totius invidiam rei a tribunis in consulem averterant.* i. e. possessores, qui erant magna pars patrum: quod non cepit Drakenborch. Sic revocanda est codicum scriptura 22, 2, 3. *Hispanos et Afros, et omne veterani robur exercitus — primos ire iussit.* sicut Polybius 3, 79. *τοὺς Λίβυας καὶ Ἴβηρας καὶ πᾶν τὸ χρησιμώτερον μέρος τῆς σφετέρας δυνάμεως.* Sed Gronovius haec mutavit: *id omne veterani erat ne.* Sueton. Caes. 77. *haruspice tristia et sine corde exta sacro quodam nuntiante.* cf. c. 61. Ovid. Amor. 1, 7, 51. *adstitit illa amens albo et sine sanguine vultu.* cf. Markland. ad Stat. Silv. 3, 1, 44. Quinctil. 10, 1, 81. *multum enim supra prosam orationem, et quam pedestrem Graeci vocant, surgit.* quod immerito displicuit Spaldingio.

8. Hoc modo inseruntur in mediam orationem breves sententiae per *et* iunctae, quae enuntiationi addunt aut distinctius praedicatum aut maiorem vim unius verbi.

Cic. Tusc. 3, 20, 48. *at laudat, et saepe, virtutem.* ubi Davisius temere eiecit *et.* Cornel. Milt. 3, 4. *id, et facile, effici posse.* Stat. Silv. 1, 5, 56. *hic velox Hecate velit, et deprensa lavari.*

Liv. 22, 16, 3. *lenta pugna et ex dictatoris magis quam Hannibalis fuit voluntate.* Comma ponendum est post *pugna:* nam post universum iudicium lentae pugnae inseritur enuntiatio, quae illud distinctius definiat.

Ita expedienda censeo verba Terent. Eun. 5, 9 (8), 43. *cogita modo: tu hercle cum illa, Phaedria, et libenter vivis: etenim bene libenter victitas, quod des paullum est, et necesse est multum accipere Thaidem.* In his emendatione non opus est. Dicit Gnatho: cogita te vivere nunc cum illa, i. e. cum tali,

puella, et libenter quidem vivere. Tum exponit hanc rem: etenim, h. e. nimirum admodum laute victitas, paullum est quod des Thaidi,* et tamen haec multa exigit.

9. Sequitur nomen, quod distinctius, aut cum aptiore designatione in locum praecedentis succedit, ut sensus exsistat verborum *vel potius:* quemadmodum *et potius* saepe ponitur pro *sed potius.*

Cic. p. Cluent. 10, 30. ***nam in ipso sermone hoc et vociferatione mortua est.*** **Acad. 2, 10, 30.** ***ut verear, ne maiorem largiar ei, qui dicturus est, libertatem et licentiam.*** **ubi vid. Goerenz. 2, 41, 127.** ***haec nostra ut exigua et minima contemnimus.***

Quinctil. 10, 1, 40. ***paucos enim et vix ullum ex his, qui vetustatem pertulerunt, existimo posse reperiri.*** **ubi codd. alii** ***vel potius vix.***

Cic. de Off. 3, 6, 32. ***nulla enim nobis societas cum tyrannis, et potius summa distractio est.***

10. Sed apponuntur etiam per copulam *et* bis terve repetitam nomina, quae in vicem superioris succedant. Est igitur *et* fere idem quod *vel.*

Quinctil. 2, 12, 11. ***eosque, qui plus honoris litteris tribuerunt, ineptos et ieiunos et trepidos et infirmos — appellent.***

11. Saepe praemissam notionem, quae totam rem complectitur, sequuntur notiones in ipsa illa contentae. Hae enim singulariter rem designant, quae maxime ac peculiariter sit spectanda. Quare interpretes dicunt *et* significare *et maxime.*

Cic. de Fin. 2, 21, 69. ***si te ipse, et tuas cogitationes et studia perspexeris.*** **quem locum non satis accurate explicuit Goerenzius: id est, non solum tuam cogitandi, sed appetendi quoque rationem perspexeris. Acad. 2, 42, 129.** ***et omitto illa, quae relicta iam videntur, et Herillum, qui in cognitione et scientia summum bonum ponit.*** **Ipse Herillus enim in relictis illis inerat.**

Iustin. 29, 3, 7. ***Romani, quibus Poeni et Hannibal in cervicibus erat.***

Tacit. Ann. 4, 28. ***qui taedio curarum, et quia periculum pro exitio habebatur, mortem in se festinavit.***

12. Contra singulis rei partibus antea enumeratis additur per *et* id, quod universum genus complectitur. Quemadmodum dicitur *et omnino.* Haec est colligendi vis, de qua dixit Goerenz. ad Cic. Acad. 2, 27, 86. Tamen

ea non tantum valet, ut cum eodem viro ad 2, 39, 124. explicemus: ut paucis comprehendam. Saepe apud Livium et alios post nomen unius viri apponitur totius collegii nomen, vel gentis, vel societatis, cui ille adscriptus fuerit. Vid. Gronov. et Drakenb. ad Liv. 3, 25, 4. et ad 45, 13, 1.

Cic. Tusc. 5, 4, 10. *studioseque ab his siderum magnitudines, intervalla, cursus anquirebantur, et cuncta caelestia.* In Tusc. 3, 34, 81. omittunt aliqui codd. copulam. Acad. 2, 27, 86. *quanto artificio esset sensus nostros mentemque et totam constructionem hominis fabricata natura.* de Leg. 1, 21, 55. — *valde a Xenocrate et Aristotele et ab illa Platonis familia discreparet.* ubi Davisius temere postulat *et ab omni P. f.* Sic Graeci quoque Plat. Menon. p. 81. C. ἡ ψυχὴ — ἑωρακυῖα καὶ τὰ ἐνθάδε καὶ τὰ ἐν ᾅδου καὶ πάντα χρήματα. vid. Stallbaum. ad Gorg. 20.

Cic. de Fin. 1, 12, 42. *praeterea et appetendi et refugiendi et omnino rerum gerendarum initia proficiscuntur aut a voluptate aut a dolore.*

Liv. 3, 25, 4. *quum Virginius maxime et tribuni de lege agerent* etc. 21, 40, 4. *ut consulem ducem adversus Hannibalem et Poenos haberetis.*

13. In sententiis, quae similitudinem et aequalitatem significant, post verba *aeque, similis, pariter, idem,* et quae sunt huius generis, ponitur *et.* De v. *atque* vide Tom. I. p. 469. Sed per *et,* sicuti graecum *καί,* nihil exprimitur, nisi coniunctio duarum notionum, neque *et* pro *ac* comparativo usurpatur. Quomodo *similiter et, similiter et si* dicantur, infra vide.

Exempla verborum *aeque — et* vide Tom. I. p. 190. cf. Otto ad Cic. de Fin. 1, 20, 67.

Cic. Tusc. 5, 3, 9. *similem sibi videri vitam hominum et mercatum eum, qui haberetur maximo ludorum apparatu totius Graeciae celebritate.* ubi vd. Kühner. Lucret. 2, 414. *neu simili penetrare putes primordia forma in nareis hominum, quom tetra cadavera torrent, et quom scena croco cilici perfusa recens est.* ubi Bentleio scribendum videbatur *ac.*

Cic. p. Mil. 17, 46. *Clodius eadem hora Interamnae fuerat et Romae.* Sallust. Cat. 58, 10. *non eadem nobis et illis necessitudo impendet.* Caes. Bell. 9, 1, 37. *haec eodem tempore Caesari mandata referebantur, et legati ab Aeduis — veniebant.*

Cic. Brut. 11, 43. *omnia fuisse in Themistocle paria et Coriolano.* Terent. Ad. 5, 8, 34. *germanus pariter animo et corpore.*

14. Similiter duae res, quarum diversitas est significanda, componuntur per *et*, idque ponitur post verba *alius*, *aliter*. vid. Tom. I. p. 268. Per *ac* ipsa comparatio exprimitur.

Cic. de Orat. 3, 18, 66. *alia enim et bona et mala videntur Stoicis et ceteris civibus.* Coel. ad Cic. 8, 1, 7. *solet enim aliud sentire et loqui.* quod Cic. de Fin. 2, 7, 21. *alia sentit, alia loquitur.* Cic. p. Coel. 28, 67. *lux enim longe alia est solis et lychnorum.* ubi Orellius dedit ex cod. taur. *ac*, rationem reddens p. 639. quasi elegantia, quae viris doctis in *alius et* placuisset, plerumque librariis deberetur, particularum *ac* et *et* discrimen ignorantibus. Quod non intelligo. de Off. 2, 18, 61. *alia caussa est eius, qui calamitate premitur, et eius, qui res meliores quaerit.* p. Caec. 20, 57. *neque enim alia caussa est aequitatis in uno servo et in pluribus.* de Fin. 5, 29, 89. *quid ergo aliter homines, aliter philosophos loqui putes oportere, quanti quidque sit? aliter doctos et indoctos?*

15. In narrationibus, ubi res dicitur proxime et celeriter consequuta esse, *et* nectit partes orationis. Ita nexus significatur non mediis rebus distentus, et quod factum est, dicitur eodem tempore cum alia re accidisse. Vnde grammaticorum praeceptum, *et* significare celeritatem. Servius ad Virgil. Aen. 3, 9. Vid. Tom. I. p. 480. Praecedit saepe *vix* vel aliud verbum brevis temporis. Ita etiam Graeci *καί* ponunt. vid. Hoogeven. Doctr. part. gr. p. 536. apud Schützium. p. 281. et Viger. p. 524.

Tacit. Ann. 1, 38. *at in Chaucis coeptavere seditionem praesidium agitantes vexillarii discordium legionum, et praesenti duorum militum supplicio paullum repressi sunt.* ubi vid. Wolfium.

Stat. Theb. 12, 773. *sic fatus, et auras dissipat hasta tremens.* Poeta apud Cic. de Div. 2, 31, 67. *advenit et fera velivolantibus navibus complevit manus littora.* ubi vd. Giesius. Stat. Theb. 5, 247. *his motus, et artus erexit stratis.*

Caes. B. gall. 1, 37. *haec eodem tempore Caesari mandata referebantur: et legati ab Aeduis et a Treviris veniebant.* Tacit. Ann. 2, 28. *statim corripit reum, adit consules, senatus cognitionem poscit, et vocantur patres.* Vid. Oudendorp. ad Lucan. 1, 231. et ad Caes. B. gall. 6, 37. Burmann. ad Claud. Rapt. Pros. 1, 117. et ad Lucan. l. c. Hottinger. ad Cic. de Divin. 1, 13. Oudendorp. ad Apul. Met. p. 519.

Virgil. Aen. 5, 857. *vix primos inopina quies laxaverat artus: et super incumbens — liquidas proiecit in undas praecipitem.*

6, 498. *vix adeo agnovit pavitantem —, et notis compellat vocibus ultro.* 3, 8. Stat. Theb. 2, 293. 7, 300. Sic explicanda haec Livii 43, 4, 10. *vixdum ad consulem se pervenisse et audisse oppugnatum, principes securi percussos, sub corona ceteros venisse.*

Plin. Epist. 5, 14, 8. *pauci dies, et liber principis severus.* ubi vid. Schaefer. Virgil. Ge. 2, 80. *nec longum tempus, et ingens exiit arbor.* Aen. 8, 444. vid. alia apud Burmann. ad 3, 9. et ad Lucan. 1, 231. Stat. Theb. 7, 300.

16. Huc pertinet formula *simul — et*, de qua vide in SIMVL.

Lucan. 6, 246. *simul haec effatur, et altus caesareas pulvis testatur adesse cohortes.*

17. Sed quaeritur, num etiam temporis designatio possit per *et* adiungi, quod factum esse videtur a Lucano, 1, 231. de qua re vide Trilleri epistolam ad Cort. in Weberi edit. Lucan. Praef. p. 15. Sed quae ille affert, nihil declarant. Id vero multis scriptoribus est commune, ut, temporis significatione praemissa, oratio pergat ad rem illo tempore factam.

Lucan. 1, 231. *vicinumque minax invadit Ariminum, et ignes solis lucifero fugiebant astra relicto.* ubi Grotius emendavit *ut*.

Tacit. Hist. 2, 95. *nondum quartus a victoria mensis, et libertus Vitellii Asiaticus Polyclitos, Patrobios et vetera odiorum nomina aequabat.* Tibull. 2, 5, 65. *haec cecinit vates, et te sibi, Phoebe, vocavit, iactavit fusas et caput ante comas.* i. e. dum canit et te vocat: ne Vossii commentis fallamur.

18. Haud raro, praesertim a poetis, copula componuntur ea, quae interna quadam ratione cohaerent sive caussae, sive finis, sive alius generis. Logici nostri, sua lingua utentes, dicunt, nomina tum non subordinari, sed coordinari. Nec recte Gernhardus ad Quinctil. 7, 6, 2. contendit, non decere per *et* cum genere id coniungi, quod generi subiectum sit. Vide supra n. 12.

Horat. Ars poet. 405. *ludusque repertus et longorum operum finis.* i. e. in finem longorum operum. Ovid. Trist. 4, 6, 37. *nos quoque, quae ferimus, tulimus patientius ante, et mala sunt multiplicata die.* i. e. nam multiplicata sunt mala die. Cic. de Leg. 2, 20, 50. *in donatione hoc iidem secus interpretantur, et quod paterfamilias in eius donatione, qui in ipsius potestate esset, approbavit, ratum est: quod eo insciente factum est, si id is non approbat, ratum non est.* Ab universo discrimine donationis ad id transit,

quod inde sequitur in iure filii familias: quasi dicendum esset *nam quod*. Reliqua recta oppositione se excipiunt, ut quaecumque correctio inepta videatur. Sallust. Cat. 19, 2. *neque tamen senatus provinciam invitus dederat, quippe foedum hominem a re publica procul esse volebat: simul quia boni complures praesidium in eo putabant: et iam tum potentia Cn. Pompeii formidulosa erat.* i. e. nimirum. vid. Kritzium ad h. l. Liv. 35, 16, 2. *sed facta vestra orationi non conveniunt: et aliud Antiocho iuris statuistis, alio ipsi utimini.* Virgil. Ecl. 9, 11. *audieras: et fama erat.* in quibus interpungendis non assentior Wagnero.

Quinctil. 7, 6, 2. *id tum accidit, quum est in lege aliqua obscuritas, et in ea aut uterque suam interpretationem confirmat, adversarii subvertit.*

19. Sententiae coniunguntur per *et*, quarum altera priorem definitius exponit, et id addit, quod ex hac consequitur, ut explicari possit *et ita, et sic, et tum:* quemadmodum Graeci *καὶ* pro *καὶ οὕτω*. vid. Seidler. ad Eurip. Iphig. T. 1274. Cf. Goerenz. ad Cic. Acad. 2, 3, 8. qui tamen non semel in hac observatione lapsus est, ut de Fin. 3, 20, 65. et 1, 11, 39. Saepe nihil impedit, quo minus explicemus *quae quum ita se habeant*, veluti Tacit. Agr. 37. init.

Liv. 3, 46, 7. *manus tollere undique multitudo, et se quisque paratum ad spondendum Icilio ostendere.* i. e. manus tollendo ostendere. vid. Drakenb. ad 6, 16, 8.

Liv. 1, 1, 2. *constat — Henetos Troianosque eas tenuisse terras: et in quem primum egressi sunt locum, Troia vocatur.* 21, 43, 5. *hic vincendum aut moriendum, milites, est, ubi primum hosti occurristis: et eadem fortuna, quae necessitatem pugnandi imposuit, praemia vobis ea victoribus proponit.*

Cic. Acad. 2, 3, 8. *de rebus incognitis iudicant, et, ad quamcumque sunt disciplinam quasi tempestate delati, ad eam tamquam ad saxum adhaerescunt.* de Fin. 2, 20, 63. *quam pulchre dicere videbare, quum ex altera parte ponebas cumulatum aliquem pluribus et maximis voluptatibus —, ex altera autem cruciatibus maximis —: et quaerebas, quis aut hoc miserior aut superiore illo beatior foret: deinde concludebas summum malum esse dolorem.*

Cic. de Leg. 3, 2, 26. *quodsi is casus fuisset rerum, quas pro salute rei publicae gessimus, ut non omnibus gratus esset, et si nos multitudinis furentis inflammata invidia pepulisset — ferremus, o Quinte frater.*

20. Conclusionem quamdam in se habet particula imperativo praefixa, ubi nos *und nún.* Eidem proprius est locus in interrogatione, quae conclusionem in se habet.

Cic. ad Att. 10, 10. *vide, quam turpi leto pereamus: et dubita, si potes, quin ille, seu victus seu victor redierit, caedem facturus sit.*

Cic. de Harusp. resp. 12, 25. *videmus universi repente examina tanta servorum immissa in populum romanum saeptum et inclusum, et non commovemur?* Liv. 45, 38, 2.

21. Praemisso imperativo vel coniunctivo, qui aliquam rem fieri aut esse iubet, pergit oratio per *et* ad id, quod deinceps et certo quidem eventurum sit. Ita nexus rerum necessarius declaratur. Diomedes p. 411. hanc potestatem particulae appellat adiunctivam et promissivam. cf. Cort. ad Lucan. 4, 487.

Plin. Pan. 43, 3. *tene, Caesar, hunc cursum, et probabitur experimento, sitne feracius* etc. 45, 6. *perge modo, Caesar, et vim effectumque censurae, tuum propositum, tui actus obtinebunt.*

Virgil. Ecl. 3, 104. *dic quibus in terris, et eris mihi magnus Apollo.* Ovid. Am. 2, 14,

Lucan. 4, 484. *decernite letum, et metus omnis abest.* 2, 513. Seneca de Clem. 1, 16, 3. *contunde enim animos, et quidquid est indolis, comminuetur trepidatione degeneri.* Ruhkopfius nescio quo auctore scripsit *contundet.* Phaedr. 3, 5, 6. *venit ecce dives et potens: huic similiter impinge lapidem et dignum accipies praemium.*

Horat. Epist. 1, 18, 107. *sit mihi, quod nunc est: etiam minus: et mihi vivam quod superest aevi.*

22. Grammatici docent, per *et* diversos modos coniungi, et orationem, in qua post coniunctiones *quum, postquam*, coniunctivus ponitur, in altero verbo recipere indicativum. Hanc vocant enallagen secundam, vel orationem variatam. Et Goerenzius rem universam referre videtur ad proprietatem voculae *et*, quae diversos modos non coniungat, nisi ubi *et ita* significet. Quae vero nuper Otto ad Cic. de Fin. 2, 19, 61. proposuit, vereor, ne fallant argumentatione non magis subtili quam speciosa. Nam quod dicit, *quum* cum coniunctivo compositum caussam, non tempus, sed cum indicativo coniunctum significare modum, omnibus satis notum est. At quomodo haec diversa in una enuntiatione con-

sociari et uni coniunctioni submitti potuerint, id non exposuit, nec quisquam alius. Nam qui de hac re disseruerunt, non diligenter distinxerunt diversa genera dictionis. Alia enim est ratio eorum locorum, in quibus oratio certa et recta transit ad rem incertam et in obliquam formam: veluti Columell. in Praef. ait. *quia et cuncta peperit semper et deinceps paritura sit.* ubi diversa res est diversae rationis. Cuius generis sunt plurima ea, quae Wopkensius Lect. Tull. 1, 14. p. 109. et Drakenb. ad Liv. 30, 144, 10. et ad 41, 24, 5. collegerunt. Tum vero coniunctio secum fert diversos modos in eadem enuntiatione, si bis posita singulas partes orationis ad diversam rationem refert. Cic. de Nat. d. 2, 38, 97. *quum — videmus: quum autem — videamus.* Liv. 30, 44, 10. *quum spolia victae Karthagini detrahebantur, quum inermem — cerneretis.* At vero quaeritur, num aequales res vel unius enuntiationis partes una coniunctione comprehensae etiam diversos modos admittant. Id in duobus locis factum esse scimus. Atque haec licentia aliqua ex parte ad imitationem graecae consuetudinis constituta videtur, de qua bene disputaverunt Matthiae in Gram. p. 1031. Stallbaum. ad Plat. Protag. 22. p. 95. et Bernhardius in Syntax. p. 389. Caussa enim cernitur aut in voluntatis et rei vere exactae distinctione, aut in rebus vario modo inter se nexis.

Cic. de Fin. 2, 19, 61. *num etiam collega P. Decius — quum se devoveret et equo admisso in mediam aciem Latinorum irruebat, aliquid de voluptatibus suis cogitabat?* Quo haec differunt, alterum est votum et voluntas, alterum id, quod vere effectum erat. Quare vertenda sunt: *als er sich opfern wollte, und wirklich sich in die Reihen der Lateiner stürzte.* Liv. 4, 13, 10. *quae postquam sunt audita, et undique primores patrum et prioris anni consules increparent —; tum Quinctius — ait.* Illud, quod audierunt, per se constat; alterum, quod increpabant, cum eo, quod Quinctius loquutus est, interno et necessario nexu cohaeret.

In expediendo loco Cic. de Fin. 1, 7, 24. miras videbis opiniones a criticis propositas; sed simplex est ratio verborum: nam v. *vetuit* non cum v. *pronuntiaret* cohaeret, neque interposita verba dirimunt orationem, quae ita pergit, quasi antea dictum esset, *quum severitate adhibita — pronuntiavit et vetuit.*

23. De temporibus diversis per *et* coniunctis permirum est, quomodo grammatici tradiderint praecepta,

quae omnia eo restringuntur, quod particula nullam habet potestatem ad regendas temporis notiones. Sed Goerenzius ad Cic. de Fin. 1, 15, 49. docuit, tempora vere diversa nusquam per *et* iungi. Cuius decreti veritatem ipsum, quod affert, exemplum refellit. At paullo ante p. 31. idem criticus demonstraverat, per *et* haud raro disparia tempora coniungi: quamquam, quae ibi dedit, exempla perfecti cum praesenti compositi, nihil probant.

Cic. p. Cluent. 39, 108. ***paucis enim diebus illis et ipse privatus est factus et hominum studia defervisse intelligebat.*** **Nemo cum Goerenzio interpretabitur** ***intelligere coepit.***

Virgil. Aen. 5, 181. ***illum et labentem Teucri et risere natantem, et falsos rident revomentem pectore fluctus.*** **ubi vid. Iahnius.**

Virg. Aen. 5, 857. vid. n. 15. 6, 683. ***dixerat et pariter gressi per opaca viarum corripiunt spatium medium.*** **Et inverso ordine 6, 524.** ***amovet — et subduxerat —.***

III. 1. Non tantum partes sententiae alicuius hac particula copulantur, sed etiam sententiae ipsae. Atque antiquissimi scriptores, quorum sermo nondum erat aptius composita, saepissime usurpant eam in initio sententiarum: quemadmodum fecerunt Ennius et Cato. Sed et optimi linguae auctores nectunt ita sententias simpliciter, quibus aliquid novum adiiciant, vel in expositione pergant. Varro saepe dixit *et quum, et quoniam.* *Et si* idem fere significat ac *quodsi.* vid. SI.

Cato de Re r. 9. ***salicta locis aquosis, humectis, umbrosis, propter amnes ibi seri oportet. Et id videto, uti aut domum opus sient, aut ut venire possint.*** **Et sic saepe. vid. c. 157.**

Varro de Re r. 3, 2, 4. ***Et quum haec sit communis universi populi, illa solius tua.*** **3, 2, 5. cf. Curt. 8, 2, 10. Varro 1, 23, 1.** ***Et quoniam habemus illa duo prima ex divisione quadripartita — de tertia parte exspecto.*** **1, 27, 1.**

Terent. Phorm. 1, 3, 19. ***quod si tibi res sit cum eo lenone.*** **Donatus affert et explicat** ***et si.***

Cic. de Leg. 2, 3, 7. ***optime vero, frater: et fieri sic decet.*** **Adiicit haec de suo iudicio. 2, 4, 8.** ***sane quidem, hercle: et est ista recta docendi ratio.***

Cic. Acad. 2, 42, 129. ***qua de re est igitur inter summos viros maior dissensio? Et omitto illa, quae relicta iam videntur.*** **2, 31, 98.** ***a Clitomacho sumam, qui usque ad senectutem cum***

Carneade fuit, homo et acutus — ac diligens. Et quatuor eius libri sunt de sustinendis assensionibus. In quibus omnibus Goerenzius *et* pro *et sane* accepit: quod nimium erat.

2. Vbi aliqua notio, sive aliquod verbum, cum graviori voculatione pronuntiandum est, et in sententia principatum obtinet, praemittitur ei *et*, quasi anacrusis. Quod quum non cognovissent, grammatici docuerunt *et* esse *et sane*. vid. Goerenz. ad Cic. de Leg. 2, 3, 7. 18, 46. de Fin. 1, 7, 25. At quod asseverationem exprimat, ipsa est vocabuli positio in primo loco. Sic *est* saepissime valet *vere est*. *Et* nihil exprimit nisi nexum necessarium: quare Schwarzius ad Plin. Pan. p. 527. explicuit voce *tum*. Hac vero forma adduntur saepe ea, quae sententiam antecedentem confirmant.

Cic. de Leg. 2, 3, 7. *praeclare exigis, Quinte: at ego effugisse arbitrabar: et tibi horum nihil deberi potest.* 2, 18, 46. *vero: et apertissima sunt istis de rebus et responsa et scripta multa.* Virgil. Aen. 12, 48. *quam pro me curam geris, hanc precor, optime, pro me deponas, letumque sinas pro laude pacisci. Et nos tela, pater, ferrumque haud debile dextra spargimus.* Sine caussa suspectum erat Ernestio, quod legitur apud Cic. ad Att. 2, 19. *multa me sollicitant —. Et sexcenta sunt.*

Non latinum esse puto id, quod Gernhardo placuit apud Cic. de Sen. 17, 59. *quos* (libros) *legite, quaeso, studiose, et facitis.* Neque adhiberi potest haec explicatio ad locum 9, 28.

Virgil. Ecl. 2, 43. *iam pridem a me illos abducere Thestylis orat: et faciet, quoniam sordent tibi munera nostra.* Anthol. Lat. 2, 246, 33. *nunc laede, nunc lacesse, si quidquam vales: et nomen adscribo tuum.* Vbi temere corrigunt *en*. Apulei. Met. 7. p. 200, 3. *et nunc iste securus incumbens praesepio voracitati suae deservit.* i. e. post tam scelestum facinus.

Cic. Tusc. 3, 8, 18. *et sunt illa sapientis.* i. e. et sunt profecto. p. Mil. 33, 91. *et sunt qui de via appia querantur, taceant de curia.* Tacit. Ann. 2, 57. *convenere, firmato vultu, Piso adversus metum, Germanicus ne minari crederetur. Et erat, ut retuli, clementior.* Hist. 3, 6. *et fuere qui se statim dederent.*

Tacit. Hist. 1, 7. *ceterum utraque caedes sinistre accepta. Et inviso semel principe seu bene seu male facta premunt.*

3. Hic voculationis modus, quem cum anacrusi metrica comparavimus, etiam ibi locum obtinet, ubi in altera vel contraria parte aliquid est designandum,

quod aequali submittatur rationi. Veluti quum apud Virgilium Ecl. 3, 60. Damoetas dixisset: *Iovis omnia plena: ille colit terras: illi mea carmina curae.* Menalcas pergit: *Et me Phoebus amat: Phoebo sua semper apud me munera sunt.* Quae non bene explicuerunt interpretes, et ne Wagnerus quidem nuper. Nam si Menalcam dicere putemus: *non tibi soli Phoebus favet, sed etiam mihi*, impediemus cursum orationis, in qua Phoebum Iovi non opponi, nullo pacto concesserim, et ipsa sententia erit inepta. Sed sensus non alius est atque apud Calpurn. 2, 28. *me Silvanus amat — Et mihi Flora comas spargit.* et apud Theocrit. 5, 82. *καὶ γάρ ἔμ' Ὡπόλλων φιλέει.*

4. Eamdem voculationis caussam, non aliam puto esse eam, qua *et* praemittitur vocabulis affirmationis *certe*, *hercle*, *profecto.*

Terent. Eun. 5, 6, 4. *sed estne ille noster Parmeno? Et certe ipsus est.* Ad. 1, 1, 53. Cic. p. Marc. 2, 6. *et certe in armis militum virtus, locorum opportunitas — multum iuvant.*

Cic. ad Fam. 2, 18, 2, *et hercle sine dubio erit ignominia.* Brut. 72, 251. *et hercule, si sic ageres* etc. de Fin. 2, 8, 23.

5. In narratione pergit oratio per hanc particulam, quando id, quod ante dictum est, vel exemplis vel alia demonstratione vere factum esse ostenditur.

Curt. 9, 7, 17. *coepit — postulare, ut, si vir esset, postero die secum ferro decerneret: regem tandem vel de sua temeritate vel de illius ignavia iudicaturum. Et a Dioxippo. — accepta conditio est.* Quinctil. 11, 2, 11. *quapropter partem ab iis petere, quorum facta celebrasset iubebatur. Et persolverunt, ut traditum est.* Tacit. Agr. 17. *sed ubi cum cetero orbe Vespasianus et Britanniam reciperavit, magni duces, egregii exercitus, minuta hostium spes. Et terrorem statim intulit Petilius Cerealis Brigantum civitatem — aggressus.*

6. In argumentatione adscendimus per *et* ad aliam rem, atque per hanc copulam arctius continentur partes in orationis progressione. Itaque in conclusione conficienda membra componuntur, ut *et* assumptioni inserviat, et pro *atqui* ponatur. Sic saepe praemittitur *et* conditioni vel comparationi, qua novum argumentum adducitur, ideoque dicitur *et si*, *et quemadmodum.*

Cic. Acad. 2, 13, 40. *composita ea conclusio sic est: eorum,*

quae videntur, alia vero sunt, alia falsa: et quod falsum est, id percipi non potest —: nullum igitur est visum, quod percipi possit. ubi vid. Goerenz. de Fin. 2, 32, 104. Tusc. 3, 4, 9. 5, 17, 49.

Cic. de Nat. d. 3, 12, 29. *et, si omne animal tale est, immortale nullum est.* ubi vd. Heindorf. 3, 13, 33. 3, 31, 77. *et si verum est, quod Aristo Chius dicere solebat* etc. ubi vid. idem Heindorf.

Egregie expediit et emendavit locum Cic. de Fin. 1, 16, 50. Matthiae in Miscell. philol. II, 1. p. 105.

7. Sicut particula *atque*, etiam *et* rei expositionem incipit, atque ponitur in iis, quae ad rei comprobationem requirunt *nam* vel *etenim*. Conf. I, 18.

Tacit. Ann. 3, 38. *non enim Tiberius, non accusatores fatiscebant. Et Ancharius Priscus Caesium Cordum proconsulem Cretae postulaverat repetundis.* Quinctil. 1, 1, 5. *has* (nutrices) *primum audiet puer, harum verba effingere imitando conabitur. Et natura tenacissimi sumus eorum, quae rudibus annis percepimus.*

8. Ab initio ponitur *et*, ubi in colloquio alterius sermo ab altero excipitur cum quadam conclusione, interdum etiam admixta affirmatione.

Cic. Acad. 1, 12, 43. *quae quum dixisset: Et breviter sane minimeque obscure exposita est, inquam, a te, Varro, et veteris Academiae ratio et Stoicorum.* de Leg. 1, 5, 16. 1, 13, 36. *Et scilicet tua libertas disserendi amissa est.* ubi indignatio, quam Wagnerus particula expressam dicit, ipsa inest in vocabulo *scilicet*. Sed *et* nectit sententiam, quae affirmationem adiiciat, ubi nos quoque pro *ja freilich* dicimus *und freilich*.

9. In narratione transeunt Latini per *et* ad alteram partem, ubi Graeci ponunt δέ. Idque fit praesertim in colloquiorum expositione, ubi responsio per hanc particulam infertur. Vid. Creuzer. ad Cic. de Re p. 1, 36. p. 147. qui comparat graecum καὶ οὗτος.

Cic. Brut. 72, 251. *Et ille, praeclare, inquit, tibi constas.* de Re p. 1, 36. *quid? inquit Laelius. Et ille, quid censes, nisi quod est ante oculos?* de Fin. 5, 28, 86. de Nat. d. 3, 3, 6. de Orat. 2, 10, 40.

Tacit. Dialog. 4, 1. *Et Maternus: perturbarer hac tua severitate.* ubi vid. Heumann.

Liv. 36, 31, 7. *dicto paruit Diophanes, et soluta obsidione expeditus ipse, praegressus agmen circa Andaniam — Quinctio occurrit. Et quum caussas oppugnationis exponeret, castigatum leniter, quod tantam rem sine auctoritate sua conatus esset, dimittere exercitum iussit.* Tacit. Ann. 1, 11. *versae inde ad Tiberium preces. Et ille varie disserebat.*

Iustin. 39, 1, 5. *Ptolemaeus — immittit iuvenem quemdam aegyptium, — qui regnum Syriae armis peteret. Et composita fabula quasi per adoptionem Antiochi regis receptus in familiam regiam esset, nec Syriis quemlibet regem adspernantibus, — nomen iuveni Alexandri imponitur.* Nam ita recte cepit hunc locum Dübnerus, nec assentior Beneckio, qui *et* — *nec* opposita putat. Vid. Ruhnken. ad Vellei. P. 2, 4, 2.

Ex hac ratione defendenda est scriptura codd. apud Catull. 66, 21. *et tu non orbum luxti desertum cubile.*

10. Historiarum auctores nectunt narrationis partes hac particula etiam eo consilio, ut vel nexum ipsarum rerum gestarum indicent, vel proxime et statim eventa demonstrent, vel orationi adiiciant aculeum.

Liv. 44, 16, 4. *C. Sulpicius praetor sex millia togarum — locavit, et legatis Epirotarum pecuniam pro frumento solvit. Et Onesimum Pythonis filium, nobilem Macedonem, in senatum introduxit.* i. e. tum, eodem tempore.

Tacit. Hist. 2, 44. *ita victores latus hostium invecti. Et media acie perrupta fugere passim Othoniani.* 1, 70. quem locum male cepit Walchius ad Agr. p. 120. 2, 36. *et certamen Gallo adversus Caesarem exortum est.* 13, 56. *et commotus his Avitus* etc. Sic Plutarchus Alex. 31. *Ἀλέξανδρος δὲ — ἤλαυνεν ἐπὶ Δαρεῖον ἑκατὸν μυριάσι στρατοῦ καταβαίνοντα. Καί τις αὐτῷ φράζει τῶν ἑταίρων* etc. Non ita antiquiores.

Tacit. Hist. 2, 51. *earum, quae Brixelli egerunt, cohortium preces Rubrius Gallus tulit. Et venia statim impetrata.* Agr. 17. Hist. 2, 16. *et adversi repente animi.*

Livio frequentata est dictio: *Et apparebat.* 37, 25, 1. 33, 1, 7. 36, 30, 5. ubi Drakenb.

Tacit. Hist. 2, 68. *interim Verginii servus forte obvius, ut percussor Vitellii insimulatur. Et ruebat ad convivium miles, mortem Verginii exposcens.*

11. Sic etiam in rerum demonstratione per *et* arripitur alia res sive antecedentibus contraria, sive non aliena, ad quam fit transitus. Spaldingius non recte explicat verbis *et quidem.*

Cic. Agrar. 2, 31, 85. *quasi vero paullum differat ager campanus et stellatis. Et multitudo, Quirites, quaeritur, qua illa omnia compleantur.* Quinctil. 7, 3, 4. *haec* (finitio) *adhibetur orationi pluribus caussis. Nam tum est certum de nomine, sed quaeritur, quae res ei subiicienda sit: tum res est manifesta. Et quod nomine constat, de re dubium est, interim coniectura est.* 5, 11, 24. 5, 13, 1. et 40. 6, 5, 3.

Terent. Eun. 1, 1, 19. *et quod nunc tute tecum iratus cogitas* etc.

Cic. Verr. 3, 3, 5. *patior non moleste, iudices, eam vitam, quae mihi sua sponte antea iucunda fuerit, nunc iam mea lege et conditione necessariam quoque futuram. Et in hoc homine saepe a me quaeris, Hortensi, quibus inimicitiis aut qua iniuria adductus ad accusandum descenderim.* Transit ad aliud argumentum cum superiore cohaerens.

12. Per *et* inseruntur sententiae parenthesis.

Liv. 29, 23, 4. *ut accensum cupiditate (et sunt ante omnes Numidae barbaros effusi in venerem) sensit* etc.

13. „*Et* eleganter ponitur cum interrogatione in vehementioribus clausulis, quum attulimus, quae valde commovere possunt.“ Haec Goclenius Observat. lat. ling. p. 128. Cf. Gifan. Observ. p. 85 (175). Victor. Var. Lect. 19, 15. Acidalii divinat. in Plauti Cist. c. 2. Matthiae ad Cic. p. Leg. man. 14, 42. Burmann. ad Propert. 2, 15, 1. Saepe indignatio exprimitur oppositione rei vix credibilis.

Cic. p. L. manil. 14, 42. *et quisquam dubitabit, quin huic tantum bellum transmittendum sit?* 15, 45. Virgil. Aen. 6, 806. *et dubitamus adhuc virtutem excedere factis?* Ge. 2, 433. *et dubitant homines serere atque impendere curam?*

Cic. p. Sext. 37, 80. *et caussam dicit Sextius de vi? Quid ita?* p. Mil. 33, 91. *et sunt qui de via appia querantur, taceant de curia?* pro Cluent. 40, 111. Phil. 1, 8, 19. *quid? ea lege — nonne omnes iudiciariae leges Caesaris dissolvuntur? Et vos acta Caesaris defenditis, qui leges eius evertitis?* de Lege agr. 2, 26, 69. Tusc. 3, 16, 35. Sabinus Massurius apud Gellium 4, 20. *et cur, inquiunt, ita est, ut tu sis quam equus curatior?*

Virgil. Aen. 4, 215. *et nunc ille Paris — rapto potitur, nos — famam fovemus inanem?* 1, 48. *et quisquam numen Iunonis adoret praeterea?* Ovid. Am. 3, 3, 33. Met. 13, 338. *et se mihi comparet Aiax?* Petron. 96, 6. Propert. 2, 8, 2. *eripitur nobis iam pridem cara puella: et tu me lacrimas fundere, amice, vetas?* Cic. Phil.

2, 21, 51. *in te, M. Antoni, id decrevit senatus, et quidem incolumis — : et tu apud patres conscriptos contra me dicere ausus es, quum ab hoc ordine ego conservator essem, tu hostis rei publicae iudicatus?*

Carmen Ovidii Am. 3, 8. incipit ab his: *et quisquam ingenuas etiamnum suspicit artes?*

14. Sed in quacumque interrogatione locum habet particula, praesertim ubi continuatur colloquium ad aliam rem progrediens. Sic *et quis?* quae quomodo ab *ecquis* differant, vide p. 352. Cf. Scioppii Suspect. Lect. 4, 16. Cortius ad Lucan. 4, 542. et 3, 38. Oudend. ad Apul. Met. p. 76. Sic Graeci quoque καί usurpant. vid. Zeunius ad Viger. p. 521.

Virgil. Ecl. 1, 27. *et quae tanta fuit Romam tibi caussa videndi.* Cf. Drakenb. ad Liv. 40, 9, 12. Senec. Herc. Oet. 1355. *et unde in artus pestis aut ossa incidit?* ubi correxerunt *at.* Vid. Gronov. Stat. Theb. 11, 799. *et quid plura loquor?*

15. Sic etiam in exclamatione particula vim addit, maxime ubi indignatio coniuncta est cum admiratione. Librarii saepe scripserunt *en.*

Cic. p. Mil. 12, 33. *et adspexit me illis quidem oculis, quibus tum solebat, quum omnibus omnia minabatur!* ubi Ottonis coniectura *en* non erat probanda Beiero. in Verr. 5, 16, 41. *et his tot criminibus testimoniisque convictus in eorum tabella spem sibi aliquam proponit, quorum omnium palam — voce damnatus est!* p. Sext. 37, 80. ubi vd. Matthiae. Plin. Pan. 28, 6. *dent tibi, Caesar, aetatem dii, quam mereris, serventque animum, quem dederunt. Et quanto maiorem infantium turbam iterum iterumque iubebis incidi!* Florus 4, 2, 89. *et quanto maiora erant, de quibus non triumphabat!*

Lucan. 7, 783. *hunc infera monstra flagellant. Et quantum misero poenae mens conscia donat.* quae librarii interpolarunt, vel *o* vel *heu* scribentes.

Lucan. 5, 58. *et tibi, non fidae gentis dignissime regno, fortunae, Ptolemaee, pudor crimenque deorum, cingere pellaeo pressos diademate crines permissum.* ubi vid. Oudend. et Cort.

16. Antiquiores quidam, ut videtur, et recentiores scriptores, sicuti Apuleius, dicere solebant *et ecce.* vid. Miscel. Observ. Vol. 2. p. 308. Oudendorp. ad Apuleii Met. p. 9. et 283. ubi multa exempla. Dubium est, an scriptores meliores medii aevi ita loquuti fuerint.

Varro in Eumenid. apud Non. 2, 188. et 4, 25. *et ecce de improviso ad nos accedit cana veritas, atticae philosophiae alumna.* Apud Virgil. Georg. 1, 107. alia est ratio, quum cohaereant *et quum*. In Aen. 5, 167. *cum clamore Gyas revocabat: et ecce Cloanthum respicit.* optimi codices non habent *et*, nec dubitatur nunc de ancipiti syllaba in quarta sede.

17. In poetarum carminibus *et* saepe poni ab initio pentametri observavit Werferus in Actis Monacens. I. p. 539.

Ovid. Her. 15, 178. *quidquid erit, melius, quam nunc, erit. Aura, subito. Et mea non magnum corpora pondus habent.* 7, 53. Sabin. Epist. 2, 102.

18. Carmina et epistolae incipiunt a particula copulativa. Nam ea, quibus verba dicta coniungantur, tantum in animi cogitatione posita esse possunt. Vid. Propert. 1, 17. Cic. ad Fam. 13, 62. 10, 1.

IV. 1. Perventum est ad contraria et diversa, quae per hanc copulam coniunguntur: quod mirum esset, si Ramshornius negare voluisset Gramm. p. 805. In quo genere primum est notandum, etiamsi recta verborum oppositio admittat copulam, maiorem tamen vim exhiberi ea omissa.

Tacit. Ann. 1, 11. *ille varie disserebat de magnitudine imperii, sua modestia.* cf. 1, 5. Sed idem Tacitus 2, 72. *haec palam et alia secreto.* 12, 30. *dum adipiscerentur dominationes multa caritate, et maiore odio, postquam adepti sunt.* Ovid. Her. 12, 65. *petit altera et altera habebit.* de quo loco vid. Ephem. Ienens. 1814. n. 16.

2. Permulti critici contendunt, *et* significare *sed* vel *et tamen*, aut pro his poni. Significatio vero etiam in his simplex est, sed id, quod oppositionem exprimit, ipsa sunt contraria verba per *et* coniuncta. Quare praecedit negatio, aut sequitur in adiecta parte. Conf. Wopkens. Lect. Tull. p. 103 (75). Brem. ad Corn. Paus. 3, 7. ad Dat. 6, 4. Heusinger. ad Cornel. Paus. 3, 7. Goerenz. ad Cic. de Leg. 2, 21, 53. Numquam ipsum *et* significat *sed*. Latini vero in opponendis verbis contrariis saepius utuntur simplici copula, ubi nos Germani adversativam particulam usurpare solemus. Vid. Matthiae ad Cic. p. Rosc. 4, 10.

Varro de Ling. L. 4, 1. *in quo non debet pertendi, et pertendit.* Cic. Lael. 8, 26. *in amicitia nihil fictum, nihil simulatum: et*

quidquid in ea est, id et verum et voluntarium. Acad. 2, 37, 118. *Xenophanes — unum esse omnia, neque id esse mutabile, et id esse deum, neque natum umquam et sempiternum.* 1, 12, 46. *cuius in libris nihil affirmatur, et in utramque partem multa disseruntur.* de Fin. 2, 9, 27. *equidem illud ipsum non nimium probo, et tantum patior, philosophum loqui de cupiditatibus finiendis.* Brut. 56, 204. de Leg. 2, 21, 53. *hoc vere nihil ad pontificium ius et e medio est iure civili.* Orat. 58, 198. *omnis nec claudicans nec quasi fluctuans, et aequaliter constanterque ingrediens numerosa habetur oratio.* p. Rosc. Am. 4, 10. de Leg. 2, 17, 43. 1. 14, 41. Cornel. Them. 3, 2. Cim. 1, 4. Dat. 6, 4. Paus. 3, 7. Eum. 6, 1. 4, 3. Horat. Epist. 2, 1, 53. *Naevius in manibus non est, et mentibus haeret.* Martial. 6, 7, 1. *Iulia lex populis ex quo, Faustine, renata est —, aut minus aut certe non plus tricesima lux est, et nubit decimo iam Thelesina viro.* Tacit. Hist. 2, 74. *Muciani animus nec Vespasiano alienus et in Titum pronior.* Alia vide apud Bünemann. ad Lactant. 3, 11, 8. et apud Wopkens. Lect. Tull. p. 103. (75.) et apud Schevingium, qui Observat. in Cic. Brut. edidit Havn. 1817. ad 29, 110. ubi legitur: *neuter summi oratoris habuit laudem, et uterque in multis caussis versatus est.*

Cic. p. Arch. 7, 16. *quod si non hic tantus fructus ostenderetur, et si ex his studiis delectatio sola peteretur, tamen* etc.

Ovid. Her. 3, 79. *neve meos coram scindi patiare capillos et leviter dicas: haec quoque nostra fuit.*

Errant vero, qui hoc nomine defendunt Cic. Catil. 2, 6, 14. *et illa castra nunc non Catilinam ducem exspectant, et ille eiectus in exsilium se Massiliam, ut aiunt, non in haec castra conferet.* Nulla enim inest oppositio, atque inepta Heumanni correctio *sed ille.* Cic. de Orat. 3, 2, 4. *non tulit ille, et graviter exarsit.* Male Schützius dedit *sed graviter.* Brut. 29, 110. *de Scauro et Rutilio breviter licet dicere, quorum neuter summi oratoris habuit laudem, et uterque in multis caussis versatus erat.* ubi cum Ernestio Schützius scribendum esse censebat *at.* Sed magis fallitur Ellendtius, qui nec copulativam nec adversativam particulam aptam putat diverso tempori verbi. Id vero optime se habet. Acad. 2, 43, 134. *sed ille vereor ne virtuti plus tribuat, quam natura patiatur —: et hic metuo ne vix sibi constet.* ubi Goerenz. *et* notare dicit *sed.* At simpliciter nectit diversas partes. Male etiam explicuerunt Lael. 11, 13. *et minime tum quidem* etc.

3. Eodem modo saepe coniunguntur per *et*, quorum alterum alteri, quod negationem in se habet, maius

vel distinctius quid addit, ut intelligi possit *vel potius*, quod alibi verbis exprimitur.

Quinctil. 9, 2, 15. *cui diversum est, cur alium rogaveris, non exspectare responsum,. et statim subiicere: domus* etc. Bene restituit Spalding. in Quinctil. 10, 1, 40. *paucos et vix ullum ex his, qui vetustatem pertulerunt, existimo posse reperiri* etc. ubi vulgo legebatur *paucos, vel potius.* Sed Frotscherus non debebat inserere *enim*, quod in quibusdam libris pro *et* legitur, vid. Gernhard.

Cic. de Off. 3, 6, 32. *nulla enim societas nobis cum tyrannis, et potius summa distractio est.* Correxerunt *sed potius.*

4. Sed non tantum praemissa negatione adiungi potest contrarium, sed coniunguntur etiam ea per *et*, [illegible] um alterum, etiamsi contrarium sit, tamen una cum altero coniunctum reperitur. Quae ratio ita explicari potest, quasi *et* ponatur pro *et tamen, et contra*, vel inversa oratione, *quamquam, etsi.* Ernestius existimabat in eiusmodi enuntiationibus *et* significare *atqui, καίτοι.* Bene rem exposuit Wopkens. in Actis soc. rhenotrai. Vol. 2. p. 121. quem sequitur Walchius ad Tacit. Agr. 15. p. 222. Cf. Ernest. ad Ann. 5, 3.

Cic. de Orat. 3, 23, 86. *magister hic Samnitium summa iam senectute est, et quotidie commendatur.* Ernestius correxit *et summa*, sed recte restituit antiquam scripturam Henrichsen. Tusc. 1, 3, 6. *fieri autem potest, ut recte quis sentiat, et id, quod sentit, polite eloqui non possit.* Quinctil. 2, 5, 19. *ego optimos — velim, ut Livium a pueris magis quam Sallustium: et hic historiae maior est auctor.* ubi Spaldingius male coniecit *etsi*, docte defendit antiqua verba Zumptius.

Tacit. Hist. 2, 20. *postquam pax et concordia speciosis et irritis nominibus iactata sunt.* Liv. 25, 25, 5. *inter Neapolim et Tycham (nomina partium urbis, et instar urbium sunt) posuit castra.* Tacit. Agr. 15. *sic Germani excussisse iugum, et flumine, non oceano defendi.* Ann. 1, 38. *reduxit in hiberna turbidos et nihil ausos.* 5, 3. *missaeque in Agrippinem ac Neronem litterae, quas pridem allatas et cohibitas ab Augusta credidit.* 13, 22. *Syria P. Anteio destinata, et variis mox artibus elusus, ad postremum in urbe retentus est.* ubi Heinsius aliique mutaverunt *et* in *sed.* Ann. 12, 30. *regnum Vangio ac Sido inter se partivere, — subiectis — dum adipiscerentur dominationes multa caritate, et maiore odio, postquam adepti sunt.* Sueton. Vitell. 10. *optime olere occisum hostem et melius civem.* Hoc Wolfius negligentiam appellat, ego vero elegantiam latinam.

Quomodo respondeat hic usus particulae *sed*, id quod Walchius negare videtur, cognoscitur in Tacit. Ann. 1, 13. *M. Lepidum dixerat capacem sed aspernantem, Gallum Asinium avidum et minorem.*

Tamen cavendum est, ne aliena exempla ad hanc regulam exigamus, ut fecit Walchius, quum comparabat verba Livii 1, 37. *montes effuso cursu Sabini petebant, et pauci tenuere,* ubi nihil nisi rerum consequentia exprimitur. Sic etiam 44, 26, 6. Tacit. Hist. 2, 46. *opperiebatur — nequaquam trepidus et consilii certus.* nulla omnino est oppositio. Neque etiam in Agr. 9. *ubi conventus et iudicia poscerent, gravis, intentus, severus et saepius misericors.* Hist. 3, 67. *voces populi blandae et intempestivae.* i. e. et simul int. Quinctil. 9, 2, 15. *cui diversum est, quum alium rogaveris, non exspectare responsum, et statim subiicere: domus tibi deerat? et habebas.* Male accipies et pro *sed.*

5. Interdum haec designatio rei contrariae coniuncta est cum affirmatione: quemadmodum Germani dicunt *und* pro *und doch, und — ja.*

Cic. de Senect. 9, 28. *omnino canorum illud in voce splendescit etiam, nescio quo pacto, in senectute: quod equidem adhuc non amisi: et videtis annos.*

6. Negativa sententia nectitur vocabulo *nec.* Sed ubi oppositio fit recta, et ubi negatio non ad totam sententiam, hoc est, non ad iudicii formam pertinet, sed ad unam aliquam notionem, ideoque singularis vis imponitur negationi, Latini dicunt *et non.* Conf. Tom. I. p. 473. et 475. ubi etiam de praecepto quodam, a Matthiae proposito, dixi. Saepe *et non* usurpatum videmus, ubi *sed non, tamen non* vel tale quid exspectamus: quemadmodum etiam Graeci *καὶ οὐκ* dicunt. Atque eodem modo dicuntur *et nullus, et nemo, et numquam.* Et sunt quaedam formulae, in quibus *et* aliud nomen magis attrahit quam negationem, veluti *et simul non.*

Cic. de Inv. 2, 47, 140. *nullam rem neque legibus neque scriptura ulla — recte posse administrari, si unusquisque velit verba spectare et non ad voluntatem eius, qui ea verba habuerit, accedere.* in Verr. 5, 9, 24. *nisi vero existimatis — hoc praedandi genus ab isto in illo uno adhibitum ac tentatum, et non per illum omnibus pecuniosis Siculis metum propositum et iniectum.* de Inv. 1, 20, 28. de Orat. 3, 36, 144. in Verr. 3, 48, 113. ubi male iudicavit Ernestius. Tusc. 1, 7, 13. *quasi ego dicam*

eos miseros, qui nati non sunt, et non eos, qui mortui sunt. In Verr. 4, 60, 135. *longum est et non necessarium commemorare* etc. Multa alia exempla vid. in Ramshorn. Gramm. 188. p. 816. De loco Cic. de Leg. 2, 17, 44. vide ad Wopkens. Lect. p. 48. Cf. Heinrich. ad Cic. p. Scauro p. 19.

Cic. de Off. 1, 2, 5. *hic si sibi ipse consentiat et non interdum naturae bonitate vincatur, neque amicitiam colere possit, nec iustitiam nec liberalitatem.* ubi vid. Heusinger. cui in hac dictione aliquid insolentiae inesse videbatur. Liv. 21, 41, 13. *atque utinam pro decore tantum hoc vobis, et non pro salute, esset certamen.* 45, 38, 14. *si quis vos interroget, milites, ad quam rem in Italiam deportati et non statim, confecta provincia, dimissi sitis?* 10, 8, 1.

Cic. Tusc. 3, 17, 37. *quae si extrinsecus religata pendeat, et non et oriatur a se, et rursus ad se revertatur, et omnia sua complexa, nihil quaerat aliunde.* Sed fortasse delendum est *et* ante *non* positum, non illud ante *oriatur*.

Poetae etiam tum ponunt, quum in negatione nulla inest gravitas. Catull. 61, 203. *quoniam palam, quod cupis, capis, et bonum non abscondis amorem.* Propert. 1, 16, 5. *nunc ego, nocturnis potorum saucia rixis, pulsata indignis saepe queror manibus: et mihi non desunt turpes pendere corollae.*

Tacit. Germ. 20. *heredes tamen successoresque sui cuique liberi, et nullum testamentum.* sed paullo post, *nec ulla orbitatis pretia.* Cornel. Eum. 6, 1. *sin aliqua cupiditate raperetur in Macedoniam, omnium iniuriarum oblivisceretur, et in neminem acerbiore uteretur imperio.* Plin. Hist. n. 16, 40, 79. *Mucianus ter consul ex iis, qui proxime viso eo scripsere, vitigineum et numquam mutatum septies restituto templo.*

Oppositio, quam rectam vocamus, distinctius exprimitur nulla copula interposita, quam librarii saepe intruserunt. Cornel. Thras. 4, 1. *quam* (coronam) *quod amor civium, non vis expresserat.* Codices aliquot praebent *et non:* quod Heusingerus in Emendat. p. 546. comprobavit.

Cic. de Fin. 2, 10, 31. *et simul non proficiscitur animal illud modo natum a summa voluptate.* ubi Goerenzius caussam non recte exponit.

7. Vbi particulam *et* pro *etiam* positam sequitur negatio, sensus exsistit verborum *ne quidem.*

Senec. Epist. 54, 2. *ego vero et in ipsa suffocatione non desii cogitationibus laetis ac fortibus acquiescere.*

8. *Et necdum* componunt scriptores recentioris aevi.

Plin. Pan. 56, 2. *et necdum de biennio loquor.* 14, 1. *et necdum imperator, necdum dei filius eras.*

9. Quae Gernhardus in Excurs. II. ad Cic. Lael. p. 252. de formula *nescio an* disputat, quasi ea raro per *et* coniungatur propterea, quod non aptum sit ad dissimiles res iungendas et ad oppositionem efformandam, ea omnino non vera esse arbitror. Nam *et* dissimiles res coniungit facillime, neque aliud obstat impedimentum.

Cic. de Off. 2, 18, 64. *multa multis de suo iure cedentem, a litibus vero, quantum liceat et nescio an paullo plus etiam, quam liceat, abhorrentem.*

10. Praecedente negatione *non* in altera parte enuntiationis poetae, et fortasse etiam alii scriptores ponunt *et* pro *nec*, quando sensu cognata et germana magis sunt iungenda quam distinguenda, idque non modo in nominibus, sed etiam in sententiis connexis. cf. Bentlei. ad Terent. Heaut. l. c. et infra VI.

Terent. Heaut. 2, 3, 73. *non fit sine periclo facinus magnum et commemorabile.* ubi vulgo *nec* legebatur.

Lucan. 2, 234. *at non magnanimi percussit pectora Bruti terror, et in tanta pavidi formidine motus pars populi lugentis erat.* ubi Christius desiderat *nec.* Horat. Epist. 1, 6, 21. *ne plus frumenti dotalibus emetat agris, mutus et — hic tibi sit potius quam tu miserabilis illi.*

V. Dicendum nunc est de voc. *et*, quod pro *etiam* ponitur: cuius quaestionis primus auctor exstitit Laurentius Valla. Nam in Elegant. 2, 58. haec scripsit: „hoc admonendum est, *et* pro *etiam* apud Ciceronem nusquam reperiri, sicut in ceteris illo posterioribus: ut a Vergilio incipiamus, ut: *natus et ipse deo.* Quintil. *tamen si quid adversus te ipse commisit adolescens, sit hostis et meus:* Cicero dixisset, *sit hostis etiam meus* vel *meus quoque.*" Huic observationi, qua Valla usum unius scriptoris demonstraturus erat, nullam ipse adiecit rationem, neque ex iis, qui assentiebantur, quisquam alius, sed, tamquam de re satis comprobata, omnia exempla praeceptis istis contraria censebant falsa esse et corrigenda, quamquam, quod necessarium erat, non diligenter reputaverant, quam magnus eorum numerus esset,

nec quomodo in iis veteres libri consentirent. Ita Heusingeri et Schützius et Heindorfius et alii multi acquieverunt in Vallae decreto. Goerenzius in plurimis locis illud *et* librariis deberi censuit, et dubitavit, num in reliquis, quae nullam scripturae discrepantiam haberent, stare posset. vd. eum ad Cic. de Leg. 1, 7, 23.: postea certior rem affirmavit ad 2, 12, 29. ad Acad. 2, 4, 11. Orellius vero non minus fluctuat inconstantia sententiae quam Wolfius. cf. huius notae ad Tacit. Ann. 1, 4. et ad Cic. de Nat. d. 1, 5. De illius viri variis iudiciis dixit O. M. Müllerus De vi et usu verb. quorumdam. p. 8. et confer ipsum ad Tuscul. p. 395. Sed iam Ernestius, quo se verteret, non perspexit, saepe rem negans, et tamen *et* pro *etiam* plus semel Ciceroni per coniecturam inferens. vid. ad l. de Nat. d. 5, 19, 49. Novam viam aperuerunt demum Bremius ad Cic. de Fin. 1, 12. et Matthiae in Dissert. de anacoluthis apud Cic. a. 1809. et 1810. editis et repetitis in Wolfii Analect. Fasc. 3. ubi p. 4. docet: verissimam videri Vallae observationem, si ea ad mediam orationem referatur, non ad initium sententiarum, in quo saepe *et* pro *etiam* ponatur: sed multa exempla voculae semel positae ad anacolutha pertinere, in quibus mutata reliqua oratione alterum *et* omissum sit. Quam viam posthac etiam Goerenzius ad Acad. 2. p. 233. et Beierus ad Cic. p. Scauro p. 144. ingressi sunt. Müllerus autem ad Cic. de Orat. 1, 47. exempla ad tria genera referri iubet, in quibus aut *et* significet *vel*, *adeo*, aut anacoluthon insit, aut interpunctione restituendus videatur legitimus modus. Quibus adstipulati sunt non nova argumenta afferentes Buschius in Obs. ad Eurip. Phoen. p. 15. Ellendtius ad Brut. 2, 6. Giesius ad libros de Divin. alii. Lindemannus de Adverb. Spec. 3. p. 9. non uni Ciceroni hunc usum assignavit, sed universo latino sermoni, in quo *et* pro *etiam* non prius poni potuisset, quam quum romanus sermo iam omnis ad graecam linguam conformatus esset, omnemque proprietatem suam penitus exuisset, idque factum esse Quinctiliani tempore. Et quum Georgius Iacobus in Epistola ad Bruchium p. 28. item dixisset, particulae *et* in media oratione positae et altera particula *et* carentis (quae scilicet petitio principii est) vim et potestatem ab elliptica quadam dicendi ratione repetendam esse, qui usus ad anacoluthiam propius accedat, sive eam (quod prudenter addit) ex enuntiatis insertis, sive a commo-

tiore dicendi genere ortam esse dicamus: omnia haec nuperrime corripuit Otto, et in Excursu 3. ad Cic. de Fin. p. 376. multis verbis rem ita exposuit, ut exceptis quatuor formulis *et ipse*, *simul et*, *sic et*, sive *sicut et, sed et*, quae a Graecis desumptae propter brevitatem suam tantopere placuerint Romanis, ut ne Cicero quidem ab earum usu abstineret (quamquam ipse de iis rursus dubitat p. 379.), omnia alia exempla aut aliter explicanda aut corrigenda esse decerneret: illa enim omnia esse eiusmodi, ut partitionem contineant, et ad anacoluthiam referantur.

In his omnibus, quae multa sunt, equidem nec rationis et caussae subtilem expositionem video, et eam curam desidero, qua in alicuius scriptoris usu singulari observando et refugere nos oportet ab omni caussarum anticipatione, nec decet ea, quae rariora sunt, tamquam falsa improbare, aut etiam elegantiae nomine commendare. Vallae praeceptum in iis pono, quae veris falsa admixta habent. Tantum vero aberat, ut qui Vallam sequuti sunt, falsa a veris accurate distinguerent, ut unam partem amplexi, universae rei contortae vim inferrent. Primo enim graecismum appellant, qui seriori tempore in linguam romanam invectus sit, et ab eo dicunt unum Ciceronem studio purae latinitatis et consilio abstinuisse eo tempore, quo romanus sermo non omnis ad graecam linguam conformatus esset. Attamen huic graecismo concedunt etiam apud Ciceronem in initio sententiarum locum, et in formulis istis quatuor. Cur vero non in media quoque oratione? cur Cicero dicat *sed et*, non *verum et?* cur *sic et apud Graecos*, non vero *et apud Graecos?* An Cato et Varro et Plautus, et Caesar magis indulserunt Graecorum imitationi? Et propter brevitatem istas formulas placuisse, et ne Ciceroni quidem displicuisse, quis credat? Scilicet aderat universus usus, in quo Cicero quaedam elegerit, alia aeque proba repudiaverit. Profecto hoc non verum, illa absona sunt. Nec quisquam adhuc offendit in usu verborum *et* — *et*, quorum prius non nectit superiora, neque in *etsi*, quod est *etiamsi*, neque in *etiam*, quod pro *et* ponitur. Quae omnia aut mala aut nulla argumentatione aguntur, sed subtilioribus ingeniis aperiunt novum exercitationis campum in illustranda anacoluthi elegantia. Atque haec figura, quam anacoluthon vocant, nunc in philologorum armamentariis inter ea instrumenta

conspicitur, de quibus Hermannus facete nuper dixit: eorum fabricam atque usum qui calleant, recte iis et cum fructu uti, qui non calleant, nihil proficere, nisi ut territent nonnullos *σὺν σάκει κωδωνοκρότῳ παλαισταί*. Etenim haec forma commutatae orationis, quam oratores aliique scriptores singulari cum efficacia adhibent ad declarandam animi commotionem, vel ad liberiorem nexum sententiis iniiciendum, tantum abest ut, nisi caussa idonea intercedat, elegantiae nomen et laudem inveniat, ut semper negligentiae mereatur notam, in bono scriptore vix tolerabilem, in malo vituperandam. Et quae cogitatione vel festinante vel praecipitante aut calamo currente nascuntur, nulla est ratio putare, de consilio et artificiose facta esse. Nimirum si criticos nostros audiamus, Ciceronem, optimum latinitatis auctorem, existimabimus saepe *et* posuisse ex conturbata cogitatione vel ex oblivione eorum, quae modo scripsisset, vel eo consilio a recta via discessisse, ut negligentiae culpa sibi liberioris dictionis ius vindicaret. Equidem vero nescio an maior sit erroris culpa eorum, qui in his anacoluthis plenam sententiarum constructionem demonstrare conantur altero *et* substituto, cui in plurimis vel ob sensum vel ob orationis formationem nullus assignari potest locus.

Eorum, quae Otto de anacoluthis disseruit, principia omnia sunt ex Hermanni decretis deprompta, sed in exemplorum demonstratione genera, quae antea distincta erant, rhetorica et grammatica rursus confunduntur. Atque hunc modum explicationis in uno exemplo cognovisse sat erit. In orat. in Verr. 2, 28, 71. quod legitur: *nisi vero illud dicet, quod et in testimonio Tettii, priore actione interpellavit Hortensius.* id Cicero tamquam priorem partem sententiae posuisse dicitur, cuius alteram partem inveniamus in altera pagina c. 30, 75. *quid ego nunc in altera actione Cn. Dolabellae spiritus., quid huius lacrimas et concursationes proferam?* Hoc serio contendere, praesertim quum *et* verbis *in testimonio* additum sit, quale hoc mihi videatur, equidem non dicam. De Div. 1, 20, 40. *narrat enim et apud Ennium Vestalis illa.* ad haec Otto: „particulae *et* respondet c. 21. *sit sane etiam illud commenticium.*" Et sic multa alia ita composita, ut nihil esse videatur tam alienum tamve inconcinnum, cui haec anacoluthorum confibula non possit aptari.

Inter eos, qui praeceptum Laurentii Vallae aspernati

sunt, Wolfius in Analect. Fasc. 2. p. 502. satis habuit digitum ad veram rationem intendisse: qui quum vim, qua *et* ante Ciceronis tempora pro *etiam* positum sit, infirmam et evanidam appellasset, etiam Kritzius ad Sallust. Cat. 35. p. 163. eam vocat leviorem quam in verbo *etiam:* at, qualis ea sit; nemo demonstrat. Reliqui enim Hottingerus ad Cic. de Divin. 1, 55. p. 154. Wagnerus in Ind. Lection. Acad. Marburg. 1816. p. 5. Creuzer. ad Cic. de Nat. d. 1, 39. p. 179. Beierus ad Off. T. 1. p. 286. nihil protulerunt nisi aliquos Ciceronis aliorumque veterum scriptorum locos, quorum de integritate non posset dubitari. Tamen Kühnerus ad Tusc. p. 77. „hodie", inquit, „nemo facile exsistet, qui Tullium *et* pro *etiam*, rarius quidem, dixisse infitias eat." Quae iam Gernhardus ad Off. 1, 40, 142. praeluserat. Sed hic vir doctus inter omnes optime, nisi perspexisse, tamen considerasse mihi videtur rei caussam. Vid. Comm. Gramm. II. p. 7. Et vere iudicant in quibusdam rebus etiam Ramshornius p. 822. et Kritzius ad Sallust. Cat. 35. Sed quod maximum erat, in principio constitui debebat quaestionis argumentum, nec quaeri, utrum *et* apud Ciceronem significaverit *etiam*, an non, sed quibus modis diversis usurpata fuerit haec particula, una significatione eius servata.

Atque *et* particula, quae verba et sententias coniungit, eam in se habet vim propriam, ut alia ante dictis vel ante cogitatis adiiciat sive complementi caussa, sive in partium compositione. Ergo significat *et ad hoc*, *et simul*, *und dazu*. Haec vero ipsa accessio rei, si ita designanda est, ut dicatur res esse praeterea, sive praeter id, quod dictum cogitatumve sit, *und überdies*, Latini dicunt *etiam*, quod proprie reddamus *und noch*, *und noch dazu*, *auch*. Haec vero utriusque notionis cognatio ac similitudo semper effecit, ut in quacumque lingua vocabula confunderentur. Sic veteres alemannici scriptores *auk* ponunt pro *und:* sic Vlfilas Ioh. 2, 22. verba *sed et nunc scio* vertit *akei jah nu wait*. cf. Luc. 14, 12. Paul. ad Rom. 14, 10. sic Graeci uno vocabulo *καί* utuntur. Neque aliter Latini in vitae communis usu antiquo semper et ubique *et* pro *etiam* dixisse videntur. Scriptores autem, qui arte verba versabant, etiam in hac re non sine iudicio agebant. Atque duo erant momenta, duoque sunt exemplorum genera. *Et*, quod copulat et ab initio sententiae ponitur, quum uni alicui nomini

peculiarem adiicit designationem, ut sit *et ad hoc illud*, mutat locum, et occupat eum post primum nomen sive sit coniunctio sive aliud. Sic *et simul*, *und zugleich*, *et quum*, *und da*, fiunt *simul et*, *zugleich auch*, *quum et*, *da auch*. Attrahitur enim *et* ab uno aliquo nomine, quod sequitur. Et quum in conformandis enuntiationibus oratio non semper a primo vocabulo incipiat, sed saepe verbum aliquod praemittatur vel nexus vel introductionis caussa, etiam in his particula primum locum sibi proprium obtinere videtur. Est igitur inversionis genus. Sed illud, quod unius nominis praecipuam designationem efficit, cernitur in oppositione aliarum rerum, quae vel ante dictae sunt vel cogitatione comprehenduntur. Quemadmodum qui dicit *idem et ille fecit*, cogitat *et alii et ille fecit*. Tantum igitur abest, ut, *et* sic posito, cum anacoluthorum fautoribus aliud *et* in sequentibus exspectemus, ut priorem partem, cui altera per *et* adiungatur, iam animo vel verbis ante dictis teneamus conceptam. Hanc vero ad legem omnes boni scriptores, et Cicero imprimis, orationem suam formarunt, atque cum illa designandi vi, et inverso verborum ordine, *et* post primum vocabulum, tamen ab initio sententiae collocarunt. Nam in quibus a regula discesserunt, rara sunt exempla. Sed usus communis haec postea extenuavit ita, ut, ubi oppositio alicuius rei adesset, etiam in media oratione *et* pro *etiam* ponerent. Ratio eadem quidem est, non vero idem modus grammaticus: nam amittit particula vim copulativam, et simpliciter significat id quod *etiam*. Quod fieri posse et graecum καὶ et gothicum *jah* ostendunt. Sed rarius hac dictione utebantur etiam inter recentiores ii, qui erant verborum diligentiores: tamen in Cicerone id vituperare, quod recte fieri posse, et ante eum factum esse nemo negabit, non minus ineptum videtur, quam contendere, numquam a Cicerone id dictum esse, sed in omnibus locis librariorum sedulitati deberi. Illud vero, quod critici narrant, *etiam* saepe a scribis mutatum esse in *et*, falsum est commentum. Nam saepius illi *etiam* scripserunt, ut significationem voculae *et* explicarent; quo in iudicio mecum sentiunt Heinsius ad Vellei. Pat. 2, 116. et Drakenborch. ad Liv. 22, 47, 9. Atque idem cognoscitur ex glossis antiquis. vid. Schol. ad Lucan. 1, 675. 8, 257. 415. 10, 269. Nos nunc omnem usum ad definita exemplo-

rum genera revocabimus, et universam latini sermonis consuetudinem ita exponemus, ut etiam scriptorum et aetatis proprietates eluceant.

1. Primum igitur *et* adiungit id, quod praeter rem dictam etiam accedit, ut sit *praeterea*, *und auch*, *und zugleich*.

Cic. ad Att. 1, 5. ***Terentia — te — maxime diligit, salutemque tibi plurimam adscribit, et Tulliola, deliciae nostrae.***

Virgil. Aen. 2, 88. ***dum stabat regno incolumis, regumque vigebat conciliis, et nos aliquod nomenque decusque gessimus.***

Tacit. Hist. 3, 69. ***quippe miles Vitellii adversus pericula ferox, laboribus et vigiliis parum intentus erat: et hibernus imber repente fusus oculos auresque impediebat.***

Scribon. Larg. 22. ***et hoc enim ego adiicio.***

2. Atque hoc imprimis ab initio sententiarum, quae superioribus adiiciuntur, locum habet, estque *et und auch*, et si praecedit, quocum ex aequo aliquid componitur, idem quod *et item: und so auch*.

Formula est saepe frequentata in mutua salutatione. Plaut. Stich. 2, 1, 44. GE. *Salvus sis.* DE. *Et tu salve.* Trin. 1, 2, 11. Mil. 4, 8, 42, Terent. Hec. 1, 2, 122. Plaut. Pers. 4, 6, 27. DO. *Vale.* SA. *Et vos.* Sed ne quis de hac ratione dubitet, cf. Plaut. Most. 3, 1, 42. *salve et tu.*

Terent. Ad. 1, 2, 49. DE. *Curae est mihi.* M. *Et mihi curae est.*

Cic. de Nat. d. 3, 33, 82. *et praedones multi saepe poenas dant.* de Fin. 1, 7, 25. *haec enim ipsa mihi sunt voluptati: et erant illa Torquatis.* ubi Goerenzius male explicat *et sane:* nam affirmandi vis inest in verbo *erant*, ob hanc ipsam caussam praeposito. p. Rosc. Am. 33, 92. *ubi tunc eras? Romae. Verum quid ad rem? et alii multi.* Hoc scilicet anacoluthon appellant. Idem contracta oratione paullo post 94. *fateor me sectorem esse verum et alii multi.* ubi male interpungunt post *verum.* Partit. orat. 26, 91. *et illud videndum*, *quanto* etc. p. Balba 25, 57. Horat. Art. poet. 19. *et fortasse cupressum scis simulare.* i. e. *auch kannst du vielleicht eine Cypresse malen.* Tibull. 2, 6, 9. *castra peto, valeatque Venus valeantque puellae. Et mihi sunt vires: et mihi facta tuba est.* Ovid. Trist. 1, 3, 83. *et mihi facta via est: et me capit ultima tellus.* Virgil. Ecl. 3, 44.

Plaut. Rud. Prol. 8. *et alia signa de coelo ad terram accidunt.* Cic. de Nat. d. 3, 11, 26. *at enim quaerit apud Xenophontem*

Socrates, unde animum arripuerimus, si nullus fuerit in mundo. Et ego quaero, unde orationem. p. Balb. 25, 57. *obiectum est etiam, quod* — etc. *Et adoptio Theophani agitata est.*

3. Huc pertinent formulae *et — igitur*, *et — ergo*, in quibus *et* ab initio positum attrahit aliquod verbum, et significat *etiam*.

Cic. Tusc. 5, 16, 17. *affectus autem animi in bono viro laudabilis: et vita igitur laudabilis boni viri; et honesta ergo, quoniam laudabilis.*

4. Saepe inseritur adiectivum vel participium, quo praedicatum addatur praeterea. Tum *et* copulat enuntiationem, quae per relativum adiici potest, et simul uni nomini peculiariter adhaerens, ei lumen addit.

Liv. 1, 12, 3. *Romulus, et ipse turba fugientium actus, arma ad coelum tollens — inquit.* i. e. qui ipse adeo — actus erat: de quo loco conf. n. 10. Tacit. Ann. 16, 1. *ne — reges Numidarum, et alias infensi, cupidine auri ad bellum accenderentur.* Propert. 3, 25 (23), 13. *vellere tum cupies albos a stirpe capillos, et speculo rugas increpitante tibi.* Haec scriptura codicibus, quos laudat Broukhusius, confirmata, praestat alteri *a*, quod esse dicunt *ah*.

5. In verbis *et ipse* quadruplex observatio suppetit. Cicero enim et qui eiusdem erant aetatis, non aliter ea usurpabant quam reliqua pronomina, de quibus dicemus n. 10. Sed Livius et alii post eum dicebant in definienda conditione, quam aliquis cum altero ante dicto communem habet, vel in sententia relativa, vel in adiectivis et participiis eodem modo adiunctis. Tum vero haec verba haud raro ita collocabant in personae distinctione, ut *et* redundare videretur: quod imitatur germanica lingua. Denique idem Livius et recentiores scriptores *et ipse* usurpabant simpliciter pro *etiam, quoque*, in quocumque loco sententiarum.

Referunt huc verba Ciceronis de Leg. 2, 14, 34. interpunctione nunc ita correcta: *Sed redde cetera.* M. *Reddam vero, et ipsa, si potero, brevi.* Haec explicat Goerenzius: reddam vero cetera et ea ipsa brevi. Quis vero ita loquitur? Locus, quem ille contulit, alius est generis. At compara ea, quae n. 10. congessisimus, et restitues antiquam interpunctionem: *reddam vero et ipsa, si potero, brevi.*

Liv. 6, 3, 34. *victor ex Volscis in Aequos transiit, et ipsos bellum molientes.* i. e. etiam ex sua parte bellum molientes.

Curt. 8, 3, 24. *tum regiae pellices trecentae sexaginta vehebantur, et ipsae regali cultu ornatuque.* 5, 7, 4. *ebrio scorto de tanta re ferenti sententiam unus et alter, et ipsi mero onerati assentiuntur.* Quinctil. 5, 2, 2. *vult enim cognoscentium quisque firmam esse alterius sententiam, et ipse pronuntiaturus.*

Liv. 1, 56, 1. *qui quum haud parvus et ipse militiae adderetur labor.* i. e. qui labor aedificandi, et ipse haud parvus, quum adderetur militiae: ut recte Gronovius. 27, 27, 7. *tum et ipsi cum Crispino consule duobus iaculis icto et Marcello adolescente, saucio et ipso, effugerunt.* Alia Duker. ad 34, 14, 2.

Liv. 27, 32, 4. *et primo recipere suos voluerat rex: dein contracto iam inter Aetolos et Trallos — certamine, quum urgeri videret suos, et ipse rex cum equitatu in cohortem romanam incurrit.* 44, 45, 12. *rex in domum se recepit pecuniaque et auro argentoque in lembos — delatis, et ipse ad flumen descendit.* 21, 28, 3. *mox et ipse* etc. 31, 21, 14. *simul et ipse* etc.

Liv. 29, 6, 1. *quae* (urbs) *sub defectionem Italiae desciverat et ipsa ad Poenos.* Eutrop. 8, 7. *huius successor L. Antoninus Commodus nihil paternum habuit, nisi quod contra Germanos feliciter et ipse pugnavit.*

Ab his diversa sunt, in quibus significatio verbi *ipse* per se constat. veluti in loco Quinctil. de quo p. 478. loquuti sumus, et apud Liv. 8, 3, 9. *per quos, praeter Signiam Velitrasque, et ipsas colonias romanas, Volsci etiam exciti ad arma erant.*

6. Accedo ad traiectionem. In ea enim enuntiationis parte, quae annecti deberet per *et*, transposita copula et uno aliquo vocabulo praemisso, res, quae nominatur, in oppositionem aliarum rerum effertur et accedere dicitur.

Cic. Top. 6, 28. *sunt et alia genera definitionum.* Quod dici poterat extra oppositionem eorum, quae iam dicta erant: et alia genera sunt d. Virgil. Aen. 9, 136. *sunt et mea contra fata mihi.*

Horat. Carm. 1, 4, 9. *nunc decet — viridi nitidum caput impedire myrto —: nunc et in umbrosis Fauno decet immolare lucis.* Non aliter quam apud Caes. B. gall. 6, 13. *disciplina in Britannia reperta atque inde in Galliam translata esse existimabatur: et nunc, qui diligentius eam rem cognoscere volunt, plerumque illo discendi caussa proficiscuntur.*

Caesar Bell. gall. 1, 15. *quo proelio sublati Helvetii — audacius subsistere, nonnumquam et novissimo agmine proelio nostros lacessere coeperunt.* Errant, qui mutant et in *ex*. Est enim

i. q. et novissimo agmine nonnumquam etc. Sueton. Caes. 3. *meruit et sub Servilio Isaurico in Cilicia, sed brevi tempore.*

7. Sunt vero ipsa verba consideranda, in quibus proprie admittitur haec inversio. Atque mirabiliter criticos, etiam optimos, fefellit formula *nam et*, quae quum in tam multis locis reperiatur, et simplicissima ac vera ratione confirmetur, cavendum erit, ne imprudenter admoveamus machinas, quibus removeantur difficultates, quae non adsunt. Tamen permultam operam viri docti consumpserunt in demonstranda negligentia grata, qua Cicero ab *et* sententiam bipartitam incepisset, sed alteram partem omisisset, atque alio modo orationem continuasset: nec satis reputaverunt, quam ineptum hoc fuisset, nisi animi commotio aut alia caussa intercessisset. Neque vero intelligitur, cur Cicero semper post verba *nam et*, cogitatione turbata, orationem formaverit inconcinnam et claudam. Sed omnis hic error proficiscitur eo, quod partem enuntiationis hanc, quae *et* habet, putant primam esse, et alteram omitti, quum illa secunda sit, et prima ex superioribus intelligi debeat. Nam recte dicitur *nam et — et*, sed mutatur ratio altera prima parte non verbis expressa. Latini enim tribus utuntur formulis similibus *etenim*, et *nam et*, et *namque*, sed diverso sensu. Graeci dicunt καὶ γάρ, τε γάρ et antiquiores γάρ τε. Per *etenim* nectitur tota sententia, quae alii sententiae comprobationem adiiciat, sed in *nam et* attrahitur unius nominis notio, quae in comprobatione aut maximum valet, aut cum aliis rebus componitur. Vnde nascitur intensiva vis, quam a copulativa particula non alienam esse antea vidimus. Haec vero vis a nobis non potest reddi nisi vocabulis distincte rem designantibus: *nemlich*, *denn eben*, vel etiam verbis *denn auch*. Tamen non repugnat natura copulativa. Pergit enim oratio eodem modo iuncta, quo legitur apud Ciceronem Orat. part. 26, 91. *et illud videndum*. Sed praemittitur coniunctio, quae indicat inesse comprobationem: quasi verba Ciceronis *nam et Athenis iam ille mos a Cecrope permansit* pronuntiemus ita: nam, et Athenis iam etc. Quare *et* non negabimus ab initio sententiae positum esse. Atque eodem modo Graeci καὶ γάρ dicunt, ut non modo sit *etenim*, sed ut καὶ ad unum aliquod nomen pertineat. Plat. Gorg. p. 467. B. καὶ γάρ νῦν ὁμολογῶ.

Varro de Re r. 2, 1, 24. *relinquitur nonum quod dixi, de numero, utriusque partis commune. Nam et qui parat pecus necesse est constituat numerum.* Cic. de Orat. 1, 25, 113. *sic igitur sentio, — naturam primum atque ingenium ad dicendum vim afferre maximam: neque vero istis, de quibus paullo ante dixit Antonius, scriptoribus artis rationem dicendi et viam, sed naturam defuisse. Nam et animi atque ingenii celeres quidam motus esse debent.* In his Klotzius, qui Lect. Tull. p. 7. de hoc loco disseruit, admiratur autem singularem, qua Cicero, concinnam dicendi rationem negligens, verba ad sententiam accommodaverit, quum ei primum de animi virtutibus, deinde de corporis viribus dicendum fuisset, et id, quod voculae *et* responderet, verbis expressisset infra positis: *sed si quis est, qui haec putet arte accipi posse, quid de illis dicet, quae cum ipso homine nascuntur?* Quorum omnium nihil verum est. Noluit enim Cicero simul de corporis viribus aequale proferre argumentum, sed descendit ad ea, quae nullam admitterent dubitationem, et nisi inepta, tamen non bene composita esset haee sententia: nam et animi celeres quidam motus esse debent, et alia sunt, quae certe cum ipso homine nascuntur. At *nam et* significat *καὶ γάρ, denn eben, nemlich.* de Orat. 2, 11, 48. *nam et testimonium saepe dicendum est:* ubi si Klotzio et Matthiae in Seebodii Miscell. crit. 1. p. 677. credamus, necesse erit *et — et*, quod substituunt, accipiamus pro *modo — modo:* quod fieri non potest, nisi tota sententia verbis expressa. Sed non alia est ratio quam de Nat. d. 3, 33, 82. *et praedones multi saepe poenas dant.* 1, 49, 214. *Crassus vero mihi noster visus est oratoris facultatem non illius artis terminis, sed ingenii sui finibus, immensis pene, describere. Nam et civitatum regendarum oratori gubernacula sententia sua tradidit.* Matthiae, „voluerat," inquit, „addere *et philosophiam:* sed quum ad priora refutanda abripi se passus esset, illa verba hic omisit et ad quaestionem de philosophia c. 51. demum transit." Tunc profecto Cicero litura correxisset illud *et* male scriptum, quod quomodo perspicuitati aut elegantiae inserviat, non liquet. Neque omnino, quum haec scripturus erat, de philosophia cogitavit. Atque sic in reliquis, quae multa sunt: de Orat. 1, 49, 214. de Invent. 1, 16, 23. ubi Orellius eiiciendum putat *nam.* de Off. 1, 40, 142. *ita videtur eadem vis ordinis et collocationis fore. Nam et ordinem sic definiunt, compositionem rerum aptis et accommodatis locis.* Ad haec Iacobus: „collocationis omittit explicationem, et statim ad modestiam ulterius pergit." Cur tandem? Nulla apparet caussa. Atqui vitiosa esset dictio. De Off. 2, 9, 33. *fides autem ut habeatur, duabus rebus effici potest: si existimabimur adepti coniunctam cum iustitia prudentiam.*

Nam et iis fidem habemus, quos plus intelligere quam nos arbitramur. His respondere dicunt infra posita: *iustis autem et fidis hominibus, id est viris bonis, ita fides habetur, ut nulla sit in his fraudis iniuriaeque suspicio.* Quae quomodo inter se concilientur, equidem non assequor. Nam Cicero non dicit: et prudentioribus fidem habemus et iustis, sed, in quibus prudentia cum iustitia coniuncta est, *quippe quum prudentia sine iustitia nihil valeat ad faciendam fidem.* Igitur qui alterum et desiderant, sententiam Ciceronis corrumpunt. de Divin. 1, 30, 63. *itaque appropinquante morte multo est divinior. Nam et id ipsum vident, qui sunt morbo gravi et mortifero affecti, instare mortem.* ubi critici nesciunt, quo adminiculum inveniant. Sensus est: *denn dies eben fühlen diejenigen, welche tödtlich krank sind, dafs der Tod nicht fern sey.* Neque aliter pro Lege man. 7, 15. Orat. 57, 192. de Fin. 2, 4, 13. de quo loco iterum dicam. Et quid certius hoc exemplo? Liv. 6, 19, 4. *nam et, quia eumdem et suae potestatis, quem libertatis omnium, finem cernebant, patrum auctoritati se dediderant.*

Et simpliciter pro *etiam* accipias in his: Cic. de Leg. 1, 11, 31. *nec solum in rectis, sed etiam in pravitatibus insignis est humani generis similitudo: nam et voluptate capiuntur omnes.* 2, 25, 63. *nam et Athenis iam ille mos a Cecrope — permansit.* ubi *et — iam* nihil aliud nisi *etiam*: i. e. *denn auch zu Athen.* Curt. 8, 12, 17. *non errasti, inquit, mater: nam et hic Alexander est.*

Ne quid praeteriisse videar, exempla apponam, in quibus bipartita sententia duplici *et* exprimitur. Cic. de Inv. 2, 37, 110. *nam et apud iudices de praemio saepe accusatorum quaeritur, et a senatu aut a consilio aliquod praemium saepe petitur.* Quinctil. 2, 20, 10. *at prooemium aliquando et narrationem dicit malus homo et argumenta, sic, ut nihil sit in his requirendum. Nam et latro pugnabit acriter, virtus tamen erit fortitudo: et tormenta sine gemitu feret malus servus, tolerantia tamen doloris laude sua non carebit.*

8. Quae de *nam et* disputavimus, egregie confirmantur aliarum formularum usu. Dicunt enim Latini *at et*, *verum et*, *sed et*, in iis, quae opponuntur et simul cum distinctione nectuntur. Graecorum *δέ τε* comparari potest, et magis etiam gothicum *uththan jah*, quod est *aber auch.* vid. Vlfilas Luc. 14, 12. Sic *quin et*, *ergo et*, *itaque et* in eum modum construuntur, ut alia interpunctione facta *(ergo, et)* primitiva forma cognosci possit. Similiter *an et*, *num et*, in quibus *et* cum superioribus cohaeret, praemissa interrogationis parti-

cula. Neque aliter *age et*, in quo adeo verba interpunctione distendi possunt.

Cic. Tusc. 3, 3, 5. *at et morbi perniciosiores pluresque sunt animi quam corporis.* ubi Wolfius aut *et* — *que* opponi putat, aut *at* intendi voce *et.* Illud Orellius et Kühnerus probant, hoc verum est. p. Sext. 59, 126. *at vero et ille tribunus plebis — numquam est conspectus, quum veniret.*

Cic. p. Rosc. Am. 33, 94. *fateor me sectorem esse. Verum et alii multi.* i. e. *aber dazu viele andere.* i. e. *aber auch viele.*

Cic. Brut. 17, 67. *sed et in nostris inscitia est.* ad Att. 5, 10. *valde me Athenae delectarunt: urbs dumtaxat, et urbis ornamentum, et hominum amores in te et in nos quaedam benivolentia: sed multum et philosophia.* Scripserunt editores *est.* Quinctil. 10, 1, 107. *et fortasse epilogos illi mos civitatis abstulerit: sed et nobis illa, quae Attici mirantur, diversa latini sermonis ratio minus permiserit.*

Liv. 22, 1, 18. *quin et libertinae ut ipsae — pecuniam pro facultatibus suis conferrent.* Horat. C. 1, 10, 13. *quin et Atridas, duce te, superbos — Priamus fefellit.*

Cic. de Leg. 1, 12, 33. *quibus enim ratio a natura data est, iisdem etiam recta ratio data est: ergo et lex, quae est recta ratio in iubendo et vetando.* i. e. ergo, et lex. de Fin. 3, 8, 27. *aut expetendum, quod non placens, aut si id, non etiam diligendum: ergo et probandum.* de Divin. 1, 50, 114. *ergo et ii — cernunt.* Tusc. 3, 26, 63. *sed haec omnia faciunt opinantes, ita fieri posse. Itaque et Aeschines in Demosthenem invehitur, quod* etc. ubi Otto p. 386. opinatur respondere his verba: *ex hoc evenit, ut in animi doloribus alii solitudines captent.* Tusc. 1, 2, 4. *igitur et Epaminondas, princeps, meo iudicio, Graeciae, fidibus praeclare cecinisse dicitur.* de quo loco iterum infra.

Cic. ad Att. 7, 26. *nunc, ut video, pueri certe in Firmiano videntur hiematuri: num et ego, nescio.* ubi aut inepte intelligunt *vel*, *adeo*, aut ad v. *pueri* aliquid supplent, ut Iacobus. Similiter Quinctil. 11, 3, 60. *non et Cicero dicit esse aliquem in oratione cantum obscuriorem?* Cic. p. Rosc. Com. 14, 43. *utrum dicis? Luscio et Manilio: an et Cluvio non esse credendum?* Plaut. Amph. 2, 2, 113. *an et id tu scis?* Sic editiones veteres.

Cic. de Nat. d. 1, 30, 83. *age et his vocabulis deos esse faciamus, quibus a nobis nominantur.* ubi interponi potest comma. Certe inopportuna est emendatio ab Ottone p. 382. facta. vid. Tom. I. p. 208. Horat. Epist. 2, 1, 214. *verum age et his, qui se lectori credere malunt — curam redde brevem.*

9. Atque haec eadem est caussa, quapropter *et* post relativa pronomina et coniunctiones *quum*, *quod* et quae sunt huius generis, ita ponitur, ut aliquam rem singularem cum superioribus nectens aut opponens, eam vel accedere vel non deesse indicet: unde fit significatio verbi *etiam*.

Varro de Ling. lat. 4, 8. *quartae regionis Palatium quod Palantes cum Euandro venerunt, qui et Palatini.* Ita codd. non *etiam*. Cic. in Verr. 2, 28, 71. *nisi vero illud dicet, quod et in testimonio Tetii, priore actione interpellavit Hortensius.* Quasi sententia incipiat ab his verbis: *et in testimonio.* 5, 19, 48. *quod et ostendam, quum istos perduxero.* ubi Otto corrigi iubet *etiam* vel *ei.* Est vero: *et ostendam hoc.* de Nat. d. 1, 26, 72. *quod et non praedicanti tamen facile equidem crederem.* Etiam hic eodem modo mutant temere. de Leg. 2, 16, 40. *quod et nunc multis fit in fanis.* 3, 2, 4. *deinde etiam deinceps posteris prodebatur: quod et in his etiam, qui nunc regnant, manet.*

Cic. in Verr. 2, 65, 159. *itaque quum Rhodii bellum illud prope soli superius cum Mithridate rege gesserint — quum et regis inimici praeter ceteros essent* etc. Quod Schützius coniecit *et quum*, pene eumdem sensum habet, sed sine distinctione verborum *regis inimici.* Differunt ita *und da* et *da auch.* Sic Sallust. Cat. 35, 3. *quum et alienis nominibus liberalitas Orestillae suis filiaeque copiis persolveret.* Cic. Brut. 26, 100. *nec de Persio reticuisset Gracchus, quum et Fannius de Menelao Maratheno et de ceteris obiecisset.* Qui scripserunt *ei*, non viderunt optime se habere *quum et*, *da auch.* Est enim, fecisset Gracchus, quod idem fecit Fannius. Tusc. 4, 15, 34. *quando et aliis locis de virtute et diximus et saepe dicendum erit.* Ita codd. Liv. 42, 15, 2. *praeterquam quod et ita credebat futurum.*

10. In iis nominibus, quae *et* copulam ad se trahunt, et ex ea singularem designationem accipiunt, ut ipsa pro *etiam* posita videatur, frequentissimum usum habent nomina propria et pronomina demonstrativa *ille*, *hic*, *iste*, *ipse*. Igitur in hac verborum coniunctione apud Ciceronem et reliquos scriptores optimos particula aut ab initio sententiae aut post unum vocabulum, inversione facta, collocatur: apud recentiores quocumque in loco. Saepe praecedunt vocabula *simul*, *sic*, *sicuti*, *uti*, quae cum *et* comparationis notione cohaerent. Nam id Graecorum imitatione factum esse, ut Otto opinatur, credibile non est. Neque vero hac observatione

negatur, has voces coniunctas aliis quoque nominibus praecedere.

Cic. ad Q. Fr. 2, 15. *id et Curtius ita volebat.* Tusc. 3, 26, 63. *itaque et Aeschines in Demosthenem invehitur.*

Cic. Tusc. 3, 13, 28. *ex hoc et illa iure laudantur.* 4, 34, 73. *nihil verius. Probe et ille.* de Div. 1, 30, 63. vd. p. 510. p. Sext. 59, 126. *at vero et ille tribunus plebis* etc.

Cic. p. Quint. 30, 94. *spes est et hunc miserum atque infelicem aliquando tandem posse consistere.* de Leg. 3, 2, 4. Liv. 4, 29, 4. *castrisque et his captis.*

Liv. 1, 12, 3. *et ipse turba fugientium actus.* vid. p. 506.

Cic. p. Caec. 20, 58. *tamen et ipsi tuae familiae genere et nomine continebuntur.* p. Cluent. 51, 141. *tres et ipse excitavit recitatores cum singulis libellis.* de Orat. 1, 46, 202. *ut et ipsum, quod erat hominis proprium, non partum per nos, sed divinitus ad nos delatum videretur.* conf. Tusc. 4, 35, 74. *sic igitur affecto haec adhibenda curatio est, ut et illud, quod cupiat, ostendat, quam leve — sit omnino.* ubi non abrupta aut commutata est oratio, quod Bremius aliique arbitrabantur. Orat. part. 26, 94. *ut et illa, quae maximam vim habet, sola saepe caussa dicatur.* Quod cod. erlang. *etiam* praebet, de correctione factum est. Quinctil. 1, 4, 9. *quae et ipsa quorumdam nominum nota est.*

Quinctil. 7, 2, 17. *utendum est enim et his exemplis.* ubi correctione non opus. Ovid. Met. 7, 571. *alius tamen haurit et illas.* Ennius apud Festum s. v. *solum: Tarquinio dedit imperium, simul et sola regni.*

Cic. p. Cluent. 17, 48. *quis umquam audacior? quis nocentior? quis apertior in iudicium adductus est? — Simul et illud, quis est qui dubitet quin — suscipienda accusatio fuerit?* 4, 10. 57, 135. ad Frat. 1, 1, 15. 43. et 11, 34. p. Caec. 2, 6. *quamquam ego mihi sic persuadeo — vos — moram ad condemnandum acquisivisse, simul et illi spatium ad sese colligendum dedisse.* in Verr. 5, 1, 3. *qui — tunicam eius a pectore abscidit, ut cicatrices populus romanus iudicesque adspicerent, adverso corpore exceptas. Simul et de illo vulnere, quod ille in capite ab hostium duce acceperat, multa dixit.* 1, 41, 106. *tutores pecuniam praetori si pupillae nomine dedissent, grandem praesertim, quemadmodum in rationem inducerent, quemadmodum sine periculo suo dare possent, non videbant: simul et istum fore tam improbum non arbitrabantur.* Sallust. Iug. 20, 1. Caes. Bell. civ. 3, 13. *simul et Caesar adpropinquare dicebatur.*

Cic. de Inv. 2, 2, 7. *ab hoc autem qui profecti sunt, quamquam*

in maximis philosophiae partibus operae plurimum consumpserunt, sicut et ipse — fecerat etc.

Cic. in Verr. 4, 61, 136. *sic primo existimabam — civitatem syracusanam — non minus esse isti amicam quam mamertinam —: simul et verebar, ne* etc. Sallust. Iug. 84, 5. 97, 1.

Cic. pr. Cluent. 42, 117. *sicuti et plerique vestrum sciunt.* de Orat. 2, 78, 318. *sic et facile reperientur.* de Fin. 5, 14, 40. *sic et extremum omnium appetendorum — multis gradibus adscendit.* ubi Otto corrigit *sicque* ex uno vel duobus codd.

11. Vbi res aliqua in comparationem adducitur atque etiam facta esse dicitur, scriptores vel optimi utuntur particula *et*, quae ad aliud ante dictum hoc, quod etiam sit, annectit. Ita dicunt *sic et, similiter et, talis et, idem et*, et in relativis *ut et.* Haec vero differunt ab iis, in quibus duo aequalia vel similia componuntur. vid. p. 481. Sed quaeritur, num recte etiam dicatur *similiter et si.* Poterit quidem dici ita, ut *et* significet *etiam*, pro *et similiter si: auch wenn:* at non poterit in ipsa comparatione, quasi *et si* ponatur pro *ac si* vel *ut si.* Quae Goerenzius ad Cic. de Fin. p. 149. et p. 459. disputat, non expediunt rem.

Plaut. Most. 1, 3, 138. *libet et edepol mihi tecum.* Cic. ad Fam. 13, 23, 3. *hunc tibi ita commendo, ut, si meus libertus esset, eodemque apud me loco esset, quo et est apud patronum suum, maiore studio commendare non possem.* Omittunt aliqui libri *et*, ut fieri solet in vicinia similium vocum.

Cic. de Orat. 2, 77, 314. *ergo ut in oratore optimus quisque, sic et in oratione firmissimum quodque sit primum.* Lambinus eiecit *et*, quod codd. perhibent. Tusc. 1, 17, 40. *num igitur dubitamus? an sicut pleraque, sic et hoc?* Extrema verba critici quidam reiiciunt, ut videtur, Vallae praecepto demum admoniti. De regii codicis scriptura valde dubito. Alia est caussa p. Cluent. 49, 138. *ex quo intelligi potuit —: ut mare, quod sua natura tranquillum sit, ventorum vi agitari atque turbari, sic et populum romanum sua sponte esse placatum.* Nam Claussen nuper monstravit ab optimis codd. abesse *et*. Sed de Fin. 5, 14, 40. *sic et extremum omnium appetendorum — multis gradibus adscendit.* Cato de Re r. 157, 8. *sic et laserpitium inrasum.* Stat. Silv. 2, 1, 181. *sic et — avidus bibit anguis Opheltem.*

Cic. de Fin. 5, 14, 40. *ita similis erit et finis boni atque antea fuerat.* Aut abiici particulam aut mutari in *ei* iubent: quorum illud nimis audacter factum, hoc non necessarium esset. Plin. Hist. n. 11, 25, 30. *similiter his et scorpiones terrestres*

vermiculos ovorum specie pariunt. Liv. 3, 22, 6. *inde signum observare iussit, ut pariter et socii rem inciperent.*

Lucan. 1, 676. *talis et attonitam rapitur matrona per urbem.* Quod Iuvenal. 4, 8. *corruptor et idem incestus.* id Sallust. Iug. 85, 47. *in proelio consultor idem et socius periculi.*

Videtur huc pertinere Plauti locus Amph. 1, 1, 110. *quoniam formam cepi huius in me et statum, decet et facta moresque huius habere me similes item.*

Neque aliter puto dictum esse Cic. Tusc. 3, 24, 58. *atque hoc idem et Telamo ille declarat.* tametsi sequantur *et Theseus —, et Anaxagoras —.* Nam quivis ista legens hanc sibi formaverit sententiam: *und dasselbe zeigt auch jener Telamo — und Theseus.* de Orat. 1, 50, 217. *nam si quisque, ut in aliqua arte et facultate excellens, aliam quoque artem sibi adsumpserit, ita perficiet, ut, quod praeterea sciet, id eius, in quo excellet, pars quaedam esse videatur, licet ista ratione dicamus, pila bene et duodecim scriptis ludere, proprium esse iuris civilis, quoniam utrumque eorum P. Mucius optime fecerit: eademque ratione dicantur et quos φυσικοὺς Graeci nominant iidem poetae, quoniam Empedocles physicus egregium poema fecerit.* Matthiae anacoluthon esse censet, quod restaurari possit his: et philosophi iidem essent geometrae et musici. Quo non modo oratio, sed tota cogitatio penitus conturbatur. At nihil obstat, quo minus recte dicatur: *eademque ratione dicantur et ii, quos Graeci φυσικοὺς nominant, poetae.* de Fin. 4, 23, 62. *eius, qui honeste viveret, si idem et bene valeret, bene audiret, copiosus esset, optabiliorem fore vitam.* Goerenz. correxit *etiam*, et affert duos codd., de quorum auctoritate hoc quidem loco admodum dubito. de Div. 1, 53, 121. *idemque mittit et signa nobis eius generis, qualia permulta historia tradit.* *Idem* pro *item* poni, omnibus notum est. Atque haec quamquam ad mediae orationis usum pertinent, de quo n. 14., tamen ob rationem aequiparationis ea hic commemoravi.

Cic. de Fin. 2, 7, 21. *idque si ita dicit, non esse reprehendendos luxuriosos, si sapientes sint, dicit absurde: similiter et si dicat, non reprehendendos parricidas, si nec cupidi sint, nec deos metuant, nec mortem, nec dolorem.* Hoc ex aliorum more defendi potest, ut sensus sit *similiter etiam si:* at Cicero, ut numquam in hac dictione adiecit *etiam*, ita saepissime dixit *similiter ut si*, quod Lambinus h. l. restitui iubet. Certior videtur res in loco de Fin. 4, 12, 31. *nec, si ille sapiens ad tortoris equuleum a tyranno ire cogatur, similem habeat vultum, et si ampullam perdidisset.* Ita Victor. et codd. non pauci.

Facilius erit emendare cum Grutero *ut si* quam cum aliis approbare vulgarem scripturam *ac si*. Illud Otto etiam fecit nuper, Gruteri nomen celans.

12. Duae res componuntur verbis *non solum* sive *non modo — sed etiam* ita, ut altera dicatur praeter alteram esse: in qua comparatione quum ipsa rerum compositio efficitur per distinctiorem alterius rei designationem, *et* in inversa structura collocatum pro *etiam* usurpatur. Idque fit etiam, ubi in oppositione simplex negatio praecedit, et ubi alio modo exprimitur comparatio rerum aequalium.

Cic. in Verr. Act. 1, 1, 1. *opinio — quae non modo Romae, sed et apud exteras nationes omnium sermone percrebuit.* de Provinc. cons. 8, 19. Vtroque in loco corrigendum censet Otto l. l. p. 378. ad Att. 11, 9. *non modo favisse, sed et tantam illi pecuniam dedisse.* Sic saepissime Suetonius. Et Dom. 4. *non in amphitheatro modo, verum et in circo.*

Cornel. Thras. 1, 5. *non solum princeps, sed et solus initio bellum his indixit.* Suet. Tib. 8. Aug. 89. *nec tantum carmina et historias, sed et orationes et dialogos.*

Varro de Re r. 3, 16, 21. *nec, si ex alvo in alvum in eodem loco traiicias, negligenter faciendum: sed et alvus, in quam transiturae sunt apes, apiastro perfricanda.* Cic. ad Q. Frat. 1, 2, 13. *nolo medius fidius ex tua iniuria in illum tibi liberalem me videri, sed et te oro, ut tu ipse auctoritatem et monumentum aliquod decreti — relinquas.* Quo nihil sanius, nihil simplicius esse potest, nec satis mirari possum Ottoni haec respondere videri verbis alienis *et ut opinor*.

Cic. de Off. 1, 37, 133. *nihil aliud fuit in Catulis, ut eos exquisito iudicio putares uti litterarum. Quamquam erant litterati: sed et alii: hi autem optime uti lingua latina putabantur.* Inest comparationis sententia haec: nec ipsi erant soli, sed et alii. Similiter de Nat. d. 2, 62, 155. *iam vero circuitus solis et lunae reliquorumque siderum, quamquam etiam ad mundi cohaerentiam pertinent, tamen et spectaculum hominibus praebent.* ubi frustra laborarunt critici.

Bremius ad Cornel. Thras. 1, 5. observat apud Ciceronem *sed et* semper esse *sed adeo*, *sondern sogar*. Caussam addit nullam: tamen sequitur eum Goerenzius ad Cic. de Leg. p. 255. At non vera est haec observatio. Et Goerenzius quum ex sententia Heusingeri omnem usum Ciceronis negasset ad Leg. 1, 9, 26. tres locos afferens, in quibus codd. discrepant, ipse tamen ad 3, 12, 28. affirmavit, interdum *et* notare *vel*, *adeo*.

13. *Et nunc* pro *etiam nunc* omnes scriptores usurpant. Atque intelligitur sententia *et antea — et nunc:* quae quum in brevem formam contrahitur, fit *et nunc* per se positum. vid. n. 6. p. 507. *Et nunc quoque* est *auch jetzt ebenfalls.* Quod in uno Cornelii loco exstat *et nunc* pro *etiamnunc*, eo sensu dictum, ut sit *noch, annoch*, aut rarissimum est, aut falsum.

Plaut. Curc. 4, 2, 6. *meminero. de istoc quietus esto: et nunc, idem dico.* Poen. 1, 1, 14. *et nunc ego amore pereo.*

Cic. ad Fam. 13, 57, 4. *illud quod tecum et coram et per litteras diligentissime egi, id et nunc etiam atque etiam rogo, curae sit tibi, ut suum negotium — conficiat.* de Leg. 2, 16, 40. *quod et nunc multis fit in fanis.* ubi nimis subtiliter emendationem commendat Madvigius Emendat. p. 75.

Ovid. Met. 6, 374. *et nunc quoque turpes litibus exercent linguas.*

Cornel. Hann. 7, 3. *captivos non remissuros, quod Hannibalem, — inimicissimum nomini romano, et nunc cum imperio apud exercitum haberent.* Heusingerus et Bremius ex uno cod. leid. receperunt *etiamnunc.*

14. Sed, ut iam supra dixi, etiam in media oratione *et* ponitur ita, ut ex oppositione alius rei non nominatae exsistat significatio *etiam.* Est enim elliptica forma dictionis. Neque vero id, quod in oratione desideratur, in sequentibus addi potest per alterum *et*, sed antea vel dictum est, vel cogitari debet. Duae enim res cogitantur, quarum alteri altera simul comprehendenda superadditur: cui vocabulo proxime praecedat *et*, necesse est. Atque huius usus, non ex imitatione Graecorum sumpti, quamvis non tam multa exempla apud Ciceronem reperiantur, quam apud alios, tamen nulla apparet caussa, quopropter Ciceronem, qui in reliquis vulgarem consuetudinem sequutus est, in hac una re ab ea discessisse putemus.

Cato de Re r. 5, 2. *familiae male ne sit, ne algeat, ne esuriat: opere bene exerceat: facilius malo et alieno prohibebit.* Plaut. Mil. 4, 8, 31. *bene, quaeso, inter vos dicatis et mihi absenti tamen.* Cic. in Verr. 1, 4, 11. *erunt qui et in eo quoque audaciam eius reprehendant.* de Re p. 1, 3, 5. *hinc enim illa et apud Graecos exempla.* Qui haec opponi arbitrantur verbis *nec vero levitatis Atheniensium — exempla deficiunt*, omnem rationem turbant, quum exempla ista ipsa sint levitatis. Opponit Cicero cogitatione Graecos aliis gentibus, ut sententia sit: et apud alios et apud Graecos. Argumentatio, quam Heinrichius supposuit, profecta est a falsa explicatione

particulae. de Divin. 1, 20, 40. *narrat enim et apud Ennium vestalis illa.* ubi ineptus fuisset Cicero, si, ut aiunt critici, alia in animo habuisset, alia loquutus esset. Liv. 21, 39, 8. *Hannibalis et apud Romanos — celeberrimum nomen erat.* Cic. Tusc. 3, 18, 28. vid. p. 513. ad Att. 13, 49. *multam igitur salutem et Piltae.* de Fin. 2, 26, 513. *satis est tibi in te, satis in legibus, satis et in mediocribus amicitiis praesidium.* nollem Goerenzius eiecisset *et*, quod necessarium esse videtur. Tusc. 3, 19, 46. *aliquid videamus et cibi.* ubi criticorum coniectura *ei* ne latina quidem est. de Nat. d. 1, 39, 109. *quoniam nascuntur in terra, nascantur et in aqua.* ubi codd. qui omittunt *et*, non magnam habent auctoritatem. ad Capit. in Epist. ad Att. 16, 16. *amabo te, da mihi et hoc.*

Cic. de Div. 1, 18, 34. *etsi ipsa sors contemnenda non est, si et auctoritatem habet vetustatis.* Hic critici multi, et ego ipse, quum Rathii editionem censerem, dubitaverunt, utrum *et*, an *si* eiicerent. At neutrum abesse potest. Orat. 19, 62. *longe omnium, quicumque scripserunt aut loquuti sunt, exstitit et gravitate princeps Plato.* Miror placuisse criticis glossam *et suavitate et gravitate.* Recte indicavit Ernestius, quem vide. de Div. 1, 56, 126. *ita fit, ut et observatione notari possit, quae res quamcumque caussam plerumque consequatur.* Quae nuper Giesius commentatus est, ut verba *easdemque caussas* etc. coniungeret, ea nemo probabit, qui consideraverit ipsam sententiam attentius; nam caussas rerum futurarum a furentibus cerni, id non *observatione notatur.* de Div. 1, 53, 121. vid. p. 515. de Fin. 1, 12, 40. *constituamus aliquem magnis, multis, perpetuis fruentem et animo et corpore voluptatibus, nullo dolore nec impediente, nec impendente: quem tandem hoc statu praestabiliorem aut magis expetendum possumus dicere? Inesse enim necesse est in eo, qui ita sit affectus, et firmitatem animi nec mortem nec dolorem timentis. — Ad ea quum accedit, ut neque divinum numen horreat, nec praeteritas voluptates effluere patiatur, earumque assidua recordatione laetetur: quid est, quod huc possit, quod melius possit, accedere?* Anacoluthon hoc esse atque particulae *et* respondere verba *ad ea quum accedit*, plurimi commentatores docuerunt, quasi quis recte dixerit: necesse est inesse in eo et firmitatem et quod accedit ut divinum numen non horreat. Quod prorsus ineptum esset. At intelligitur sententia admodum concinna haec: talem hominem et omni dolore expertem magnis voluptatibus frui, et firmitate animi non dolorem timentis. de Sen. 8, 26. *quod quum fecisse Socratem in fidibus audirem, vellem equidem et illud (discebant enim fidibus antiqui): sed in litteris certe elaboravi.* Absurda erit sen-

tentia, si alteram partem ita constituerimus: vellem equidem et illud (fidibus canere) et in litteris elaborare. Quid? quod Otto adeo aposiopesin hanc formam appellat. Sed quamvis nonnulli codd. praebeant *etiam*, non falsum est voc. *et*. Alios locos ob varietatem lectionis incertos omitto, veluti de Fin. 5, 29, 88. Sed p. Planc. 35, 86. non dubitari potest, quin Cicero scripserit: *furialis illa vox — secum et illos facere acerbissime personabat.* Nam scribae alii glossam adiecerunt *et consules*, cuius sensum una particula *et* exprimit, alii hanc glossam reliquis verbis accommodarunt scribentes *et illos consules*, alii vero *et illos et consules*. De Varronis loco 7, 1. vide n. 19.

Caes. B. civ. 1, 14. *Caesar enim adventare, iamiamque et adesse eius equites falso nuntiabatur.* vid. n. 16. Liv. 29, 37, 15. *inter quatuor et triginta tribus et C. Claudium aerarium fore.* 3, 63, 5. *populus iniussu et altero die frequens iit supplicatum.* 3, 70, 11. *nolle irrumpere, antequam sciat debellatum et in sinistro cornu esse.* 21, 18, 4. *praeceps vestra, Romani, et prior legatio fuit.* Quinctil. 5, 10, 36. *adhibetur extrinsecus in caussam et auctoritas.* Tacit. Ann. 1, 4. *postquam provecta iam senectus aegro et corpore fatigabatur.* Agr. 17. *sed ubi cum cetero orbe Vespasianus et Britaniam recuperavit.* Sueton. Ner. 47. *unde iam et custodes diffugerant.* Horat. Carm. 2, 10, 17. *non, si male nunc, et olim sic erit.* Lucan. 8, 256. *crederet hoc Magnus, pacem quum praestitit undis, et sibi consultum?*

Liv. 41, 20, 10. *spectaculorum quoque omnis generis magnificentia superiores reges vicit; reliquorum sui moris et copia graecorum artificum: gladiatorum munus romanae consuetudinis — dedit.* Ita sunt ordinanda haec, ut sensus sit: in reliquis spectaculis syriaci moris, ut aliis rebus, ita et copia graecorum artificum vicit. Cic. Tusc. 4, 4, 8. *sublata igitur aegritudine et sublatus est metus.* Confer 4, 27, 59. et vide, quid intersit, sive *et* praeponas verbo *sublatus*, sive cum Davisio colloces ante v. *metus*. Sensum verborum Wolfius bene cepit, sed obscurius designavit. Dicit Cicero, sublata aegritudine item sublatum esse metum. Wopkensius Lect. Tull. p. 122. non necessariam putat particulam, ego vero significanter appositam.

Legem, qua ordo verborum in hac dictione regitur, omnes scriptores boni servarunt, non item interpretes. In Tacit. Ann. 11, 18. *auxiliaris et diu meritus.* Kieslingius vertit: *der auch lange unter den Hülfstruppen gedient hat*: et paullo post: *quae nimia incertum et an falsa aucta: auch ungewiſs, ob es fälschlich übertrieben.* Neutrum probari potest. Hoc enim esse debebat aut *an et falso aucta*, aut *et incertum*: in illo

scribendum est *auxiliaris*, *et diu meritus*. In Horat. Art. poet. 93. comma sive colon post *ore* ponendum est, ut *et comoedia* — *et tragicus* opponantur.

15. Ex his vero colligi potest, quam parum prudenter ii egerint, qui particulam hanc fere ubique in anacolutho positam esse, et sententias etiam brevissimas aliter incipi, aliter per oblivionem auctoris finiri existimabant, atque in hac perversa negligentia aliquam elegantiae commendationem quaerebant. Anacolutha in hac voce et paucissima sunt et duplicis generis. Nam aut verborum constructio mutatur per orationis cursum, ut, vocabulo aliquo in media oratione posito, ipsa haec novam ab eo recipiat formam. Sic Cic. de Fin. 2, 4, 13. *Huic verbo* (ἡδονῇ) *omnes, qui ubique sunt, qui latine sciunt, duas res subiiciunt, laetitiam in animo, commotionem suavem iucunditatis in corpore. Nam et ille apud Trabeam voluptatem animi nimiam laetitiam dicit eamdem quam ille Caecilianus, qui omnibus laetitiis laetum esse se narrat.* Vbi quamquam verba *nam et ille*, ut supra ostendimus, sua ratione stare possunt, tamen concedi etiam potest, orationem, quae ita coeperat, ut continuare deberet: *et ille apud Trabeam* — *et ille apud Caecilianum*, interposito verbo *eamdem*, ab hoc aliam formam induisse. Alius generis autem ea sunt, in quibus oratio, ab *et* distributivo incipiens, parenthesi interposita, aut per animi fervorem in aliam viam deducta, missis iis, quibus inceperat, cursum devertit, et ipsa in aliam formam transit. Id enim oratoria vi efficitur et saepe ad ἐνέργειαν pertinet. Atque haec admodum pauca sunt exempla, nec multa esse possunt.

Cic. Orat. 19, 62. *quamquam enim et philosophi quidam ornate loquuti sunt* — iam sequitur longior parenthesis et missa est prior ratio.

p. Lege Man. 7, 15. *nam et publicani* — *suas rationes et copias in illam provinciam contulerunt,* — — *deinde ceteris ex ordinibus homines* etc.

16. *Et* pro *adeo* non modo ab aliis scriptoribus, sed etiam a Cicerone usurpari affirmant Goerenzius ad Cic. de Leg. 2, 25, 63. et Acad. 2, 18, 58. et Bremius ad Cornel. Thrasyb. 1, 5. negavit autem Wolfius ad Tacit. Ann. 1, 4. Atque haec est ea vis, qua *et* plus aliquid significare quam *etiam*, Broukhusius notat ad Propert. 2, 19, 32. Et interdum idem exprimit quod *vel*.

Critici hanc observationem saepe adhibuerunt ad locos explicandos, in quibus *et* simpliciter copulat verba. vd. Goerenz. ad Cic. Acad. 1, 11, 39. 2, 34, 109. p. 198. et in quibus *et* pro *etiam* poni negaverant.

Cic. Tusc. 1, 2, 4. *igitur et Epaminondas princeps, meo iudicio, Graeciae fidibus praeclare cecinisse dicitur.* ubi intelligas *adeo princeps Graeciae.* Caes. B. civ. 1, 14. *Caesar enim adventare, iam iamque et adesse eius equites falso nuntiabantur.* Cic. p. Deiot. 10, 29. *calamitosus Deiotarus, qui et ab eo, qui in iisdem castris fuerit, non modo apud te, sed etiam a suis accusetur.* in quo loco nullum offendit vitium. vid. Matthiae: et ne illud *et quidem* vituperari potest. cf. in Verr. 1, 4, 11. Liv. 43, 14, 2. *consules plebem apud senatum accusabant, quod et iuniores non responderent.* Propert. 1, 13, 31. *illa sit inachiis et blandior heroinis.* ubi ne pro copula accipiamus, obstat pronomen *illa.* 2, 24, 45. *iam tibi iasonia nota est Medea carina, et modo servato sola relicta viro.* 3, 11, 30 (9, 30).

Sueton. Tib. 51. *etiam, quibus ea funeris sui curam moriens demandarat, intra breve tempus afflixit: uno ex his equestris ordinis viro et in antliam condemnato.*

Haec tamen cave ne ita accipias, ut cum Gernhardo censeas stare posse apud Quinctil. 5, 10, 96. *id quo facilius accipiant iuvenes nondum scholam egressi, primo familiaribus et aetati exemplis ostendam.* quod explicat *imprimis aetati.* Certissima videtur Burmanni emendatio *ei*, quod est *eorum.*

Ovid. Her. 20, 183. *nec bove mactato coelestia numina gaudent, sed quae praestanda est et sine teste, fide.* ubi Francius coniecit *vel.*

17. *Etsi* pro *etiamsi* dici omnibus est notum. An vero recte dicitur *et dum* pro *etiam dum?* sicuti apud Plin. Pan. 84, 8. codices fere omnes exhibent: *quid enim laudabilius feminis quam si verum honorem non in splendore titulorum, sed in iudiciis hominum reponant, magnisque nominibus pares se faciant, et dum recusant?* Quae Arntzenius in comprobationem rei attulit, nihil efficiunt. Recte igitur correxisse videntur critici.

18. Coniunguntur voculae *et etiam*, *et quoque*, in quibus quid criticos viros quosdam offenderit, numquam satis est cognitum. Sed triplex est usus. Nam aut *etiam* vel *quoque* simplici copulae additur, ut rem aliam praeter ceteras accedere significetur, *und auch.* Vid. Duker. ad Flor. 3, 18, 6. Burm. et Bremi. ad Sueton.

Caes. 76. Ruhnken. ad Vellei. Pat. 1, 17, 2. Frotscher ad Quinctil. 10, 1, 125. Cf. *atque etiam* Tom. I. p. 506. Aut duplex praecedit *et* in formulis *et — et quoque*, *et etiam*. Nec desunt, ut postea dicam, exempla, in quibus *et* iterum positum *etiam* significat. Tertium est, in quo *et — etiam* fere unam habet significationem, *auch noch dazu*, et *quoque et* dicitur, ut sit *ebenfalls auch*. Illud num in antiquioribus scriptoribus probari possit, non satis constat: nec magis *etiam et*.

Terent. Phorm. 4, 1, 51. *et etiam nunc, si volt Demipho dare* etc. Varro de Re r. 2, 11, 2. *et etiam est discrimen*. Ita veteres libri.

Cic. in Verr. 4, 47, 104. *manifestis in maleficiis tenetur et manet etiam*. Plaut. Trin. Prol. 6. *nunc igitur primum, quae ego sim, et quae haec etiam siet — dicam*. Cic. p. Coel. 8, 14. *est enim commune cum multis, et cum quibusdam etiam bonis*. Orat. 12, 39. Liv. 39, 37, 17. *veremur quidem vos, Romani, et, si ita vultis, etiam timemus: sed plus et veremur et timemus deos immortales*. Lactant. 5, 8, 16.

Varro de Re r. 2, 4, 10. *prisci quoque Latini et etiam Graeci in Italia idem factitasse videntur*. 2, 7, 2. *aetas cognoscitur equorum et fere omnium, quae ungulas indivisas habent, et etiam cornutorum, quod equus* etc. 3, 9, 9. Cic. ad Att. 16, 16. Planco B. *igitur, mi Plance, rogo te et etiam oro, sic medius fidius, ut maiore studio magisque ex animo agere non possim, ut totum hoc negotium ita agas* etc. Orellius emendat *et etiam atque etiam*: quod magis displicet. vide ETIAM. Sueton. Aug. 19. *tumultus post haec et etiam rerum novarum initia coniurationesque — compressit*. ubi omitti *etiam* maluerunt critici. Caes. 16.

Liv. Epit. 82. *caesis hostium centum millibus et castris quoque expugnatis*. vd. Drakenb. Cic. de Inv. 2, 16, 50. *eiusdem esse et hoc quoque admisisse et non esse eiusdem*. ubi fallitur Otto, quum *et admisisse*, *et non esse eiusdem* opponit. Contraria enim sunt *eiusdem esse*, *et non esse eiusdem*. Cornel. Att. 18, 4. *pari modo — Scipionis Cornelii et Fabii Maximi Fabiorum et Aemiliorum quoque*. Agesil. 6, 3. Quinctil. 10, 1, 125. *quia damnare eum et invisum quoque habere sum creditus*. 1, 1, 31. 5, 14, 17. ubi Spalding. Lactant. 2, 8, 43. Sic Graeci *καί τε* componunt. Vid. Stallbaum ad Plat. Phileb. p. 145.

Liv. 42, 17, 3. *hospitio quoque et duces romanos omnes et legatos exterarum quoque gentium insignes — accipiebat*. 41, 24, 16. Quinctil. 1, 7, 20. *quomodo et ipsum* (Ciceronem) *et Virgilium quoque scripsisse, manus eorum docent*. cf. Spalding. ad 5, 14, 17.

Quinctil. 10, 1, 115. *est et sancta et gravis oratio et custodita et frequenter vehemens quoque.*

Varro de Re r. 2. praef. 5. *qui habet praedium, habere utramque debet disciplinam et agriculturae et pecoris pascendi et etiam villaticae pastionis.* Cic. ad Att. 2, 1. *oratiunculas autem, et quas postulas et plures etiam, mittam.* Brut. 82, 284. *sed et ipse errabat, et alios etiam errare cogebat.* ad Fam. 9, 25, 7. Celsus 8, 1. p. 501. *maxilla vero est molle os eoque una est. Cuius eadem et media et etiam ima pars mentum est.* Lamprid. Commod. 1. *Commodum Marcus et suis praeceptis et etiam magnorum atque optimorum virorum erudire conatus est.*

Antiquae negligentiae tribuendum videtur Plaut. Trin. 5, 2, 58. *ego ducam, pater, etiam et si quam aliam iubebis.* Plin. Pan. 85, 1. *iam etiam et in privatorum animis exoleverat priscum mortalium bonum, amicitia.* ubi Schaeferus librarii negligentiam corrigendam censet delendo *etiam:* nec repugno, quum ad *etiam* proxime antecedens respicio.

Cic. de Leg. 3, 2, 4. *deinde etiam deinceps posteris prodebatur: quod et in his etiam, qui nunc regnant, manet.* Orellio suspectum videtur *et.* sed vide n. 9. ad Fam. 5, 2, 26. *addam et illud etiam.* Sed cod. medic. non habet *et.* Quinctil. 9, 3, 37. *constat et aliis etiam modis.* quod Spaldingius nominat stribliginem. Liv. 21, 54, 3. *ut et numero etiam, non animis modo, valeatis, singulis vobis novenos ex turmis manipulisque vestri similes eligite.* Sed cod. flor. e *numero.* cf. not. ad Stat. Silv. p. 12. Sueton. Caes. 76. *sed et ampliora etiam humano fastigio decerni sibi passus est.* ubi Burm. Cf. Oudend. ad Neron. 45.

Propert. 2, 9, 18 (7, 56.) *tunc etiam felix inter et arma pudor.*

Cic. in Verr. 1, 4, 11. *erunt qui et in eo quoque audaciam eius reprehendant.* ubi absurdum esset, si quis existimaret per anacoluthiam sequi verba *erant etiam fortasse.* Liv. 41, 24, 16. *commercium tantum iuris praebendi repetendique sit, ne interdictione finium nostrorum et nos quoque regno arceamus, ne servis nostris aliquo fugere liceat.* Columell. 12. praef. 10. *quoniam et villici quoque successerunt in locum dominorum.* Vellei. Pat. 1, 17, 2. *ut et Livium quoque priorum aetati adstruas.* Ovid. Her. 16, 92.

Ab his diversa sunt, in quibus *et* ab initio positum simul copulativam vim servat: Quinctil. 1, 5, 42. *quum apud Graecos et in verbi tota fere ratione et in nominibus deprehendatur: et sic quoque rarissimus eius sit usus.* 2, 10, 14. 4. pro. 7. Celsus Praef. libr. 1. p. 18. *et caussae quoque aestimatio saepe morbum solvit.*

Cic. Brut. 4, 17. *mihi quoque, inquit Brutus, et exspectanda sunt ea, quae Attico polliceris.* ubi critici levi stilo oblitterant *et* ab omnibus codicibus defensum. *Quoque* ad personam, *et* ad rem pertinet, nec quidquam offenditur in cogitationis ratione. Virgil. Aen. 1, 5. *multa quoque et bello passus.* Alia vide in QVOQVE.

In lapide apud Grut. p. 173, 2. *macellum vetustate collapsum pecunia restituerunt, etiamque et mensas lapideas posuerunt.* Vellei. Pat. 2, 116, 3. *nam et etiam vir antiquissimi moris* etc. corrupta sunt verba. Restitue *nam et Ae. Lamia.* Quinctil. 6, 1, 24. *nonnumquam etiam et ipse patronus has partes subit.* Spaldingius eiecit *et*, quod abest a quibusdam libris.

19. Sunt loci, in quibus alterum *et* copulare, alterum pro *etiam* positum esse videtur, praesertim in formula *forte et.* Quare nescio an immerito in dubium vocaverim Tom. I. 508. dictionem *atque et.*

Varro de L. L. 7 (8), 1. *de quibus duo prima duabus caussis percurram breviter: quod et tum quom de copia verborum scribam, erit retractandum, et quod et de tribus tertium quod est habet suas permultas et magnas partes.* Ita Spengelius edidit e cod. havn.

Cic. ad Att. 10, 12. *quare vi aut clam agendum est et, si vi, forte et cum tempestate.* quod Orellius non latinum esse putat. Virgil. Aen. 11, 50. *et nunc ille quidem, spe multum captus inani, fors et vota facit.*

Liv. 21, 38, 6. *atque inde nomen et iugo Alpium inditum.* Cic. Tusc. 3, 24, 58. *atque hoc idem et Telamo ille declarat.*

VI. 1. Vbi duae vel plures res non modo coniunguntur, sed aequantur ita, ut alterum non minus intelligatur quam alterum, Latini dicunt *et — et*, ut Graeci *καί — καί*, et *τε καί*: quod etiam uno verbo *atque* exprimitur. Est igitur id quod *tum — tum, sowohl — als auch,* vel *ut — sic, non minus quam, aeque.* Vnde exsistit ratio necessaria et nexus arctior, intelligunturque partes unius rei aequales: sicuti interdum adest voc. *pariter.* Atque haec ipsa necessitas fuit caussa, quapropter *et* praeponeretur, ut eorum, qui audirent, animos attentos teneret ad duas partes aequaliter comprehendendas. Sed critici permulti *et — et* valere dicunt idem quod *non solum — sed etiam.* Id vero approbari non potest, nisi in iis locis, in quibus aliquid accedere, aut praeter aliud comprehendi debere dicitur, nec aequa ratio ab ipsa re

proficiscitur, sed alterum adiicitur ob inaequalem, quae videtur, rationem. Cuius generis non multa sunt exempla.

In explicanda hac ratione particulae bis positae quam argutam subtilitatem adhibuit Ruddimannus, vide Institut. T. II. p. 342.

Plaut. Cist. 1, 1, 58. *eloquere utrumque nobis, et quid tibi est, et quid velis nostram operam, ut nos sciamus.* Cic. Acad. 2, 35, 113. *hoc mihi et Peripatetici et vetus Academia concedit.* ad Fratr. 3, 8. *tota res et timetur et refrigescit.* de Amic. 20, 74. *omnino amicitiae corroboratis iam confirmatisque et ingeniis et aetatibus iudicandae sunt.* 20, 75. *et saepe incidunt magnae res, ut discedendum sit ab amicis: quas qui impedire vult, quod desiderium non facile ferat, is et infirmus est mollisque natura et ob eam ipsam caussam parum iustus. Atque in omni re considerandum est, et quid postules ab amico et quid patiare a te impetrari.* de Fin. 4, 16, 43. *quod autem ea, quae et ad naturam accommodata et per se assumenda esse dicunt, non adiungunt ad finem bonorum, desciscunt a natura.* de Off. 1, 38, 137. *ut et severitas adhibeatur et contumelia repellatur.* ubi Heusing. ad Q. Fratr. 3, 9. *dimitto autem a me, et ut a magistris ne abducam, et quod mater Pomponia discedit.*

Ob ordinem verborum notabile est hoc in Statii Theb. 10, 156. *at non et trepidis eadem sopor otia Graiis suadet, et a iunctis arcet sua nubila castris noctivagi vis blanda dei.* Et ob negationem in Cic. Top. 13, 53. *non et legatum argentum est et non est legata numerata pecunia.* i. e. et simul.

Participia coniunguntur apud Liv. 21, 1, 1. *Hannibal ex hibernis movit et nequidquam ante conatus transcendere Apenninum intolerandis frigoribus et cum ingenti periculo moratus ac metu.*

Cic. de Fin. 1, 13, 45. *qui unum genus posuit earum cupiditatum, quae essent et naturales et necessariae: alterum, quae naturales essent, nec tamen necessariae.* Goerenzius dicit esse *non solum — sed etiam:* quod mutat sententiam. Nec minus 5, 14, 40. *non necesse est et illa pristina manere, ut tuenda, et inter haec multo esse cariora, quae accesserint?* 3, 3, 10. *quidquid enim praeter id, quod honestum sit, expetendum esse dixeris, — et honestum ipsum, quasi virtutis lumen, exstinxeris, et virtutem penitus everteris.* Ne haec quidem verba recte reddideris *nicht allein — sondern auch.*

Cic. de Leg. 2, 13, 33. *iam vero permultorum exemplorum et nostra est plena res publica et omnia regna omnesque populi.* i. e. non modo nostra res publica, sed adeo omnia regna.

Cornel. Milt. 5, 3. *namque arbores multis locis erant stratae, hoc consilio, ut et montium tegerentur altitudine, et arborum tractu equitatus hostium impediretur, ne multitudine clauderentur.* h. e. ut non tantum, quam loci natura praebuit, altitudine montium tegerentur, sed etiam impedimentis manu factis. Gernhardus iniuria reprehendit Kleinium, qui codicum scripturam probaverat hanc Quinct. 2, 1, 13. *quod adhuc obtinent Graeci, et a Latinis omissum est, et fieri videtur excusate.* Duae enim exponuntur causae, non modo factam esse, sed etiam fieri posse rem. Similiter Cic. Parad. 5, 1, 35. *quod etsi ita esse pluribus verbis disserendum est; illud tamen et breve et confitendum est.*

2. *Et* ponitur in hac commissura ter quaterve, adeoque sexies. Vid. Longolius ad Plin. Epist. 10, 66 (59).

Cic. ad Att. 12, 4. *quod ille ea, quae nunc sunt, et futura viderit, et ne fierent, contenderit et facta ne videret, vitam reliquerit.* ad Quint. 3, 9. extr. *Ciceronem et ut rogas amo, et ut meretur, et ut debeo.* p. Rosc. Am. 5, 14. Liv. 39, 40, 8. Curt. 8, 11, 19.

Cic. p. Mil. 11, 30. *sin hoc et ratio doctis, et necessitas barbaris et mos gentibus et feris natura ipsa praescripsit.* de Orat. 1, 20, 90. Sexies apud Cic. ad Fam. 13, 25, 2.

3. In his sententiis ita copulatis si partes minores coniungendae sint, perspicuitatis caussa non *et*, sed *que* vel *ac* ponendum esse, Schwartzius in Tursellino praecipit, et quae minora membra etiam per *et* iuncta habent, ad negligentiam quamdam refert. At optimus quisque scriptor cognitum tenuit discrimen harum particularum, nec temere eas commutavit sine iudicio. Tamen ubi mutatio parum referebat, nec obstabat natura particularum *ac* et *que*, Cicero et alii scriptores perspicuitati et varietati hoc concedere solebant, ut *que* et *ac* in mediis sententiis ponerent.

Cic. ad Fam. 13, 22, 1. *nam et semper me coluit diligentissimeque observavit, et a studiis nostris non abhorret.* de Orat. 1, 21, 95. *ego enim — non despero, fore aliquem aliquando, qui et studio acriore, quam nos sumus atque fuimus, et otio ac facultate dicendi maiore ac maturiore et labore atque industria superiore — exsistat talis orator, qualem quaerimus.* Caesar Bell. gall. 3, 8. *huius est civitatis longe amplissima auctoritas omnis orae maritimae regionum earum, quod et naves habent Veneti plurimas, — et scientia atque usu nauticarum rerum reliquos antecedunt,*

et in magno impetu maris atque aperto — omnes fere, qui eo mari uti consuerunt, habent vectigales.

Sed Cic. de Fin. 2, 25, 81. *quod et ipse bonus vir fuit, et multi Epicurei fuerunt et hodie sunt et in amicitiis fideles et in omni vita constantes et graves.* Liv. 42, 33, 3. *militares homines et stipendia iusta, et corpora et aetate et assiduis laboribus confecta habere.*

Cic. de Orat. 1, 37, 170. *equidem propinquum nostrum P. Crassum illum divitem et multis in aliis rebus elegantem hominem et ornatum et praecipue in hoc efferendum et laudandum puto, quod etc.* 30, 29, 6. *in omni genere et honorum et laborum meorum et animus, et opera, et auctoritas, et gratia, etiam res familiaris C. Capitonis praesto fuit et patuit et temporibus et fortunae meae.*

4. Percrebuit inter criticos opinio, eodem modo ac sensu *et — que* et ab Cicerone et ab aliis scriptoribus usurpari. vid. Goerenz. ad Cic. de Leg. 1, 24, 63. Madvig. Emendat. p. 58. Giesius ad Cic. de Div. 1, 56, 126. Et mirantur adeo, si quem de hac certa re dubitare vident. vd. Otto ad Cic. de Fin. p. 261. In Plauti comoediis quae reperiuntur exempla, nihil probant. Sed Cicero aut raro aut numquam *et — que* pro *et — et* dixisse videtur in partitione, ut duae res simul comprehenderentur una ratione, et sensus esset verborum *sowohl — als auch.* Nam exemplorum, quae afferuntur, plurima aut aliter se habent in antiquis libris, aut ita comparata sunt, ut *que* non ipsi *et* opponatur, sed aut aliam notionem tantum adiungat, aut mutata oratione ad novam traducat sententiam. Quam rem bene perspectam habuisse videtur Lambinus, recte explicuit Ramshornius p. 819. (518.) dum ait per *et — que* coniungi inaequalia, alterumque esse pro additamento. Et Hermannus ad Eurip. Bacch. 303. „non magis", inquit, „καὶ — τε quam apud Latinos *et — que* in partitione dicitur." Ciceronem enim spectavit unum. Nam ceteri scriptores cum Livio discrimen harum particularum non tam subtiliter perpendebant, sed *et — que* pro *et — et* ubique ponere solebant. Neque vero umquam Cicero proxime composuit hoc sensu verba *que et,* quod fecerunt Livius et post eum alii saepe. Vide in QVE.

Cic. Acad. 1, 12, 42. ***et breviter sane minimeque obscure exposita est, inquam, a te.*** **Nemo non videt** ***et — que*** **non cohaerere. vid. p. 490. De loco Tusc. 3, 3, 5. vide p. 511. de Fin.**

5, 6, 15. *cognitis autem rerum finibus quum intelligitur, quod sit et bonorum extremum et malorum, inventa vitae via est conformatioque omnium officiorum.* Goerenzius e duobus, ut ait, codd. edidit *inventa et vitae v. e.* quamquam apertum est, illud *et* a librariis, ut saepe in eiusmodi apodosi, adiectum esse pro *etiam.* Locum de Leg. 1, 24, 63. corruptum esse, omnes critici consentiunt. Excidit enim post v. *ipse* aliquod adiectivum vel adverbium. de Div. 1, 50, 114. *ergo et ii, quorum animi, spretis corporibus, evolant, — cernunt illa profecto, quae vaticinantes praenuntiant: multisque rebus inflammantur tales animi, qui corporibus non inhaerent.* Quis credat criticis, opponi in his verba *et — que?* Tusc. 1, 2, 4. *igitur et Epaminondas, princeps, meo iudicio, Graeciae, fidibus praeclare cecinisse dicitur: Themistoclesque — quum recusaret lyram, habitus est indoctior.* Ne hoc quidem loco res satis demonstratur: nam et verba *princeps Graeciae*, et ipsius sententiae ratio ostendunt, *et* esse id quod *adeo.* p. Rosc. Am. 17, 41. *non modo hoc patrum voluntate liberi faciunt, sed permultos et ego novi, et, nisi me fallit animus, unus quisque vestrum, qui et ipsi incensi sunt studio, quod ad agrum colendum attinet, vitamque hanc rusticam — et honestissimam et suavissimam arbitrantur.* Cohaerent *et ipsi.* vide p. 506. nam opponuntur liberi ipsis patribus. de Nat. d. 3, 22, 56. in novis editionibus non legitur *et* ante *Argum*, quum desit in codd. Brutus ad Cic. 11, 13. *vos magnum animum optimamque spem de summa re publica habere volumus, quum et nos et exercitus nostros, singulari concordia coniunctos, ad omnia pro vobis videatis paratos. Sed tamen nihil de diligentia remittere debetis, dareque operam, ut quam paratissimi et ab exercitu reliquisque rebus pro vestra salute — confligamus.* Vehementer miror Heinrichium ad Cic. de Rep. p. 204. cum Ernestio opponere *et — que:* quo exsistit sententia prorsus inepta, nec dubium esse potest, verba *reliquisque rebus* per se adhaerere. Quodsi integrum est *et*, in codd. quibusdam omissum, opponitur praesidium, quod ab exercitu fuerit, animo iam parato, et significat *etiam.*

Cic. Brut. 88, 302. *attulerat — partitiones, quibus de rebus dicturus esset, et collectiones, memor et quae essent dicta contra, quaeque ipse dixisset.* Mira est haec constructio verborum. Orellius bene coniecit *memor eorum, quae.* Acad. 1, 10, 37. *officia autem et servata praetermissaque media putabat.* Lambinus delevit *et.* Atque etiam structura huius orationis, et quod *et — que* dictum esset pro *simul et*, dubitationem haud parvam afferunt. Nec minorem de Fin. 4, 8, 19. *an quod omne animal ipsum sibi commendatum, ut se et salvum in suo genere incolumeque vellet?* ubi idem Lambinus delendum *et* esse indicat. De

Re p. 1, 45, 69. in verbis *quod et illa prima* etc., si recte ea disposuit Heinrichius, desideratur coniunctio, quae abesse nullo pacto potest, sive Cicero scripserit *quod enim illa*, sive aliter.

Liv. 4, 2, 3. *id et singulis universisque semper honori fuisse.* 5, 46, 10. *ut et iussu populi Camillus dictator extemplo diceretur, militesque haberent imperatorem.* 24, 2, 9. 32, 32, 13. Alia vide apud Drakenb. ad 29, 12, 5. Sueton. Ner. 33. Ovid. Met. 8, 497. *pereat sceleratus et ille, spemque patris regnique trahat patriaeque ruinam.* Ita enim coniungenda sunt verba.

Tacit. Agr. 2. *adempto per inquisitiones et loquendi audiendique commercio.* ubi Lipsius, qui mutat *etiam*, et Walchius, qui vertit *selbst im Sprechen und Hören*, particulam aliter ceperunt. Nec certa est res apud Plinium Hist. n. 11, 16, 15. ubi ab initio sententiae *et* positum: *et furem mulierumque menses odere.*

Saepe tamen interpretes etiam in huius aetatis scriptoribus composuerunt ea, quae componi non poterant, ut Heindorfius in locis Horat. Sat. 1, 3, 139. 1, 8, 39. alii apud Vellei. Pat. 2, 72, 5. *ad quem et e brutianis castris, et ex Italia aliisque terrarum partibus —proscripti confluebant.* ubi *que* adiungit aliquid praeterea. Sic Sueton. Aug. 77. In Liv. 2, 4, 5. inepte legitur: *nam quum — et coenatum forte apud Vitellios esset coniuratique ibi — multa inter se de novo, ut fit, consilio egissent, sermonem eorum ex servis unus excepit.*

5. Haec eadem est ratio, qua voc. *et — atque* aequales sententias numquam coniungunt, sed ipsum *atque* idem significat quod duplex *et*. Quare de duobus locis, qui illud exhibent, valde dubito. Nam quod legitur apud Quinctil. 12, 10, 64. *cui orationem nivibus hibernis et copia verborum atque impetu parem tribuit.* non video, quo defendatur. Gernhardus quum ait, per *atque* alteri *et* vim quamdam addi, qua *impetus* efferatur, nescio, quid sibi voluerit, aut quae sit illa quaedam vis. Ego delendum arbitror *et*. Diomedes Gramm. p. 463. *huius periodi compositione decoratur adeo, ut, si quid solvere et commutare volueris, pereat omnium rerum atque verborum et dignitas atque potestas.*

Non satis mirari possum ab Elberlingio in Observat. crit. ad Iul. Caes. Havniae 1828. editis p. 111. ad comprobandam istam opinionem afferri alienos locos, veluti Cic. Acad. 2, 7, 19. *meo autem iudicio ita est maxima in sensibus veritas, si et sani sunt ac valentes, et omnia removentur, quae obstant et impediunt.*

Quomodo librarii *ac* pro *et* interpolaverint, vide apud Arntzen. ad Cat. Distich. p. 283.

6. Sed redeamus. Poetae duplici *et* utuntur, ut duas res indicent necessario nexu et uno tempore cohaerere, aut simul evenisse: quod alibi exprimitur verbis *ut — ut.*

Ovid. Her. 12, 33. *et vidi et perii.* Met. 8, 611. *et sensi et dixi sociis.*

7. Duplex *et* collocationem rerum contrariarum designat: id quod bene observavit Gernhardus ad Cic. de Off. 1, 2, 4. Est enim sensus hic: uti hoc — ita ex altera vel ex contraria parte illud. Possunt partes enuntiationis etiam ita opponi, ut, alterum etiamsi adsit, alterum tamen non deesse dicatur. Id exprimitur verbis *et — et tamen.*

Cic. de Orat. 1, 17, 74. *id ipsum, quod contra me loquutus es, artificio quodam es consequutus, ut et mihi, quae ego vellem, non esse concederes, et ea ipsa nescio quomodo rursus detorqueres, atque oratori propria traderes.* Acad. 2, 11, 36. *exsistat aliquid, quod et verisimile videatur et absit longissime a vero.* Eamdem formam restituere voluit Ernestius loco de Orat. 3, 23, 86. sed nulla auctoritate.

Liv. 21, 43, 11. *saepe et contemtus hostis cruentum certamen edidit, et incliti populi regesque perlevi momento victi sunt.*

Cic. de Invent. 1, 22, 31. *hic uterque et id posuit, quod conveniebat, et tamen suae caussae commodo consuluit.*

8. Potest enuntiatio, quae duplicis *et* distinctionem in se habet, ipsa superioribus adiungi per copulativam particulam.

Cic. de Off. 1, 2, 4. *in eoque et colendo sita vitae est honestas omnis, et in negligendo turpitudo.* Lucan. 3, 84. *iamque et praecipites superaverat Anxuris arces, et qua pomptinas via dividit uda paludes.* Sueton. Caes. 13. *potentissimos duos competitores multumque et aetate et dignitate antecedentes superavit.* Vid. Burmann. et Duker. ad c. 11.

9. Ea, quae coniunguntur per duplex *et*, non semper unam formam habent, sed diversam saepe: sicuti in altera parte substantivum, in altera autem relativa sive caussalis sententia ponitur.

Quinctil. 11, 3, 49. *iam secunda respiratio increscat oportet et naturali quodam conatu, quo minus pavide dicimus, quae se-*

quuntur, et quod magnitudo animi Milonis ostenditur. ubi vid. Spalding.

10. Goerenzius ad Cic. Acad. 2, 1, 2. observasse se narrat, Ciceronem semper in repetitione eiusdem verbi ponere duplex *et*. Quam observationem doctam appellat Otto ad Cic. Cat. 1, 4. Ego vero non assentior. Nam neque perpetuus est ille mos Ciceronis, ut multis exemplis demonstrari potest, neque alia ratio suppetit in ipsa verbi unius repetitione, quam quae in quacumque partium coniunctione necessaria duplicem particulam postulat.

Cic. Tusc. 4, 3, 5. *sed de ceteris studiis alio loco et dicemus, si usus fuerit, et saepe diximus.* 4, 15, 34. *quando et aliis locis de virtute et diximus, et saepe dicendum erit.* Ita codd. de Senect. 1, 4.

Sed Cic. de Orat. 1, 26, 119. *quod adhuc semper tacui et tacendum putavi.* In quo loco si cum Goerenzio scripseris *et tacui*, ipsam sententiam corrumpes, in qua partes non possunt ex aequo componi. De Fin. 2, 25, 81. quem locum vide p. 527. Goerenzio adeo placuit Lambini coniectura: *quod et ipse bonus vir fuit et multi Epicurei et fuerunt et hodie sunt* etc.

11. Neque vero de necessitate duplicis particulae confici poterit regula, qua scriptores adstricti fuerint, ut necessitatem partium componendarum designarent, aut res distinctius opponerent. Tamen Gronovius ad Liv. 22, 15, 10. *itaque ipse et delecti equitum circumventi occiduntur.* haec annotat: „Livius solet dicere *itaque et ipse et delecti.*" Caussam non addit. Et alia leguntur in veterum libris multa huius generis, quae mirari haud dedecet. Itaque non sine caussa Schützius in Cic. de Orat. 1, 13, 55. *ceteros libros artis suae nomine, hos rhetoricos et inscribunt et appellant.* haesisse videtur, ut prius *et* abiiceret: quod non licuit. Sunt vero, in quibus *et* unum pro duplici positum recte censeamus. Sic ad Terentii verba Ad. 5, 5, 5. *servom haud illiberalem praebes te, et tibi lubens bene faxim:* Donatus haec: ET *additum est, ut ostendat hanc esse sententiam: non solum te laudo, sed etiam iuvo, illud dicendo, hoc faciendo.*

De Graecorum usu cf. Beckerus in Ephem. litt. ienens. 1813. Supplem. n. 35. p. 279.

Cic. p. Domo 50, 129. *haec quum tot tantaque agerentur, non*

mirum est, praesertim in furore animi et caecitate, multa illum et te fefellisse. pro *et illum et te.*

12. Non rara tamen sunt exempla, in quibus *et* — *et* bis positum non cohaeret, sed unumquodque singularem habet rationem, quae interpretes saepe fefellit.

Cic. Brut. 21, 81. *sed vivo Catone minores natu multi uno tempore oratores floruerunt. Nam et A. Albinus, is qui graece scripsit historiam, qui consul cum L. Lucullo fuit, et litteratus et disertus fuit: et tenuit cum hoc locum quemdam etiam Ser. Fulvius et una Ser. Fabius Pictor.* Male dicunt *nam et* alteri *et tenuit* respondere. Sueton. Aug. 78. *sic quoque saepe indigens somni, et dum per vicos deportaretur, et deposita lectica, inter aliquas moras condormiebat.* quem locum Oudendorp. non expediit. Sensus enim est: si quando somni indigebat, dum per vicos deportaretur, (vide p. 318.) et tum deposita lectica etc. Quinctil. 10, 1, 24. *quin etiam easdem caussas utrisque erit scire. Nam de domo Ciceronis dixit Calidius, et pro Milone orationem Brutus exercitationis gratia scripsit, etiamsi egisse eum Cornelius Celsus falso existimat. Et Pollio et Messala defenderunt eosdem.* Fallitur Spaldingius, quum docet *et* — *et* hic valere *tam* — *quam.* Nam alterum *et* coniungit universam sententiam, tertiumque addit exemplum.

13. Sicuti apud Graecos fit, etiam a Latinis in hac rerum compositione non semper utraque pars ad aequalitatis rationem exigitur, sed altera praestat peculiari modo. Itaque primo loco id ponitur, quod generaliter dicitur, aut quod, nisi alterum peculiariter esset efferendum, tamquam reliquum secundo loco accedere deberet. Tum *et* — *et* idem est quod *quum* — *tum.* Atque ipsa haec vocabula in illorum locum substituta sunt a librariis in Cic. de Orat. 1, 37, 170.

Cic. Brut. 42, 156. *ita prorsus, inquit, et antea putabam, — et nunc meum iudicium multo magis confirmo testimonio et iudicio meo.* p. Quint. 1, 3. *homo et in aliis caussis exercitatus, et in hac multum et saepe versatus.*

Cic. de Fato 1, 2. *idque et saepe alias et quodam liberiore, quam solebat, et magis vacuo ab inventoribus die.* conf. ad Wopkens. Lect. p. 395. de Orat. 1, 9, 38. *pater, homo prudens et gravis, haudquaquam eloquens, et saepe alias et maxime censor saluti rei publicae fuit.*

14. Si magnus est numerus rerum in partes distributarum, extrema earum additur per vocabulum *postremo*, atque ita ordo rerum clauditur.

Cic. de Amic. 23, 86. *de amicitia omnes ad unum idem sentiunt, et ii, qui ad rem publicam se contulerunt, et ii, qui rerum cognitione doctrinaque delectantur, et ii, qui suum negotium gerunt otiosi, postremo ii, qui se totos tradiderunt voluptatibus, sine amicitia vitam esse nullam.* Quinctil. 2, 15, 6.

15. Altera pars potest vel ob praestantiam vel aliam ob caussam distingui: quare adduntur particulae *maxime*, *praecipue*, vel *certe*, vel *tamen*, *nihilominus*. De formulis *et quoque*, *et etiam* vide p. 521. Quare vehementer miror illud a Gernhardo ad Quinctil. 5, 10, 106. negari, quasi in rebus aequalibus ita compositis alteri non possit accedere gravius.

Cic. de Off. 2, 11, 38. *ergo et haec animi despicientia admirabilitatem magnam facit et maxime iustitia.* de Orat. 1, 9, 38. vid. p. 532.

Celsus 3, 18, p. 152. *omnibus vero sic affectis somnus et difficilis et praecipue necessarius est.*

Cic. Orat. 12, 38. *quae in veritate caussarum et rarius multo facimus et certe occultius.*

Quinctil. 4, 1, 16. *quod et fieri cum modo debet, et est tamen parti utrique commune.* Celsus 5, 26, 21. *venae — duobus locis deligandae intercidendaeque sunt, ut et in se ipsae coeant, et nihilominus ora praeclusa habeant.*

Quinctil. 5, 10, 106. *quia vocum et in singulis ambiguitas frequens et adhuc in coniunctis magis.* Ita nunc e codd. recte restituit Zumptius.

16. Particulae *et — sed* componunt duas res, quae adsunt simul, tamen etiam differunt, ut sensus sit: *uti hoc — ita contra illud.* Et confertur quidem hac ratione ea res, quae aut magis vel imprimis valet, aut in locum alterius rei succedit. Fortasse etiam recte componuntur *et — sed et*, quae comparari possunt cum graecis *καὶ — δὲ καί.*

Plat. Menex. 3. *ἥπερ καὶ ἄλλους πολλοὺς καὶ ἀγαθοὺς ἐποίησε ῥήτορας, ἕνα δὲ καὶ διαφέροντα τῶν Ἑλλήνων, Περικλέα.*

Liv. 21, 46, 10. *malim equidem de filio verum esse, quod et plures tradidere auctores, sed fama obtinuit.* Ita optimi codices, alii *sed et*. Columel. 3, 2, 15. *id tamen incommodum repensant uvarum multitudine, quas et in iugo, sed et in arbore melius exhibent.* Editores adiecerunt *sed et*.

Cic. de Orat. 1, 55, 236. *ita et tibi iurisconsultus ipse per se*

nihil, nisi leguleius quidam cautus et acutus, praeco actionum, cantor formularum, auceps syllabarum: sed quia saepe utitur orator subsidio iuris in caussis, idcirco istam iuris scientiam eloquentiae tamquam ancillulam pedisequamque adiunxisti. Correxerunt critici *ita est.*

Differt ratio in his Sueton. Aug. 81. *sacerdotum et numerum et dignitatem, sed et commoda auxit.*

17. De usu verborum *et autem*, et in bipartita oratione *et — et autem* satis diximus T. I. p. 583. In similem modum componuntur *et — et vero.*

Liv. 45, 19, 6. *adeo universos omnia et huic tribuere et illi vero negare.*

18. Possunt etiam negativae sententiae ita coniungi. Quare post *et* sequitur *neque* sive *nec*, sicut post *nec* altera in parte *et* collocatur. Vbi negatio ad unum pertinet verbum, aut ubi ipsi negationi singularis vis inhaeret, ponitur *et non.* Ennius num composuerit *et — et neque*, ex uno, in quo libri variant, loco demonstrari non potest: sed alii *et nec — nec* dixerunt. Vniversum huius dictionis genus Otto ad Cic. de Senect. p. 23. anacoluthis adnumerat, quasi qui ita loquitur, duas sententias affirmativas positurus, subito mentem suam et negativam notionem mutet.

Cic. Brut. 4, 17. *ego vero et exspectabo ea, quae polliceris, neque exigam, nisi tuo commodo, et erunt mihi pergrata, si solveris.* Lael. 21, 81. *ita pulcherrima illa et maxime naturali carent amicitia, per se et propter se expetenda, nec ipsi sibi exempla sunt, haec vis amicitiae qualis et quanta sit.* ad Att. 12, 33. *ego — si et Silius is fuerit, quem tu putas, nec Drusus facilem se praebuerit, Damasippum velim aggrediare.* de Off. 3, 3, 11. *cui quidem ita sunt Stoici assensi, ut et, quidquid honestum esset, id utile esse censerent, nec utile quidquam, quod non honestum.* de Senect. 3, 7. *qui se et libidinum vinculis laxatos esse non moleste ferrent, nec a suis despicerentur.* ubi vid. Heusinger. in Catil. 3, 8, 20. p. Flacc. 20, 46. Philip. 13, 6, 13. de Nat. d. 1, 38, 102. *a Democrito omnino haec licentia. Sed et ille reprehensus a multis est, nec vos exitum reperitis.* Colum. 4, 8, 4. *nam et minus ferro crura vitium laeduntur, nec tam celeriter radiculae inveterato iam codice enascuntur.* Alia vide apud Beierum ad Cic. Off. 3, 4, 20. 1, 21, 72. ad Lael. 27, 104. et Goerenz. ad Cic. de Leg. 1, 4, 13. Matthiae ad Cic. p. Sext. 44, 96. Otton. ad Cic. de Fin. 1, 2, 6. Henrichsen. ad Cic. de Orat. 2, 70, 281.

Cic. in Catil. 3, 8, 20. *itaque illorum responsis tunc et ludi decem per dies facti sunt, neque res ulla, quae ad placandum deos pertineret, praetermissa est.* p. Flacc. 20, 46. *qui et rem agnoscit neque hominem ignorat.* de Leg. 1, 4, 13.

Variata forma haec: Liv. 22, 8, 5. *et quia et consul aberat —, nec per occupatam armis punicis Italiam facile erat aut nuntium aut litteras mitti, nec dictatorem populus creare poterat* etc. Cic. Tusc. 5, 38, 112. *Cn. Aufidius praetorius et in senatu sententiam dicebat, nec amicis deliberantibus deerat, et graecam scribebat historiam, et videbat in litteris.*

Cic. de Leg. 1, 9, 27. *neque enim omnia sunt huius disputationis ac temporis, et hunc locum satis — expressit Scipio.* ad Fam. 10, 1, 7. *Furnium nostrum tanti a te fieri, quantum ipsius et humanitas et dignitas postulat, nec miror et gaudeo.* Iustin. 8, 6, 8. *nam nec in eo ius cognationis servavit, cui ademit regnum, et eum, cui dedit, impudicum fecit ante quam regem.* Virgil. Aen. 12, 801. *nec te tantus edat tacitam dolor, et mihi curae saepe tuo dulci tristes ex ore recursent.* i. e. sed mihi etc. Alia vide in NEQUE.

Cic. ad Fam. 13, 22, 1. *nam et semper me coluit diligentissimeque observavit, et a studiis nostris non abhorret.* ad Att. 2, 4. *id et nobis erit periucundum et tibi non sane devium.* Liv. 31, 23, 11. *quodsi tantum militum Romanorum fuisset, ut et Chalcis teneri, et non deseri praesidium Athenarum potuisset — Chalcis et Euripus adempta regi forent.* Pallad. de Re r. 6, 7, 2. *quae res et sanguinis nimietatem prohibet, et non omnino iuvencos subducto robore virilitatis effeminat.*

Varro de Re r. 3, 14, 1. *locus is melior, quem et non coquit sol, et tangit ros.*

Ennius apud Varronem de L. lat. 4, 10. *et capit, et neque iam dispendei conficit hilum.* sed nunc legitur: *ipsam capere neque dispendi facere hilum.*

Tacit. Dialog. 19, 7. *qui vi et potestate, non iure et legibus cognoscunt, et nec accipiunt tempora, sed constituunt, nec exspectandum habent oratorem.* Similiter Graeci κοὔτε — τε. Soph. Phil. 1321.

19. In altera parte adhaeret negationi etiam particula oppositiva *tamen*, quo sensus exsistit: etiamsi illud sit in altera parte, tamen in altera hoc non exstat, sive ne hoc quidem exstat: et *vero*, quo altera pars cum graviori affirmatione opponitur.

Cic. ad Att. 10, 1. *at hoc, quod agimus, et turpe, nec tamen*

tutum. i. e. et ne tutum quidem. 7, 1. *sed me non moverunt: nam et mea laus apud me plurimum valuit, nec tamen quidquam honorifice in quemquam fieri potuit, quod praetermiserim.* de Fin. 4, 18, 51. *si enim virtus digna est gloriatione, ut est, tantumque praestat ceteris rebus, ut dici vix possit, et beatus esse poterit virtute una praeditus, carens ceteris, nec tamen illud tibi concedet, praeter virtutem nihil in bonis esse.* in quo explicando loco Goerenzius errat.

Sic etiam *et*.— *et tamen non.* Liv. 21, 3, 3. *et aequum postulare videtur, inquit, Hasdrubal, et ego tamen non censeo, quod petit, tribuendum.* Doeringius aut *etsi* aut *at ego* scribendum censet. Sed utrumque inest in verbis scripturae vulgaris.

Cic. de Orat. 2, 23, 98. *quod et in vobis animadverti recte potest, Caesar et Cotta —: neque vero vester aequalis Curio — quemquam mihi magno opere videtur imitari.*

20. Sicut ex verbis negativis aliis elicienda est saepe significatio, quae in altero orationis membro affirmat, ita etiam *et* post *ne* ponitur, ut sit id quod *et ut*. Vulgo dicunt poni *et* pro *sed*. Vid. Walchii Emendat. Liv. p. 227.

Liv. 32, 35, 5. *et eam opinionem ipse affirmavit, petendo, ut submotis aliis, ne tempus altercando tereretur, et aliquis finis rei imponi posset, cum ipso imperatore romano liceret sibi colloqui.* De loco 42, 10, 3. vide Walchium l. c.

21. Sed quaeritur, num verum sit, quod grammatici quidam tradiderunt, *et* post *nec* recipere negationis significationem. Negaverunt hoc Bentleius ad Horat. Epod. 16, 6. et Serm. 1, 6, 68. et Ruhnkenius ad Vellei. 2, 45, 1. Sed Wyttenbachius in Bibl. crit. 3, 4. p. 4. demonstrat *et*, sicut *atque* et *que*, praecedente negatione negare, vel negationem repetere, idque de Graecorum exemplo. Huic assentitur Huschkius ad Tibull. 2, 4, 17. Vt praeteream eos, qui diversa miscuerunt, veluti Wagnerum ad Eleg. in Messal. 35. etiam illi viri doctissimi rationem non acriter perspexerunt, atque unus Ruhnkenius cognitum habuisse videtur, quo Bentleium defenderet. Nam nemo umquam negavit, in sententia negativa pergere orationem per *et*, quo additur alia res rebus antea dictis, et uni negationi omnes subiiciuntur. At disiunctiva vis erat, quam Bentleius negaret, et iure quidem.

Afferunt haec Virg. Ge. 3, 140. *non illas gravibus quisquam iuga ducere plaustris, non saltu superare viam sit passus, et*

acri carpere prata fuga, fluviosque innare rapaces. Propert. 2, 1, 21. *non* (canerem) *veteres Thebas, nec Pergama nomen Homeri, Xerxis et imperio bina coisse vada.* Tibull. 2, 4, 17. *nec refero solisque vias et qualis, ubi orbem complevit, versis luna recurrat equis.* Quae omnia nihil probant, nec magis haec Propert. 1, 16, 11. *nec tamen illa suae revocatur parcere famae, turpior et saecli vivere luxuria.* quae aut corrupta sunt verba aut per graecismum dicta pro: turpior etiam, ut vivat luxuria secli.

Quinctil. 5, 14, 5. *quia vero interim et propositio non egeat rationis et assumptio probationis.* Spaldingius ad haec: „in altero membro deficit negatio, ubi pro *et* exspectabas *nec.* In tali oratione equidem non acquiesco, quum exemplis geminis destituar. Suspicor *aut prop.* — *aut assumpt.*“ At *non egeat* apte cohaerent, ut in altero membro repetas *et assumptio non egeat probationis.*

22. Grammatici quidam existimabant per vocabula *et* — *aut* interdum componi sententiarum partes. At quo argumento negavimus Tom. I. p. 546. post *aut* poni posse *et*, nisi in anacoluthiae formis, eodem nunc mutuam rationem abhorrere censemus a transversis vocabulis *et* — *aut.*

Cic. Brut. 48, 180. *sed omnium oratorum sive rabularum, qui et plane indocti aut inurbani aut rustici etiam fuerunt, — solutissimum in dicendo et acutissimum iudico nostri ordinis Q. Sertorium.* Heusingerus correxit *aut plane indocti et inurbani.* Sed cur non satis erat restituere scripturam codicis guelferbytani? *qui et plane indocti et inurbani, aut rustici etiam.*

Liv. 39, 25, 2. *pro ingenio quisque eorum, qui principes legationum erant, et gratia cum Philippo aut odio, acerbius leniusve egerunt.* Walchius vel scribendum censet *aut gratia*, vel delendum *et.* Fortasse tamen recte se habent verba ita construenda: quisque eorum acerbius leniusve egerunt pro ingenio et gratia cum Philippo aut odio.

23. Recte observarunt Bremius ad Cic. de Fin. 1, 12. et Goerenzius ad Acad. 1, 4, 16. a Latinis non raro opponi verba *tum* — *et.* Nam ipsi huic dictioni non deest ratio. At quod iidem viri opinantur, etiam per voculas *et* — *tum*, *que* — *tum* res componi tamquam partes, id non verum est, nec ratio suppetit. Nam ubi vere legitur *tum* post *et*, particulae nihil habent commune, sed *tum* pro *tum etiam* per se ponitur.

Cic. Acad. 1, 4, 16. *omnis eius oratio tum in virtute laudanda et in hominibus ad virtutis studium cohortandis consumebatur.*

Cic. Brut. 93, 320. *longius autem procedens, et in ceteris eloquentiae partibus, tum maxime in celeritate et continuatione verborum adhaerescens sui dissimilior videbatur fieri quotidie.* Sed codices praebent *ut*, quod recepisse immerito poenituit Orellium in Addend. Vol. 2. P. 1. p. 587.

Cic. Acad. 2, 14, 43. *definitiones enim et partitiones et horum luminibus utens oratio: tum similitudines, dissimilitudinesque et earum tenuis et acuta distinctio fidentium est hominum.* In his *tum* non ex adverso positum est. Neque in locis Acad. 2, 1, 1. ad Fam. 5, 13, 5. verbum *que* cum *tum* cohaeret. Liv. 1, 40, 4. *sed et iniuriae dolor in Tarquinium ipsum magis quam in Servium eos stimulabat, et quia gravior ultor caedis, si superesset, rex futurus erat quam privatus: tum, Servio occiso, quemcumque alium generum delegisset, eumdem regni heredem facturus videbatur.*

VII. De compositis verbis *et adhuc*, *et iam*, *et quidem*, *et rursus*, *et tamen*, *et vero* et quae sunt reliqua huius generis, dicendum nobis est in nominibus, quae copulativam adiunctam habent. Quare adi eos locos.

VIII. 1. *Et*, quod iis verbis, quae coniungit, praecedat necesse est, a poetis, ubi metri caussa intercedat, etiam post aliquot nomina poni, omnibus notum est. Interdum ambiguitatem non satis caverunt etiam optimi poetae. Sed etiam oratores non semper ei nomini praeponunt, ad quod pertinere videatur proprie. De qua re Wopkensius Lect. Tull. p. 45. (33.) dixit, sed varia miscuit. Nec tam aurium iudicio ac voculationis potestate haec reguntur, quam eo modo, quo nomen duabus sententiis commune praeponitur utrique.

Exempla simplicis copulae postpositae, quae ex prosaicis scriptoribus afferuntur, falsa sunt. Quod ante Oudendorpium legebatur in Sueton. de Gramm. 21. *cito manumissus, Augusto et insinuatus est.* nunc correctum habemus *etiam ins.* De poetarum usu conf. Cortius ad Lucan. 5, 801. qui idem ad 4, 471. et ad 6, 709. observat, librarios, sicubi particulam non legitimo loco positam vidissent, eam omnino omisisse.

Ambiguitatem offendimus in Horat. Sat. 1, 6, 101. *ducendus et unus et comes alter.* in Tibull. 1, 2, 39. *si quis et imprudens adspexerit, occulat ille.*

Cic. Acad. 2, 22, 69. *qui haec ipsa — et didicit apud Philonem — et scripsit de his rebus accuratissime.* Dicunt postulari: *qui et haec ipsa didicit, et scripsit de h. r.* At Cicero noluit dicere utrumque factum esse, sed modo in iis, quae a se defenderentur: et quod in verbis *scripsit de his* mutatur orationis forma, nullam vim habet ad mutandam rationis verbi primarii. Ita Tusc. 4, 14, 32. *sic illi in morbum et incidunt tardius et recreantur ocius.* i. e. et in eo recreantur.

2. I. H. Vossius observasse se narrat ad Tibullum p. 170. hunc poetam saepe ponere *et* post caesuram pentametri: veluti 1, 4, 82. 4, 4, 26. Lachmannus autem ad Propertium p. 97. in penthemimeri non ita *et* poni, ut breve vocabulum sequatur, sensu cum praecedentibus, non cum iis, quae subiiciantur, coniunctum. Quae omnia non certa lege facta sunt.

*) Librarii quot modis hanc particulam corrumpere vel mutare consueverint, vix dici potest. Saepe eam videmus ortam ex antecedente syllaba *et* vel *ēt:* vid. Drakenb. ad Liv. 2, 12, 2. 39, 18, 8. 36, 5, 8. 35, 41, 7. 37, 59, 1. Goerenz. ad Cic. de Leg. 2, 12, 29. Post *ae* excidit: vid. Burmann. ad Sueton. Vesp. 4. Cort. ad Lucan. 3, 564. et post *sed:* vd. Drakenb. ad Liv. 6, 22, 6. Intercipitur a proxima voce *e* vel *ex:* vd. Heins. ad Claudian. Bell. gild. 156. Drakenb. ad Sil. Ital. 3, 57. et ad Liv. 6, 7, 4. 30, 7, 2. a sequente *ut:* vd. ad Liv. 41, 6, 4. Pro syllaba *ef* in *effusus*, *effractus* librarii dare solebant *et:* vd. Drakenb. ad Liv. 38, 49, 4. 28, 19, 6. 31, 26, 11. Confunduntur voculae *ut:* vid. Drakenb. ad Liv. 21, 28, 8. Cort. ad Plin. Epist. 10, 42. Ruhnken. ad Vellei. p. 115. Heusingeri Emendat. p. 32. nostr. not. ad Wopkens. p. 291. Meyer. ad Cic. Orat. 40, 137. et *aut:* vd. Heusing. ad Cic. Off. 1, 11, 9. Miscell. Observ. Vol. 4. p. 163. Heindorf. ad Cic. de N. d. p. 201. 268. et *autem:* vid. Heusing. ad Cic. Off. 2, 13, 11. et *ac:* vid. Tom. I. p. 512. Cort. ad Lucan. 4, 425. 776. Arntzen. ad Cat. Dist. p. 283. et 299. et *vel:* vd. Goerenz. ad Cic. de Fin. p. 454. et *at:* vd. Drakenb. ad Liv. 36, 35, 7. Arntzen. ad Cat. Dist. p. 93. Saepe *sed* ortum est ex *s* finali et *et*, veluti *multi sed* pro *multis et* apud Plin. Epist. 2, 18, 2. Hinc confunditur *sed:* vid. Liv. 21, 46, 10. Heusing. ad Cic. de Off. 3, 6, 16. Cort. ad Lucan. 3, 120. Burmann. ad Anthol. lat. T. I. p. 28. et 37. Sed etiam praeter hanc caussam; vid. Cortius ad Lucan. 1, 141. Drakenb. ad

Liv. 21,26,6. 40,58,1. Arntzen. ad Cat. p. 165. *Et* et *etiam* saepissime commutata sunt et ob significationem aequalem et quod similitudo siglorum magna est, ut demonstrat Matthiae ad Cic. p. Sext. 59, 126. cf. Drakenb. ad Liv. 2, 42, 6. 22,47,9. Commutantur vocabula *e* et *ex*, *exinde* cum *et inde:* vid. Duker. ad Flor. p. 106. Drakenb. ad Liv. 40, 26, 7. 26, 45, 1. ad Sil. 3, 57. Cort. ad Lucan. 3, 88. 207. 623. 6, 486. Wernsdorf. ad Cic. Phil. T. 2. p. 536. *en:* vid. Acidal. ad Plaut. Cist. 2. p. 151. Cort. ad Lucan. 5, 58. *ei:* vid. Spalding. ad Quinctil. 5, 10, 96. Drakenb. ad Liv. 41, 15, 6. *in* ob simile compendium: vd. Cort. ad Lucan. 6, 153. itemque *est:* vid. Drakenb. ad Sil. 5, 157. Gernhard. ad Cic. Lael. p. 66. Drakenb. ad Liv. 7, 40, 1. et *te:* vd. eumdem ad 6, 1, 1. et Tibull. 1, 1, 59. Non rara sunt exempla particulae temere insertae, ut in quovis Ciceronis vel Quinctiliani libro cognosci potest: vid. Drakenb. ad Liv. 36, 31, 11. Cf. Cic. Tusc. 1, 15, 34. Saepius librarii omiserunt, quam addiderunt particulam: vid. Goerenz. ad Cic. de Fin. p. 519. Arntzen. ad Cat. Dist. p. 93. Oudendorp. ad Apulei. Met. p. 66. Matthiae ad Cic. p. Sext. 44, 96. Semper fere omittitur in fine versuum: vid. Schmid. ad Horat. Epist. 1, 18, 15. Si glossa adscripta erat, addito signo, quod significaret *id est*, a librariis male hoc pro *et* acceptum et glossa in textum recepta est: vd. Goerenz. ad Cic. de Leg. 2, 21, 52. Vbi duplex erat *et*, librarii alterum omittere solebant: vd. Goerenz. ad Cic. Acad. p. 8. 17. 93. 198. Ridiculum editorum errorem monstrat Schweighäuser. ad Senec. Epist. 2. init.

ETENIM.

ETENIM quid significet, ipsius formatio prodit. Nam ET, quod praefixum est, numquam non servat suam potestatem. Quare *etenim* non omnem significatum verbi *enim* complectitur, nec dicitur a veteribus quidem scriptoribus pro *nam*, quod caussam rei simpliciter exponat, sed semper superioribus adiungit aliquid, quod continuata oratione rem vel illustret vel confirmet. Comparari potest gothicum *jah than* apud Vlfilam Luc. 1, 66. et graecum *καὶ γάρ*. Vsus latinae particulae frequentior est apud recentiores quam apud veteres scriptores. Semel Plautus, Terentius quater dixit.

1. Primum igitur *etenim* rationem rei declarat at-

que significat *nemlich*, addens quae expositioni inserviunt. Sed copulativa particula saepe non maiorem habet vim, qua ad superiora respici iubet, quam *que* in *namque*, *quod* in *quodsi*.

Plaut. Amph. Prol. 24. *verum profecto hoc petere me precario a vobis iussit leniter dictis bonis. Etenim ille, cuius huc iussu venio, Iuppiter non minus quam vostrum quivis formidat malum.* In loco Amph. 1, 1, 110. non est *etenim vero*, sed *et enimvero* i. e. *und in der That.* Terent. Andr. 2, 6, 9. *nihil hercle* (molestae sunt nuptiae), *aut, si adeo, bidui est aut tridui haec sollicitudo: nosti? deinde desinet. Etenim ipsus secum eam rem reputavit via.* i. e. *er hat nemlich diese Sache sich nach Gründen überlegt.* Heaut. 3, 2, 37. Eun. 5, 8 (9), 44. vide p. 479. Cic. Brut. 6, 23. *etenim dicere bene nemo potest, nisi qui prudenter intelligit.* p. C. Rabir. 10, 30. Varro de Re r. 1, 4, 3.

2. Hinc fit, ut per hanc particulam transgrediamur in adiungendam rei expositionem, ubi Germani etiam dicunt *nemlich*. Componuntur saepe verba, quae expositionis conatum significant.

Cic. de Leg. 1, 18, 48. *sequitur — et ius et omne honestum sua sponte esse expetendum. Etenim omnes viri boni ipsam aequitatem et ius ipsum amant —. Per se igitur ius est expetendum.* in Verr. 4, 58, 129. *hinc colligere potestis, — quanta religione fuerit eadem specie atque forma signum illud, quod ex Macedonia captum in Capitolio posuerat Flamininus. Etenim tria ferebantur in orbe terrarum signa Iovis Imperatoris uno in genere pulcherrime facta: unum illud macedonicum* etc. Ita etiam de Senect. 5, 15. *Ennius — ita ferebat duo, quae maxima putantur, onera, paupertatem et senectutem, ut iis pene delectari videretur. Etenim quum contemplor animo, quatuor reperio caussas, cur senectus misera videatur.* ubi non est elliptica ratio, uti alieno nomine *iniustae* illato existimabat Beierus: „et recte quidem: iniustae enim sunt caussae.“

Cic. in Verr. 2, 69, 169. *etenim rem totam, iudices, breviter cognoscite.* 3, 20, 53. 2, 59, 145. 3, 32, 75. *etenim deinceps videamus, herbitensis civitas, honesta et antea copiosa, quemadmodum spoliata ab isto ac vexata sit.* p. Planc. 7, 18. *etenim ad caput et ad fontem utriusque generis veniamus.* Ernestius temere coniecit *at enim*.

3. Expositionem rei adiungit una cum caussa vel conditione. Tum proximae ei sunt coniunctiones caussales et conditionales, et dicitur *etenim quoniam*, *etenim si*.

Cic. de Fin. 1, 9, 30. *etenim quoniam detractis de homine sensibus, reliqui nihil est, necesse est, quid aut ad naturam, aut contra sit, a natura ipsa iudicari.* in Verr. 3, 20, 53. p. Flacc. 16, 38.

Cic. p. C. Rabir. 11, 31. *etenim si Scaevae, servo Q. Crotonis, — libertas data est, quod equiti romano praemium dari par fuisset?* de Nat. d. 2, 30, 77. *etenim si concedimus intelligentes esse deos, concedimus etiam providentes.* Varro de Re r. 1, 4, 4.

4. Sicuti *enim*, ita etiam *etenim* cum ea asseverationis vi dicitur, qua aliquid obiicitur, quod facile et per se intelligatur. Vide p. 388. Est *und freilich*, καὶ γάϱ τοι. Lucretius coniunxit adeo *quippe etenim*.

Cic. de Off. 3, 15, 63. *huic Scaevolae factum, de quo paullo ante dixi, placere nullo modo potest. Etenim qui omnino tantum se negat facturum compendii sui caussa, quod non liceat, huic nec laus magna tribuenda, nec gratia est.* ubi vid. Gernhard. Phil. 2, 12, 29. *ecquis est igitur, — qui illud aut fieri noluerit, aut factum improbarit? Omnes enim in culpa: etenim omnes boni, quantum in ipsis fuit, Caesarem occiderunt.* Faernus et Garatonius et Heusingerus, qui unius codicis vatic. scripturam *omnes ergo in culpa* praetulerunt tamquam necessariam, valde erraruut in conclusione constituenda, neque subtiliter distinxerunt antiquam orationem a glossemate substituto. Dicit enim Cicero: omnes scilicet in culpa sunt: omnes boni scilicet Caesarem occiderunt. Sed haec variavit oratorio ornatu. *Enim* est idem, quod *ergo* explicat: *freilich*, *allerdings*, et *etenim* idem significat, quasi in anaphora. *Allerdings sind alle in Schuld, und allerdings haben alle Patrioten Caesar ermordet.*

Lucret. 3, 801. *quippe etenim mortalem aeterno iungere, et una consentire putare, et fungi mutua posse, desipere est.* 2, 547. *quippe etenim sumant oculei* etc.

5. Numquam ponitur pro *at enim* sive *at:* quae olim fuit multorum criticorum opinio. Vid. Goerenz. ad Cic. de Fin. p. 253.

In Terent. Phorm. 5, 8, 90. e codd. nunc restitutum legitur *enim:* in Plaut. Most. 3, 2, 121. *at enim.*

Absurdius nihil esse potest quam quod Bothius Plauto tribuit Pseud. 1, 1, 29. *immo etenim pellegam.*

6. Ex his vero facile intelligitur, quomodo haec particula in parenthesi propriam sedem obtineat. Additur enim id, quod ante dicta illustret aut demonstret.

Vid. Drakenb. ad Liv. 7, 5, 4. Goerenz. ad Cic. Acad. 2, 31, 99. Atque oratio saepe ita est conformata, ut inter sententias inseratur media, quae caussam, cur ita dicatur, ante occupet.

Cic. Lael. 17, 62. *sed saepe (etenim redeo ad Scipionem, cuius omnis sermo erat de amicitia) querebatur* etc. Acad. 2, 31, 99. in Verr. 4, 7, 15. ad Att. 10, 17. Liv. 3, 24, 9. *at illi (etenim extremum anni iam erat) quartum affectantes tribunatum.*

7. In interrogatione eamdem fere significationem habet quam *enim:* de qua p. 384. et 385. dixi: sed nexus est distinctior, quasi dicatur: et quum ita res sit, quaero. Falluntur enim in his quoque ii, qui semper omitti putant sententiam adversativam, cuius ratio hoc modo reddatur. cf. Kühner. ad Cic. Tusc. p. 279.

Cic. Tusc. 4, 7, 40. *etenim quis erit tandem modus iste?* 5, 17, 48. *etenim, pro deorum atque hominum fidem, parumne cognitum est superioribus nostris disputationibus, an delectationis et otii consumendi caussa loquuti sumus —?* ubi Kühnerus interpretatione invertit totum locum. de Div. 2, 69, 142. *etenim — quae est continuatio coniunctioque naturae — eiusmodi, ut thesaurus ex ovo intelligi debeat?* Quod Goerenzius pro *sed enim* dictum putat ad Cic. de Fin. p. 253. in Catil. 1, 3, 6. *etenim quid est, Catilina, quod iam amplius exspectes?* de Nat. d. 1, 27, 77. e cod. glog. Heindorfius edidit: *etenim quis tam caecus in contemplandis rebus umquam fuit, ut non videret* etc.?

8. Quibusdam in locis maiorem vim habere videtur copulativa particula quam explicativa.

Tacit. Ann. 15, 54. *nam quum secum servilis animus praemia perfidiae reputavit, simulque immensa pecunia et potentia obversabantur, cessit fas et salus patroni et acceptae libertatis memoria: etenim uxoris quoque consilium adsumserat, muliebre ac deterius: quippe ultro metum intentabat.* Est: et uxoris quoque consilium: sed simul explicationi inservit.

Varronis de L. L. unus est locus, in quo *etenim* usurpat, sed valde ambiguus, nisi copulae tribuas maiorem vim: 10, 3. (p. 582. Speng.) *tertium genus est illud duplex, quod dixi, in quo et res et voces similiter proportione dicuntur, ut Bonus, Malus: Boni, Mali, de quorum analogia et Aristophanes et alii scripserunt. Etenim haec denique perfecta.*

9. *Etenim* quum sententiam simul adnectat, consequens est, ei locum esse proprium in enuntiationis principio. Sed quaeritur, num vetus consuetudo etiam

post unum vel duo vocabula eam collocaverit. Atque quod Bothius ad Plaut. Truc. 689. annotavit, nonnumquam apud comicos orationi interiici, non praefigi, falsum est commentum. Nusquam enim Plautus ita, neque Terentius. Neque vero apud Ciceronem ullum exstat exemplum, in quo non varient libri, aut particulam non respuat ipsa sententia. Poetae tantum hanc mutandi ordinis verborum licentiam sibi arrogabant, et ex eorum usu recentissimi scriptores: quare ubi in codicibus legitur apud oratores, factum id esse videtur recentiori librariorum consuetudine.

Moserus ad Cic. de Re p. 1, 2. negat tantum in interrogatione particulam post aliud nomen poni posse: quod si alibi in usum venisset, etiam ad interrogationem pertineret. vid. p. 543. Orellius in Orat. p. Coel. 3, 6. et de Leg. 2, 22. dubiam vel falsam putat scripturam: eumque sequitur Otto ad Cat. 9, 29. sed quod pro caussa habet, *etenim* non pro *enim* poni, id distinctius erat definiendum. Wunderus ad Cic. Planc. 16, 38. nullum affert argumentum novum, sed miratur Orellii iudicium, ego vero ipsius. Nam quis non in optimis codicibus vitiosas scripturas invenit? an vero non saepissime librarii ad suum loquendi usum veterum libros reformarunt?

Pro *etenim* codices praebent *enim* in his locis: Cic. p. Coel. 3, 6. (cf. Orell. in Analect. Vol. 4. P. 2. p. 598.) de Divin. 2, 49, 101. Lael. 7, 23. Cat. 9, 29. ad Fam. 11, 21, 6. apud Liv. 21, 39, 2. Sic in Digest. 3, 6, 9. olim legebatur *separatum est etenim*, nunc vero *sep. est enim.*

Quod apud Cic. de Re p. 1, 2. in codice legi *etenim* narrat Maius, id nihil esse videtur, nisi calami error, ab ipso scriba correctus: *est enim*. In l. de Leg. 2, 22, 57. *declarat etenim Ennius de Africano.* nec *enim*, nec *etenim* aptum est sententiae: quare recte suspicabantur critici fuisse *etm* i. e. *etiam*. Apud Horat. Sat. 2, 5, 60. *divinare etenim magnus mihi donat Apollo.* probari debet emendatio ex antiquis libris sumpta: *aut non divinare mihi magnus donavit Apollo.* In Plin. Hist. n. 17, 22, 35, 19. *id etenim uvas supplantat.* sed edit. princ. et aliae antiquae *id enim.*

Lucret. 3, 801. *quippe etenim mortalem aeterno iungere* etc. Horat. Carm. 4, 5, 17. *tutus bos etenim rura perambulat.*

Papinian. in Dig. 10, 2, 35. *filiam etenim, quae naturaliter agros tenuit, specie dotis, cuius capax fuisset, defendi.* Iuris anteiust. vatic. Fragm. 35. p. 30. Buchholtz. (p. 9. Mai.) *hinc*

etenim iurgia multa nascuntur. 256. p. 206. (65.) *parvi etenim refert.* Sic saepius scholiorum auctores.

10. Recentissimi scriptores distracto nomine dixerunt *et — enim*, non antiquiores. Abreschius in Lect. Thucyd. p. 107. adeo opinabatur *enim et*, ut graecum *γὰρ καὶ*, pro *etenim* dici in Sueton. Aug. 99. *hoc enim et verbo uti solebat.* At recte vidit Wolfius sensum verborum esse: nam etiam verbo hoc uti solebat, non tantum sententia et voto.

Tertullian. Apolog. 34. *Augustus, imperii formator, ne dominum quidem dici se volebat. Et hoc enim dei est nomen.* Hieronym. ad Iulian. Epist. 34. *et sancti enim corruunt.* Scribon. Larg. Compos. Medic. 22. *et hoc enim adiicio.*

E Cic. Brut. 6, 23. quod affertur: *et dicere enim bene nemo potest.* etiamsi codicum auctoritate confirmaretur, tamen librariis tribuendum esset. In Tacit. Dial. 5, 3. *et ego enim, quatenus arbitrum litis huius inveni, non patiar Maternum societate plurium defendi.* miror Dronkium revocasse scripturam olim vulgarem. Eiiciendum erat *et*, quod ipsum absonum videtur, et ne *etenim* quidem aptum huic sententiae. Apud Celsum 3, 4. *et is enim ulterioribus quidem diebus cubantis etiam luxuriae subscripsit.* variant codices.

11. *Etenim vero* nemo dixit. Nam si integra esset scriptura in cod. medic. Sueton. Tib. 12. id esse deberet: *et enimvero tunc non privatum modo — egit.*

*) Saepe *enim* et *etenim* commutata esse supra notavimus. Saepe etiam *at enim*: vid. Oudend. ad Apul. de Dogm. Plat. T. II. p. 193.

ETIAM.

Disceptant grammatici de origine particulae ETIAM, utrum ea facta sit ex *et iam*, an ex graeco *ἔτι*. Illam vero sententiam nonnulli eo reiiciunt, quod *etiam* apud poetas tribus syllabis constet, nec quidquam probetur verbis Martialis 1, 73. *hac etiam ratione tu poeta es.* quum in libris scriptis legatur *hac et tu ratione.* Tum addunt, coniungi verba *et etiam*, *iam etiam*: quod in eadem verborum originatione vix possit fieri. Quae argumenta omnia quam parum valeant, et per se facile intelligitur, et Vossius de Anal. 4, 27. p. 276. satis exposuit. De Wyttenbachio Matthiae ad Cic. Epist. 112.

narrat, eum in scholis docuisse, *etiam* nihil aliud esse quam graecum ἔτι: idque persuasit ipsi Matthiae. Quare Lindemannus, in eamdem viam nuper regressus, de Adverb. 3. p. 9. vehementer errasse eos censuit, qui non ἔτι, sed *et iam* intellexissent, ipse, ut videtur, immemor eorum, quibus ἔτι et *et* unius esse originis ab aliis demonstratum est. Sed quam explicandi rationem ipse adhibet, ea quidem ceteris est incredibilior: cum *eti* coniungi indefinitum *am*, quod idem inveniatur in *clam* et *palam* et in *iam*, quod ipsum constet ex duobus indefinitis *i* et *am*, idem significantibus. De *iam* dicam suo loco. Sed praeterea quod ex hac doctrina *eti-am* nihil aut parum differt ab *et-iam*, illud *am* numquam in lingua latina fuit verbum aut verborum fons, sed in *iam*, *palam*, *clam*, non aliter atque in *tam*, *nam*, *quam*, i. e. *qua-m*, littera *m* inservit formationi. Sive igitur *et* sive *eti* substituamus, manebit altera pars *iam*, quemadmodum *quoniam* factum est ex *quom iam*. Neque his obstat, quod dicitur *et iam* duobus verbis, *und nun*, nec quod componuntur *et etiam*, *iam etiam*. Nam veriloquium, ut in aliis multis, omnino erat in hac voce obscuratum, ut nemo magis offenderet quam in verbis *qui quidem*.

Et igitur, quod vel ex graeco ἔτι ortum, vel certe cognatione ei proximum, notiones et sententias coniungit, cum demonstrativa particula *iam* connectitur, ut distinctius notari possit accessio rei. Sic in germanica lingua *nun auch*, *nu auch*, sive *noauch*, fit *noch:* in antiqua Gothorum lingua *auk* cognationem habet cum verbo *aukan* i. e. augere. Atque illa accessio aut fit praeter alias res, i. e. praeterea, aut non minus quam alia, aut super alias, i. e. adeo, aut in confirmanda re cum pondere affirmationis. Quibus modis omnis particulae vis comprehenditur. Sed differebat ea ab *et iam* ipsa pronuntiatione non tantum litterae *t*, sed primae vocalis.

Schwartzius et cum eo alii docuerunt, ob ipsius vocabuli originem non dici *et etiam*, sed *atque etiam*: quod quam verum esset, diximus p. 522. Adde Cic. ad Fam. 9, 25, 7. *auctoritate tua nobis opus est et consilio et etiam gratia.* ubi Orellius comparat Fragm. Corn. Nep. p. 381. Bard. *et etiam debuerat.*

De *et iam* vide in IAM. Sunt vero loci, in quibus dubites, utram dictionem praeferas. Cic. ad Fam. 15, 16. *quae ille*

Gargettius, *etiam ante Democritus εἴδωλα, hic spectra nominat.* Wopkensius Lect. Tull. p. 35. et Orellius scripserunt *et iam*: hic non mutavit 14, 19. *etiam ante fecisset.* ubi Schellerus correxit *et iam ante.* In plurimis locis videbimus restituendum esse *etiam.*

I. 1. *Etiam* adiicit ei, quod aut dictum aut cogitatum est, aliud quid, et significat *ad haec*, *praeterea*, *insuper*. Nos dicimus *auch*, Graeci *καί*. Saepe vero *etiam* inter sententiarum partes vicem copulae implet, ut pro *atque etiam* positum videatur. vd. Duker. ad Liv. 7, 10, 14. Sic veterum Saxonum *ôk* copulativam habet potestatem. Locus, quem particula obtineat, per ipsius naturam non alius conceditur, nisi ante nomen rei, quae additur, et in coniunctis substantivis et adiectivis medius. Vbi vero in hoc nomen maius imponitur pondus, aut oppositione adaugetur eius vis, invertitur ordo, et ponitur *etiam* post suum nomen. Ita nos distinguimus *auch dieſs* et *dieſs auch*. Quando vero particula ad totam sententiam pertinet, primo loco ponatur necesse est: nisi alia coniunctio praemittitur. Sed sunt quaedam verba, quae particulam ad se ducunt, etiamsi ad alia referri debere videatur. Dicuntur enim *accedit etiam*, *addebat etiam* et similia.

Cic. p. Caec. 10, 27. *A. Atilius et eius filius L. Atilius et armatos ibi fuisse et se suos armatos adduxisse dixerunt. Etiam hoc amplius: quum Aebutius Caecinae malum minaretur* etc. i. e. ad haec. Plaut. Capt. Prol. 53. *sed etiam est, paucis vos quod monitos voluerim.*

Ponitur in altera parte accedente sententiae post *primum.* Cic. de Orat. 1, 44, 196. *cuius primum nobis mens, mos, disciplina nota esse debet —. Percipietis etiam illam ex cognitione iuris laetitiam.*

Cic. Brut. 75, 261. *splendidam quamdam minimeque veteratoriam rationem dicendi tenet voce, motu, forma etiam magnifica et generosa quodammodo.* Curt. 7, 7, 26. *ille exsanguis attonitoque similis stabat, per metum etiam voce suppressa.*

Cic. Acad. 2, 12, 38. *sed haec etiam sequuntur.* quae bene explicuit Goerenzius. Liv. 21, 51, 4. *depopulatoque vibonensi agro, urbem etiam terrebant.*

Ab initio sententiae Sueton. Caes. 45. *etiam cultu notabilem ferunt.* Aug. 89. *etiam libros totos et senatui recitavit et populo notos per edictum saepe fecit.*

Cic. in Verr. 5, 39, 102. *derisum credo esse hominem amentem a suis consiliariis et admonitum hasce ei tabulas nihil profuturas: etiam plus ex nimia praetoris diligentia suspicionis in eo crimine futurum.*

In interrogatione. Plaut. Amph. 2, 2, 128. *obsecro, etiamne hoc negabis, te auream pateram mihi dedisse dono hodie.*

Cic. Lael. 9, 29. *quodsi tanta vis probitatis est, ut eam vel in iis, quos numquam vidimus, vel quod maius est, in hoste etiam diligamus* etc. ubi particulam, quae necessaria videtur, Goerenz. in Iahnii Annal. 1. p. 303. abiiciendam censet. Acad. 2, 39, 123. *dicitis etiam, esse e regione nobis e contraria parte terrae, qui adversis vestigiis stent contra nostra vestigia,* etc. Ita codd. quidam, uti Goerenzius narrat. Tum verbum *dicitis* maiorem habet vim contendendi: alioquin recte se habet vulgaris lectio *etiam dicitis.* Similiter 2, 37, 119. *erit ei persuasum etiam, solem, lunam, stellas omnis, terram, mare deos esse.* de Div. 1, 30, 64. *divinare autem morientes illo etiam exemplo confirmat Posidonius.* Ita recte codd. vid. n. 7. Acad. 1, 2, 7. *quam argute, quam obscure etiam contra Stoicos disserendum.* ubi male accipiunt pro *adeo.*

Terent. And. 1, 3, 10. *ad haec mala hoc mi accedit etiam: haec Andria — gravida e Pamphilo est.* Cic. de Sen. 6, 16. *ad Appii Claudii senectutem accedebat etiam, ut caecus esset.* de Fin. 2, 17, 55. *addebat etiam, se in legem voconiam iuratum contra eam facere non audere.* Tusc. 3, 18, 43. *si vero aliquid etiam, tum plane luctum omnem absterseris.*

Cic. de Nat. d. 2, 52, 130. *accedit etiam ad nonnullorum animantium et earum rerum, quas terra gignit, conservationem et salutem hominum etiam sollertia et diligentia.* Hanc omnium librorum scripturam critici defendere debebant, non eiicere alterum *etiam.*

Liv. 39, 35, 6. *nunc eosdem Romanos aequiores Lacedaemoniis quam Achaeis esse: ubi Areus etiam et Alcibiades — legationem Romam adversus gentem Achaeorum — suscepissent.* Exspectamus *ubi etiam Areus:* et haec erat caussa, quapropter Aldus hunc locum sibi suspectum fuisse asterisco notaret.

Goerenzius ad Cic. Acad. 2, 19, 62. loquitur de particula *etiam*, quae tertio loco posita proprie usurpetur ab eo, qui ad aliam rationem transgrediatur: quod quid sit, non intelligo. Certe in tertio loco nulla apparet proprietas. Ad libr. de Fin. p. 60. idem vir doctus tertio loco tribuit significationem *adeo.*

2. In colloquiis saepe haec particula adhibetur cum

leviore vi, uti Graeci *καί*, Germani *auch* usurpant. Quemadmodum Terent. Ad. 2, 1. 34. SA. *leno sum, fateor, pernicies communis adolescentium, periurus, pestis: tamen tibi a me nulla orta iniuria.* AE. *Nam hercle etiam hoc restat.* i. e. *ja das fehlte wahrhaftig auch noch.*

3. Potest *etiam* non modo in duabus sententiis proximis bis poni, sed etiam in sententiae unius altera parte iterum. Haec veteribus non displicuerunt, at saepe criticis nostri temporis. Vid. Heindorf. ad Cic. de Nat. d. 2, 57, 145. Neque reprehendi poterit, sicubi in una eademque sententia bis ponatur. Pleonasmus est. Cf. Aus. Popma de Vsu ant. loc. 2, 9. Wopkens. Lect. Tull. p. 53 (38) et p. 254 (184.). Dukerus ad Florum p. 290.

Cic. Tusc. 4, 2, 4. *mihi quidem etiam Appii Caeci carmen — Pythagoreorum videtur. Multa etiam sunt in nostris institutis ducta ab illis.* ubi prius *etiam* offendit Davisium et Ernestium. de Nat. d. 2, 58, 145. *primum enim oculi in iis artibus, quarum iudicium est oculorum, in pictis, fictis caelatisque formis, in corporum etiam motione atque gestu multa cernunt subtilius: colorum etiam et figurarum venustatem — oculi iudicant: atque etiam alia maiora.*

Pomponius in Digest. 28, 1, 16. *nam etiam compotibus mentis personales actiones etiam ignorantibus acquiruntur.* Holoander scripsit *vel ignorantibus*. Sed ne Cic. quidem loco de Nat. d. 2, 52. modo apposito licet delere particulam, quum alteram ad se trahat verbum *accedit*, altera posita sit cum gravioris rei notatione.

4. Proprie componitur *etiam* cum verbo *alius*, ut sit *alius praeterea*.

Cic. Orat. 40, 139. *atque alias etiam dicendi quasi virtutes sequetur.* de Fin. 1, 18, 61. *alii autem etiam amatoriis levitatibus dediti.* vid. Tom. 1. p. 586. Celsus 3, 4. *est autem alia etiam de diebus ipsis dubitatio.*

5. Dicitur *etiam* de rebus una comprehendendis, nec excludendis, ut sit *et simul*. Quare saepe apponitur praepositioni *cum*. Vid. p. 139.

Plin. Hist. 25, 2. *primusque et diu solus idem ille M. Cato — paucis dumtaxat attingit, boum etiam medicina non omissa.* i. e. *zugleich mit Einschlufs.*

Celsus 7, 12, 6. *eaque res habet cum dolore etiam hanc mole-*

etiam. 4, 24. p. 240. *unctionibus levibus utendum est sic, ut etiam cum acopo — articuli perfricentur.*

6. In numerandis rebus *etiam* de eo dicunt, quod numero additur: *etiam unum* i. e. *noch eins*. Ita post *primum* pro *deinde* poni, iam diximus p. 547. Multi hodie verba *deinde etiam* usurpant non antiquo more, sed Germanorum loquelam imitantes. Latini enim, non ita dicunt, nisi *etiam* ad verba, quae sequuntur, pertinet.

Terent. Eun. 5, 8, 54. *unum etiam vos oro, ut* etc. i. e. *eins noch bitte ich.* Heaut. 5, 1, 22. Phorm. 5, 5, 3. *nunc una mihi res etiam restat.* Persius 6, 58. *adde etiam unum, unum etiam: terrae est iam filius.* Bene intellexit Iahnius non prorsus eamdem rationem esse in Horat. Epist. 2, 1, 45. *caudae pilos ut equinae paullatim vello et demo unum, demo etiam unum, dum cadat elusus ratione ruentis acervi.* Quum in his sermo sit de repetita demtione, nisi explicemus: demo unum et unum, non recte se habebit sententia. Quare vide ne praestet duorum codd. scriptura *demo itidem unum:* quam Iahnius recepit. Quod poeta addit *dum cadat* etc., non tollit distinctam numerationem. Virgil. Aen. 11, 352. *unum etiam donis, quae plurima mitti Dardanidis dicique iubes, unum, optime regum, adiicias.* Sueton. Caes. 24. *qua fiducia ad legiones, quas a re publica acceperat, alias privato suo sumptu addidit, unam etiam ex Transalpinis conscriptam.*

Cic. de Leg. Man. 22, 64. *deinde etiamsi qui sunt pudore ac temperantia moderatiores, tamen* etc.

Cic. in Verr. 4, 10, 21. *adsciverunt illud sibi oppidum piratae primo commercio, deinde etiam societate.*

7. Cum verbis *aliquantulum, paullulum*, coniunctum *etiam* reddi debet *noch*.

Plaut. Capt. 1, 2, 33. (27.) *neque umquam quidquam me iuvat quod edo domi: foris aliquantulum etiam quod gusto, id beat.* i. e. *das Bißchen noch was ich auswärts genieſse.* Lambinus male ordinat verba: *quod gusto foris, id etiam aliquantulum beat.*

Sallust. Cat. 61, 4. vide V. 1.

8. Sunt, qui dicant *etiam* poni pro *etiam atque etiam*, sed falluntur falsa suspicione necessitatis.

De Terent. Eun. 5, 8, 54. diximus n. 6. Ochsnerus Eclog. p. 468. locum Cic. de Div. 2, 72, 149. explicat, quasi *etiam* idem sit quod *etiam atque etiam:* quod ipsum Orellius resti-

tuendum censuit: sed vide nos III. 2. Epist. Bruti 1, 11. *ego etiam, mi Cicero, proprie familiariterque te rogo.* Weiskius hoc dicit esse frigidum et ineptum, atque corrigit *etiam atque etiam.* At in tali scriptore nihil corrigendum est. Et sufficit simplicis vocabuli significatio. Cic. Planco in Ep. ad Att. 16, 16. B. *igitur, mi Plance, rogo te et etiam oro* etc. Orellius coniecit *etiam atque etiam.* Sed orantis preces plus ad movendum valent quam rogantis, ut ait Manut. ad Cic. Div. in Verr. 1.

9. Interdum scriptores, non tantum antiquiores, *etiam* posuerunt, ut aliquid simpliciter coniungerent vel adderent: quod alias per *et* expresserunt. Sic imprimis in tribus nominibus non per *et* iungendis: sic in ablativis absolutis annectendis. Sed conf. III, 1.

Varro de Re r. 2, 3, 4. *de capris quod meliore semine eae, quae bis pariant, ex his potissimum mares solent submitti ad admissyras. Quidam etiam dant operam, ut ex insula Media capras habeant.* Cic. ad Fam. 4, 4, 7. *uno te vicimus, quod de Marcelli — salute paullo ante quam tu cognovimus: etiam mehercule quod, quemadmodum ea res ageretur, vidimus.* Tacit. Hist. 3, 31. *superbiam saevitiamque (adeo invisa scelera sunt), etiam perfidiam obiectabant.* Horat. Epist. 1, 16, 15. *hae latebrae dulces, etiam, si credis, amoenae.*

Celsus 2, 1. extr. *vitia longiora aurium, oculorum, etiam narium.*

Tacit. Ann. 3, 45. *mox Augustodunum petit propero agmine, certantibus inter se signiferis, fremente etiam gregario milite.*

Flor. 4, 7, 13. *inde pulvere et strepitu, etiam nocte vicina, eximentibus gestae rei sensum.* Non potest probari Salmasii emendatio *et iam*, quae esse deberet *et iam vicina nocte.*

10. Ea res, cui alia per *etiam* additur, potest esse non verbis expressa, sed intelligitur interdum. Quae dicendi forma omnibus linguis communis est. Hinc vero ea exsistit significatio, quae cum voc. *quoque* comparari potest. vid. II, 1.

Cic. de Div. 1, 30, 64. *divinare autem morientes illo etiam exemplo confirmat Posidonius, quo affert* etc. Elegantiam depravarunt, qui commate post *etiam* posito *morientes etiam* propterea coniungebant, quod nec de Posidonio antea, neque alia exempla commemorata essent. Sed praemissis verbis *appropinquante morte multo est divinior*, non poterat dici morientes *etiam* divinare. Recte igitur coniunguntur verba *etiam illo exemplo*, vel quod praestat *illo etiam exemplo*, ut habent

codd. quidam: ut sensus sit, praeter alia exempla, quae exstant, illo etiam exemplo confirmat Posidonius.

11. In percensendis singulis rei partibus vocabulo *etiam* utuntur oratores ad aliud argumentum aliamve partem transgredientes: quod alias dicunt *iam*.

Cic. in Verr. 1, 58, 151. ***hic etiam priore actione Q. Hortensius — questus est.*** **154.** ***quaerimus etiam, quid iste in ultima Phrygia — fecerit.*** **155.** ***atque etiam iudicium in praetura publicum exercuit.*** **156.** ***is mihi etiam queritur, quod a nobis — prima actio sui iudicii transacta sit?***

12. Etiam in una re praeter alias consideranda et in argumentationis progressu ponunt *etiam* pro *iam*.

Cic. Phil. 13, 18, 37. ***is etiam queritur conditiones suas repudiatas.*** **2, 30, 76.** ***qui vero Narbone reditus? Etiam quaerebat, cur ego ex ipso cursu tam subito revertissem.*** **ita recte cod. vat. atque est i. q.** ***iam.***

13. Wolfius in Analect. Vol. 2. p. 297. *etiam* iis particulis annumerat, de quibus quaeritur, utrum post *est* tertio loco, an secundo ante *est* poni debeant, veluti *enim*, *autem*, et ipse affirmat frequentius particulam postponi. Ne tamen quis hoc decreto decipiatur, id moneo, haec prorsus diversi esse generis, nec certam sedem habere *etiam* in sententiarum constructione, nisi quam ipsa significatio ei assignet. Saepe tamen vocabulo alicui additur, cui non proprie convenire videatur, quod plerumque fit in commutatis nominibus praedicati et subiecti.

Celsus 2, 4. ***aeque vero signum malum est etiam somno ultra debitum urgeri. — Mali etiam morbi testimonium est vehementer et crebro spirare.***

14. Nunc de compositis vocabulis. De *et etiam* loquuti sumus p. 522. et p. 546. Eodem modo *que etiam*, *neque etiam*, *nec non etiam* coniunguntur. Sed *neque etiam* saepius in descensu usurpatur, ut sensus sit *et ne quidem*.

Sallust. Iug. 1, 5. ***quanto studio aliena ac nihil profutura multumque etiam periculosa petunt.*** **ubi vid. Cort. Cf. Longol. ad Plin. Epist. 10, 97, 6. Sueton. Vesp. 14.** ***dotavitque etiam et instruxit,*** **ubi Oudend.**

Varro de Re r. 1, 65, 1. ***mustum — non promendum, dum fervet, neque etiam dum processit ita, ut sit vinum factum.*** **Cic.**

ad Att. 4, 1. *cognoram enim — te in consiliis mihi dandis nec fortiorem nec prudentiorem quam me ipsum, nec etiam — nimium in custodia salutis meae diligentem.*

Varro de Re r. 3, 16, 6. *itaque nulla harum assidit in loco inquinato, aut eo, qui male oleat, neque etiam in eo, qui bona olet unguenta.* Caes. B. gall. 5, 52. *longius prosequi veritus, quod silvae paludesque intercedebant, neque etiam parvulo detrimento illorum locum relinqui videbat — ad Ciceronem pervenit.* sed vide III, 11.

Varro de Re r. 1, 1, 6. *nec non etiam precor Lympham et Bonum Eventum.*

15. Coniunguntur verba *etiam insuper*, ubi nos Germani dicimus *noch obendrein.* Itemque *inter* et *praeter* componuntur.

Terent. Ad. 2, 2, 38. *etiam insuper defrudet.* Sueton. Caes. 10. *adiecit insuper Caesar etiam gladiatorium munus.* Celsus 1, 10.

Sueton. Claud. 6. *legato etiam circa sestertium vicies persequutus, commendavit insuper exercitibus.*

Liv. 42, 49, 7. *Persi autem regi — famam et bello clara Macedonum gens et Philippus pater, inter multa prospere gesta Romano etiam nobilitatus bello, praebebat.* 7, 25, 7. Vid. PRAETER.

16. Proprie usurpatur haec particula in conclusione, qua aut adiicitur aliquid cum superioribus cohaerens ratione, aut nova conficitur ratiocinatio. Quare dicitur *ergo etiam, igitur etiam, ob eam etiam caussam.*

Cic. Lael. 13, 48. *caret epulis exstructisque mensis et frequentibus poculis: caret ergo etiam vinolentia et cruditate et insomniis.* Gernhardus sequutus est Facciolatum abiiciendo particulam: quod male factum. Vid. IGITVR.

Cic. de Off. 1, 44, 156. *ob eamque etiam caussam eloqui copiose, modo prudenter melius est.* Eiecerunt critici *etiam*, eius vi non satis perpensa.

17. De verbis compositis *atque etiam, autem etiam, etiam autem, at etiam, verum etiam* vide in ATQVE, AVTEM, AT, VERVM. *Etiam tamen* et *tamen etiam*, quae optime dicuntur, quibusdam in locis dubitationem criticis iniecerunt, rectene haec verba componi potuerint. At nec ratio obstat, neque usus deest.

Quinctil. 4, 2, 52. *nonnumquam etiam tamen argumento aliquo confirmabimus, quod proposuerimus, sed simplici et brevi.* Spaldingius maluit *tamen etiam.* Mirabili modo decepti videntur critici in loco Livii 21, 36, 8. ubi vulgo legitur: *iumenta secabant: interdum etiam, tum infimam ingredientia nivem — penitus perfringebant.* Walchius quum vidisset *etiam, tum* non posse distrahi, sententiam prorsus ineptam constituit hac explicatione: secabant interdum eo adhuc tempore, quo ingrediebantur infimam nivem. Quis enim ita loquitur? Nullus vero codex exhibet *etiamtum*, sed omnes vel *tamen* vel *tam*, quod esse potest *tam.* Quod si restituerimus, integerrima erit sententia haec: iumenta secabant, nec, ut homines in glacie non eorum vestigium recipiente volutabantur, sed firmiter incedebant: interdum etiam tamen in infima nive haerebant et penitus perfringebant.

Cic. Off. 2, 14, 49. *quarum etsi laudabilior est defensio, tamen etiam accusatio probata persaepe est.* ubi quum codd. quidam omittant *etiam*, Heusingerus et Beierus id abiecerunt: sed iure servavit Orellius.

18. Scriptores nostri temporis saepissime utuntur formula *fortasse etiam*, ad germanicae linguae consuetudinem conficta. Latini veteres non ita loquuntur, et sicubi haec verba collocata inveniuntur, *etiam* dicitur vel cum temporis notione (vid. V, 6.), vel in adscensione. Dicunt vero *et fortasse.*

19. Componuntur verba *mox etiam*, ut, quod accedat, significetur. Similiter *post etiam.*

Horat. Epist. 2, 1, 127. *torquet ab obscoenis iam nunc sermonibus aurem, mox etiam pectus praeceptis format amicis.* 2, 2, 95.

Cic. de Orat. 1, 38, 172. *ceteros non dubitabo primum inertiae condemnare sententia mea, post etiam impudentiae.*

20. Quod in una sententia verba *iam* et *etiam* coniunguntur, nullam offensionem habet. Et differunt ea ab *nunc etiam.* Saepius *etiam* in his significat *adeo* et tum proxime collocari potest. Vid. V. et Cort. ad Cic. Epist. 4, 1, 9.

21. Quando negativa sententia vel notio connectenda est, Latini dicunt *neque*, nisi negatio peculiari modo cum nomine cohaeret, aut graviori vi intenditur. Quod vero nuper vir quidam doctus in Ephemer. schol. a. 1829. n. 13. p. 99. contendit, numquam verba *etiam non* proxime componi, id prorsus esse falsum, nostra

haec expositio non uno in loco ostendet. De *neque etiam* vide n. 14.

22. Duae res ita componi possunt, ut res aliqua dicatur praeter aliam locum habere: unde fiunt formulae *non modo — sed etiam*, *non solum — sed etiam*. Nam ubi deest *etiam*, simplex *sed* indicat, in rei alicuius locum aliud quid maius vel potius succedere: *nicht nur — sondern vielmehr*. Differunt haec igitur ipsa significatione, non vi orationis, ut ait Goerenzius. Sed unum *etiam* hanc eamdem significationem habet in inversa oratione, ubi aut altera sententiae pars relativo exprimitur, aut *non solum* postponitur.

Caes. B. gall. 6, 43. *frumenta non solum a tanta multitudine iumentorum atque hominum consumebantur, sed etiam anni tempore atque imbribus procubuerant.* Oudendorpius quum *etiam* deleri posse auctoritate cod. oxon. putat, quo discrimine haec distant, non perspectum habet. Nam si omittamus *etiam*, sententia erit, frumenta non tam a iumentis atque hominibus consumpta fuisse quam anni tempore procubuisse. Sed Caesar dixit, utramque fuisse caussam detrimenti. Sic 1, 18. *imperio populi romani non modo de regno, sed etiam de ea, quam habeat, gratia desperare* — necessarium est *etiam*, quod abesse posse critici opinabantur. Cic. Orat. 37, 131, *nec vero miseratione solum mens iudicum permovenda est, — sed etiam est faciendum, ut irascatur iudex.* Pervertes totam sententiam, si cum Goerenzio abieceris *etiam:* sed bene e codd. restituerunt Schützius et Meyerus *sed est faciendum etiam.* Cic. de Off. 1, 28, 99. *nam negligere, quid de se quisque sentiat, non solum arrogantis est, sed etiam omnino dissosoluti.* Critici nuper auctoritate duorum librorum eiecerunt *etiam*, comparantes de Orat. 2, 41, 175. *nihil erit, quod oratotorem effugere possit, non modo in forensibus disceptationibus, sed omnino in ullo genere dicendi.* At qua haec differunt, ipsa est particulae proprietas.

Cic. de Fin. 5, 3, 6. *te autem hortamur omnes — ut eos, quos novisse vis, etiam imitari velis.*

Cic. ad Att. 2, 21. *ut ille tum humilis, ut demissus erat, ut ipse etiam sibi, non iis solum, qui aderant, displicebat.* p. Planc. 12, 30. *bimaritum appellas, ut verba etiam fingas, non solum crimina.* de Off. 3, 19, 77. *huic igitur viro bono, quem Fimbria etiam, non modo Socrates noverat, nullo modo videri potest* etc. ad Fam. 4, 14, 3.

23. Quamquam de his formulis in voc. NON infra

dicturus sum, hic tamen redarguam sententiam eorum, qui *etiam* significare dicunt *tantummodo*. Vid. Garaton. ad Cic. p. Mil. 2. p. 152. Or. Giesius ad Cic. de Div. 1, 55, 129. Id enim abhorret a natura particulae. Grammatici enim tantum non omnes in explicandis his verbis *non modo — sed etiam*, quae dicunt poni pro *non modo non*, falluntur verbis germanicis *nicht nur* comparatis. Nam *non modo* significat *non dicam*, sive *ne dicam*, *nicht etwa*: quo posito per *sed etiam*, quod est *sed etiam dicam*, opponi potest et id, quod maius valet, et id, quod minoris momenti, tamen locum tenet in re. Illud reddimus *sondern sogar*, hoc autem *aber doch*, *sondern schon*.

Liv. 24, 40, 12. *inde tantus terror pavorque omnes occupavit, ut non modo alius quisquam arma caperet, — sed etiam ipse rex, sicut somno excitus erat, — ad flumen navesque perfugerit.* Alia infra dabo.

Cic. de Div. 1, 55, 124. *mihi autem ad hoc, de quo disputo, probandum satis est, non modo plura, sed etiam pauciora divine praesensa et praedicta reperiri.* ad Fam. 15, 6, 3. *si non modo omnes, verum etiam multi Catones in civitate essent nostra* etc. p. Mil. 2, 5. *numquam existimavi spem ullam esse habituros Milonis inimicos ad eius non salutem modo exstinguendam, sed etiam gloriam per tales viros infringendam.*

24. De collocatione particulae in his formulis Goerenzius ad Cic. de Fin. p. 313. praeceptum tradidit hoc: *etiam* post nomen tertio loco singularem vim habere, quae in secundo nulla sit. Quo ne quis fallatur, monendum est, ubi ipsam oppositionem et distinctionem rerum spectemus, non distrahi vocabula *sed etiam*, ubi vero nomen ipsum voculatione distinguamus, hoc medium interponi: quo fit, ut *etiam* tertio in loco minorem habeat vim. Haec tamen saepe numeri caussa mutantur.

Recte nunc legitur Cic. de Fin. 3, 2, 5. *quod saepe diximus, et quidem cum aliqua querela non Graecorum modo, sed eorum etiam, qui se Graecos magis quam nostros haberi volunt, nos non modo non vinci a Graecis verborum copia, sed esse in ea etiam superiores.* Sed paullo post: *non in nostris solum artibus, sed etiam in illorum ipsorum:* ubi Goerenzius eiecit *etiam*.

25. In disiunctiva sententia si altera pars non aequalem habet rationem, sed priori additur tamquam minoris momenti, vel in locum illius substituitur collocatione

non necessaria, sed fortuita, Latini ponunt *aut etiam*, *vel etiam*. Vide Tom. I. p. 555. Sed potest ipsa res, quae additur, maior esse, si modo praeterea accedat. Saepius tamen fit descensus a maiore ad minus.

Cic. Paradox. 6, 1. *satiatus est aut contentus etiam pecunia: concedo, dives es.*

Cic. de Orat. 1, 38, 174. *quinqueremes aut etiam maiores gubernare didicisse.* 2, 2, 7. *Quo etiam feci libentius, ut eum sermonem — mandarem litteris, vel ut illa opinio — tolleretur —, vel mehercule etiam ut laudem eorum — vindicarem.*

26. Vix operae pretium est refutare eorum opinionem, qui in multis dictionibus *etiam* abundare dixerunt, veluti in compositis verbis *tum — tum etiam*, *quum — tum etiam*. In his enim inaequabilis ratio rerum collatarum, et quomodo altera peculiari designatione efferatur, facile intelligitur: in illis vero duae res aequali quidem ratione collocantur, altera tamen designatur singulariter, ut ipsa vel maior vel minor appareat extrinsecus.

Exempla vide in QVVM et in TVM.

II. 1. Ex his, quae de primaria significatione diximus, facile colligitur, quomodo *quoque* et *etiam* inter se differant. Hoc enim proprie non dicitur de rebus aequandis, sive de re ob aequalitatem cum alia componenda, nec significat *item*, *gleichfalls*, *ebenfalls*. Sed ut hoc designetur, dicitur *quoque*, et ubi aequale adiicitur, *etiam quoque* sive *quoque etiam*. Idque ipse Cicero usurpat. Cf. Cort. ad Plin. Epist. 5, 6, 32. et Longol. ad 10, 97, 6. In *etiam* inest vel accessionis vel amplificationis indicium. Nam ut *quoque* est *eodem modo*, ita *etiam* significat *non minus hoc quam illud*. Posteriore aetate tamen quidam scriptores *etiam* pro *quoque* posuerunt post nomen substantivum: et fortasse etiam antiquiores interdum. vid. I, 10.

Discrimen apparet in his Cic. Tusc. 4, 1, 3. *quin etiam arbitror, propter Pythagoreorum admirationem, Numam quoque regem Pythagoreum a posterioribus existimatum. Etiam* addit sententiam ceteris, *quoque* significat aeque factum esse in Numa et in aliis. Non recte exposuit discrimen illud Matthiae ad Cic. Epist. 112. *quoque* simpliciter addere aliquid, *etiam* fortius quid et gravius.

Plaut. Poen. 1, 2, 68. AG. *De te quidem haec didici omnia.* MI. *Etiamne ut ames eam, quam numquam tetigeris?*

Varro de Re r. 1, 1, 3. *neque patiar Sibyllam non solum cecinisse, quae, dum viveret, prodessent hominibus, sed etiam quae quum perisset ipsa, et id etiam ignotissimis quoque hominibus.* Plaut. Pseud. 1, 3, 118. *iuravistin' te illam nulli venditurum nisi mihi?* BA. *Fateor.* CA. *Nempe conceptis verbis.* BA. *Etiam consultis quoque.* Asin. 2, 4, 95. Cicero hoc quidem ordine videtur numquam composuisse haec verba, ut *etiam quoque* ad unum nomen referrentur. Nam quae Wopkensius Lect. Tull. p. 255. (184.) attulit, aut aliena aut non integra sunt. De loco Cic. de Nat. d. 1, 22, 60. vide p. 44. de Orat. 1, 26, 119. quidam codd. praebent: *mihi etiam quoque qui optime dicunt — impudentes videntur.* Nemo hodie probabit haec. In Lucret. 5, 714. nunc restitutum. *est etiam quare* etc. Sed 3, 293. *est etiam quoque pacati status aëris ille.* 5, 518. 603. 154. 6, 503. Gellius 18, 12. *potest etiam id quoque ab eodem Varrone — similiter dictum videri.*

Plaut. Poen. prol. 40. *et hoc quoque etiam.* Epid. 4, 2, 19. *hanc quoque etiam, si me appellet filiam, matrem vocem.* Amph. Prol. 30. Merc. 2, 2, 28. Terent. Hec. 4, 1, 28. *at pol iam aderit, se quoque etiam quum oderit.* 5, 1, 7. Cic. ad Fam. 4, 8, 2. *reliquum est igitur, ut — ita adsim praesto, ut me non solum omnia debere tua caussa, quae possim, sed ea quoque etiam, quae non possim, putem.* i. e. sed etiam aequo modo ea. in Verr. 3, 88, 206.

Apud Curt. 3, 6, 19. vulgo legitur: *aetas quoque, vix tantis matura rebus, sed abunde sufficiens, omnia etiam eius opera honestabat.* codices duo omittunt *etiam*: critici eiicere non cunctati sunt glossam, cuius originem nemo demonstravit. Ego integrum puto utrumque vocabulum.

Quinctil. 4, 2, 53. *est autem quidam et ductus rei credibilis, qualis in comoediis etiam et in mimis.*

Non vulgari modo Celsus 8, 20. *collocandus autem homo super id scamnum est aut pronus aut supinus aut in latus, sic ut semper ea pars superior sit, in quam os prolapsum est, ea etiam superior, a qua recessit.* Est *et item.*

2. Multiplex est usus verborum, quibuscum *etiam* coniungitur ita, ut comparentur alia cum aliis. Cuius generis sunt *interdum, nonnumquam, saepe,* alia.

Celsus 3, 3. *ex octo autem et quadraginta horis fere sex et triginta per accessionem occupat, interdum etiam vel plus vel mi-*

nus. Cic. in Verr. 4, 9, 21. *qui habent oppidum opportuno loco, — nonnumquam etiam necessario.*

3. In comparandis caussis componuntur *quoniam — etiam.*

Cic. de Nat. d. 1, 39, 109. *ais, quoniam sit natura mortalis, immortalem etiam esse oportere.* de Off. 1, 39, 138. *et quoniam omnia persequimur, — dicendum est etiam, qualem hominis honorati et principis domum placeat esse.*

Quinctil. 7, 4, 6. *et non, quoniam res pares sunt, etiam id est iustum, quod antecessit.*

4. Hac ratione componuntur res diversae, quarum altera non minus adesse et valere dicitur quam altera, sed alio modo aliave conditione. Tum inverti solet oratio, ut praemissa re, quae etiam esse dicitur, id sequatur, quod saepius vel certius adsit. Vocabula *sed, quidem* ex adverso ponuntur.

Cic. Brut. 90, 310. *idque faciebam multum etiam latine, sed graece saepius.* Orat. Partit. 8, 27. *sed amplificatio quamquam habet proprium locum, saepe etiam primum, postremum quidem fere semper, tamen reliquo in cursu orationis adhibenda est.*

5. Scriptores recentissimi aevi dicere solebant *tam — quam etiam*, vel interposito aliquo nomine.

Lactant. de Ira 13, 25. *constat igitur, omnia propter hominem proposita tam mala quam etiam bona.* Instit. 5, 20, 9. *qui tam contemptum sui possit ulcisci quam etiam servorum suorum labores.* ubi vd. Bünemann. Apulei, Met. 8. p. 209, 14. *cerneres non tam hercules memorandum quam miserandum etiam spectaculum.* Boeth. de Cons. 5. pros. 5.

III. 1. Venio ad eum usum, in quo quum res dicatur super alias accedere, ipsa res comparet amplior et gravior: quod distinctius exprimitur vocabulo *adeo.* Ac primum sunt dictiones, in quibus notio particulae *etiam* non aequalis videtur esse verbo *adeo*, nec simpliciter significat *praeterea*, sed inter utrumque medium tenet. Sic nulla alia copula adhibita, *etiam* connectit rem, quae maior vel insolita esse videtur. cf. Wopkens. in Actis Rhenotrai. 2. p. 55. Sic eamdem potestatem habet quam pronomen *ipse*, quocum interdum coniungitur. Sic in interrogatione conditionata ponitur, ut sit *auch dann.*

Sueton. Cal. 17. *toties abundantissimum epulum senatui equestrique ordini, etiam coniugibus ac liberis utrorumque.* Caes, 50.

Tacit. Hist. 1, 26. *adeoque parata apud malos seditio, etiam apud integros dissimulatio fuit.* Ann. 2, 31. *cingebatur interim milite domus, strepebant etiam in vestibulo, ut audiri, ut adspici possent.*

Cic. de Fin. 2, 17, 57. *erit enim instructus ad mortem contemnendam, ad ipsum etiam dolorem.* 5, 28, 84. — *virtutem, in qua sit ipsum etiam beatum.*

In interrogatione. Cic. Verr. 3, 98, 227. *quodsi haec omnia feruntur —: etiamne haec nova debent edicta et imperia praetorum — perferre? etiamne frumentum pro empto gratis dare?* de Leg. 1, 15, 42. *iam vero illud stultissimum existimare omnia iusta esse, quae scita sint populorum institutis aut legibus. Etiamne, si quae leges sint tyrannorum?*

2. Distinctior est significatio in iis, quae rem maiorem, nec per se exspectandam, sed raram vel praeter opinionem evenientem indicant. Tum est id quod *adeo:* neque aliter Germani *auch* usurpant. Saepe uni nomini adiunctum interponitur, ut significet, rem non minus fieri adeo, quum conditio aliena vel contraria obstare videatur. vid. Burmann. ad Phaedr. 3, 10, 54. qui cum aliis explicat *licet*, *quamvis*. Locum, quem in his particula occupet, constituit voculatio. Nam aut praemittitur nomini, tamquam anacrusis, quae intentionem praeparat, aut sequitur nomen tamquam thesis, quae cum arsi cohaeret. Sic nos quoque Germani diversa voculatione *diés auch geschah*, hoc etiam evenit, et *auch diés geschah*, etiam hoc evenit. In adiectivo vel genitivo cum substantivo coniunctis fere mediam habet sedem: et omittitur copula *et*, quam librarii saepe addiderunt. vid. Cic. de Sen. 16, 56.

Goerenzius in notis ad Cic. Acad. p. 181. 214. et alibi demonstrat *etiam*, quando significet *adeo*, postponi suo nomini. Tamen ipse ad Acad. p. 257. et de Fin. p. 429. contrariam sententiam exponit. Sed etiam de tertio quodam loco agit p. 60. et 85. et p. 101. Bremius ad Cornel. Ham. 2, 3. docet, ubi *etiam* pro *adeo* positum ad totam sententiam pertineat, aut in initio aut in fine collocari. Scilicet tertium non invenitur.

Cic. in Verr. 4, 55, 123. *quum illi tamen ornarint templa deorum immortalium, hic etiam deorum monumenta atque or-*

namenta sustulerit. p. Deiot. 13, 37. *quae omnes docti atque sapientes summa, quidam etiam sola bona esse dixerunt.* Acad. 2, 47, 144. *nos enim defendimus, etiam insipientem multa comprehendere.* de Fin. 4, 3, 7. *quibus, etiam qui assentiuntur, nihil commutantur animo.* Sic saepe *etiam qui* pro *et ipsi qui.* de Orat. 1, 26, 119.

Sallust. Cat. 20, 11. *etenim quis mortalium — tolerare potest, illis divitias superare, — nobis rem familiarem, etiam ad necessaria deesse?* Sueton. Aug. 71. *ad vitiandas virgines promptior, quae sibi undique, etiam ab uxore conquirerentur.*

Horat. Sat. 1, 4, 56. *his, ego quae nunc, olim quae scripsit Lucilius, eripias si tempora certa modosque, et quod prius ordine verbum est, posterius facias, praeponens ultima primis, non, ut si solvas „Postquam discordia tetra etc." invenias etiam disiecti membra poetae.* Alii explicant *quoque*, alii de tempore *noch:* ego vero sententiam video in extrema parte mutatam. Horatius enim post *non* addit exemplum affirmationis, in qua etiam, i. e. adeo, disiecti poetae membra inveniri dicuntur.

Cic. de Fin. 1, 21, 71. *si infantes pueri, mutae etiam bestiae pene loquuntur.* de Senect. 16, 56. *copia omnium rerum, quae ad victum hominum, ad cultum etiam deorum pertinent.* ubi Gernhardus videtur copulativam vim simplicem statuisse. Liv. 22, 1, 3. *mutando nunc vestem, nunc tegumenta capitis, errore etiam sese ab insidiis munierat.*

Cic. p. Sext. 21, 47. *qui sine armis etiam consul rem publicam conservarat.* Quinctil. Declam. 3, 13. *inusitata corporum magnitudo, mores etiam Germanis feri.* Iustin. 5, 3, 6. *nec minus eloquentia, etiam inter Athenienses, insignis.*

Cum verbis: Cic. de Fin. 5, 21, 58. *actionum autem genera plura, ut obscurentur etiam minora maioribus.* 1, 13, 43. *cupiditates enim sunt insatiabiles, quae non modo singulos homines, sed universas familias evertunt: totam etiam labefactant saepe rem publicam.* de Div. 2, 72, 149. *ut religio propaganda etiam est, quae est iuncta cum cognitione naturae, sic superstitionis stirpes omnes eiiciendae.* ubi nec Orellii coniectura, nec Ochsneri explicatio potest probari. Invertas ordinem sententiarum, et habebis eum sensum, quem in contrariis sententiis modo illustrabimus. Sed cf. IV, 4. p. Deiot. 7, 21. *ita demens ille erat, ut eum, quem conscium tanti sceleris habebat, a se dimitteret? Romam etiam mitteret, ubi et inimicissimum sciret esse nepotem suum et C. Caesarem?*

Sueton. Cal. 33. *collaudans subinde vocem deprecantis, quasi etiam in gemitu praedulcem.*

3. Formula fit *quum etiam*, ubi aliquid verum esse, eo, quod maius aut insolentius sit, comprobatur. Quomodo differat *etiam quum*, per se patet.

Sueton. Aug. 28. *quum etiam magistratibus ac senatu domum accitis rationarium imperii tradidit.* Lactant. 2, 5, 7. *sed quid mirum, si aut barbari aut imperiti homines errant, quum etiam philosophi stoicae disciplinae in eadem sint opinione.* Sueton. de Gramm. 7. *scholam eius — frequentasse aiunt: — etiam quum praetura fungeretur.*

4. Componuntur verba *vix etiam*, *pene etiam*.

Lactant. 3, 25, 13. *quae perplexa et involuta vix etiam politi homines assequuntur.* Plin. Epist. 2, 3, 9. *illitteratum, iners ac pene etiam turpe est non putare tanti cognitionem* etc.

5. In contrariis rebus componendis *etiam* indicat rem, quae ex ipsa contraria conditione distinctius lumen accipit. Plerumque praecedit negativa sententia. Tum *etiam* est idem quod *immo*, *potius:* quibuscum vocabulis saepe componitur, et dicitur *immo etiam*, *quin etiam*, *etiam potius*. Conf. Wopkens. Lect. Tull. p. 30 (21). Hinc formula *tantum abest, ut —, ut etiam*, et soluta oratione *tantum abest, ut —: etiam.*

Cic. in Verr. 4, 10, 21. *mamertina civitas improba antea non erat: etiam erat inimica improborum.* Acad. 2, 2, 5. *at vereor interdum, ne talium personarum, quum amplificare velim, minuam etiam gloriam.* p. Deiot. 11, 31. *ille adiutorem servum contra dominum repudiavit: tu etiam accusatorem adhibuisti.* p. Lig. 2, 4. *nam profectio voluntatem habuit non turpem, remansio necessitatem etiam honestam.* Orat. 45, 153. *hoc idem nostri saepius non tulissent, quod Graeci laudare etiam solent.* Parad. 6, 1, 42. *quid si ne dives quidem? quid, si pauper etiam?* Orat. 71, 236. *ut ea qui utantur, non stulti homines haberi possint, etiam plerumque prudentes.* in Verr. 5, 39, 102. Curt. 4, 10, 30. *nihil in eam gravius esse consultum: ingemuisse etiam Alexandrum morti.* Plin. Paneg. 77, 5. Stat. Theb. 10, 38. *vix obvia passi colloquia, amplexus etiam dextrasque suorum excussere humeris.* Cf. Garaton. ad Cic. Philipp. 1, 7.

Cic. Acad. 2, 9, 28. *nam tantum abesse dicebat, ut id consentaneum esset, ut maxime etiam repugnaret.*

Cic. de Fin. 2, 17, 54. *tantum abest, ut se indicet: perficiet etiam, ut dolere alterius improbe facto videatur.* 5, 21, 57. *qua in vita tantum abest, ut voluptates consectentur: etiam curas, sollicitudines, vigilias perferunt.* ubi vid. Manutius.

Immo etiam Sueton. Claud. 40. vid. n. 7. Cic. de Fin. 5, 20, 56. *quin etiam inertissimos homines — videmus — animo moveri semper.* Alia vide in IMMO et in QVIN. Cic. p. Mil. 19, 52. *huius iter necessarium: illius etiam potius alienum.*

6. Atque haec oppositio non semper verbis exprimitur, sed ita ponitur *etiam*, ut, cui res praestet, ex reliqua oratione colligi debeat: veluti Cic. p. Mil. 19, 51. *Miloni etiam utile fuisse Clodium vivere.* h. e. tantum aberat, ut id noxium Miloni esset, ut utile ei esset. vid. Heumann. ad h. l.

Cic. p. Mil. 24, 64. *scutorum, gladiorum, frenorum, sparorum, pilorumque etiam multitudo deprehendi posse indicabatur.* In his non modo *frenorum* suspectum est, sed quomodo *pilorumque etiam multitudo* dicatur, nemo declarat. Heumannus quidem explicat: dicebant non modo deprehendi ibi posse pila, sed etiam multa pila: quod ineptum esset. Si integra sunt verba, certe ea interpungi debent ita: *sparorum pilorumque etiam, multitudo d. p. i.* i. e. adeo sparorum pilorumque.

Liv. 3, 39, 6. *viderent, ne vetando in curia libere homines loqui, extra curiam etiam moverent vocem.*

7. Inversa est illa ratio, sed idem modus, quum aliud quid additur per voc. *nedum.* Conferuntur enim duae res, quarum altera tantum abest, ut non fieri aut non esse possit, ut altera etiam compareat. Nos Germani dicimus *schon.*

Liv. 7, 40, 3. *Quinctius, quem armorum etiam pro patria satietas teneret, nedum adversus patriam — ad colloquium processit.* Sueton. Claud. 40. *multaque talia etiam privatis deformia, nedum principi neque infacundo neque indocto, immo etiam pertinaciter liberalibus studiis dedito.* Columell. 8, 11, 1. *harum autem decor avium etiam exteros, nedum dominos oblectat.* Senec. Epist. 53, 5. Tacit. Dialog. 25, 3. *fatetur plures formas etiam iisdem saeculis, nedum diversis exstitisse.*

8. Additur *etiam* comparativis, ut quantitas rei maior esse ea ratione designetur, ut res, quacum illa comparatur, ipsa esse magna praesumatur. Graecum ἔτι in hoc usu satis frequentatum notat Matthiae Gram. p. 852. Recentiores scriptores usurpabant *adhuc.* vid. Tom. I. p. 165. Quae ibi de ordine verborum diximus, ad hanc quoque particulam spectant: nam si comparativi vis et copia augenda est, necessario ei praecedit *etiam*, sin vero post eum ponitur, accessio exprimitur, atque

res praeter alias esse maior, vel adeo maior dicitur. Tum *etiam* non inhaeret notioni comparativi, sed pertinet ad iudicii formam. Quare postponitur fere, quando sequitur *quam*. Germani eodem modo distinguunt *noch besser* et *besser noch*. Hanc vero legem, cum reliqua ordinandorum verborum disciplina congruentem, omnes boni scriptores sequuntur, nisi alia caussa verborum ordinem inversione mutat, aut negligentia peccat. Ab initio enim sententiae sive commatis inversio saepe fit.

Aug. Grotefendus in Gramm. p. 260. docet *etiam* ante comparativum significare *adeo adhuc*, *sogar noch*, post comparativum *adhuc*, *noch*. Contrarium est verum et multa observatione et ratione confirmatum.

Discrimen quivis facile sentiet his comparatis: Corn. Dio. 1, 3. *etsi Dionysii crudelitas ei displicebat, tamen salvum propter necessitudinem, magis etiam suorum caussa studebat.* Haec nemo reddat: *noch mehr wegen der Seinigen*, sed *mehr noch w. d. S.*

Terent. Ad. 3, 4, 21. *nondum audisti, Demea, quod est gratissimum.* DE. *An quid est etiam amplius?* HE. *Vero amplius.* Cic. de Off. 1, 30, 107. *ut enim in corporibus magnae dissimilitudines sunt —, sic in animis exsistunt etiam maiores varietates.* de Fin. 5, 20, 55. *sunt autem etiam clariora vel plane perspicua.* in Verr. 3, 76, 175. Brut. 63, 227. *hoc etiam magis probabatur, quod erat ab oratoribus quaedam in foro solitudo:* nisi scribendum *hoc autem etiam magis.* Quinctil. 9, 4, 36. *nam et coeuntes litterae — etiam leniorem faciunt orationem, quam si omnia verba suo fine cludantur.* 4, 1, 12. *quum sit naturale, ut iudices iis, quos libentius audiunt, etiam facilius credant.* ita codd. Qui scripserunt *facilius etiam*, perversam exhibent sententiam, quasi quod credant, non ipsum in iudices cadat. 10, 1, 95. *alterum illud etiam prius satirae genus, sed non sola carminum varietate mixtum condidit Terentius Varro.* Frustra laborabant in his expediendis critici, quum non intelligerent, Quinctilianum loqui de satira ab Ennio primum composita. Est igitur *jene noch frühere* i. e. *ältere Art.* Pomp. Mela 1, 11, 1. *Syria late litora tenet terrasque, etiam latius introrsus.* Ita interpunctionem bene constituit Weichertus meus.

Cic. ad Fam. 5, 12, 10. *itaque te plane etiam atque etiam rogo, ut et ornes ea vehementius etiam, quum fortasse sentis, et in eo leges historiae negligas.* Paullo post: *plusculum etiam quam concedit veritas.* de Off. 1, 26, 91. *atque etiam in secundissimis rebus maxime est utendum consilio amicorum, hisque maior etiam quam ante tribuenda auctoritas.* Aut explicandum est *adeo, vel,* aut

delendum est *etiam*, quod desideratur in codd. non paucis: quod faciendum puto.

Cic. Parad. 6, 1, 44. *filiam quis habet: pecunia est opus; duas, maiore: plures, maiore etiam.* Codices fluctuant: alii et septem quidem Aldi omittunt *etiam:* Huberus edidit *etiam maiore.* Si integra est illa scriptura, explicari potest: maiore item, sive maiore ad illud addita pecunia. Ego vero caussam transpositi nominis in ipso ordine verborum agnosco. In Cic. ad Att. 1, 16, 17. *ast plures etiam ipse mittito.* cohaerent verba *etiam ipse.* vd. T. I. p. 420. Cornel. Thras. 4, 2. *nolite, oro vos, inquit, id mihi dare, quod multi invideant, plures etiam concupiscant.* Alcib. 3, 4. Cic. de Off. 2, 15, 53. *bene ministrum et praebitorem, quia sordidum: melius etiam quod largitionem corruptelam dixit esse.* Brut. 18, 70. *Calamidis dura illa quidem, sed tamen molliora quam Canachi, nondum Myronis satis ad veritatem adducta, iam tamen, quae non dubites pulchra dicere; pulchriora etiam Polycleti et iam plane perfecta.* Caes. B. civ. 1, 53. *haec Afranius Petreiusque et eorum amici pleniora etiam atque uberiora Romam ad suos perscribebant.*

Cic. de Amic. 6, 22. *adversas vero* (res) *ferre difficile esset sine eo, qui illas gravius etiam quam tu ferret.* Non probo explicationem Ochsneri: *der dabei noch mehr fühlte.* Est potius: *der dabei mehr sogar als du fühlte.* Tusc. 1, 24, 59. *ego autem maiore etiam quodam modo memoriam admiror.* i. e. adeo. Pompon. Mela 2, 2, 10. *Athos mons est adeo elatus, ut credatur altius etiam, quam unde imbres cadunt, surgere.*

Nihil tamen impedit, quo minus *etiam* ante comparativum vel post eum collocetur cum propria significatione, qua sit *auch.* Cic. Tusc. 1, 25, 62. *omnes magni, etiam superiores* i. e. *auch die Früheren.* Celsus 5, 28, 3. *si validioribus etiam remediis opus est, ad eas compositiones veniendum est, quae* etc. Cic. in Cat. 2, 8, 18. *qui magno in aere alieno maiores etiam possessiones habent.*

9. In comparanda magnitudine maiore, ubi *eo — quo* certam rationem designat, vix locus erit particulae *etiam.* Tamen dicitur *eo etiam maior, quod* hoc sensu, ut conditio vel caussa adiiciatur, quae magnam rem adeo maiorem reddat. Nos *insofern noch gröſser, als —.* Sed distinguenda sunt ea, in quibus *etiam* non cum comparativo cohaeret, sed significat *praeterea, ad hoc:* quemadmodum in iis locis, quos p. 415. attuli. Recte componuntur verba *multo etiam magis, multo etiam maior,* ubi Germani *noch weit mehr, noch viel gröſser.*

Recentioris aevi usus composuisse comparativum ita conformatum videtur cum nominis ablativo.

Cic. ad Fam. 13, 16, 3. *post mortem autem Crassi eo mihi etiam dignior visus est, quem in fidem atque amicitiam meam reciperem, quod eos a se observandos — putabat.* Caes. Bell. g. 4, 30. *quum — paucitatem militum ex castrorum exiguitate cognoscerent, quae hoc erant etiam angustiora, quod sine impedimentis Caesar legiones transportaverat.*

Cic. de Off. 2, 11, 39. *ergo etiam solitario homini — opinio iustitiae necessaria est; eoque etiam magis, quod si eam non habebunt, — multis afficientur iniuriis.* Ego cum aliis offendo in voce *etiam*, eamque vitiosam putarem, etiamsi non praecederet in superiore sententia; nec pauci et boni sunt libri, ab Orellio non commemorati, qui omittunt.

Cic. de Off. 1, 4, 14. *quam similitudinem natura ratioque ab oculis ad animum transferens multo etiam magis pulchritudinem, constantiam, ordinem in consiliis factisque conservandum putat.* Tusc. 1, 24, 57. *quem locum multo etiam accuratius explicat in eo sermone* etc. p. Sulla 19, 53. *multo etiam longius.* Acad. 2, 19, 61. Caes. B. gall. 1, 16. *multo etiam gravius, quod sit destitutus, queritur.*

Sueton. Caes. 76. *non enim honores modo nimios recepit, — sed et ampliora etiam humano fastigio decerni sibi passus est.* Baumgarten-Crusius construit verba ita: *sed etiam et ampliora.* quod quid sit nescio. *Etiam* ad *ampliora* pertinet.

10. Sicut *adeo* id efficit, ut magnae rei accedat maior vis designationis, ita *etiam* vocabulis, quae magnitudinem aliquam significant, momentum adiicit. Similiter Germani usurpant *auch.*

Cic. Acad. 2, 18, 59. *de quo iam nimium etiam diu disputo.* i. e. *wovon ich auch gar lange schon spreche.* Terent. Ad. 2, 4, 15. *quamvis etiam maneo otiosus hic.* i. e. valde etiam.

11. Cicero in reddendo graeco *καί*, quod *vel* significaret, singulari modo videtur adhibuisse *etiam.* Germani dicunt *auch nur.* Sed alii quoque scriptores similiter composuerunt verba magnitudinis cum hac particula.

Plato de Leg. 2. p. 59. Bip. *φρόνησιν δὲ καὶ ἀληθεῖς δόξας βεβαιοῦν, εὐτυχὲς ὅτῳ καὶ πρὸς τὸ γῆρας παρεγένετο.* Cic. de Fin. 5, 21, 58. *beatum, cui etiam in senectute contigerit, ut sapientiam verasque opiniones assequi possit.* Sed Orosius de

Gloria 4, 2. *praeclare Plato beatum fore praedicat, cui vel in senectute contigerit sapientiam adipisci.*

Caes. Bell. gall. 5, 52. quae verba supra p. 553. posuimus, ut *neque etiam* pro *ne - quidem* comprobaremus, huc etiam pertinent. Nam explicari possunt: vel parvulo detrimento, sive ut fecit Heldius: *weil er sah, dafs keine Gelegenheit übrig sey, ihnen auch nur einen kleinen Schaden zuzufügen.*

IV. 1. Iam de affirmativa potestate particulae: quae unde nata sit, numquam plane expedies, nisi ad *iam*, quod inest, respexeris. Id enim demonstrativam vim habet, et ipsum affirmationi inservit, *eben* significans. Ita Graeci *καί*, Gothi *auk* (vid. Vlphil. Ioh. 13, 13. Matth. 8, 9.) dixerunt. Equidem vero significationis huius usum in vita communi magis varium fuisse suspicor, quam quem in scriptorum libris cognosci liceat. Ac primo in oppositis rebus, si altera non fieri dicitur, ea, quae vere fiat, designatur vocabulo *etiam*: praesertim in disiunctionis formula dialecticorum.

Cic. p. Rosc. Com. 3, 9. *utrum cetera nomina in codicem accepti et expensi digesta habes, an non? Si non; quomodo tabulas conficis? si etiam: quamobrem — hoc nomen triennio amplius — in adversariis relinquebas?*

Cic. de Nat. d. 1, 25, 70. *idem facit contra dialecticos: a quibus quum traditum sit, in omnibus disiunctionibus, in quibus aut etiam aut non poneretur, alterutrum verum esse, pertimuit* etc. Acad. 2, 30, 97. *omne, quod ita disiunctum sit, quasi aut etiam, aut non, non modo verum esse, sed etiam necessarium.* Acad. 2, 32, 104. *ut — aut etiam aut non respondere possit.*

2. Qui respondet, esse rem, affirmationem suam exprimit vocabulo *etiam* pro *ita est: allerdings.* Vsurpatur proprie post formulam *Quid?* Gerh. Vossius de Vitiis serm. 1, 35. hunc usum, nisi praecesserit affirmatio, reprehendit, et ad depravatam Plinii consuetudinem retulit. Sed iam Borrichius Cogitat. p. 96. eum optimorum et antiquorum scriptorum auctoritate vindicavit.

Plaut. Amph. 1, 3, 46. Most. 4, 3, 7. TH. *Numquid processit ad forum hodie novi?* SI. *Etiam.* TH. *Quid tandem?* Terent. Hec. 5, 3, 13. PA. *Nil aliud dicam?* BA. *Etiam: cognosse* etc.

Cic. p. Mur. 31, 65. *misericordia commotus ne sis. Etiam.*

Plin. Epist. 2, 8, 9. *dices: habeo hic quos legam non minus disertos. Etiam. Sed legendi semper occasio est* etc. 4, 13, 3. *huic ego, studes? inquam. Respondit, etiam.* Cic. Acad. 2, 43, 134. *Zeno in una virtute positam beatam vitam putat. Quid Antiochus? Etiam, inquit, beatam, sed non beatissimam,* ubi non intelligitur *etiam ille putat.* ad Att. 4, 5. *quid? etiam — subturpicula mihi videbatur esse παλινῳδία.* p. Planc. 25, 65. *cui quum respondissem, me a provincia decedere: etiam mehercule, inquit, ut opinor, ex Africa.* Iam Hadrianus de Serm. lat. p. 169. recte cepit particulae vim affirmandi, quam Ernestius dicebat inservire correctioni. vid. Wunderus.

Formula est a Cicerone saepe in extremis epistolis usurpata haec: ad Frat. 3, 1, 7, 24. *quid praeterea? Quid? Etiam.* i. e. habeo aliquid. ad Att. 1, 13. *novi tibi quidnam scribam? Quid? Etiam.* Illius loci si meminissent critici, in hoc non fecissent coniecturam inanem. Sensus enim est: novi quidnam scribam? Estne aliquid? Est vero. Male explicuit Manutius: praeter superiora. ad Att. 2, 6. *aliud quid? Etiam. Quando te proficisci istinc putes, fac ut sciam.*

3. Attrahitur *etiam* a nominibus conditionem significantibus, quae sunt adiectiva et participia, ut qualitatem vere adesse significetur. Quam ob caussam componuntur verba *vero etiam.*

Cic. Brut. 76, 263. *C. Sicinius igitur — quaestorius mortuus est, probabilis orator, iam vero etiam probatus.* Fortasse hunc in modum restituenda est codicum scriptura in Cic. ad Att. 7, 3. *quorum exitus semper incerti, nunc vero etiam in alteram partem magis timendi.* Codices enim *nunc etiam vero*, editiones *nunc vero.*

Cic. Acad. 2, 43, 134. vd. n. 2.

4. Affirmatio est, in qua vocabulo *etiam* exprimitur rem vere fieri vel vere factam esse. Atque utitur verbis *nihil etiam* is, qui vehementius affirmat, aut suae sententiae novum additurus est momentum affirmationis, ubi nos *wirklich* dicimus.

Virgil. Aen. 4, 305. *dissimulare etiam sperasti, perfide, tantum posse nefas?* Equidem *etiam* pertinere magis puto ad v. *dissimulare* quam ad v. *sperasti.* Curt. 7, 11, 6. *se autem proxima nocte effecturum, ut crederet Macedones etiam volare.* Huc fortasse referri debet Cic. de Div. 2, 72, 149. vid. p. 561. ad Att. 7, 2. *Terentia vero — L. Pontium sibi in Trebulano dixisse narrabat, etiam eam decessisse.* i. e. *das Fieber sey wirklich gewichen.*

Terent. Phorm. 3, 1, 10. *num patri quid subolet?* G. *Nihil etiam.*

Terent. Heaut. 5, 5, 11. CL. *Pater, omnia faciam, impera.* CH. *Vxorem ut ducas.* CL. *Pater.* CH. *Nihil audio.* M. *Ad me recipio: faciet.* CH. *Nil etiam audio ipsum.* i. e. *ich höre auf ihn wirklich nicht.* De falsa interpretatione Guieti vide Westerhovium.

5. Ponitur *etiam* a quibusdam scriptoribus pro sententia, qua id, quod obiectum est, conceditur, additurque per voc. *sed* alia sententia, quae concessum restringat. Sed etiam aliae formae concessivae sententiae cum his conveniunt.

Plin. Epist. 2, 3, 9. *dices: habeo hic quos legam non minus disertos. Etiam. Sed legendi semper occasio est* etc. 6, 2, 8. *at quaedam supervacua dicuntur. Etiam: sed satius est et haec dici, quam non dici necessaria* 6, 28, 3. cf. Cort. et Gesner. ad 5, 3, 7.

Plin. Epist. 7, 17, 5. *supervacuum tamen est recitare, quae dixeris. Etiam, si eadem omnia, iisdem omnibus, si statim recites: si vero multa inseras, multa commutes* etc.

6. Vbi in affirmanda re dicitur, etiam tum, quum conditio vel caussa quaedam intercedat, nihil impedire, quo minus res fiat vel sit, ponitur *etiamsi*, de quo infra suo loco. Sed aliae quoque coniunctiones eodem modo coniunguntur: *etiam ubi, etiam quum*, et relativa. Opponitur *tamen*, et *quoque*.

Varro de L. L. 8, 22. *etiam ubi dissimilis foetus ut ex equa et asino mulus, tamen ibi analogia.* Celsus 7, 12, 4. *adeo in medicina, etiam ubi perpetuum est, quod fieri debet, non tamen perpetuum est id, quod consequi convenit.*

Cornel. Con. 3, 1. *multis enim magnisque meritis apud regem, etiam quum in officio non maneret, valebat.* Quinctil. 9, 4, 2. *nam etiam quum iudicium meum ostendero, suum tamen legentibus relinquam.* Senec. Epist. 11, 1. *hic illum, — etiam quum se confirmaverit et omnibus vitiis exuerit, sapientem quoque sequetur.*

Cic. de Orat. 1, 26, 119. *mihi etiam qui optime dicunt — tamen, nisi timide ad dicendum accedunt et in exordienda oratione perturbantur, pene impudentes videntur.* Celsus 2, 14. p. 89. *potest enim morbus, etiam qui per se finem habiturus est, citius tamen adhibito auxilio tolli.*

7. Oratio, qua dicitur, esse rem aliquam, etiamsi

conditio aliena aut contraria quaedam adsit, contrahi solet ita, ut participio vel adiectivo adiiciatur adverbium *etiam*, coniunctio *si* cum verbo omittatur. Hinc ortum est grammaticorum praeceptum, *etiam* significare *etiamsi* vel *quamvis:* quod idem observant in graeco *καί.* vid. Hermann. ad Viger. n. 322. At ex illa orationis contractione particula accipit vim affirmandi, sicuti germanicum *auch*. Sequitur, vel inverso ordine praecedit *tamen*. Opinionem, qua Sarpius contenderat *etiam* pro *etiamsi* coniungi cum verbis, bene refutavit Frotscher ad Quinctil. 10, 1, 89.

Cic. ad Fam. 5, 2, 27. *nec in te, ut scribis, animo fui mobili, sed ita stabili, ut in mea erga te voluntate, etiam desertus ab officiis tuis, permanerem.* p. Mil. 26, 70. *quo uno versiculo satis armati semper consules fuerunt, etiam nullis armis datis.* Plin. Hist. n. 8, 39, 59. *cochleae — adhaerentes maxime saxis, aut etiam iniuria resupinatae avulsaeque, non tamen exeuntes.* ad Fam. 9, 10, 1. *de quo, etiam nihil scribente me, te non dubitare certo scio.* p. Mil. 34, 92. *quam* (misericordiam) *ego, etiam repugnante hoc, et imploro et exposco.*

Calpurn. 2, 80. *et nos, quos etiam praetorrida munerat aestas, — mille — dabimus tibi chias.* Curt. 8, 6, 19. *collaudatis, quod etiam aliis tradita vice, tamen excubare perseverassent.*

Cic. de Fin. 3, 17, 57. *dicuntque, ut liberis consultum velimus, etiamsi postumi futuri sint, propter ipsos: sic futurae post mortem famae tamen esse propter rem, etiam detracto usu, consulendum.* Goerenzius mirum in modum *tamen* interpretatur *sane*, et *etiam* cum verbis *propter rem* coniungit. Opponuntur *tamen — etiam* inverso ordine, nec male se habent verba *etiam detracto usu*, quae ille putat transponi debere *etiam usu detracto:* immo illud est, quod unum in hac sententia postulemus.

Locus Eumenii Grat. act. 7, 2. quem Frotscher emendare conatus est, quum inepte legatur *etiam militaris via sit ac confragosa*, ego ita restituendum existimo: *Vidisti enim, non, ut per agros aliarum urbium, omnia fere culta, aperta, florentia, vias faciles, navigera flumina ipsas oppidorum portas adluentia. Sed statim ab eo flexu, e quo retrorsum via ducit in Belgicam, vasta omnia, inculta, squalentia, muta, tenebrosa. Etiam militaris, via sic confragosa est ac alternis montibus ardui aditus atque praecipites, ut vix semiplena carpenta, interdum vacua transmittat.*

8. Singulari modo loquutus est Livius 42, 15, 10. *et ceteri quidem etiam amicorum et satellitum, postquam cadentem videre, diffugiunt, Pantaleon constanter impavidus mansit ad protegendum regem.* nisi corrupta sunt verba.

V. His expositis dicendum est de quibusdam formis, quae particulam *etiam* propriam sibi assumunt.

1. Ac primo *etiam*, quum in se habeat *iam*, ad tempus refertur. Significat enim rem continuam, nondum finitam, sed adhuc perpetuam, quae alibi vocabulo *adhuc* designatur. Id Graeci ἔτι, Germani *noch* dicunt. Vid. Donat. ad Terent. And. 3, 3, 25. Servius ad Virg. Aen. 6, 485. Philarg. ad Georg. 3, 189. Ruhnken. ad Terent. And. 1, 1, 89. Servius ad Aen. 11, 373. vocat adverbium temporis. Sed admixta est quaedam perpetuitatis aestimatio, qua res longius, quam exspectari posset, durasse notatur. Nos dicimus *immer noch.* Atque hoc nomine differt *etiam* ab *adhuc*.

Terent. Eun. 2, 2, 55. *etiamne tu hic stas, Parmeno?* i. e. *du stehst noch hier?* Neque aliter Hec. 3, 4, 16. ubi redit Parmeno ad herum diu ante aedes Philumenae versatum. Plaut. Most. 2, 2, 89. *sed tu etiamne adstas, nec quae dico obtemperas?* Terent. Hec. 4, 3, 8. *quia de uxore incertus sum etiam, quid sim facturus.* Plaut. Trin. 2, 4, 193.

Cic. in Verr. 3, 23, 56. *quum iste etiam cubaret, in cubiculum introductus est.*

Virgil. Aen. 6, 482. *quos ille omnis longo ordine cernens ingemuit, Glaucumque Medontaque — Idaeumque, etiam currus, etiam arma tenentem.* ubi Heins. Georg. 3, 189. *invalidus etiamque tremens, etiam inscius aevi.* ubi Heinsius scripsit *et iamque — et iam*, quasi ex praecepto Charisii. Verum ille loquitur de altero *et iam*, quod explicat *et etiamnunc*, ut habeat, quo nectat orationis partes.

Cic. in Catil. 1, 1, 1. *quousque tandem abutere, Catilina, patientia nostra? quamdiu etiam furor iste tuus nos eludet?* Male explicant *insuper*, *praeterea*, et reddunt *obendrein.* Est vero *wie lange noch?* Ambigua est interpretatio in Sallust. Cat. 61, 4. *Catilina vero longe a suis inter hostium cadavera repertus est, paullulum etiam spirans ferociamque animi, quam habuerat vivus, in vultu retinens.* ubi olim legebatur *adhuc etiam.* Aut significatur vitam Catilinae difficilius exstingui potuisse, aut cohaerent verba *paullulum etiam* i. e. *noch ein wenig.*

Plaut. Amph. 1, 1, 238. so. *Amphitruonis ego sum servos Sosia.* ME. *Etiam denuo?* i. e. *immer wieder?*

2. Sunt tamen, in quibus *etiam* vix dignoscas ab *etiamtum* vel *etiamnum*, sed commode reddas germanico *noch*. In iis enim dicitur tempus adhuc esse, ut aliqua res fiat, sive ipsam rem nondum esse irritam factam, sed adhuc adesse: praesertim de spe et exspectatione alicuius rei.

Plaut. Asin. 3, 2, 40. *opprime os: is est. Etiam subauscultemus.* Libanus, qui abire voluit, vidit Philenium cum Argyrippo intus exeuntes et, etiamnunc, inquit, maneamus, ut subauscultemus: *da wollen wir noch lauschen.* Varro de L. L. 5, 7. *ubi olim fano consumebatur omne, quod profanum erat, ut etiam fit, quod praetor urbanus quotannis facit, quom Herculi immolat publice iuvencam.*

Cornel. Paus. 3, 5. *hoc nuntio commotus, sperans se etiam pecunia et potentia instans periculum posse depellere, domum rediit.* Bremius cum Heusingero propterea, quod *etiam* verbis *instans periculum* addi debuisset, receperunt ex quibusdam codd. *etiamtum*: quod a glossatore factum videtur. Verte: *hoffend, dafs er noch durch Geld und Ansehen die drohende Gefahr abwenden könne.* Quo facto dubitatio de particula non legitimo loco iniecta tollitur.

3. Ponitur *etiam* de re, quae sero demum aut in extremo tempore fiat: ubi Germani *noch* dicunt.

Rhetor. ad Herenn. 4, 52, 65. *in extremo vitae tempore etiam sententias loqueris?*

4. Et de continuata re est id, quod diutius, ulterius.

Curt. 10, 10, 4. *quibus quisque finibus habuisset, imperii etiam ius obtinerent, decretum est.*

Terent. Heaut. 4, 4, 20. *etiamne tecum hic res mihi est?* Bene explicuit Bentleius: adhuc, amplius, diutius.

5. Vnum hoc vocabulum interdum idem exprimit quod *amplius*, pro tota sententia positum.

Plaut. Asin. 1, 1, 27. LI. *Age age, usque exsecra.* DE. *Etiamne?* LI. *Quaeso hercle usque ex penitis faucibus.* DE. *Etiam?* LI. *Amplius.* Conf. Aul. 1, 1, 16. *abscede: etiamnunc: etiamnunc: etiam.* ubi de loco.

6. Cum negatione coniunctum *etiam* significat rem

nondum factam: *noch nicht, noch immer nicht.* Tempus adhuc est, in quo non facta sit res. Sic *etiam non* pro *nondum*, et *nihil etiam.* Et componuntur verba *nondum etiam.* Similiter *vixdum etiam.*

Plaut. Pseud. 1, 3, 45. *hunc pudet quod tibi promisit, quaque id promisit die, quia tibi minas viginti pro amica etiam non dedit.* Terent. And. 3, 2, 23. *non satis pernosti me etiam, qualis sim.* Heaut. 3, 1, 24. *non volt te scire se redisse etiam, et tuum conspectum fugitat.* i. e. *er will noch nicht dich wissen lassen.* Cic. Tusc. 1, 6, 12. *non dico fortasse etiam, quod sentio.* in Verr. 3, 84, 194. *nemini lege concessum, sed fortasse adhuc in nullo etiam vindicatum.*

Caes. B. gall. 6, 43. *ut modo visum ab se Ambiorigem in fuga captivi, nec plane etiam abisse ex conspectu contenderent.*

Terent. And. 1, 1, 88. *egomet quoque eius caussa in funus prodeo, nihil suspicans etiam mali.* Eun. 5, 7, (8,) 6. *hunc ego numquam videram etiam.* 5, 8, 62.

Terent. Hec. 1, 2, 117. *quid egerint inter se, nondum etiam scio.* Heaut. 3, 3, 35. Hec. 5, 1, 19. *nondum etiam dixi id, quod te volui.* And. 1, 2, 30. Vid. Palmeri Spicileg. p. 837. Grut. Cic. in Verr. 4, 28, 64. *quod nondum etiam perfectum templum offenderant.*

Cic. in Catil. 1, 4, 10. *haec omnia, vixdum etiam coetu vestro dimisso, comperi.*

7. Invertitur haec ratio, quando tempus, quod in illis vacuum et a re remotum dicitur, continuam rem complectitur. Tum *etiam non*, quod in illis vidimus esse *nondum, noch nicht*, in his fit *non adhuc, non amplius, nicht mehr, nicht noch länger.*

Terent. Heaut. 1, 2, 1. *nihil adhuc est, quod vereare, Chreme: haudquaquam etiam cessant.*

8. His contraria esse videtur ea significatio, qua significat *iam*, i. e. *schon:* tamen cognata ipsa est et origine et notionis aequabilitate. Nam in illis, quae modo exposuimus, temporis praesentia perpetua affirmatur per *etiam, noch:* in aliis vero affirmatur, vere factam esse rem in tempore, quod nos dicimus *eben* et *schon.* Sic dicunt Latini *etiam pridem* pro *iam pridem.* Et dixisse videntur *iam et* pro *etiam.*

Curt. 6, 9, 19. *haec sunt etiam pridem animi alienati a me*

et invidentis gloriae meae indicia. Fortasse ita Cic. ad Att. 7, 1. *ad eos ego etiam antea scripsi et ad ipsum Hirrum.*

Liv. 29, 23, 4. *iam enim et nubilis erat virgo.* Ita ex optimis codicibus restitue 21, 48, 7. *iam enim et revocatum ex Sicilia audierat.*

9. *Iam etiam* significat *iam adeo, jetzt eben*, in affirmanda re graviore. vid. IAM. Saepius vero id quod *nun sogar*. Interdum *iam* nihil efficit, nisi ut intendat vocem *etiam*. Singulari modo Plinius posuisse videtur, ut esset *eben erst*.

Liv. 42, 15, 2. *et ipse, praeterquam quod et ita credebat futurum, iam etiam volebat, in flore virium se credens esse.* ubi non opponuntur verba *praeterquam — etiam.*

Iustin. 2, 4, 6. *iam etiam cum contemtu virorum se tuentur.*

Cic. ad Fam. 7, 25, 5. *equidem aliquantum iam etiam noctis assumo.* 4, 1, 9. *cuius* (urbis) *iam etiam nomen invitus audio.*

Plin. Hist. n. 7, 55, 56. *eadem enim vanitas in futurum etiam se propagat et in mortis quoque tempora ipsa sibi vitam mentitur, alias immortalitatem animae, alias transfigurationem, alias sensum inferis dando et manes colendo deumque faciendo, qui iam etiam homo esse desierit.*

VI. 1. De interrogatione praeter ea, quae cum communi particulae usu conveniunt, haec sunt observanda. Interrogatione quum praesumitur id, quod vel fieri iubemus, vel quod ut fiat in votis habemus, ponitur *etiam*, quo certior reddatur res. Germani dicunt vel *doch* vel *auch*.

Terent. Heaut. 2, 2, 6. *etiam caves, ne videat forte hic te a patre aliquis exiens.* CL. *Faciam.* i. e. *du hütest dich doch?* sive *hütest du dich auch?* Plaut. Asin. 3, 3, 124. *etiam tu, here, istunc amoves abs te atque ipse me aggredire.*

2. Idem exprimitur imperativo, sed distinctius. Servius ad Virgil. Aen. 11, 373. *etiam tu. Eia: nam est hortantis adverbium hoc loco.* Interdum augetur adhortationis intentio ipsa hac particula, ut sit *ja doch*. Locum suum in his obtinet particula vel ab initio orationis vel post verbum maiore vi pronuntiatum.

Plaut. Most. 2, 2, 42. TH. *Tutum probe est.* TR. *Circumspice etiam.* TH. *Nemo est, loquere nunc iam.* Most. 4, 2, 8. *Phanisce, etiam respice.* Terent. Andr. 5, 2, 8. *etiam tu hoc responde, quid stic tibi negotist?* Alia erat olim scriptura:

etiam tu hoc respondes? Vide Bentlei. et Ruhnken. Plaut. Bacch. 5, 2, 70. *etiam tu, homo nihili, quod dii dant boni, cave culpa tua amissis.*

Terent. Hec. 5, 4, 1. *vide, mi Parmeno, etiam sodes, ut mi haec certa et clara attuleris.* ubi non bene explicat Ruhnkenius: valde, magnopere, etiam atque etiam.

3. Accedit indignatio. Nam qui miratur aliquid, quod alienum aut ineptum aut nimium videatur, fieri posse, ideoque indignatur, is interrogat addita particula *etiam*, qua inexspectatae rei accessio exprimitur. Germani dicunt *noch*, vel *auch noch*, vel *doch*. Sic irati dicunt *at etiam*. Vide Tom. 1. p. 448. Cf. Burmann. ad Petron. 20. Similis est ratio formulae, qua Cicero saepe utitur, *is mihi etiam*.

Plaut. Amph. 2, 1, 21. *rogasne, improbe, etiam, qui ludos facis me.* i. e. *fragst du auch noch?* Most. 2, 1, 129. *tuus venit pater? Iube abire rursum. Quid illi reditio etiam huc fuit?* i. e. *was hat er auch hierher zurückzukommen?* Pareus explicuit: *hoc tempore.* Amph. 1, 1, 220. *etiam clamas, carnufex?* v. 225. Most. 2, 2, 89. vid. p. 571. Terent. Eun. 5, 6, 16. *etiam rides? itan lepidum tibi visum est, scelus, nos irridere?* Petron. 95. *exclamat Eumolpus, etiam minoris? simulque os hominis palma excussissima pulsat.* 137. *scelerate, inquit, etiam loqueris?* 22. *itane est? inquit Quartilla, etiam dormire vobis in mente est, quum sciatis Priapi genio pervigilium deberi?*

Cic. in Verr. 1, 60, 156. *is mihi etiam queritur, quod a vobis novem solis diebus prima actio sui iudicii transacta sit, quum apud ipsum tribus horis Q. Opimius — bona, fortunas, ornamenta omnia amiserit?* 2, 42, 105. *is mihi etiam Sthenium litteras publicas corrupisse — iudicavit, qui defendere non potuerit, se non ex ipsius Sthenii nomine litteras publicas corrupisse?* in Pis. 1, 2. *is mihi etiam gloriabitur se omnes magistratus sine repulsa assequutum?*

4. Alia est interrogationis forma, qua aliquid statim fieri ita vehementius iubemus, ut cum indignatione quaeramus, num res nondum facta sit.

Plaut. Pers. 2, 4, 4. *scelerate, etiam respicis?* quod idem notavimus in verbis *etiam respice.* Most. 2, 1, 35. TH. *Ecce autem hic deposivit caput et dormit. Suscita.* PH. *Etiam vigilas? Pater, inquam, aderit iam hic meus.* Terent. Phorm. 3, 3, 9. *etiam tu hinc abis?* quod Eun. 4, 7, 29. dicitur: *non tu hinc abis?* Ad. 4, 2, 11. *etiam taces?* Plaut. Most. 4, 2, 28. *heus, Tranio, etiam aperis?* TH. *Quae haec est fabula!* PH.

Etiamne aperis? Plaut. Poen. 1, 3, 22. *etiamne abis?* Asin. 1, 1, 95. *i: etiamne ambulas?* Pers. 2, 4, 7. *etiamne dicis, ubi sit, venefice.* i. e. *wirst du gleich sagen, wo er ist?*

5. Ab his diversa est ea forma, in qua Graeci addito *καὶ*, Latini per *etiam* interrogationi adiiciunt aliquam asseverationem rei negandae, ideoque vim interrogationis augent. Hermannus ad Viger. n. 320. indicari putat quamdam dubitationem, quae prorsus abhorret ab his particulis. Et qui interrogat τί χρὴ καὶ λέγειν; is praesumit nihil esse dicendum, additque suae interrogationi affirmationem: quid're vera dicendum est? id est, nihil profecto. Exempla graecae loquutionis vide apud Stallbaum. ad Plat. Gorg. 10. Sed non semper exspectatur negatio.

Liv. 45, 38, 2. *quid etiam dicitis, milites? Aliquis est Romae praeter Persea, qui triumphari de Macedonibus nolit?* Plat. de Leg. 3. p. 688. C. λέγ' ὅ τι καὶ φῄς.

Fortasse aliquis huc pertinere putabit verba Virgil. Aen. 4, 305. *dissimulare etiam sperasti, perfide, tantum posse nefas?* sed vide IV, 4.

Permira est sententia, qua Goerenzius explicare conatus est duorum codd. scripturam apud Cic. de Fin. 2, 16, 52. *cur tandem? an quod ita callida etiam, ut optime possit architectari voluptates.* Quis hodie contendat, particulam vacare significatione?

VI. 1. *Etiam atque etiam* formula est, cuius originem aut in perpetuitatis notione voculae *etiam* propria, aut in repetitionis significatione quaeramus. Significatur enim res iterum iterumque facienda, imprimis in rogatione et in admonitione iterum et saepius adhibita. Id quum assiduitatem et multitudinem et amplificationem denotet, *etiam atque etiam* additur verbis pro perpetuo, diligenter, valde, vehementer, quibus ipsis interdum iungitur. Et comparativo adiectum significat rem in dies crescentem vel auctam.

Cic. ad Fam. 13, 28, 3. *puto enim etiam atque etiam mihi dicendum esse.* Terent. Eun. 1, 1, 11. *dum est tempus, etiam atque etiam hoc cogita.* Cic. in Caec. Divin. 12, 37. *tu ipse quemadmodum existimes, vide etiam atque etiam.* Acad. 2, 19, 61. Plaut. Trin. 3, 2, 48. *sed te moneo hoc etiam atque etiam, ut reputes, quid facere expetas.* Cic. ad Fam. 13, 72. *sed tamen Caerelliae procuratores scripserunt te propter ma-*

gnitudinem provinciae multitudinemque negotiorum etiam atque etiam commonefaciendum. p. Lege man. 19, 58. *de qua isti ipsi qui minantur, etiam atque etiam, quid liceat, considerabunt.* Sallust. Iug. 85, 28. *etiam atque etiam reputate, num id poenitendum sit.* Liv. 3, 45, 10. *postulo, Appi, etiam atque etiam consideres, quo progrediare.* ubi Drakenb. 36, 28, 2. Horat. Epist. 1, 18, 76. *qualem commendes, etiam atque etiam adspice.* ubi comm. Crucq. *cognosce diligenter.* Liv. 22, 13, 4. *monitos, ut etiam atque etiam promissa rebus affirmarent.* 41, 19, 6. 38, 9, 1. *domum regressi sunt, ut etiam atque etiam, quid agendum esset, re integra, praetorem et principes consulerent.* Catull. 63, 61. *miser ah miser, querendum est etiam atque etiam.*

Ennius apud Varron. de L. L. 6, 4. *quid noctis videtur in altisono coeli clupeo? Temo superat stellas sublime cogens etiam atque etiam noctis iter.* Additque Varro: *hic multam noctem ostendere volt a temonis motu.* Cic. Tusc. 3, 28, 69. *gravissimus quisque confitetur multa se ignorare et multa sibi etiam atque etiam esse discenda.*

Cic. ad Fam. 3, 1, 7. *id eum ne fallat, te etiam atque etiam rogo.* Memorabilis atque adeo dubius est locus in Verr. 5, 72, 184. *nunc te, Iupiter optime maxime, — teque, Iuno regina, — teque, Minerva, — etiam te, Apollo, quem iste Chio sustulit, teque etiam atque etiam, Diana, quam Pergae spoliavit, teque, Mercuri — vos etiam atque etiam imploro.* Est igitur etiam atque etiam pro et maxime.

Cic. ad Fam. 13, 28. *hoc ut assequamur, te vehementer etiam atque etiam rogo.* 13, 5. ext. de Div. 1, 4, 7. *faciendum videtur, ut diligenter etiam atque etiam argumenta cum argumentis comparemus.*

Cic. ad Fam. 6, 22 (23), 2. *haec quamquam nihilo meliora sunt, nunc etiam atque etiam desperatiora, tamen inanes esse meas litteras, quam nullas, malui.* 16, 7. *cura, ut valeas etiam atque etiam.* i. e. *immer mehr und mehr.*

2. Sed affirmativa vis in hac quoque formula dominatur. Lucretius enim 1, 296. *quare etiam atque etiam sunt venti corpora caeca.* quod est *omnino, certissime.*

3. *Etiam et etiam* num bene dicatur, dubitari potest. Nam duo, quae exstant, exempla non carent discrepantia librorum. Dumtaxat epistolaris stili negligentiae concessum, paucis placuisse videtur.

Balbus ad Cic. in Epist. ad Att. 8, 15. *qui si passus esset, nos*

secum, ut consueramus, loqui, et non se totum etiam et etiam ab sermone nostro avertisset, minus miser, quam sum, essem. Sed codd. Malasp. *atque* praebent et cod. medic. *et tam etiam:* quare puto excidisse vocabulum aliquod post *tam.* Pomp. Magn. ad Domit. in Epist. ad Att. 8, 12, 13. *quamobrem etiam et etiam te rogo et hortor.* ubi cod. Vrsini *etiam atque etiam,* medic. aliique libri *et etiam* omittunt.

*) Confundi solent a librariis *etiam* et *enim:* vid. critici ad Suet. Ner. 21. Drakenb. ad Liv. 36, 41, 3. Heindorf. ad Cic. de Nat. d. p. 15. *et:* vid. Drakenb. ad Liv. 22, 47, 9. de omissa altera parte *iam* Drak. ad Liv. 5, 7, 2. *est:* vid. Misc. Observ. T. 2. p. 135. Goerenz. ad Cic. Acad. 2, 35, 115. de Fin. 2, 16, 52. Saepissime a librariis adiectum esse notant Heusing. ad Cic. de Off. 1, 34, 7. 2, 14, 7. Gernhard. ad 1, 44, 155. ad Cat. 13, 44. 14, 46. Goerenz. ad Cic. de Fin. p. 85. et in Iahnii Annal. Vol. I. p. 303. Saepius tamen omissum est ab iis, qui aut falsum aut non necessarium putarent.

ETIAMDVM.

De particula *etiamdum* diximus supra p. 322. Hic addam rarissima esse exempla vocum disiunctarum *etiam dum*, sicuti *etiam quum* dicitur.

Plin. Pan. 84, 8. *quid enim laudabilius feminis, quam si verum honorem non in splendore titulorum, sed in indiciis hominum reponant, magnisque nominibus pares se faciant, etiam dum recusant.*

ETIAMNE.

Etiamne forma est interrogationis, quam ab universo significatu particulae *etiam* non multum discrepare, supra non uno loco notavimus. Adiuncta enim voce *ne* augetur vis interrogationis. Quare particula haec ab initio sententiae ponitur. Sed interdum ita construitur, ut interrogationi praecedat sententia concessiva, et formula ἀνθυποφορᾶς exsistat. Saepe legitur formula *etiamne si — ?* Quod vero Orellius in notis ad Cic. Tusc. p. 360. existimavit, *etiamne* poni in affirmanda interrogatione pro *nonne etiam,* nullum me docuit exemplum Ciceronis: sed recentiores scriptores talia suppeditant.

Terent. Heaut. 4, 4, 20. *etiamne tecum hic res mihi est.* SY. *Minime.* Plaut. Poen. 1, 2, 68. AG. *De te quidem haec didici omnia.* MI. *Etiamne ut ames eam, quam numquam tetigeris?* Alia vide in ETIAM.

Memorabilis est haec orationis forma, quam interpunctione non accurate designatam videmus etiam in novissimis editionibus, Quinctil. 4, 1, 24. *dum ignota lis est, quomodo ex quaestionibus ducemus sententias? Nimirum res erunt indicandae prius. Demus aliquas. Nam id exigit ratio nonnumquam. Etiamne potentissimas omnes, id est totam caussam? Sic erit in prooemio peracta narratio.*

Cic. Lael. 11, 37. *At C. Blossius — hanc, ut sibi ignoscerem, caussam afferebat, quod tanti Ti. Gracchum fecisset, ut, quidquid ille vellet, sibi faciendum putaret. Tum ego: etiamne, inquam, si te in Capitolium faces ferre vellet?* de Leg. 1, 15, 42. vid. p. 560. Cic. Phil. 13, 6, 14. *omniane viris bonis, quae facere possunt, facienda sunt? etiamne si turpia, si perniciosa erunt?* 13, 3, 6. *si hoc praecipit, ne quid vita existimem antiquius, ne decernam capitis periculo, fugiam omne discrimen: quaeram ex ea, etiamne si fuerit, quum id fecero, serviendum.* Ita e codd. restituendum esse, docuit Orellius in Analectis, cui miratus eram Faernii egregiam emendationem *si erit* soloecam esse visam. in Verr. 3, 98, 228.

Cic. Tusc. 1, 34, 84. *possem id facere: etsi minus quam ille, qui omnino vivere expedire nemini putat. Mitto alios. Etiamne nobis expedit? qui et domesticis et forensibus solatiis ornamentisque privati, certe si ante occidissemus, mors nos a malis, non a bonis abstraxisset.* Orellius putat esse sensum: nonne etiam nobis expedit? quod nec sententiae nec particulae rationi convenit. Wolfius interpretatus erat: adhuc nobis expedit? Schützius autem: an nunc item nobis expedit vivere? Neutrum satisfacit. Nam totius orationis hic est sensus: Possem id (non *idem*, ut Ernestius coniecit) facere, sed tamen minus quam illi, qui vivere putat nemini expedire. Sed non iudicem, quo modo alii sibi nihil expedire putent. Num re vera nobis adhuc expedit, quum omnibus solatiis ornamentisque privati simus? Particula duplicem vim habet, qua et rem ipsam et tempus spectare iubet. Nos *wirklich noch* dicimus. Sic ad Att. 10, 11. *etiamne Balbus in senatum venire cogitet?* quae verba non intellexit Wielandus.

Plin. Epist. 2, 6, 3. *eadem omnibus pono: ad coenam enim, non ad notam invito: cunctisque rebus exaequo, quos mensa et toro aequavi. Etiamne libertos? Etiam convictores enim tunc,*

non libertos puto. **Haec non sunt: nonne libertos? sed: num etiam libertos? Sed Plin. Hist. n. 36, 2, 2.** *verum esto, indulserint publicis voluptatibus: etiamne tacuerunt maximas earum — lucullei marmoris in atrio Scauri collocari?* **i. e.** *haben sie nicht dazu geschwiegen?* **28, 1, 2.** *esto, barbari externique ritus invenerint: etiamne Graeci suas fecere has artes?*

Festus haec: *ennam, etiamne.* Quae Meursius Exercit. crit. I. p. 201. ita accepit, quasi notavisset Festus, veteres dixisse *enam* pro *etiamne:* atque hinc coniecit legendum esse in Plaut. Poen. 1, 2, 68. *enam, here, facis delicias.* at ibi optime legitur *enimvero, here, facis delicias.*

ETIAMNVM. ETIAMNVNC.

Etiamnvm et etiamnvnc duo nomina uno accentu coniuncta habent, nec differunt significatione. Nam vocula *num*, ex *νῦν* orta, litteram monstrativam recepit et factum est *nunc*, uti *tunc* ex *tum:* sed vis plenioris soni, quae in simplici *tunc* etiam significationem intendit, in *etiamnunc* non valuisse videtur. Nec potest *etiamnunc* appellari antiquior forma, ut fecit Heynius ad Virgil. Ge. 4, 135. Quare in quaestione saepe a criticis instituta, utra forma magis placuerit scriptoribus, nullum argumentum rem dubiam confirmabit, nisi auctoritas librorum et apud poetas metrica ratio. Littera m ante *nunc* vulgo pronuntiabatur per n, assimilationis caussa. Quod vero a multis nunc disiunctae voces scribuntur *etiam nunc*, adeoque significatione distinguuntur ab *etiamnum*, id non antiquo more fit. Vnum erat olim vocabulum, unus eius accentus: et veteres, ut significarent *hoc ipso etiam tempore*, dixerunt *nunc etiam.* In *etiamnunc* semper vocula *nunc* enclitica est, etiamsi distrahas.

Velius Longus p. 2236. *n littera in locum m redit, ut quum dicimus* **c l a n d e s t i n u m**, *quum ab eo trahatur quod est* **c l a m**: *item* **s i n c i p u t** *quod est* **s e m i c a p u t**. *Sed non ubique obtinendum: nam et nonnunquam plenius per m quam per n enuntiatur, ac quum dico* **e t i a m n u n c**, *quamvis per m scribam, nescio quomodo tamen exprimere non possim.* **Ita bene emendavit haec verba Schneiderus in Gramm. T. I. p. 310.**

Gerhardus ad Cic. Lael. 3, 11. discrimen invenisse sibi visus est in eo, quod *etiamnunc* **significet** *auch jetzt noch,*

etiamnum autem *noch immer.* Lindemannus vero de Adverb. I. p. 14. quum antea dixisset, *num* et *nunc* in sermonis primordiis fuisse vocabulum unum et idem, haec exposuit: non ubique dici posse *etiamnum* pro *etiamnunc*, et qui in Virgil. Ge. 4, 134. scribere vellet *et quum tristis hiems etiamnunc frigore saxa rumperet*, eum latine nescire videri: nam *etiamnunc* significare *hoc ipso etiam tempore*, sed *etiamnum* esse *eo, etiam tempore,* leviore monstratione, ut illud definitum aliquod tempus praesens acriter monstratum, hoc vero temporis praesentis ambitum non tam diligenter monstratum denotet. Haec subtilitas grammatica, antiquis scriptoribus prorsus incognita, non modo argumentis destituitur, sed ne exemplis quidem rem potest demonstrare. Certe nullum reperiremus finem exponendo, scriptores *etiamnunc* pro *etiamnum* et hoc pro illo posuisse.

Vt disiunctionem vocabulorum comprobent grammatici, afferunt Plauti Aul. 1, 1, 16. at ibi antiqui libri exhibent: *abscede etiamnunc: etiamnunc: etiam: heo* (sive *ohe*) *istic adstato.* In Varron. de Re r. 1, 2, 14. *a quo rustici etiam nunc quoque viam meam appellant.* diversa est ratio et hic verborum nexus: a quo etiam rustici appellant nunc quoque. Cortius ad Sallust. Cat. 2, 1. Iug. 31, 3. adeo hariolatus est, ut scribendum censeret *et iam nunc:* quod ne latinum quidem est.

I. 1. *Etiamnunc* est graecum ἔτι καὶ νῦν, germanicum *jetzt noch* sive *noch jetzt.* Primo igitur dicitur de re adhuc permanente et continua sive nondum finita aut mutata. In illa spectamus rem praesentem, in hac respicimus magis ad praeteritum tempus. Est igitur vel usque ad hoc tempus, vel hoc adhuc tempore: *immer noch.*

Plaut. Merc. 4, 5, 14. *etiamnunc mulier intust?* SY. *Etiam.*

Senec. Controv. 4, 26. *etiamnum mihi videtur eiusdem animi, eiusdem duritiae.*

Varro de Re r. 3, 2, 3. *ego vero, inquit, te praesertim* (recipio), *cuius aves hospitales etiamnunc ructor, quas mihi apposuisti paucis ante diebus.*

2. Temporis praesentis notio parum valet in iis, quae universam rei perpetuitatem designant. Tum idem est quod simplex *noch.* Hoc significatu saepissime additur participiis et adiectivis, quae conditionem notant.

Terent. Eun. 4, 4, 42. *etiamnunc non credis indignis nos esse irrisas modis.* 4, 4, 38. *concede istuc paullulum: audin? etiamnunc paullum.* Ovid. Art. am. 3, 61. *dum licet et veros etiamnunc*

editis annos, ludite. Pompeius ad Domit. in Epist. ad Att. 18, 12. D. *quare da operam, si ulla ratione etiamnunc efficere potes, ut te explices.*

Liv. 3, 46, 2. *non Virginiam defendi ab Icilio, sed inquietum hominem et tribunatum etiamnunc spirantem locum seditionis quaerere.* Sueton. Oth. 9. (copiis) *residuis integrisque etiamnunc.* Stat. Theb. 8, 565. *triplici velaverat ostro surgentes etiamnum humeros et levia mater pectora.* 9, 637. *illam diva ferox etiamnum in limine sacro expositam — linquit.* Apulei. Met. 4. p. 144, 30. *in vallem proximam etiamnunc spirantem praecipitant.*

3. Contra in aliis temporis praesentis designatio est insignis, ut significari videatur *nunc.* Nihilo tamen secius scripserunt, si libebat, *etiamnum.* Atque in negativa sententia temporis terminus distinctius designatur, ut *non etiamnunc* sit *nondum, bis jetzt noch nicht.*

Plaut. Stich. 5, 4, 16. *vide: utram tibi libet etiamnunc capere, cape provinciam.* Asin. 2, 4, 92. *etiamnunc dico: Periphanes Rhodo mercator dives absente hero solus mihi talentum argenti soli annumeravit.* Varro de Vita p. r. apud Nonium 1, 35. *quod fronde lecticas struebant, ex ea herba torta, torum appellatum, hoc, quod iniicitur, etiamnum toral dicitur.* Pomp. Mela 2, 3. *in Achaia atque Elide quondam Pisae Oenomai, Elis etiamnunc, delubrumque olympii Iovis.*

Plaut. Poen. Prol. 99. *neque quidquam cum ea fecit etiamnum stupri,* Cic. p. Mur. 12, 27. *iam illud mihi quidem mirum videri solet, tot homines, tam ingeniosos, per tot annos etiamnunc statuere non potuisse, utrum diem tertium an perendinum — dici oporteret.*

4. Hinc exsistunt loquutiones, in quibus praesens tempus, in quo res permaneat, aliis temporibus opponatur. Nos Germani dicimus *auch jetzt noch,* sed Latini non tantopere gravabant temporis vocabulum.

Terent. Heaut. 1, 2, 13. *atque etiamnunc tempus est.* i. e. *und es ist auch jetzt noch Zeit.* Cic. Verr. 5, 5, 11. *etiamnunc mihi exspectare videmini, iudices, quid deinde factum sit.* i. e. non illud putatis extremum fuisse facinus, sed alia esse sequuta. Senec. Controv. 4, 26. *etiamnunc pacisci volo.*

II. 1. Iam sententiarum formas enarrabo, quibus haec particula aptari solet. Atque *etiamnunc* imprimis dicitur de re, quam finitam aut mutatam esse aliquis suspicari possit, aut cuius perpetuitatem eo cognovimus,

quod contrarium vel diversum nondum evenit. Cuius dictionis rationem exposui in ADHVC p. 160.

Terent. Eun. 2, 2, 55. *etiamnunc hic stas, Parmeno?* cf. Hec. 3, 4, 16.

2. De eo proprie dicitur, quod ut fiat, nondum transmissum est tempus vel occasio. Tum plerumque primo loco ponitur.

Cic. p. Rosc. Am. 28, 78. *etiamnunc ut ex his quaeratur, ego postulo, hic orat atque obsecrat.* Sueton. Caes. 31. *etiamnunc, inquit, regredi possumus: quodsi ponticulum transierimus, omnia armis agenda erunt.* Valer. Flacc. 7, 454. *etiamnunc deprecor, hospes, me sine et insontem misero dimitte parenti.* Conf. Burmann. ad utrumque locum.

Plaut. Men. 3, 1, 15. *ibo: etiamnum reliquiarum spes animum oblectat meum.* i. e. *noch labt meine Seele die Hoffnung auf die Überbleibsel.*

3. *Etiamnunc* facere aliquid dicitur is, qui rem facit, priusquam alia res accidat, aut vires deficiant.

Plaut. Mil. 4, 8, 29. *etiamnunc saluto te, lar familiaris, priusquam eo.* Germani coniungunt verba *noch ehe ich weggehe.* Nescio, cur Lindemannus scripserit *et iam nunc*, Cortii doctrinam amplexus.

Huc pertinet illud supra allatum Pomp. Magn. ad Domit. in Cic. Epist. ad Att. 8, 12. D. *quare da operam, si ulla ratione etiamnunc efficere potes, ut te explices.*

4. Atque ita res, quae nondum facta est, opponitur rei, quae huousque fit, et res designatur, quae nondum desiit esse.

Cic. Orat. 34, 119. *de materia loquor orationis etiamnunc, non ipso de genere dicendi. Volo enim, prius habeat orator rem, de qua dicat.* i. e. *noch spreche ich von dem Stoffe der Rede.*

Varro de L. L. 5, 2. *crepusculum dies etiamnunc sit an iam nox, multis dubium.*

5. Dicitur *etiamnum* in demonstratione rei, quam quum adsit quod impediat, tamen fieri aut non fieri suspicamur. Est igitur: etiam in hac rerum conditione, etiam quum ita res se habeant. Et componitur saepe *tamen.*

Cic. de Divin. 2, 47, 99. *ut mihi permirum videatur quemquam exstare, qui etiamnunc credat iis, quorum praedicta quotidie videat re et eventis refelli.* i. e. *der noch glauben möchte.*

Cic. p. Mil. 25, 67. *quodsi tamen metuitur etiamnunc Milo, non hoc iam clodianum crimen timemus.*

6. Ita vero usurpat particulam is, qui vidit rebus factis non evenisse, quod fieri deberet. In qua dictione non tam ad id, quod hucusque factum sit, quam ad id, quod nondum evenerit, respicitur.

Sallust. Cat. 52, 22. *dux hostium cum exercitu supra caput est: vos cunctamini etiamnunc, quid intra moenia apprehensis hostibus faciatis.* Iug. 31, 3. *qui ne nunc quidem obnoxiis inimicis exsurgitis. atque etiamnunc timetis, quibus decet terrori esse.*

7. *Nihil etiamnunc* est *nihil adhuc*, *nichts weiter*, *non etiamnunc* id quod *nondum*, *nullus etiamnunc noch keiner*.

Cic. p. Cluent. 59, 163. *quo de homine nihil etiamnunc dicere nobis est necesse.* Sallust. Iug. 109. 3. *nihil etiamnunc decrevisse, sed illo die responsurum.*

Ovid. Met. 13, 231. *nec Telamoniades etiamnunc hiscere quidquam ausit.*

Caes. B. gall. 6, 40. *nullo etiamnunc usu rei militaris percepto.*

8. Designatione rei *etiamnunc* permanentis ipsa haec res affirmatur.

Terent. Ad. 3, 3, 90. *ubi etiam huius generis reliquias restare video, vivere etiamnunc lubet.* Cic. p. Rosc. Am. 52, 150. *una spes reliqua est Sex. Roscio, — vestra pristina bonitas et misericordia: quae si manet, salvi etiamnunc esse possumus: sin ea crudelitas, quae hoc tempore in re publica grassata est, vestros quoque animos — duriores acerbioresque reddidit, actum est.*

9. Indignationi inservit particula, quum ex re certa et perspicua ad dubitationem provocamus, quae nulla sit: ubi nos *nun noch*.

Cic. in Verr. 3, 38, 86. *vos etiamnunc dubitate, si potestis, utrum* etc. p. Rosc. Am. 28, 78. *dubitate etiamnunc, iudices, si potestis, a quo sit Sex. Roscius occisus.*

10. Hac particula denotatur res, quae non praetereunda, sed ante consideranda videtur, quam alia animo concipiatur: quod Germani *erst noch* dicunt.

Cic. p. Rosc. 37, 105. *mors Sex. Roscii quatriduo, quo is occisus est, Chrysogono nuntiatur. Quaeritur etiamnunc, quis eum nuntium miserit?* Senec. Epist. 102, 11. *primum, an sit*

aliquid ex distantibus bonum, etiamnunc quaeritur et pars utraque sententias habet. i. e. *Einmal ist erst noch die Frage.*

11. Atque sic usurpatur de adiicienda re vel de ea, quae ad alias praeterea accedit. Interdum verti potest *ferner*. Sed hoc ad usum scriptorum post Augustum pertinet.

Plin. Hist. n. 21, 18, 71. *invenio etiamnum unum iunci genus.* **6, 33, 39.** *his addemus etiamnum unam graecae inventionis sententiam.* **14, 13, 36.** *additis etiamnum carbonibus.* **32, 5, 18. 22, 25, 64.** *est etiamnum aliud sesamoides Anticyrae nascens.* **16, 10, 19. Celsus 5, 26, 20.** *his cognitis etiamnum quaedam alia noscenda sunt, ad omnia vulnera — pertinentia.* **7, 29. p. 492.** *aliaeque etiamnum difficultates faciunt, ut* etc. **5, 19, 28.** *etiamnum generis eiusdam spumae argenti* etc. i. e. praeter haec. **Senec. Epist. 113, 18.** *quaeram: an et avaritia et luxuria et dementia aeque rotundae sunt? Sunt enim et ipsae animalia. Si has quoque corrotundaverint, etiamnunc interrogabo, an prudens ambulatio animal sit nec ne?* i. e. *ferner*. **Columel. 5, 3, 1.** *his igitur velut primordiis talis ratiocinii perceptis, non difficiliter mensuras inibimus agrorum, quorum nunc omneis persequi species et longum et arduum est. Duas etiamnunc formulas praepositis adiiciam.* **Senec. de Benef. 5, 6, 2.** *veniebat enim rogatus et id debebat, quod utique ille non erat Socrati redditurus. Etiamnunc Archelaus daturus erat aurum et argentum, recepturus contemtum auri et argenti.* i. e. praeterea, ad haec. **5, 10, 2.**

Plin. Hist. n. 25, 8, 53. *potentia earum per quadrupedes etiamnum duobus claris exemplis manifesta fit.*

12. Iidem scriptores *etiamnum* componunt cum comparativo, ut *etiam* antiquiores.

Celsus 5, 26, 30. *si plus est, quod tolli opus est, adhibenda sunt etiamnum vehementiora, quae corpus exedant.* **5, 28, 17.** *tertia etiamnum deterior est.* **7, 7. p. 437.** *efficacior tamen etiamnum est Afrorum curatio.* **8, 20. Plin. Hist. n. 17, 22, 35, 11.** *quae quum excreverit, satis firma protinus in iugo collocari debebit: sin etiamnum infirmior erit, sub ipso iugo hospitari recisa.* **5, 10, 13.** *ac magis etiamnum meridiana Babylonia.* **19, 6, 31.** *aliis carnosae, ut betae, aut magis etiamnum croco.* **31, 18, 69.** et saepe sic Plinius. **Senec. Epist. 102, 21.** *si quod est etiamnunc frequentius incolis.* **87, 31.** *hanc interrogationem magis etiamnunc hoc modo intendit.*

Senec. Epist. 87, 12. *etiamnunc facere id planius volo.*

13. Huic aetati propriae sunt formulae *etiamnum*

hodie i. e. *heutigen Tages noch: etiamnum tamen* i. e. *doch noch.*

Plin. Hist. n. 25, 7, 47. *in quibus etiamnum hodie in numeroso et laetiore convictu potionem e centum herbis mulso additis credidere saluberrimam.* 18, 6, 7, 2. *quamquam de tetrae optimo genere disserentes abunde dixisse possumus videri, etiamnum tamen traditas notas subsignabimus.*

14. In colloquiis usurpatur hoc vocabulum eo sensu, ut rem significet insuper addendam, quemadmodum vulgus nostrum *noch* dicit pro *noch mehr*, et ut positum videatur pro *iterum*, *nochmals*.

Plaut. Aul. 1, 1, 16. *abscede: etiamnunc: etiamnum: etiam, ohe: istic adstato.* i. e. *geh zurück: noch mehr, noch mehr: mehr doch: da bleib stehen.*

Plaut. Mil. 4, 8, 63. PH. *Bene vale igitur.* PY. *Ire melius est strenue.* PA. *Etiamnunc vale.* i. e. *nochmals lebe wohl.*

15. Ernestius cum Bentleio in recognoscendis antiquis scriptoribus praeceptum tenuit hoc: de re praeterita semper dici *etiamtum*, de re praesente *etiamnunc*. Cui quae Schellerus in Observat. p. 90. opponebat exempla, ipsa exspectabant rationis declarationem. Atque tria sunt animadvertenda. Primum enim historici, ut bene observavit Graevius ad Iustin. 8, 4., nonnumquam loquuntur, quasi scribant illo tempore, cuius gesta narrant. Praeterita enim tractant, tamquam sint praesentia. Sic *nunc* de tempore usurpatur, quo res, quae narrantur, gestae sunt. vid. Drakenb. ad Liv. 37, 4, 9. Deinde notanda est oratio obliqua, qua aliquid suo tempore etiamnunc fuisse dicitur. Nam in his quoque commutantur tempora. Tum perfecto, quocum *etiamnunc* coniungitur, res exprimitur, quae absoluta sit et perfecta. Denique sunt dictiones, in quibus nihil nisi perpetuitas rei nondum mutatae cogitetur: praesertim post coniunctionem *quum* et in adiectivis.

Caes. Bell. gall. 6, 40. *at ii, qui in iugo constiterant, nullo etiamnunc usu rei militaris percepto, neque in eo, quod probaverant, consilio permanere, ut se loco superiore defenderent, neque eam, quam profuisse aliis vim celeritatemque viderant, imitari potuerunt.*

Cic. Catil. 1, 4, 9. *confirmasti, te ipsum iam esse exiturum, dixisti paullulum tibi esse etiamnunc morae, quod ego viverem.* Graevius e codd. recepit *etiamnunc*, quod nescio cur Orellius spernere potuerit.

Cic. ad Fam. 10, 10. *cuius rei non modo non praeteriit tempus, sed ne maturum quidem etiamnunc meo quidem iudicio fuit.* Ovid. Fast. 3, 663. *plebs vetus et nullis etiamnum tuta tribunis fugit, et in sacri vertice montis abit.* Ovid. Fast. 3, 155. *sed tamen errabant etiamnum tempora, donec Caesaris in multis haec quoque cura fuit.* Apulei. Met. p. 108, 24. *at ego, ut eram etiamnunc humi proiectus, inanimus — inquam* etc. Flor. 4, 12, 45. *superstiti etiamnum Caesari satisfecit.* Plin. Hist. n. 35, 3, 5. *primi exercuere Ardices Corinthius et Telephanes Sicyonius sine ullo etiamnum colore.* Caes. B. gall. 7, 62. *at incerto etiamnunc exitu victoriae quum septimae legionis tribunis esset nuntiatum, quae in sinistro cornu gererentur* etc. Cornel. Hann. 4, 3. *qua valetudine quum etiamnunc premeretur lecticaque ferretur, C. Flaminium — occidit.* Varro de Re r. 1, 37, 5. *Athenis in Lyceo quum etiamnum platanus novella esset, radices trium et triginta cubitorum egisse.* Victorius correxit *etiamtunc:* omnes post eum receperunt. Virgil. Georg. 4, 135. *quum tristis hiems etiamnum frigore saxa rumperet, et glacie cursus frenaret aquarum, ille comam mollis iam tondebat hyacinthi.* Pollio ad Cic. Epist. 10, 32, 14. *epistolam, quam Balbo, quum etiamnunc in provincia esset, scripsi, legendam tibi misi.* Apulei. Met. 7. p. 191, 11. Sueton. Oth. 9. *residuis integrisque etiamnunc, quas secum ad secundos casus detinuerat.* ubi cf. Burm. et Oudend. Iustin. 8, 4, 7. *foedum prorsus miserandumque spectaculum Graeciam etiamnunc et viribus et dignitate orbis terrarum principem — alienis excubare sedibus.*

Quae Herzogius de discrimine horum verborum ad Sallust. 52, 22. disputat, falsa sunt, certe non distincte expressa verbis.

In hac vero coniunctione cum praeteritis facta Wagnerus ad Virgil. Buc. 2, 41. Ge. 4, 135. arbitratur usurpari formam *etiamnum*, quae sit *damals noch*, non *etiamnunc*, quae significet *jetzt noch:* adeoque existimare videtur *etiamnum* numquam dici de re praesente. Cuius observationis omnis me fugit ratio. Certe apud Pollionem et apud Cornelium et apud alios optimi codices praebent *etiamnunc.*

Cic. Lael. 3, 11. *senectus enim quamvis non sit gravis, ut memini Catonem anno ante quam mortuus est mecum et cum Scipione disserere, tamen aufert eam viriditatem, in qua etiamnunc erat Scipio.* Ita plurimi et optimi codd., alii *etiamnum*, alii *etiamtunc:* quod comprobavit Orellius, et iure quidem.

*) *Etiamnunc* et *iam nunc* confusa vide apud Cortium ad Sallust. Iug. 109, 3.

ETIAMSI.

Res sive caussa, quae ei, quod fit, non respondet, sed contrarium agens, nihil tamen impedit, quominus hoc eveniat, ea enuntiatione exprimitur, quam concessivam vocare solemus: in qua ratio et consequentia repugnantes apparent, et intercedente alia caussa distant. Ita remoto impedimento, quod in se valet, ipsa rei efficiendae veritas confirmatur. Atque ab altera parte, non respondere rationem consequentiae designatur verbis *etiamsi, etsi, quamquam, quamvis*, et si quae sunt huius generis alia: ab altera autem parte, nihilominus effici, quod efficiatur, notant vocabula *tamen, certe*, similia. Illud vero, quod in caussa repugnare videtur aut contrarium apponitur, veluti quum Cicero ait: *non postulo id quidem, aveo tamen audire*, aut remittitur et irritum esse iubetur verbis *quamquam, quamvis*, aut denique, tamquam caussa ipsa valeat, conditionaliter exprimitur per *etsi, etiamsi.* Quare haec ab illis eo differunt, quod caussam esse ponunt et concedunt, illa positam et cognitam retineri in se iubent: illae particulae duas res sibi repugnantes compensant, hae autem rem conditioni submittunt, in qua ipsa non mutetur, sed perstet. In secundo vero enuntiationis membro, alterum id, quod contraria ratione non infringi dicitur, vel opponitur simpliciter, vel ab adiectis particulis *tamen, certe*, aliis, confirmationem recipit.

1. Etiamsi, cuius significationem verba *etiam* et *si* constituunt, est graecum *καὶ εἰ*, germanicum *wenn auch*, sive *auch wenn*, atque differt ab *etsi* et graviori vi affirmationis et maioris rei indicio, ita ut *etiam* non raro accipi possit pro *adeo.* Nam magnum aut extremum conceditur. Saepe tamen idem valent. Plena et exposita enuntiatione igitur id designatur, quod alias contracta oratione uno vocabulo *etiam* dicitur.

Cic. de Fin. 3, 17, 57. *dicuntque, ut liberis consultum velimus, etiamsi postumi futuri sint, propter ipsos: sic futurae post mortem famae tamen esse propter rem, etiam detracto usu, consulendum.* Ita enim est interpungendum, quidquid disputent critici contra.

2. Particula *quamquam* hac ratione differt. *Quamquam* alteram caussam cum altera re contraria componit ex aequo, et utramque in se valere, nec repugnantia

tolli concedit: quare Germani dicunt, *gleichwohl*, *obgleich* ab aequabilitate rerum. *Etiamsi* et *etsi* affirmant, etiam posita aliqua conditione, quae rem tollere aut immutare videatur, utique non tolli aut immutari ipsam rem. Illud historicum, haec logica vocabula sunt: nam in illo agitur de rebus apparentibus, in his ratio constituitur rerum de eo, quod fieri possit. Hoc autem discrimen quotidianus sermonis usus non semper curat.

Quinctil. 5, 10, 1. ***nunc de argumentis: hoc enim nomine complectimur omnia, quae Graeci ἐνθυμήματα, ἐπιχειρήματα, ἀποδείξεις vocant, quamquam apud illos est aliqua horum nominum differentia, etiamsi vis eodem fere tendit.***

3. Dicitur vero *etiamsi* ita, ut vel praemissa vel interiecta vel adiuncta sententia conditionem exponat, quae rei obstare videatur, tamen nihil impediat. Necessario igitur requiritur primaria pars enuntiationis, cui conditio opponatur. Tantum vero abest, ut, ubi in altera parte *tamen* non apparet, hanc particulam omissam putemus, ut ea posita sententiarum irritam repugnantiam utraque ex parte distinctius designatam videamus.

Terent. Hec. 4, 4, 26. ***etiamsi dudum fuerat ambiguum hoc mihi, nunc non est.*** **Cic. ad Att. 3, 24.** ***nam ista veritas etiamsi iucunda non est, mihi tamen grata est.*** **Columell. 9, 8, 14.** ***at in maiore copia, etiamsi multa intercipiuntur, plus est quod in repertis apibus acquiritur.*** **Cic. de Sen. 22, 79.** ***eumdem igitur esse creditote, etiamsi nullum videbitis.***

Cic. p. Mil. 8, 21. ***neque enim hoc cogitavit, neque in bonis viris legendis id assequi potuisset, etiamsi cupisset.*** **in Cat. 1, 7, 18.** ***haec si tecum, ut dixi, patria loquatur, nonne impetrare debeat, etiamsi vim adhibere non possit?***

Cic. de Nat. d. 1, 39, 110. ***quae etiamsi essent, quae nulla sunt, pellere se ipsa et agitari inter se concursu fortasse possent, formare, figurare, colorare, animare non possent.***

Cic. p. Ligar. 8, 25. ***si vultis gloriari, per me licet, vos provinciam fuisse Caesari tradituros, etiamsi a Varo et quibusdam aliis prohibiti essetis.***

4. Cognatio, quam in omnibus linguis vocabula temporis et conditionis habent, etiam in *si* eum usum moderatur, quo res in tempore posita eodem nomine designatur. Hinc fit, ut *etiamsi* saepe significet *etiam*

tum quum sive *tum etiam — si.* Cf. Goerenz. ad Cic. de Fin. p. 553.

Cic. in Cat. 2, 10, 23. *qui nisi exeunt, nisi pereunt, etiamsi Catilina perierit, scitote hoc in re publica seminarium catilinarium futurum.*

5. Eo vero, quod dicitur res perstare, etiamsi alia obsistat, ipsa firmiore fundamento nititur, atque accedente hac conditione maiorem ambitum habet et maiorem vim.

Cic. de Amic. 27, 104. *omnia autem brevia tolerabilia esse debent, etiamsi magna sunt.*

6. Opponuntur in altera parte vocabula *tamen, at, attamen.* Saepissime est negativa sententia: quare *non* et *minus* cum *etiamsi* coniunguntur. Sed illud *tamen* saepe etiam aliis vocabulis affirmativis compensatur.

Cic. ad Fam. 1, 9, 47. *nunc in tanta felicitate tantisque victoriis, etiamsi non in nos is esset, qui est, tamen ornandus videretur.* 16, 26. *sic tu, etiamsi quid scribas non habebis, scribito tamen, ne furtum cessationis quaesivisse videaris.* de Off. 1, 15, 49. *a quo enim plurimum sperant, etiamsi is non eget, tamen ei potissimum inserviunt.* 1, 17, 55. ad Q. Frat. 3, 9. *in quo etiamsi nihil procuro, tamen nihil curare vix possum.*

Cic. Orat. 30, 112. *hunc librum etiamsi minus nostra commendatione, tuo tamen nomine divulgari necesse est.* Phil. 1, 7, 15. *deinde a vobis, P. C., peto, ut, etiamsi sequi minus audebitis orationem atque auctoritatem meam, benigne tamen me, ut fecistis adhuc, audiatis.* Quinctil. 5, 10, 4. *etiamsi nondum verbis explanatum, iam tamen mente conceptum.*

Cic. p. Coel. 3, 8. *quis est enim — qui isti aetati atque etiam isti dignitati non possit, quam velit petulanter, etiamsi sine ulla suspicione, at non sine argumento maledicere?*

Cic. Brut. 84, 290. *ut qui haec procul videat, etiamsi quid agatur nesciat, at placere tamen et in scena esse Roscium intelligat.* Plin. Hist. n. 7, 27, 28. *quae mihi omnia, etiamsi non prius, attamen clarius fulsisse in Scipione Aemiliano videntur.*

Cic. de Off. 1, 4, 14. *quod etiamsi nobilitatum non sit, tamen honestum est quodque v e r e dicimus, etiamsi a nullo laudetur, natura esse laudabile.* Similiter *aeque — etiamsi.* Vlpian. in Digest. 50, 16, 49.

7. Eodem modo *certe, at certe, tamen certe, nihilominus, nihilominus tamen* opponuntur.

Cic. de Orat. 1, 17, 79. *quibus etiamsi ingenium, ut tu putas, non maxime defuit, doctrina certe et otium et hercule etiam studium illud discendi acerrimum defuit.*

Cic. de Opt. gen. d. 2, 6. *etiamsi est in genere tolerabili, certe non est in optimo.* p. Coel. 29, 69. Liv. 40, 15, 15. *apud quem* (patrem) *etiamsi caritate a fratre maiore vincor, misericordia certe reus vinci non debeo.* de Orat. 2, 54, 216. *suavis est — iocus et facetiae: quae, etiamsi alia omnia tradi arte possunt, naturae sunt propria certe, neque ullam artem desiderant.*

Senec. Cons. ad Helv. 1, 1, *quum lacrimas tuas, etiamsi supprimere non potuissem, interim certe abstersissem.* de Ira 3, 1, 3. *ceteris etiamsi resistere contra affectus suos non licet, at certe affectibus ipsis licet stare.*

Trebon. ad Cic. Epist. 12, 16, 11. *quum etiamsi odio pari fuerit in eos, quos laesit, tamen certe non magis dignos habuerit, in quos tanta libertate verborum incurreret.*

Liv. 26, 48, 11. *ceterum, etiamsi vis absit, nihilominus detestabili exemplo rem agi.* Vlpian. in Digest. 23, 3, 19. *etiamsi alii iussu mariti dos detur, nihilo minus maritus de dote obligatur.* Terent. Clemens 35, 1, 62.

African. in Digest. 47, 2, 63. *ut etiamsi ignoraveritis, qui certum hominem emi mandaverit, furem esse, nihilominus tamen damnum decidere cogatur.* Boeth. de Consol. ph. 5. pros. 3. *nam etiamsi idcirco, quoniam futura sunt, providentur: non vero ideo, quoniam providentur, eveniunt: nihilominus tamen adeo vel ventura provideri vel provisa evenire necesse est.*

8. Contrahitur oratio, ut omisso verbo unum nomen cum *etiamsi* coniungatur.

Cic. p. Coel. 3, 8. Orat. 30, 112. vd. n. 6. Quinctil. 1. prooem. 4. *nullam ingenii sperantes gratiam circa res, etiamsi necessarias, procul tamen ab ostentatione positas.* 5, 12, 5. *singula levia sunt et communia: universa vero valent, etiamsi non ut fulmine, tamen ut grandine.* 5, 10, 13. *quae persuasione, etiamsi non omnium hominum, eius tamen civitatis aut gentis, in qua res agitur, in mores recepta sunt.* Quinctil. 5, 10, 4. vid. n. 6.

9. Invertitur oratio, quum *tamen* praecedit et *etiamsi* cum sua sententia vel adiicitur vel interponitur.

Cic. Lael. 27, 100. *amare autem nihil aliud est, nisi eum ipsum diligere, quem ames, nulla indigentia, nulla utilitate quaesita: quae tamen ipsa efflorescit ex amicitia, etiamsi tu eam*

minus sequutus sis. p. Flacco 27, 66. *equidem mihi iam satis superque dixisse videor de asiatico genere testium: sed tamen vestrum est, iudices, omnia, quae dici possunt in hominum levitatem, inconstantiam, cupiditatem, etiamsi a me minus dicuntur, vestris animis et cogitatione comprehendere.*

10. Componuntur verba *immo etiamsi*, nisi fallor, apud solos comicos.

Plaut. Epid. 3, 4, 81. *immo etiamsi alterum tantum perdundum est, perdam potius quam sinam me impune irrisum esse habitum.* Mil. 4, 2, 28. MI. *Tum pol ego, quod celo, haud celo.* PA. *Immo etiamsi non celas.* Non praestat scriptura, quam Lindemannus recepit, *immo vero —: sed non celas.* Nam prima verba abruptae orationis nullam caussam habent, nullumque sensum.

11. His omnibus facile intelligitur, qualis sit in hoc sententiarum usu ratio modi verborum: quae quidem eadem est in omni sententiarum conditionalium genere. Nam cogitatio exprimitur hypothetica, in qua consequentia aliqua, conditione praemissa, exponitur. In hac vero duarum rerum consociatione, utraque potest vel ut vera et certa poni vel cogitari tantum: hoc est, quod logici vocant, vel assertorie vel problematice dici. Atque utriusque partis ratio aequalis esse potest ita, ut in utroque verbo aut indicativus aut coniunctivus ponatur. Sed differunt etiam partes, quando vel in protasi vel in apodosi indicativus aut coniunctivus locum obtinet. Scriptoribus igitur utrovis modo sententiam suam conformare licuit: unde criticis exsistit difficilius negotium, quo saepius librarii indicativum in coniunctivum mutarunt. Id quum in particula SI nobis sit exponendum, nunc tantum haec addamus, ubi adiectis iis, quae contraria videntur, ambitus rei extendendus sit, ob ipsam, quam modo dixi, caussam indicativum in utroque membro poni: ubi tempus simul rei factae sive faciendae intelligatur, indicativi esse locum (vid. n. 4.): ubi *tamen* et *at* sequuntur, frequentius coniunctivum, ubi *certe* sequitur, saepius indicativum usurpari: denique in sententia, quae iniicitur de eo, quod fieri possit et fieri liceat universe, id exprimi coniunctivo.

Pervagata erat olim opinio, *etiamsi* non coniungi cum indicativo. Alvarus adeo se nusquam legisse professus erat. Eum exemplis refutavit Gerh. Vossius de Constr. c. 67. p. 599.

Quatuor sunt formae huius enuntiationis. Indicativus in utraque parte Cic. de Div. 2, 22, 49. *sed quod crebro videt,*

non miratur, etiamsi, cur fiat, nescit. Parad. 4, 2, 31. *omnes scelerati atque impii, quorum tu te ducem esse profiteris, quos leges exsilio affici volunt, exsules sunt, etiamsi solum non mutarunt.* Gernhardus, quasi necessario id fieret, recepit *mutarint:* quo minuitur necessitas conditionis. ad Att. 12, 1. *est profecto quiddam λέσχη, quae habet, etiamsi nihil subest, colloquutione ipsa suavitatem.* Iudicium est de facto. Coniunctivus in utroque membro Cic. de Off. 1, 43, 154. *quis — non illa omnia relinquat atque abiiciat, etiamsi dinumerare se stellas aut metiri mundi magnitudinem arbitretur?* Et in conditionato tempore Cic. ad Fam. 4, 7, 11. *equidem etiamsi oppetenda mors esset, domi atque in patria mallem, quam in externis atque alienis locis.* p. Mil. 29, 79. *etiamsi propter amicitiam vellet illum ab inferis evocare, propter rem publicam non fecisset.*

Coniunctivus in protasi, sequente indicativo. Cic. de Off. 1, 38, 137. *rectum est autem etiam in illis contentionibus, quae cum inimicissimis fiunt, etiamsi nobis indigna audiamus, tamen gravitatem retinere, iracundiam pellere.* Lael. 27, 100. vd. n. 9. ubi quod unus codex praebet *sequutus es*, ne falsum puta.

Ab his distinguendum est quartum genus eorum, in quibus coniunctivus aut extrinsecus regitur, aut in oratione obliqua ex aliena ratione pendet. Quo fit, ut etiam praecedente indicativo, ponatur coniunctivus. Cic. de Fin. 5, 7, 19. *ex eo autem — exsistet recti etiam ratio atque honesti, quae cum aliquo ex tribus illis congruere possit, ut honestum sit, facere omnia aut voluptatis caussa, etiamsi eam non consequare, aut non dolendi, etiamsi id assequi nequeas.* de Div. 2, 64, 131. *vide igitur, ne, etiamsi divinationem tibi esse concessero, quod numquam faciam, neminem tamen divinum reperire possimus.* Liv. 41, 24, 18. *in pace, etiamsi non odia finiuntur, intermittantur.* Senec. Controv. 4, 24. *multa, inquit, interveniunt, propter quae non debeam facere, etiamsi possum.*

Cic. de Fin. 3, 5, 17. *id autem in parvis intelligi potest, quos delectari videmus, etiamsi eorum nihil intersit, si quid ratione per se ipsi invenerunt.* Bremius et alii revocarunt alteram scripturam *videamus*, quam ex analogia antecedentis verbi *habeant* et sequentium *sit, constent*, sed male factam esse patet: haec enim aliam habent rationem. Tum vero Goerenzio non potest concedi, necessario requiri coniunctivum *intersit*, qui quidem praecedente verbo *videmus*, etiam indicativus esse poterit.

Librarii et critici, ubi indicativum cum hac coniunctione compositum inveniebant, aut etsi substituere, aut modum mu-

tare solebant. vid. Quinctil. 5, 10, 8. 1, 2, 3. Cic. de Fin. 2, 26, 82.

12. Temporum ratio non alia est quam in universo genere enuntiationum conditionalium, de qua dicam in SI. Futurum non tantum in utraque parte et in una primaria locum habet, potest etiam in secundaria sententia poni, in primaria sequi praesens.

Cic. ad Att. 7, 7. *ego bonos viros aut eos, quicumque dicentur boni, sequar, etiamsi ruent.* ad Fam. 5, 8, 11. Quinctil. 4, 2, 21. 5, 10, 8. *quod etiamsi propria interpretatione dicere fidem possumus, apertius tamen probationem interpretabimur.*

Cic. de Re p. 1, 19, 32. *aut scire istarum nihil, aut, etiamsi maxime sciemus, nec meliores ob eam scientiam nec beatiores esse possumus.* Quae eodem modo dicta, quo Acad. 2, 41, 127. *si vero aliquid occurret, quod veri simile videatur, humanissima completur animus voluptate.* Quae de his Moserus scripsit, vellem non scripta esse.

13. In scribendo hoc vocabulo grammatici nostri temporis in diversas partes discedunt. Alii enim coniungunt in unam vocem *etiamsi*, alii semper distrahunt *etiam si*, alii denique significatione utrumque distinguunt ita, ut *etiam si* sit *etiam tum*, *quum*. Vide Walch. ad Tacit. Agr. p. 394. Kritzium ad Sallust. Cat. p. 10. Cuius subtilitatis omnis antiquitas expers fuit. Vna enim forma est, una significatio. Quare nisi aliae caussae interveniunt, semper erit scribendum coniunctis vocibus *etiamsi*. Et pertinet *etiamsi* ad eas coniunctiones, quarum compositionem Priscianus ait ex accentu nosci. Cuius argumentationis haec fere sunt documenta. Primo omnes grammatici veteres *etiamsi* inter coniunctiones singulariter afferunt, unamque formam agnoscunt. Vid. Diomed. p. 410. Priscian. 1030. Max. Victor. 1952. Donat. 2, 14. Deinde nisi significationem ad aliarum linguarum usum accommodes, nullum invenies locum, in quo eiusmodi distinctio necessaria aut idonea videatur. Nec raro *etiam etiamsi* et *etiamsi si* in una enuntiatione ita collocata videmus, ut si distractis vocibus duplicem *si* admittamus, inelegans atque adeo inepta oratio exsistat. Tum vero non diversa est ratio huius compositionis in verbis *etsi*, *quodsi*, *etenim*, *siquidem*, quae uno accentu continentur. Denique nihil his omnibus repugnat, quod *si* et *etiam* interdum nominibus quibusdam interiectis separantur, aut *etiam* ad aliud

vocabulum pertinens, sive ab alio attractum, proxime contingit particulam *si*. Sic dicitur *atque etiam si*, *aut etiam si*, *quin etiam si*.

Editores antiquorum librorum tam parum sibi constant, ut Orellius in primo Ciceronis volumine compositum vocabulum, in reliquis distractum scripserit.

Cic. Orat. 28, 98. *medius ille — non extimescet ancipites dicendi incertosque casus: etiamsi quando minus succedet, ut saepe fit, magnum tamen periculum non adibit.* Ita nunc video Beierum revocasse, quod semper necessarium putavi. Vulgo *etiam, si.* Neque aliter ad Att. 11, 84. *aut nihil puto eum habere, quod putet ad me celerius perferendum — aut, etiamsi quid habet, id — ad me referre non curat.* Male erant scripta olim haec: Cic. Lael. 17, 63. *imbecilla enim natura ad contemnendam potentiam: quam etiamsi neglecta amicitia consequuti sint, obscuratum iri arbitrantur, quia non sine magna caussa neglecta sit amicitia.* Liv. 3, 70, 15. *quum Valerio atque Horatio — negatus ab senatu triumphus esset, verecundiae fuit pro parte dimidia rerum consulibus petere triumphum, ne etiam, si impetrassent, magis hominum ratio quam meritorum habita videretur.* Ita vulgo: nec quisquam exposuit, quid significaret illud *etiam.* Scribendum est *etiamsi impetrassent:* nam duae res erant verendae, ut quod peterent, impetrarent, et ne, etiamsi impetrassent, magis hominum ratio habita videretur. 41, 24, 18. *si bellum erit, ne Perseus quidem dubitat, quin Romanos sequuturi simus: in pace, etiamsi non odia finiuntur, intermittantur.* Ita est scribendum.

Horat. Epist. 2, 2, 95. *mox etiam, si forte vacas, sequere et procul audi.* Cic. in Verr. 4, 17, 37. *gaudeo etiam, si quid ab eo abstulisti.*

Cic. ad Att. 8, 2. *ut etiam Italia, si ille cedat, putes cedendum.* Haec *etiam si* non cohaerent. Horat. Epist. 1, 16, 15. *hae latebrae dulces, etiam, si credis, amoenae incolumem tibi me praestant septembribus horis.*

Cic. de Orat. 1, 33, 152. *qui a scribendi consuetudine ad dicendum venit, hanc affert facultatem, ut, etiam subito si dicat, tamen illa, quae dicantur, similia scriptorum esse videantur.*

Cic. Lael. 23, 87. *quin etiam, si quis ea asperitate est* etc. de Off. 3, 6, 27. *atque etiam, si hoc natura praescribit, — necesse est* etc. Plaut. Epid. 3, 4, 81.

Cic. de Div. 2, 8, 21. *aut igitur non fato interiit exercitus: mutari enim fata non possunt: aut si fato: — etiamsi obtem-*

perasset auspiciis, idem eventurum fuisset. de Fin. 3, 5, 17. *quos delectari videamus, etiamsi eorum nihil intersit, si quid ratione per se ipsi invenerunt.*

Cic. de Off. 1, 38, 137. *rectum est autem etiam in illis contentionibus, quae cum inimicissimis fiunt, etiamsi nobis indigna audiamus, tumen gravitatem retinere.*

Fortasse ad hanc rem demonstrandam aliquis adhibebit illud discrimen, quod intercedere dicunt inter graeca *καὶ εἰ* et *εἰκαί*, quasi illud sit *etiam si*, hoc *etiamsi*. At quo graeca verba inter se differunt, hoc est. *Καὶ* quod affirmativam vim habet, neque, ut Hermannus putat, rem significat esse non certam (immo enim certam indicat), aut additur ad totam sententiam conditionalem, qua dicatur esse rem primariam nihilominus, aut in hac sententia refertur ad nomen aliquod, ut significetur, id, quod obstare videatur, re vera non repugnare. In illis *καὶ εἰ*, *auch wenn*, affirmatur, rem constare ab altera hac parte rei primariae, in his *εἰ καὶ*, *wenn auch*, constare eam ab altera parte rei secundariae, quae in conditione ponitur. Latini vero haec non distinxerunt, sed *etiamsi* semper una notione coniunxerunt, neque umquam *si etiam* dixerunt, nisi *etiam* ad alienum verbum pertineret. Cic. p. Mil. 8, 21. *in communi omnium si etiam ipse gauderet, timuit, ne videretur infirmior fides reconciliatae gratiae.* Sallust. Cat. 14, 4. *quodsi quis etiam a culpa vacuus in amicitiam eius inciderat, quotidiano usu atque illecebris facile par similisque ceteris efficiebatur.* Cic. de Fin. 2, 32, 106. *corporis autem voluptas si etiam praeterita delectat, non intelligo* etc. Ante Lambinum legebatur *etiamsi.* In Cic. p. Deiot. 3, 9. olim legebatur: *si tantum auxilia Pompeio vel si etiam filium misisset.* nunc vero *si quum aux. Po. vel etiam filium.*

*) Commutata sunt saepe *etsi* et *etiamsi* vel ob compendium scribendi: vd. Wunder. Var. Lect. p. 78. vel ob modum verbi: vd. Cic. de Off. 1, 24. ubi Beier. Goerenz. ad Cic. de Fin. 1, 17, 56. 2, 32, 106. Cic. p. Coel. 3, 8. omissum saepe *etiam:* vid. Wunder. ad Cic. p. Planc. 4, 9. Columell. 9, 8, 14. et adiectum: vd. Cic. de Leg. 2, 5, 13.

ETIAMTVM.

Modus, qui in *etiamnum* praesentis est temporis, ad praeteritum refertur in ETIAMTVM sive ETIAMTVNC, idque significat, vel rem aliquam praeterito tempore

adhuc fuisse, quae postea non erat, i. e. *tum adhuc, damals noch*, vel rem olim fuisse non mutatam, sed perpetuo eamdem, quae antea fuisset, i. e. *damals immer noch.* Sed grammatici nova ediderunt praecepta haec: duas esse formas, quarum altera *etiamtum* significet *adhuc*, et secundam partem habeat encliticam, altera *etiam tunc* denotet *adeo tunc*, ita, ut utraque vox suam vim proprio accentu conservet. Antiqui grammatici de hac re nihil tradidere, neque ullus locus exstat in veterum scriptorum libris, in quo *tum* sive *tunc*, post *etiam* positum et cum eo cohaerens, non una notione unoque accentu coniungatur. Nempe ubi exprimendum erat *tum adeo*, dixerunt *tum etiam*, quemadmodum formantur *tum demum*, *tum denique.* Vna est formula verborum *tum, quum*, in qua *tum* ab *etiam* abstrahitur, et sua vi constans, ex altera parte respondet vocabulo *quum*, quod illud attrahere videtur. Est enim *etiam tum, quum* id quod *auch damals, als.*

Quae Kritzius ad Sallust. Cat. 2, 2. p. 10. disseruit, facile poterunt cum iis, quae modo dixi, conciliari et aliqua ex parte corrigi. Walchius ad Tacit. Agr. 39. non subtilius rem retractavit, sed in distinguenda duplici forma aliquod perspicuitatis subsidium quaesivit.

Distractum vocabulum invenisse se quidam putant in Tacit. Ann. 13, 50. *plerasque vectigalium societates a consulibus et tribunis plebis constitutas acri etiam populi romani tum libertate.* At infirmissimum est hoc testimonium: nam in aliis libris desideratur *tum*, in aliis legitur *etiam tum p. r.*

1. Primum igitur *etiamtum* de re, quae olim erat et postea esse desiit, componitur cum verbis, et quidem cum imperfecto. Est *damals noch*, etiam illo tempore. Respicitur in his ad posteriora simul.

Sallust. Cat. 2, 1. *etiamtum vita hominum sine cupiditate agitabatur.* ubi Herzogius particulae *etiam* male tribuit vim copulativam. Iug. 63, 6. *tamen is ad id locorum talis vir — petere non audebat: etiamtum alios magistratus plebes, consulatum nobilitas inter se per manus tradebat.* Tac. Ann. 1, 74. *manebant etiamtum vestigia morientis libertatis.*

Tacit. Ann. 2, 51. *nam etiamtum Romae erant.* Agr. 39. *nam etiamtum Agricola Britanniam obtinebat.*

Sallust. Iug. 54, 5. *igitur Metellus ubi videt regis etiamtum animum ferocem esse.*

2. Sic etiam in contracta oratione componitur cum participiis et adiectivis, et cum ablativis absolutis.

Cic. in Catil. 2, 2, 4. *quum viderem, ne vobis quidem omnibus re etiamtum probata, si illum — morte multassem, fore, ut eius socios — persequi non possem.*

Sallust. Iug. 40, 4. *trepida etiamtum civitate.* 21, 2. Tacit. Ann. 1, 49. *truces etiamtum animos cupido involat eundi in hostem.*

Apulei. Met. 10. p. 239, 24. *iuvenis nihil etiamtunc sequius suspicatus summisso vultu rogat ultro praesentis caussas aegritudinis.*

Tacit. Ann. 2, 52. *valida ea gens et solicitudinibus Africae propinqua, nullo etiamtum urbium cultu, cepit arma.* 9, 22. Sueton. de Gramm. 1. *rudi scilicet ac bellicosa etiamtum civitate.*

3. Sed etiam in iis sententiis locum habet, quae ipsae tempus designant coniunctione temporali, ut dicatur *quum etiamtum*, ubi nos, omisso *damals*, dicimus *noch*, i. e. *als noch.*

Sallust. Iug. 51, 2. *itaque multum die processerat, quum etiamtum eventus in incerto erat.* Cic. Verr. 2, 39, 97. *veniunt ad istum domestici nuntii, litterasque a patre afferunt ante cal. decembres, quum isti etiamtum de Sthenio in integro tota res esset.* 5, 34, 88. *evolarat iam e conspectu fere fugiens quadriremis, quum etiamtum ceterae naves suo in loco moliebantur.*

4. His cognata sunt ea, in quibus de reliquis, quae superfuerint, agitur.

Tacit. Ann. 13, 18. *nomina et virtutes nobilium, qui etiamtum supererant, in honore habere.*

5. Sed saepe in hac voce non tam mutatio vel remotio, quae postea evenerit, quam perpetuitas vel aequalitas rei spectatur, diciturque res perpetuo ita se habuisse, aut non longius processisse, aut nondum desiisse. Id sensit Ernestius, et ut hunc sensum verbis exprimeret, scribendum existimavit in Sueton. Calig. 10. et in Tacit. Agr. 39. *etiamnum.*

Cic. de Orat. 2, 22, 93. *omnes etiamtum retinebant illum Pericli succum, sed erant paullo uberiore filo.* Lael. 3, 11. *aufert eam viriditatem, in qua etiamtunc Scipio erat.* Sallust. Iug. 21, 2. *ubi plerumque noctis processit, obscuro etiamtum lumine milites iugurthini, signo dato, castra hostium invadunt.* Tacit. Ann. 1, 50. *stratis etiamtum per cubilia propterque mensas, nullo metu, non antepositis vigiliis.*

6. Ita cum adiectivis componitur ad indicandam conditionem perpetuam vel non finitam.

Tacit. Ann. 1, 49. *truces etiamtum animos cupido involat eundi in hostem.*

Sueton. Tib. 42. *in castris tiro etiamtum propter nimiam vini aviditatem pro Tiberio Biberius — vocabatur.* Calig. 10. *praetextatus etiamtum.*

Lactant. I, 17, 9. *quod etiamtum puer ab apro ictus et occisus est.*

7. Sic dicitur de rebus non mutandis, ubi Germani dicunt *immer noch.*

Cic. de Off. 2, 13, 47. *ea aetate L. Crassus ostendit, id se in foro optime iam facere, quod etiamtum poterat domi cum laude meditari.* quae Graevio et aliis vitiosa visa sunt. Heusingerus explicat: eo adhuc tempore, quo iam in foro caussas agebat. Sed est potius, non mutata consuetudine, concedente adhuc tempore.

8. Denique, sicuti *etiamnunc*, dicitur *etiamtunc*, ut sit *damals erst.*

Terent. Eun. 3, 5, 20. *domi erat quidam eunuchus, quem mercatus frater fuerat Thaidi, neque is deductus etiamtum ad eam.*

9. Verbum, quod cum *etiamtum* componitur, supra diximus non aliam habere posse formam nisi imperfecti. Nam nec praesens construitur, nisi ubi praeterita res vel praesenti historico, vel oratione obliqua exprimitur, nec perfectum. Non raro autem *etiamdum* a librariis in *etiamtum* commutatum est.

Terent. Hec. 1, 2, 68. *diebus sane pauculis post Pamphilus me solum seducit foras, narratque, ut virgo ab se integra etiamtum siet.* Apulei. 3. p. 134, 1. *ad domum suam perduxit, moestumque me atque etiamtunc trepidum variis solatur affatibus.* ubi correxerunt *solabatur:* sed vide Oudend. p. 192.

Sueton. Calig. 10. *quam defunctam praetextatus etiamtum pro rostris laudavit.* Cohaerent verba *praetextatus etiamtum.* Et recte apud Plaut. Pseud. 4, 2, 2. *nam nil etiamdum harpagavit quam cyathum.*

Cic. ad Att. 4, 5. *ego mehercule mihi necessitatem volui imponere huius novae coniunctionis: ne qua mihi liceret labi ad illos, qui etiamtum, quum misereri mei debent, non desinunt invidere.* Scribendum est *etiamdum.*

10. Accedente *quum* solvitur notionis nexus, et utrumque vocabulum suam rationem habet, atque dicitur *etiam tum, quum*, quae reddimus *auch damals als, auch dann wenn.* Id vero etiam de re futura usurpatur.

Cic. p. Rosc. Am. 20, 57. *cibaria vobis praeberi videmus: vos autem maxime debetis in eos impetum facere, qui merentur. Hoc populo gratissimum est. Deinde si voletis, etiam tum, quum verisimile erit aliquem commisisse, in suspicione latratote.* **Sallust. Fragm. 1, 19 (20), 7.** *nusquam etiam tum Lepidum progressum aiebant, quum privata arma opprimundae libertatis cepisset.* **Cic. p. Flacc. 4, 9.** *nam si quis umquam de nostris hominibus a genere isto studio ac voluntate non abhorrens fuit, me et esse arbitror, et magis etiam tum, quum plus erat otii, fuisse.* **p. Sext. 38, 81.** *an etiam tunc quiesceretis, cunctaremini, timeretis, quum rem publicam a facinorosissimis sicariis — occupatam videretis?*

11. *Tum etiam* quo sensu dicatur, supra expositum est. Nos *dann auch.*

Terent. Ad. 5, 3, 64. *equidem filium tum etiam, si nolit, cogam, ut cum illa una cubet.* **Tacit. Ann. 3, 61.** *primi omnium Ephesii adiere memorantes — esse — lucum Ortygiam, ubi Latonam partu gravidam et oleae, quae tum etiam maneat, annisam edidisse ea numina.*

ETSI.

De particula ETSI fere omnia dicenda sunt, quae de particula *etiamsi* iam diximus. Quo autem modo *et* coire possit cum *si* in hunc sensum, ex iis intelligitur, quae supra de *et* pro *etiam* posito et de affirmativa vi huius particulae disputavimus. Antiquissimi scriptores hanc vocem usurpant, et optimi oratores, sed minime saepe poetae. Virgilius enim et Horatius numquam, Tibullus duobus locis vel uno, Propertius semel 2, 19, 1. dixit. Cicero et Caesar nihil frequentius. Ille adeo in epist. 1. libri 6. quatuor primas enuntiationes formavit per verba *etsi — tamen*, in quo, ut ait Manutius, si quis hodie nostrum offenderet, excusari vix posset.

Apud Tibullum 1, 9, 3. *ah miser: etsi quis primo periuria celat, sera tamen tacitis Poena venit pedibus.* **H. Vossius rhythmi caussa scripsit *et si*, non repugnante grammatica ratione, ut putat Wunderlichius, et fortasse ob ipsum vocabuli**

usum recte. Alter locus est 8, 6, 47. Poeta qui Cirin composuit, habet v. 1. et 405.

Cicero tantopere assuefactus erat hac dictione, ut permultas epistolas ab hac particula inciperet. Stewechius nominat triginta sex: sunt tamen plures.

1. Etsi concessivam format sententiam, quae vel praemittitur, vel media interponitur, vel adiicitur ei sententiae, quae rem repugnante caussa non tolli affirmat. Est igitur proprie *καὶ εἰ* et *εἰ καὶ*, *auch wenn* et *wenn auch:* sed simul significat *καίπερ*, *καίτοι*. Olim erat vulgaris opinio, *tamen*, ubi non appareret, esse omissum. At hodie quidam dicent positam hanc particulam redundare.

Praemittitur sententia concessiva: Plaut. Mil. 2, 6, 51. *etsi ea est, non est ea.* Ovid. Art. am. 3, 753. *etsi turpis eris, formosa videbere potis.*

Interponitur: Terent. Hec. 3, 3, 44. *nec faciam, etsi amor me graviter consuetudoque eius tenet.* Plaut. Bacch. 5, 2, 73. *age iam id, utut est, etsi est dedecorum, patiar.* Terent. Heau. 4, 1, 11. *vin me istuc tibi, etsi incredibile est credere?*

Adhaeret: Plaut. Mil. 2, 4, 53. *non vidi eum, etsi vidi.* Cic. de Fin. 2, 14, 45. *qui permulta ob eam caussam unam faciunt, quia decet, quia rectum, quia honestum est, etsi nullum consequuturum emolumentum vident.*

In obliqua oratione Liv. 29, 8, 4. *illud satis scire, etsi male de populo romano meriti essent, in meliore statu sub iratis Romanis futuros, quam sub amicis Carthaginiensibus fuerint.*

Singulari modo composita sunt verba Cic. de Orat. 1, 50, 216. *quare non, etsi eloquentissimus Athenis Pericles idemque in ea civitate plurimos annos princeps consilii publici fuit, idcirco eiusdem hominis atque artis utraque facultas existimanda est.*

2. Sequitur in primaria sententia cum graviore asseveratione *tamen*, et *attamen*, et *at*. Cf. ETIAMSI n. 6. Saepissime fit, ut *etsi* cum negatione coniungatur, aut in qualicumque sententia negativa ponatur.

Terent. Hec. 2, 2, 1. *etsi scio ego, Philumena, meum ius esse, ut te cogam, quae ego imperem facere, ego tamen patrio animo victus faciam, ut tibi concedam.* Cic. ad Fam. 6, 18 (19) 6. *etsi abest maturitas aetatis, iam tamen personare aures eius huiusmodi vocibus non est inutile.* 13, 7, 9. *qui etsi te aliqua necessitudine attingunt, tamen tuus amor in me sperare me cogit.* p. Mil. 1, 1. ad Fratr. 1, 1. init. Caes. B. gall. 4, 31.

at Caesar, etsi nondum eorum consilium cognoverat, tamen et ex eventu navium suarum, et ex eo, quod obsides dare intermiserant, fore id, quod accidit, suspicabatur. Qua dictionis forma saepissime Caesar utitur. vd. 4, 20. 35. Plin. Pan. 70, 5. *adhuc autem quamlibet sincera rectaque ingenia etsi non detorquebat, hebetabat tamen misera, sed vera reputatio.* Virgil. Aen. 9, 44. *ergo etsi conferre manum pudor iraque monstrat, obiiciunt portas tamen, et praecepta facessunt.*

Inversa structura Plaut. Cas. 5, 3, 15. *vapulo hercle ego invitus tamen, etsi malum merui.* Rud. 5, 2, 63. *tamen fiet, etsi tu fidem servaveris.*

Terent. Heau. 2, 1, 13. *nam hic Clinia, etsi is quoque suarum rerum satagit, attamen habet bene et pudice eductam.*

Exempla vocabuli *at* vide n. 6.

3. Item sequuntur *certe, at certe, saltem, verumtamen, tamen nihilo minus.* Recentiores dixerunt *nihilominus, nihilominus tamen.*

Cic. p. Marc. 5, 13. *etsi aliqua culpa tenemur erroris humani, a scelere certe liberati sumus.* Liv. 3, 8, 10. *ubi etsi adiectum aliquid numero sit, magna certe caedes fuit.* 25, 6, 2. vd. n. 6.

Liv. 2, 43, 8. *nec illos etsi non adhortatio invisi ducis, suum saltem flagitium et publicum in praesentia dedecus, postmodo periculum, si animus hosti redisset, cogere potuit gradum accelerare.*

Terent. Phor. 2, 3, 60. *etsi mihi facta iniuriast, verum tamen potius, quam lites secter, aut quam te audiam, itidem ut cognata si sit, id quod lex iubet dotem dare, abduce hanc, minas quinque accipe.* Cic. ad Att. 14, 12. *etsi latinitas erat non ferenda: verum tamen.*

Cic. p. Cluent. 28, 76. *nonnulli autem homines, qui hoc statuerunt, quo quisque animo quid faceret, spectari oportere, etsi alii pecunia accepta verum iudicabant, tamen nihilo minus se superioribus suis iudiciis constare putabant oportere.* Paullus in Dig. 29, 7, 8, 3. *nam etsi postumus natus ruperit testamentum et decesserit, nihilominus codicilli valent.* Tryphon. in Dig. 23, 3, 78, 2. *sed etsi non sit fundi domina, nihilominus competit dotis actio, ut dimittat a se maritus usumfructum.* Vlpian. in Dig. 3, 3, 28. *sed etsi agat procurator meus ex ea stipulatione me invito, nihilominus tamen mihi ex stipulatu actio tribuetur.* Tryphon. 23, 2, 67, 6.

4. Ponitur *etiam* in affirmanda sententia primaria. Quare non mirabimur Plautum dixisse *etiam etsi,* in

quibus *etiam* ad alteram orationis partem confirmandam pertinet. Ita *etsi etiam* dicitur, ut *etiam* ad unum aliquod vocabulum, quod sequitur, referatur.

Cic. Orat. 44, 151. ***in quo quidam Theopompum etiam reprehendunt, quod eas litteras tanto opere fugerit, etsi idem magister eius Isocrates.*** **Ita enim meliores libri.**

Plaut. Trin. 5, 2, 59. **CH.** ***Haec tibi pactast Callicli filia.*** **LE.** ***Ego ducam, pater: etiam etsi quam aliam iubebis.*** **Vulgo scribitur** ***etiam et si:*** **quod ne referamus ad ea, quae p. 524. protulimus, ipsa verborum compositio monet. cf. n. 13.**

Cic. Brut. 67, 238. ***hic etsi etiam in publicis caussis probabatur, tamen in privatis illustriorem obtinebat locum.***

5. Haec omnia communia sunt verbo *etiamsi.* At verbis *etsi* et *quamquam* propriam atque admodum raram formam esse putant grammatici, qua opponatur *sed* et *sed tamen.* In quo valde mihi videntur errare. Nam *sed*, quod sententias secludit, nec potest his verbis opponi, neque umquam iis respondet: et ubi hoc fieri illi existimant, *etsi* et *quamqum* adhaerent antecedentibus aut ad ea respiciunt, et per vocabulum *sed* nova incipitur sententia. Cf. QVAMQVAM. Aliter se res habet in verbis *verumtamen*, quae recte opponuntur, ut supra vidimus. Nam *verum* addit affirmationis auctarium. Quamquam sunt etiam, in quibus *verumtamen* per se constet.

Loci, quos afferunt, ita sunt constituendi: Cic. ad Fam. 9, 16, 11. ***quamobrem Oenomao tuo nihil utor: etsi posuisti loco versus accianos. Sed quae est invidia?*** **9, 6, 2.** ***sic enim color, sic observor ab omnibus iis, qui a Caesare diliguntur, ut ab iis me amari putem. Nam etsi non facile diiudicatur amor verus et fictus, nisi aliquod incidat eiusmodi tempus, ut, quasi aurum igni, sic benevolentia fidelis periculo aliquo perspici possit, cetera sunt signa communia, sed ego uno utor argumento*** **etc. Praepropera coniectura Madvigius scribendum censuit** ***tametsi,*** **idque ab Orellio adeo receptum video. Sententia vero, qua Cicero argumenta opinionis suae exponit, haec est:** ***nam etsi in diiudicando amore vero aliquod tempus requiritur, adsunt tamen documenta, et quidem cetera communia signa, sed praesertim quo ipse utor, unum argumentum.*** **ad Att. 6, 7.** ***Rhodum volo puerorum caussa: inde quam primum Athenas: etsi etesiae valde reflant. Sed plane volo his magistratibus.*** **ad Fam. 13, 10, 10.** ***quod ego his litteris efficere volui: etsi id ipsa per se***

necessitudo quaesturae effecisse debet. Sed tamen nihilo firmius illud, hoc addito.

Cic. ad Fam. 15, 17, 1. *praeposteros habes tabellarios, etsi me quidem non offendunt. Sed tamen quum a me discedunt, flagitant litteras.* Ita est interpungendum. ad Att. 13, 2. *cras igitur auctio Peducaei. Quum poteris ergo. Etsi impediet fortasse Faberius. Sed tamen quum licebit.* Item 7, 20. Topic. 19, 72. *de iis pauca dicamus: etsi ea nihil omnino ad vestras disputationes pertinent. Sed tamen totam rem efficiamus.*

Cic. ad Att. 13, 44. *suaves tuas litteras: etsi acerba pompa. Verum tamen scire omnia non acerbum est.* Alia, quae cohaerent, vide supra n. 3.

6. *Etsi* et *etsi non* adiunguntur et nominibus substantivis et adiectivis et participiis, sive sequatur *tamen*, vel *at*, vel *certe*, sive non sequatur. Alias dicitur *si non.*

Liv. 3, 56, 7. *deos tandem esse — fremunt, et superbiae crudelitatique, etsi seras, non leves tamen venire poenas.*

Liv. 39, 54, 6. *se certam, etsi non speciosam, pacem quam incerta belli praeoptantes dedidisse se prius in fidem quam in potestatem populi romani.*

Liv. 38, 41, 10. *reliquum* (iter) — *etsi non infestum, suspectum tamen.* ibid. 6. *quippe etsi iniquo bello, proelio tamen iusto, acie aperta, collatis signis dimicandum erat.*

Cic. de Orat. 3, 4, 14. *ei, etsi nequaquam parem illius ingenio, at pro nostro tamen studio, meritam gratiam debitamque referamus.* Sueton. Ner. 33. *cuius necis, etsi non auctor, at conscius fuit.*

Liv. 25, 6, 2. *de nobis, etsi non iniquum, certe triste senatus consultum factum est.* 2, 43, 8. vd. n. 3. Sueton. Cal. 12. *etsi non de perfecto, at certe de cogitato quodam parricidio professum.* Tacit. Dial. 19. *quum vix in corona quisquam assistat, quin elementis studiorum etsi non instructus, at certe imbutus sit* etc.

Varro de L. L. 5, 1. *huius rei auctor satis mihi Chrysippus et Antipater et illi, in quibus etsi non tantum acuminis, at plus litterarum.* Alii codd. *si non.* Cic. de Off. 1, 11, 35. *in quo si mihi esset obtemperatum, si non optimam, at aliquam rem publicam — haberemus.* alii libri *etsi non.*

7. Concessiva sententia ita opponi potest, ut altera, quae in ea dicitur, res aeque sive non minus valere et

ex altera parte priorem sententiam coercere et infringere videatur: unde fit, ut hac relativa forma exprimatur idem fere, quod monstrativa significat *tamen*. Hoc proprium est verbo *quamquam*. Sed etiam *etsi* ita usurpatur, adiectum aliis sententiis, quibus aliquid pronuntiatur. Graeci dicunt καίπερ et καίτοι, Germani *gleichwohl* et *wiewohl*. Nihil in his omittitur, sed praecedens sententia, quae posito *tamen* coercetur et reiicitur, verbo *etsi* adhibito, ex hac secundaria sententia aliquam confirmationem adipiscitur: nam quod in illo opponitur, in hoc praeoccupatur et iuxta apponitur. Qua dictione is quoque utitur, qui vel alium vel semetipsum corrigere velit.

Terent. Heau. 2, 3, 85. *harum duarum conditionum nunc utram malis, vide: etsi hoc consilium, quod cepi, rectum esse et tutum scio.* Plaut. Capt. 3, 5, 86. *vale atque salve: etsi aliter ut dicam meres.*

Cic. ad Fam. 6, 4, 3. *nunc tantum videmur intelligere non diuturnum bellum: etsi id ipsum nonnullis videatur secus.* ad Att. 7, 3. *habet enim res deliberationem: etsi ex parte magna tibi assentior.* ad Att. 13, 41. *utriusque nostrum idem consilium esse debet: etsi in me graviores iniuriae et certe notiores.* de Senect. 9, 29, 1. Saepe est haec parenthetica forma: Cic. in Verr. 5, 31, 81. ubi Zumptius revocavit *etsi* pro *tametsi*.

Cic. ad Att. 9, 10. *do, do poenas temeritatis meae: etsi quae fuit illa temeritas?* 16, 7. *etsi quid iam opus est σχολίῳ?*

Critici nonnumquam dubitaverunt, utrum concessivam sententiam superioribus verbis annecterent, an iis, quae sequerentur, opponerent. Qua in dubitatione et ad sententiarum rationem et ad antiquam consuetudinem, de qua n. 10. dicam, animum attendere oportebat. Weiskius in Sulpicii Epist. ad Cic. 8, 5, 2, alios errore lapsos existimans ipse versatur in manifesto errore. Nam ibi non est sermo de eo, qui coram consoletur, sed de universa familiarium consolatione. Quare *etsi* referri debet ad *tamen*, quod sequitur.

8. Hac ratione componi poterant *etsi quamvis*, *quamquam etsi*, sed ita quidem, ut alterum verbum totam sententiam opponeret, alterum novam conditionem iniiceret.

Cic. ad Att. 16, 7. *lectis vero tuis litteris, admiratus equidem sum, te tam vehementer sententiam commutasse: sed non sine caussa, arbitrabar. Etsi quamvis non fueris suasor et impulsor*

profectionis meae, approbator certe fuisti, dummodo cal. ian. Romae essem. Contraria est ratio apud Liv. 21, 19, 4. *quamquam, etsi priore foedere staretur, satis cautum erat Saguntinis.* ubi *quamquam* ad praecedentia spectat: *wiewohl, obgleich.* Apulei. Apolog. p. 324, 12. *in quibus* (litteris) *omnia contra praedicationem istorum pro me reperiuntur. Quamquam, etsi destrictius magum me dixisset, posset videri excusabunda se filio vim meam quam voluntatem suam caussari maluisse.* Vlpian. in Dig. 36, 3, 1, 20. *quamquam, etsi sine hac adiectione caveretur, verumtamen exceptione patrem vel dominum submoveremus, si exsistentis conditionis tempore non haberent eos in potestate.*

9. Hinc vero factum est, ut utraque vox coniungeretur. Dicebant enim Latini *etsi tamen* et *tamen etsi*, quae contrahebant *tametsi:* de quo plura dicam suo loco. Germani eodem modo *wiewohl doch.* Sententia concessiva simul oppositionem efficit. Et quum quaecumque sententia huius generis contrariam rem contineat, *tametsi* pro *etsi* dicitur, etiam ubi alterum *tamen* sequitur. Quae particula enim sua vi locum obtinet in apodosi, eadem ponitur etiam in priore parte sententiae, ut quae ipsa sit oppositionis. Sic Graeci quoque. Aeschyl. Choeph. 112. *μέμνησ' Ὀρέστου κεἰ θυραῖός ἐσθ' ὅμως.* vid. Elmslei. ad Eur. Med. 1216.

Cic. ad Att. 12, 45. *nec haec, quae refricant, hic me magis angunt. Etsi tamen, ubicumque sum, illa sunt mecum.* Terent. Heau. 1, 1, 67. *ambo accusandi: etsi illud inceptum tamen animi est pudentis signum et non instrenui.* Plaut. Poen. 5, 2, *facito sis reddas, etsi hic habitabit tamen.*

Ramshornius in nova grammaticae editione *tamen*, quod in *tametsi* est, dicit apodosin exprimere sententiae praecedentis, *etsi* vero protasin sequentis. Cui rationi quomodo submitti possint exempla Cic. p. Mur. 7, 16. de Orat. 2, 27, 120. et alia multa, in quibus nihil praecedit, cui aliud quid opponatur, equidem non exputo.

10. In coniungendis sententiis antiquiores scriptores coniunctivam particulam omittere solent. Recentiores cum antiquissimis usurpant formulam *sed etsi*, Cicero vero *sed tamen etsi.*

Plaut. Trin. 2, 4, 106. *sed etsi hercle graviter cecidit stultitia mea, Philto, est ager sub urbe hic nobis, eum dabo dotem sorori.* Vlpian. in Dig. 47, 2, 17, 2. *sed etsi non possit, attamen*

ratio haberi debet eius, quod fecit. Tryphon. 23, 2, 67, 1. *sed etsi senatusconsultum stricto iure contra omnes tutores nititur, attamen summae affectionis avitae intuitu huiusmodi nuptiae concedendae sunt.* Idem 23, 3, 78, 2.

Cic. ad Fam. 4, 15, 3. *sed tamen etsi antea scripsi, quae existimavi scribi oportere, tamen hoc tempore breviter commonendum putavi, ne quo periculo te proprio existimares esse.*

11. Haud raro pergit oratio ad demonstrandam aliquam veritatem per hanc dictionem, quae removeat simul impedimentum. Quare composita videmus verba *nam etsi, etsi enim, quare etsi.*

Plaut. Pers. 4, 4, 103. *nam etsi res sunt fractae, amici sunt tamen.* Cic. de Off. 2, 21, 73. *nam etsi duce natura congregabantur homines, tamen spe custodiae rerum suarum urbium praesidia quaerebant.*

Cic. ad Fam. 6, 1, 3. *quare etsi multarum rerum desiderio te angi necesse est, tamen illo dolore, quo maxime te confici audio, quod Romae non sis, animum tuum libera. Etsi enim cum magna molestia tuos tuaque desideras, tamen illa quidem, quae requiris, suum statum tenent.* 2, 12, 2.

12. De modo verbi Gifanius Observ. p. 289. (554.) exposuit, initio sententiae *etsi* cum indicativo iungi, in media cum subiunctivo. Quae quam perversa sit ratio, non est quod demonstremus. Vide, quae dicta sunt p. 592. *Etiamsi* quum maiori ambitu id maxime comprehendat, quod fieri posse cogitatur, plerumque assumit coniunctivum: *etsi* autem, quod imprimis de re facta aut facienda usurpatur, in certo, quod ponit, iudicio indicativum habet. Nihil tamen impedit, quominus id, quod tantum fieri posse cogitetur, etiam per voc. *etsi* opponatur: quamquam non multa exempla reperiuntur. Conf. Elmsleius in censura Promethei a Blomfieldo editi p. 173. edit. lipsiens. Sed quia certa conditio maiori cum vi collocatur in orationis initio, evenit illud, quod Gifanius se observasse narrat.

Discrimen utriusque vocabuli cernitur in his Cic. de Orat. 1, 16, 73. *ut — qui aliquid fingunt, etsi tum pictura nihil utuntur, tamen utrum sciant pingere an nesciant non obscurum est: sic in orationibus hisce —, etiamsi proprie ceterae non adhibeantur artes, tamen facile declaratur, utrum is, qui dicat, tantummodo in hoc declamatorio sit opere iactatus, an ad dicendum omnibus ingenuis artibus instructus accesserit.* Voc. *tum,*

quod adhaeret, indicat rem in tempore fixam, *etiamsi* de eo, quod fieri possit, iudicat.

Plaut. Aul. 3, 2, 7. *pol etsi taceas, palam id quidem est.* Truc. 4, 3, 41. Cic. ad Fam. 6, 4, 3. *nunc tantum videmur intelligere non diuturnum bellum: etsi id ipsum nonnullis videatur secus.* de Off. 1, 24, 84. *sunt enim, qui quod sentiunt, etsi optimum sit, tamen invidiae metu non audent dicere.* Non debebant critici ex uno codice recipere *etiamsi*, quod librarii saepe coniunctivo substituerunt. ad Att. 7, 3. *etsi cupidissime expetitum a me sit, — tamen non est nostra contentione perfectum.* Liv. 21, 19, 4. *quamquam, etsi priore foedere staretur, satis cautum erat Saguntinis.* 3, 68, 9. 5, 36, 2. vd. Drakenb. ad 5, 42, 7. Oudend. ad Caes. Bell. gall. 6, 40. et ad Apulei. T. 2. p. 251.

Cic. p. Sull. 32, 90. *etsi nihil aliud Sullae nisi consulatum abstulissetis, tamen eo vos contentos esse oportebat.*

Terent. Eun. 2, 1, 10. *memini, tametsi nullus moneas.* Sallust. Cat. 3, 2. *ac mihi quidem, tametsi haudquaquam par gloria sequatur scriptorem et auctorem rerum, tamen imprimis arduum videtur res gestas scribere.* Kritzius scripsit *sequitur*, quum omnis dubitatio ab hoc loco abesset. At poterat ea adesse. Illud habet Gellius 4, 15.

Coniunctivus ex aliena constructione saepe pendet. Plaut. Capt. 4, 2, 76. *quin ita faciam, ut te tu cupias facere sumptum, etsi ego vetem.* Cic. de Orat. 2, 52, 210. de Fin. 1, 1, 1. Celsus 2, 5. *ex quibus colligere possumus morbum, etsi non intermerit, longius tamen tempus habiturum.*

Indicativum sequitur coniunctivus eodem modo, quem supra p. 593. exposui. Cic. Brut. 47, 173. *itaque eum, etsi nemo intercedebat, qui se illi anteferret, neque secundum tamen, neque tertium dixerim.*

13. *Et si*, quod esset *und wenn*, latine dictum esse nemo negabit. Sed exemplorum copia non tam magna est, quam quae vulgo existimatur. Scriptores enim antiqui diligentius providebant, ne ambiguitate offenderent. Saepius dixerunt *quodsi:* saepe etiam *si*, nullo interposito adminiculo, ex quo criticis dubitatio accidere solet de oratione non satis nexa. Atque non parva est interdum difficultas iudicii, quum *si* pro *etsi* poni possit. Nobis vero, qui haec verba diversa interpretatione distinguimus, cavendum erit, ne antiquis scriptoribus, quibus *et si* atque *etsi* uno modo sonabant, alienam subtilita-

tem imputemus. Saepe enim illi videntur omisisse copulam sententiarum, et dixisse *etsi*, ubi nos poneremus *et si*.

Caes. B. gall. 6, 40. *alii, cuneo facto, ut celeriter perrumpant, censent, quoniam tam propinqua sint castra: etsi pars aliqua circumventa ceciderit, at reliquos servari posse confidunt: alii, ut in iugo consistant atque eundem omnes ferant casum.* Necessitas nulla esse videtur, quam Oudendorpius sibi impositam existimabat, ut scriberet *et*, *si*.

Pessime scriptum est apud Liv. 2, 43, 8. *nec illos, et si non adhortatio invisi ducis, suum saltem flagitium — cogere potuit gradum accelerare.*

Nulla ambiguitas apparet in his Plaut. Mil. 5, 21. *iuro per Dionam et Martem, me nociturum nemini, quod ego hic hodie vapulo: sed mihi id aeque factum arbitror. Et si intestatus non abeo hinc, bene agitur pro noxia.* Cic. Lael. 27, 104. *sed nec illa exstincta sunt (aluntur potius et augentur cogitatione et memoria): et si illis plane orbatus essem, magnum tamen afferret mihi aetas ipsa solatium.*

14. Vt *quodsi*, dicebatur etiam *quod etsi* in sententiis aliqua conclusione iungendis. Vid. ad Wopkens. Lect. Tull. p. 36.

Cic. de Fin. 4, 4, 10. *quod etsi ingeniis magnis praediti quidam dicendi copiam sine ratione consequuntur, ars tamen dux certior quam natura.*

*) Confunduntur ob significationem aequalem *etsi* et *si*. vid. Orellius ad Cic. Brut. 76, 263. 67, 238. *etsi* et *etiamsi*. Cic. p. Coel. 3, 8. de Off. 1, 24. ubi Heusing. et Beier. Goerenz. ad Cic. de Fin. 1, 17, 56.

EV.

Ev graecum εὖ esse dicunt grammatici, quod quum neutrum adiectivi εὖς recte appellent, interiectionis vim et usum, quae in εὖγε et εὖα apparet, non demonstrant. In hoc vero usu εὖα et εἶα et εἶεν cognata continentur, quae ab exclamatione naturaliter facta notionibus similium verborum, quae istam familiam cognatione quadam attingunt, accommodata sunt. Meram interiectionem Germani habent *ei*.

Latinum vocabulum est eius, qui laetitiam ex im-

proviso perceptam exprimit, etiam in rei approbatione. Quare Agroetius de Orthogr. p. 2272. *eu laudantis.*

Plaut. Most. 2, 1, 26. ***eu, Philolaches. Salve amicissime mihi hominum omnium.*** **Terent. Phorm. 3, 1, 14.** ***eu, Phormio.*** **i. e. ecce, Phormio. 4, 6, 29. ubi olim legebatur** ***euge.*** **vide Faernium.**

Plaut. Mil. 4, 4, 10. ***eu, probe.*** **Terent. Eun. 1, 2, 74.** ***eu, noster, laudo: tandem perdoluit: vir es.***

Quod apud Plautum Most. 3, 1, 58. legitur: *eu hercle: nae tu abi modo.* verbum est indignantis hominis. Quare restituendum est *tu hercle, nae tu: abi modo: ausculta mihi.* quod habent cod. lipsiensis et editio princeps. Conf. Rostii Plautin. Cuped. Ferc. 14. p. 5.

EVAX.

Vnus Plautus vocabulo EVAX usus est: neque in aliis libris nisi in comoediis locus ei fuisse videtur. Nam *euax* dicunt, qui laetitia exsultant audita aliqua re vel animadversa. Cognatae sunt voces εὐοῖ, *euoe.* Varro de Ling. lat. 6, 5. *euax verbum nihil significat, sed effutitium naturaliter est.*

Curc. 1, 2, 3. ***ubi, ubi est? prope me est. euax, habeo.*** **Cas. 4, 4, 13. OL.** ***Vxor domi est: ne time.*** **ST.** ***Euax. Nunc pol demum ego sum liber.*** **Bacch. 2, 3, 13.**

Bacch. 4, 4, 72. MN. ***Subsequere propius me ad fores: intro inspice.*** **CH.** ***Euax, nimis bellus atque ut esse maxume optabam locus.*** **Men. 1, 2, 18.** ***euax, iurgio hercle tandem uxorem abegi ab ianua.***

EVGE.

EVGE graecum est εὖγε, quod quomodo interiectionis naturam induat, demonstrat Hoogevenius p. 231. edit. Schütz. Cf. Scaliger de Caussis lat. ling. p. 406. In latino usu, comicis proprio, semper laetitiam exprimit, quae vel pura vel cum admiratione vel cum approbatione et laude coniuncta est.

Loquuntur ita laetantes de eventu Plaut. Stich. 5, 6, 3. ***da mihi suavium. — Euge, euge. Sic furi datur.*** **Aul. 4, 6, 11. Epid. 3, 2, 21. Rud. 1, 2, 75.** ***euge, euge perbene: ab saxo avortit fluctus ad litus scapham.*** **Et de sententia aut de con-**

silio invento. Plaut. Pseud. 2, 3, 26. *euge par pari.* Terent. Heaut. 4, 2, 10. *euge habeo optimam.* In Asin. 3, 2, 8. Beroaldi liber exhibet haec: *eae nunc legiones, copiae, exercitusque fuerunt, vi pugnando sumus, periuriis nostris, euge, potiti.*

De re improvisa Truc. 2, 6, 23. Ps. 2, 4, 22. In salutatione Merc. 2, 2, 12. Terent. And. 2, 2, 8.

Est vox eius, qui cum laetitia rem miratur. Plaut. Mil. 4, 1, 20. 2, 2, 58. *euge, euscheme, hercle, adstitit.* Pers. 4, 2, 1.

Approbantis est Most. 3, 1, 59. Pseud. 1, 3, 89. Mil. 2, 2, 86 (88): et applaudentis Trin. 3, 2, 79. Most. 1, 3, 103. *lepide dictum de atramento atque ebore. Euge plaudo Scaphae.*

Sed etiam in ironia ei locus est, sive quis rem aliquam miram animadvertat, sive aliquem leniter rideat.

Plaut. Amph. 2, 2, 170. *euge, optime.* Pers. 1, 3, 10. *me dicit, euge.* Cf. Hoogeven. p. 232.

Terent. Ad. 5, 7, 13. AE. *Placet, pater lepidissime.* D. *Euge, iam lepidus vocor.* Vulgus Germanorum *ei tausend.*

Plaut. Cas. 2, 6, 33. CH. *Quid tu id curas?* OL. *Quia enim metuo, ne in aqua summa natet.* CH. *Euge. Cave.* Restituendum est ex antiq. libris *age cave.*

Vehementiorem admirationis vim habent composita verba *euge papae.*

Plaut. Merc. 3, 4, 41. EV. *Dii sciunt, culpam meam istanc non esse ullam.* CH. *Euge papae. Deos absentes testes memoras. Qui ego istuc credam tibi?*

In Martial. Epigr. 2, 27. adverbium est de graeco more positum: *graviter, cito, nequiter, euge, beate.* Sunt verba collaudantis scurrae. Sic Lucian. Conviv. 37. εὖγε, ἔφη, ὦ Κλεόδημε.

EVGEPAE.

Compositum est EVGEPAE ex *euge* et *pae*, quod est in *papae*, de quo vid. p. 1. At nullo in loco constant libri scripti, qui aut *euge* aut *euge pol* praebent. Ante omnia igitur de integritate vocabuli quaerendum erit; quod fieri poterit antiquis codicibus accuratius inspectis. Sensus verbi non nisi gravitate differret ab *euge*. Et enim exclamatio laetantium et collaudantium, contractis vocabulis *euge papae*, quae apud Plaut. Merc. 3, 4, 41. Qui scripserunt *eugepoe*, ut esset εὖγε

κοι, nescio quam rationem sequuti fuerint. *Euge pol* non reiecerim, sed simile illud *euge hercle* comparaverim.

Plaut. Rud. 2, 4, 24. *eugepae, salvus sum.* Epid. 1, 1, 7. *intellego: eugepae.* Edit. princ. *euge.* Rud. 1, 2, 81. *at in vadost: iam facile enabit: eugepae.* i. e. euge perbene. Sed edit. pr. *euge, tace.* Pseud. 2, 4, 53. *eugepae, lepide, Charine, me meo ludo lamberas.* Edit. princ. *euge pellepide.* Beroaldus *euge, perlepide.* Quidni *euge pol?* Capt. 2, 2, 24. *eugepae. Thalem talento non emam Milesium.* Codd. omnes et edit. princ. *euge pol*, et *eugepel.* Gruterus unus in codd. se legisse *eugepae* narrat.

Ironiae inserviret in duobus locis, uti *euge.* Sed haec quoque exempla a codicum auctoritate sunt infirma.

Plaut. Amph. 4, 1, 10. *sed aedis occluserunt: eugepae. Pariter hoc fit atque ut alia facta sunt.* Edit. pr. *euge.* Capt. 4, 2, 43. *eugepae: edictiones aedilitias hic habet quidem.* Sed codd. praeter unum Voss. et edit. princ. *euge*, quod metrum defendit.

EVOE.

Evoe, vox est graeca *εὐοῖ*, in Bacchi sacris usitata. In libris antiquis vel *euohe* vel *euhoe* vel *euhohe* scriptum saepe legitur. Veteres Latini qui parcissime usi erant littera *h*, ut ait Quinctilianus, in interiectionibus graecis interdum interponere solebant. Sed ipsorum consuetudo ex antiquis libris non potest cognosci. Dausqueius et Vossius et alii *euhoe* scribendum esse affirmant. Forcellinus, „vox est dissyllaba, inquit, neque ullum adhuc vidimus poetae locum, ex quo necessario conficiatur, esse trisyllabam.“ Cf. Glarean. ad Ovid. Met. 4, 522. Quod vero grammatici dicunt, hac voce uti homines bacchantes et laetitia exsultantes, id restringi debet singulari ratione. Nam poetae non ita loquuntur, nisi in Bacchi evocatione aut de furore bacchico.

Plaut. Men. 5, 2, 82. *euoe, euie, Bromie, quo me in silvam venatum vocas?* Ovid. Art. am. 1, 563.

Horat. Carm. 2, 19, 5. *euoe: recenti mens trepidat metu plenoque Bacchi pectore turbidum laetatur. Euoe, parce, Liber.* Ovid. Met. 4, 522. Virg. Aen. 7, 389.

Catull. 64, 61. *quem procul ex alga moestis Minois ocellis saxea ut effigies bacchantis prospicit, euoe.* 255. *euoe, bacchantis, euoe, capita inflectentis.*

EX.

Ex graecum ἐξ esse per se patet. Cuius vocis asperiorem sonum quum Graeci omissa ultima parte *s* mitigassent, Latini praeter compositionem litterae *f*, in qua et *ecf* et *eff* dicebant, non mutarunt litteram, sed totam abiecerunt, ante consonantes permultas *e* pronuntiantes. Hae litterae in compositis vocabulis sunt b, d, g, i, l, m, n, r, v, vocabulo *exlex* et iis nominibus, quae honoribus vel imperio defunctos significant, exceptis: de qua re exposuit Schneiderus in Gramm. I. p. 561. qui praeterea exempla antiquioris usus formae *ex* monstrat. Praepositio cum nominibus coniungenda non alia regula videtur adstricta fuisse, nisi ut *e*, concursu consonantium ortum, non poneretur ante vocales. Nam ex iis, quas nominavi, litteris nulla est, quacum non composita fuerit *ex*, praesertim in quibusdam formulis, ut videtur, ex antiquitate servatis. Nam antiquissimo tempore ubicumque usurpabant *ex*, etsi non litteram *x*, sed *cs* scripserunt. Vid. Schneiderus p. 371. Atque ex illo tempore cum ipsis formulis plerumque primitiva forma est servata. Haec ex antiquorum grammaticorum praeceptis. Vid. Priscian. p. 995. Scaurus p. 2262. At novas sententias conceperunt quidam grammatici nostri temporis, qui quum aequalem constantiam longae et accuratae observationis professi, praecepta confecerint prorsus inter se contraria, vereri nos oportebit, ne omnes sua observatione decepti fuerint. Atque Goerenzius ad Cic. Acad. 1, 1, 42. et de Fin. 3, 18, 60. et in Iahnii Annal. Vol. 1. p. 326. non demonstravit quidem, sed se aliquando demonstraturum esse significavit, magnum discrimen inter *e* et *ex* intercedere, et *e* dici maiore cum vi, sed *ex* poni, si pondus adhaereret nomini, non praepositioni: hoc est, si recte intelligo, formam *e*, non *ex* inservire oppositioni internarum rerum exprimendae. Contra Ramshornius in Gramm. p. 460. et Moserus ad Cic. de Re p. p. 177. et p. 479. docere voluerunt, *ex* poni, ut significaretur aliquid ex intima rei alicuius natura exire, et ut altera forma huius praepositionis exitum et locum, unde aliquid proficisceretur, altera vero, quae *e*

est, longinquitatem et spatium interiectum distantiae designaret: quo formae *ex* maior tribueretur vis. Haec, quae non vera, sed falsa observatione confecta et omni ratione destituta sunt, refutare vix operae pretium videtur. Quid enim ab auctoribus linguae latinae absurdius potuit excogitari, quam ut tribuerent formae *e* singularem vim et significationem, cui tamen ante omnia nomina, quae a vocali incipiunt, nullus fuisset locus? In Cic. Somn. Scip. 3. ubi legitur: *immo vero ii vivunt, qui ex corporum vinculis tamquam e carcere evolarunt:* Moserus contendit non scribi posse *e corporum vinculis* propter istam distinctionem, Goerenzius autem in Iahnii Annal. p. 298. scribi debere ita. Et quid est illud, quod Goerenzius dicit vim inesse vel in praepositione vel in nomine, nisi oppositio verborum *in* et *intra?* Haec vero centies per formam *ex* exprimitur et ante vocales et ante consonantes. Ipse vero Goerenzius, de hoc discrimine agens, ait in loco aliquo Ciceronis *e quo* pro *sed ex hoc* positum esse, et de Fin. 4, 17, 48. *ex ea* bene quidem dici pro naturae convenienter, quamquam ad 3, 18, 60. et 4, 11, 26. contenderat, pessime legi *ex natura* pro *e natura* ob sensum diversum. Haec inter se concilient alii, non ego. Neque Ochsnero assentiri possum, qui in Eclog. p. 214. *e* cum maiore vi propterea poni posse autumat, quod clariorem sonum habeat. Nam crassior est quam *ex*, in quo Probus 1, 12, 1. narrat brevem syllabam, sed positione productam esse. Cicero Orat. 47, 158. *ex usu dicunt et e re publica, quod in altero vocalis excipiebat, in altero esset asperitas, nisi litteram sustulisses, ut exegit, edixit.* Igitur asperior sonus erat, quem mitigarent, nec ante omnes consonantes, sed ubicumque offendere videretur. Formulae quaedam ex antiquissimo tempore servatae numquam aut raro mutabant formam suam primitivam, veluti *ex tempore*, *ex sententia*, *ex parte*, *ex toto*, *ex compacto*, et contra *e regione:* in aliis inconstans erat usus et aurium arbitrio permissus. Sic Sallustius rarius usurpavit *e* de sua consuetudine. Certe vocabuli forma neque apud hunc neque apud alios scriptores consonanti litterae accommodanda notionem significationis moderatur.

Cf. Ruddimann. T. 2. p. 336. qui quum docet semper dictum esse *e longinquo*, non cognoverat *ex longinquo* dici a Columel. 6, 2, 13. et a Tacito Ann. 2, 82.

Apud Ciceronem *ex quo* centies legitur: tamen critici affirmant, eum semper scripsisse *e quo efficitur:* quamquam *ex quo* optimi codices praebent de Fin. 2, 5, 15. Tusc. 1, 21, 48. et alibi. Goerenzius adeo distinguit *e quo apparet*, quod sit *in Rücksicht auf dies erhellt*, et *ex quo apparet*, quod sit *hieraus erhellt:* quod subtilius discrimen iam evanescit in verbis *ex eo apparet.* Nescimus igitur, utrum hoc decretum ad unam litteram q pertineat, an ad verborum genera. Sed idem Goerenzius in Iahnii Annal. Vol. 1. p. 311. observat, verba gignendi, nascendi, oriundi, nusquam assumere *ex*, sed ubique *e*. Exemplis commemoratis de Nat. d. 2, 11, 29. 12, 33. 19, 50. Beierus opposuit contraria 2, 32, 81. 33, 84. 1, 5, 12. Tusc. 1, 22, 53. Vide eum ad Lael. p. 120. Quid censeamus, si quis contenderit, Latinos non dicere potuisse *gigni ex ancilla*, *ortus ex avo*, ob formam verbi *ex*, quod esse deberet *e?*

Etiam de origine grammatici quaesiverunt. Burgess ad Dawesii Miscellan. p. 515. ἐκ et *ex* ab ἔω deducit, quod eundi notione simul id comprehendat, quod significationes vocabulorum augeat et minuat. Quo nihil demonstratur: nam unde κ et ξ litterae venerint, id maxime exponendum erat. Buttmannus in Gramm. T. I. p. 88. opinabatur primam formam fuisse ἐσκ sive ἐσχ, unde ἐξ factum sit: quo id tantum efficitur, litteras σκ et κς permutari potuisse.

Praepositio haec numquam mutat suam naturam, nec pro adverbio usurpatur. Exempla post nomen suum positae admodum pauca sunt apud poetas, multa vero inter nomina adiectiva et substantiva interpositae: de qua re vid. Ruddimannus Vol. 2. p. 335.

Ex Plaut. Asin. 4, 1, 20. documentum sumsit Bentleius, ut scriberet apud Terent. Ad. 5, 3, 36. *signa insunt, quibus ex coniectura facile fit.* At Plautus in illo loco aliter dixit, neque necessaria est emendatio. Lucret. 3, 851. *quibus e sumus uniter aptei.* 6, 789. *scilicet haec ideo terris ex omnia surgunt.* 2, 791. *variis ex.* Apud Ovid. Her. 20, 123. nunc legitur *hostibus et si quis.*

Iam de significatione. Ex indicat exitum, et dicitur de omni re, quae in aliquo loco inerat et inde exit. Quare contrarium est *in.* Hanc vero notionem proxime attingit notio rei decedentis vel abeuntis: quamquam *ex* posito semper praesumitur in aliquo loco fuisse rem. Sed quum ratio localis et ad agendi modum, et ad tempus, et ad conditionem rerum transferatur, multiplex

exsistit huius praepositionis usus, cuius exempla ad tria genera revocari possunt. Nam aut exitus ex aliquo loco vel ex aliqua re intelligitur, quo etiam origo et caussa et materies, cui quid desumptum sit, et transitus rerum significatur, aut exitus ex aliquo tempore, qui esse potest principium, aut denique modus, qui aliquam rem moderatur ac regit. Quae caussa fuerit, cur Latini ablativum, Graeci genitivum cum hac praepositione coniungerent, diximus Tom. 1. p. 9.

I. 1. Primum igitur qualemcumque exitum ex aliquo loco vel ex aliqua re significat. Quod quum omnibus tam notum sit, ut exempla verborum, quae motum vel exitum notant, omitti possint, et quum de diversitate verbi *a* Tom. 1. p. 12. loquuti simus, id tantum notamus, hanc praepositionem non poni ante nomina urbium, et insularum vel locorum eorum, qui instar sint oppidorum. De qua re conf. Cic. ad Att. 7, 4, 10. Componitur vero ea cum nominibus magnarum insularum et terrarum, et cum appellativis, quae sunt *urbs*, *regio*, alia. Exempla omissae in his praepositionis rara sunt, et praesertim poetis propria. Additur vero praepositio etiam nominibus urbium, vel ut exitus fortius designetur, vel more peculiari quorumdam scriptorum, uti Plinii.

Cic. in Verr. 1, 19, 50. *quum legati ad C. Neronem in Asiam Samo venissent.* Caes. B. civ. 3, 58. *cogebantur Corcyra atque Acarnania longo interiecto navigationis spatio pabulum supportare.*

Liv. 45, 13, 9. *litterae deinde Macedonia allatae.* Gronovius et alii non sine caussa suspicabantur excidisse *e*. Iustin. 12, 1, 4. *dum haec aguntur, epistolae Antipatri Macedonia ei redduntur.* Ita Bongarsius, sed alii codd. vel *a* vel *e* addunt. Tacit. Ann. 2, 69. *at Germanicus Aegypto remeans cuncta — in contrarium versa cognoscit.* Plin. Hist. n. 6, 17, 21. *Indi enim prope gentium soli numquam migravere finibus suis.* Etiam hic excidere poterat *e*.

Plin. Hist. n. 34, 7, 18. *talis est in capitolio Apollo, translatus a M. Lucullo ex Apollonia, Ponti urbe.*

2. Saepe id, e quo aliquid promoveatur, conditio est, qua missa aut relicta transitus fit in aliam conditionem.

Curt. 7, 11, 18. *tandemque velut ex alto sopore excitati.*

3. Componuntur cum hac praepositione verba, quae ipsam in se habent, veluti *educere*, *egredi*, *expellere*. Sed etiam verba cum praepositione *ad* aliisque composita iunguntur cum nominibus per praepositionem *ex*, veluti *ex floribus afflare:* de qua re conf. Drakenborch. apud Gernhard. ad Cic. de Senect. 17, 59. Caes. de Bell. gall. 7, 45. *magnum numerum — mulorum produci, eque iis stramenta detrahi.*

4. Sunt verba et nomina, quae et *ex* et *de* sibi adiungant ob ipsam rerum naturam cum utriusque ratione convenientem. Sic dicitur *e vita excedere* et *de vita excedere:* de quo conf. Garaton. ad Cic. Phil. 2, 6. *Decedit de provincia*, qui magistratum deposuit, sed *decedit ex provincia*, qui eam relinquit. Cic. ad Fam. 2, 11, 3. *Ex aliquo delere* dicitur, quum res in alia continetur et intra eam est. Quare bene iudicavit Matthiae ad Cic. p. Sext. 19, 44. non dici posse *senatum e civitate delere*, sed *de civitate*.

Horat. Sat. 1, 1, 55. *magno de flumine malim quam ex hoc fonticulo tantumdem sumere.* Illud sumitur de superficie aquae, hoc ex fundo.

Idem significant *verbum de verbo expressum* apud Terent. Ad. Prol. 10. et *verbum e verbo exprimere* apud Cic. Acad. 2, 10, 31. unde elliptica formula *verbum e verbo.* Cic. Top. 8, 35.

5. In universa hac expositione illud tenendum est, multas esse loquutiones, in quibus grammatici vel caussalem vel temporis notionem suppositam existimarunt, aliarum linguarum usu comparato, etiamsi omnis ratio a verbi latini natura, quae progressionis vel promotionis est, regitur. Sic quod est apud Livium 4, 47, 1. *transierat ex re bene gesta superbia negligentiaque ad Aequos:* interpretantur *post rem bene gestam.* Tamen pendet praepositio e verbo *transire.* Plaut. Most. 1, 1, 54. *miles hic reliquit symbolum, expressam in cera ex annulo suam imaginem.* idque ob verbum *exprimere.* Hoc de multis semel sit monitum. Unum addam Cic. de Fin. 2, 26, 83. *si nulla caritas erit, quae faciat amicitiam ipsam sua sponte, vi sua ex se et propter se expetendam, dubium est, quin fundos et insulas amicis anteponamus.* Dicunt *ex se* esse *propter se.* At amicitia ex se expetenda est, quae non in alia re, sed in se ipsa caussam suam habet. Qui hodie

latine scribunt, non satis reputare solent verborum naturam primam. Quare Wolfius in Ephem. ienens. a. 1791. n. 115. recte dici affirmat *facere de coniectura*, sed *supplere ex coniectura*.

6. Saepissime exitus vel promotio non verbo exprimitur, sed notio haec verbis reliquis subest et cogitatione praesumitur.

Tacit. Ann. 15, 54. *mirum quam inter diversi generis, ordinis, aetatis, sexus, dites pauperes, taciturnitate omnia cohibita sint, donec proditio coepit de domo Scaevini.* Curt. 6, 5, 14. *quarum* (arborum) *teneros adhuc ramos manu flectunt, quos intortos rursus inserunt terrae: inde velut ex alia radice laetiores virent trunci.*

7. Dicitur *ex*, uti *a* praepositio, proprie de patria, unde quis oriundus sit, et de terra, aut civitate, in qua quis versari soleat. Ita componuntur substantiva simpliciter. Cf. Buchner. de Commut. rat. dicendi. p. 329. Ruhnken. ad Terent. Eun. 1, 2, 85.

Cic. p. Cluent. 5, 11. *homo non solum municipii Larinatis, ex quo erat, sed etiam regionis illius — nobilitate facile princeps.* 17, 49. *quod erat ex eodem municipio* etc. Terent. Eun. 3, 2, 17. *ex Aethiopia est usque haec.*

Plaut. Capt. 3, 2, 10. *roga Philocratem ex Alide, ecquis hominum norit.* Sic Theocrit. 1, 65. *Δάφνις ὤξ Αἴτνας.* Terent. Eun. 1, 2, 85. *ubi mi dixti cupere te ex Aethiopia ancillulam* etc. Cic. de Nat. d. 1, 21, 58. *quum — paucos tecum Epicureos e Graecia compararet* etc. in Verr. 1, 5, 14. *audietur — L. Flavius, qui suum familiarem Herennium negotiatorem ex Africa — dixit securi esse percussum.* Cornel. Alcib. 10, 5. *quidam ex Arcadia hospes.* Liv. 35, 32, 4. *ex India elephantos.* ubi alia Drakenb. Horat. Carm. 1, 29, 7. *puer quis ex aula capillis ad cyathum statuetur unctis, doctus sagittas tendere.* Caes. B. gall. 5, 27. *Iunius ex Hispania quidam.* Varro de Re r. 3, 16, 10. *audivi dicentem, duo milites se habuisse in Hispania fratres Veianios ex agro Falisco locupletes.*

Liv. 1, 21, 8. *lucus erat, quem medium ex opaco specu fons perenni rigabat aqua.*

Cic. in Verr. 5, 54, 140. *civem romanum e conventu panhormitano.* ubi Zumptius. Plaut. Asin. 1, 1, 37. *equidem scio iam, filius quod amet meus isthanc meretricem e proxumo Philenium.* Aul. 2, 4, 11.

8. Id etiam ad conditionem vitae refertur, vel ad

negotii genus, vel ad professionem studii, in quo quis versatur.

Flor. 1, 13. *virgines ex sacerdotio Vestae.* Terent: Hec. 5, 1, 30. *quod pol, si esset alia ex quaestu, hoc haud faceret, scio.* i. e. alia meretrix quaestum corpore faciens. Vid. Ruhnken. ad h. l. Cic. p. Mur. 36, 75. *fuit eodem ex studio vir eruditus apud patres nostros et honestus homo et nobilis Q. Tubero.* ubi Graevius. Ovid. Am. 2, 5, 54. *et volo non ex hac illa fuisse nota.* Petron. 83, 7. *speciosus, ut facile appareret, eum ex hac nota litteratorum esse, quos odisse divites solent.* Senec. de Const. 3, 5. *ex hac tibi nota sapientem exhibeo.* de Benef. 3, 9. 1. Epist. 52, 3. vid. Sciopp. Verisim. 2, 18. Burmann. ad Petron. locum.

9. Componuntur cum hac praepositione omnia verba, quae remotionem et decessum significant, modo intelligatur res intra fuisse. Cf. n. 4. De navibus proprie dicitur *ex cursu.*

Cic. p. Sull. 6, 18. *ita flectebar animo atque frangebar, ut etiam ex memoria, quas mihi ipsi fecerat insidias, deponerem.* Caes. B. civ. 3, 65. *cuius adventus — nostros firmavit, ut se ex maximo timore colligerent.*

Liv. 23, 39, 1. *ad Philippum captiva navis ex cursu refugit.* 44, 19, 2. *Brundusii legatos iam esse, bis ex cursu Dyrrachium deiectos.* Vid. Gronov. ad illum locum.

10. Verba *excludere*, *arcere* non cum *ex*, sed cum *a* praepositione componuntur. Quare dubia est res, quum codices plurimi exhibent apud Lucan. 8. 588. *omnibus e terris si nos arcere parabas.* Nemo accepit praeter Oudendorpium.

11. Quemadmodum res dicuntur ex aliquo loco emitti, ita etiam de delapsis et deiectis rebus et de descendentibus usurpatur *ex*, et de dependentibus et de rebus ex alto missis vel inde petitis. Dependentes enim res exire videntur ex re, quacum cohaerent. Sed hac ratione aequales sunt *ex* et *de.*

Cic. de Fato 3, 6. *quid mirum igitur, ex spelunca saxum in crura eius cecidisse.* Liv. 35, 21, 6. *saxum ingens — in vicum iugarium ex capitolio procidit.* Curt. 8, 11, 12. *quos ex praerupta rupe lapsos amnis praeterfluens hausit.* Cic. p. Cluent. 32, 175. *cecidisse ex equo dicitur.* de Fato 3, 5. *de equo cadere — ex hoc equo.*

Senec. Herc. fur. 465. *fortem vocemus, cuius ex humeris leo, donum puellae factus, et clava excidit?*

Cic. in Verr. 3, 26, 66. *videtis pendere alios ex arbore, pulsari autem alios et verberari.* Virg. Aen. 6, 301. *sordidus ex humeris nodo dependet amictus.*

Caes. B. gall. 4, 2. *equestribus praeliis saepe ex equis desiliunt.* Auctor Belli hispan. 15. *complures ex equis descenderunt.* ubi Oudend.

Cic. de Div. 1, 43, 98. *quum in capitolio ictus centaurus e coelo est.* Lucan. 1, 534. *fulmen et arctois rapiens e partibus ignis.*

12. Ita per metaphoram etiam dicuntur res *ex aliquo pendere*, quae cum eo cohaerent, aut ab eo reguntur.

Petron. 127. *ex cuius osculo pendes?* Lucret. 1, 38. *eque tuo pendet resupini spiritus ore.* Sallust. Iug. 14, 23. *cuius vitae necisque potestas ex oribus alienis pendet.* Cic. ad Fam. 6, 22, 4. *incolumitati tuae tuorumque, qui ex te pendent, consulas.* Brutus in Epist. Cic. ad Fam. 11, 20, 4. *totam istam cantilenam ex eo pendere, ut quam plurimum lucri faciant.* Parad. 2, 1. *cui spes omnis et ratio et cogitatio pendet ex fortuna.*

13. Verba capiendi, sumendi, accipiendi, hauriendi, auferendi, tollendi, colligendi, deligendi, eximendi cum *ex* componuntur, ut, unde petita sit res, significetur. Id transfertur ad usum metaphorae in verbis *percontari*, *quaerere:* quamquam iurisconsultis *quaestionem habere ex aliquo* est *de aliquo.* Non dicitur *petere ex aliquo.* Vid. Ruddimann. T. 2. p. 178.

Terent. Andr. 4, 3, 4. *verum ex eo nunc misera quem capit laborem?* Cic. ad Fam. 10, 5, 2. *ex quibus cepi fructum duplicem.* de Fin. 2, 3, 10. *voluptas etiam varia dici solet, quum percipitur e multis dissimilibus rebus.* Miror Goerenzium, qui verba de Fin. 5, 18, 48. *cum maximis curis et laboribus compensare eam, quam ex discendo capiant voluptatem.* interpretatur *vermittelst des Lernen.* Alii codd. habent *in*, alii *a:* neutrum est ineptum.

Sallust. Iug. 32, 3. *pars ex pacatis praedas agebant.* Cic. de Orat. 1, 3, 12. *quia ceterarum artium studia fere reconditis atque abditis e fontibus hauriuntur.* Cic. de Amic. 13, 47. *solem enim e mundo tollere videntur, qui amicitiam e vita tollunt.* Senec. Epist. 100, 4. *electa verba sunt —: splendida tamen, quamvis sumantur e medio.*

Cic. ad Att. 13, 46. *Quinto delegabo, si quid aeri meo alieno*

superabit et etationibus, ex quibus mi etiam aes alienum faciendum puto.

Cic. ad Quint. 2, 16. *praesertim quum, tametsi id difficilius fuerit, tamen ex hoc labore magnam gratiam magnamque dignitatem sim collecturus.* de Lege agr. 2, 9, 23. *si vobis ex omni populo deligendi potestas esset data.* in Verr. 2, 40, 99. *ne tu ex reis eximerere, si ego non adfuissem ad diem.* Quum dicunt *recipere animum ex pavore*, quod alias *a pavore*, ratio posita est in verbo *recipere.* vide exempla apud Drakenb. ad Liv. 44, 10, 1. De verbis *quaerere ex aliquo* vid. Hadrianus Card. p. 126 (38). Cic. in Verr. 4, 45, 100. *ex his quaeritur in curia, quid esset factum.* Plaut. Bacch. 2, 2, 12. *istuc volebam ego ex te percunctarier.* Cic. Brut. 46, 172. Plaut. Capt. 2, 2, 13. Horat. Epist. 1, 7, 60.

14. Eodem modo verba cognoscendi, audiendi, intelligendi, sentiendi, percipiendi, discendi. Neque aliter *suspectare ex aliqua re, sperare ex aliquo.* In omnibus his enim intelligitur id, quod ex aliqua re sumatur.

Cic. ad Fam. 10, 29, 1. *de meo studio erga salutem et incolumitatem tuam credo te cognosse ex litteris tuorum.* Caes. B. gall. 2, 17. *ut postea ex captivis cognitum est.* Varro de Ling. lat. 8, 31. *quod dicunt simile sit necne nomen nomini imprudenter Aristarchum praecipere, oportere spectare non solum ex recto sed etiam ex eorum vocandi casu*, etc. Sed vide IV, 8.

Plaut. Mil. 4, 6, 50. *nescio tun ex me hoc audieris an non.* Epid. 4, 1, 36. Cic. ad Att. 6, 9. *intellexi ex tuis litteris te ex Turannio audisse a me provinciam fratri traditam.* de Nat. d. 1, 21, 57. Cort. ad Sallust. Iug. 20, 1.

De formula *ex quo intelligitur* vide Giesium ad Cic. de Divin. 1, 32, 70. *e quo intelligatur* legitur de Nat. d. 2, 56, 140. Tusc. 1, 24, 48. Quae non differunt sensu. cf. p. 615. Tam saepe Latini ita loquuntur, ut Beierus in verbis apud Cic. de Offic. 3, 7, 33. *quibus perspici possit.* desideraret praepositionem: quamquam ea non necessaria erat.

Terent. Eun. 4, 4, 58. *ego scibo ex hoc quid siet.* Heaut. 3, 1, 2. *primum ex me ut sciat sibi filium rediise.* Plaut. Bacch. 3, 3, 65. *vidi, non ex audito arguo.* Ovid. Fast. 5, 446. *ex aliquo est invenienda deo.*

Cic. p. Rosc. Am. 18, 52. *odium igitur acerrimum patris in filium ex hoc, opinor, ostenditur.* Plin. Hist. n. 17, 56, 57. *ex quo apparet aeternum litterarum usum.*

Tacit. Hist. 2, 27. *Valens e petulantia etiam perfidiam suspectabat.* Hirtii Bell. afric. 45. *tunc ex virtute nostra intelliges, quid ex tuis copiis sperare debeas.* Apud Cic. ad Fam. 13, 16, 1. *ex eo quum ab ineunte eius aetate bene speravissem.* correxerunt *de eo.*

15. Verba capiendi, rapiendi, et quae sunt huius generis, etiam ad personas referuntur, ut, quibus aliquid eripiatur, praepositione *ex* designetur. Quo modo etiam *accipere ex aliquo*, et translata notione *tolerare ex aliquo* dicunt.

Liv. 41, 14, 3. *senatus iussit — coloniam ex hostibus eripere.* 3, 68, 6. *agro ex hoste capto.* 5, 20, 5. *nefas ducerent, captam ex hostibus in aerario exhausto bellis pecuniam esse.* Tacit. Hist. 2, 43. *plurima signa vexillaque ex hostibus rapuit.* Sallust. Iug. 88, 3. *et Gaetulos et Iugurtham ex sociis nostris praedam agentes.*

Sallust. Iug. 102, 8. *ex populo romano multa plura bona accepisses, quam mala perpessus esset.*

Sallust. Iug. 20, 1. *quod ex amicis apud Numantiam acceperat.* *Ex aliquo audire* perusitatum esse, monstrat Cortius ad h. l.

Curt. 6, 10, 32. *quid enim me procreabas infelicem adversantibus diis? an ut hos ex me fructus perciperes, qui te manent?*

Florus 1, 7, 10. *hanc ex liberis eius importunitatem tolerare non potuit.*

16. Rarior est usus quorumdam verborum, quae propriam assumunt praepositionem *de*. Ovidius dixit *ex aliqua re vivere*, quod alii aut ablativo exprimunt, aut *de* ponunt. Cf. p. 200. Livius dixit *largiri ex alieno*.

Ovid. Met. 1, 144. *vivitur ex rapto.*

Quod Liv. 3, 1, 3. *principem civitatis largiendo de alieno popularem fieri querentes.* idem 4, 60, 4. *ex alieno igitur alios largitos.* ubi vid. Drakenb.

Sed Celsus 3, 4. p. 120. *qui quaestui serviunt, quoniam is maior ex populo est, libenter amplectuntur ea praecepta, quae sedulitatem non exigunt.* i. e. ex populo sumendus, apud populum faciendus.

17. In comparandis vel conficiendis rebus quum significandum est, unde proficiscatur id, quod conficitur, *ex* potest locum habere. Saepius tamen in his verbis transmutationem intelligimus, de qua infra.

Terent. Andr. 4, 1, 3. *ex incommodis alterius sua ut comparent commoda.*

Terent. Eun. 5, 2, 35. *malo ex principio magna familiaritas conflata est.*

Sallust. Iug. 10, 2. *tua virtute nobis Romanos ex amicis amicissimos fecisti.*

18. *Ex aliqua re nominari* vel *dici* formula est de nomine ex aliqua re capto, aut ex alicuius rei ratione imposito.

Cic. de Nat. d. 2, 20, 51. *quarum ex disparibus motionibus magnum annum mathematici nominaverunt.* Quae male explicuit Wopkens. Lect. Tull. p. 125. ubi vide notam. de Leg. 1, 8, 24. *animum esse ingeneratum a deo: ex quo vere vel agnatio nobis cum coelestibus vel genus vel stirps appellari potest.* Plin. Hist. n. 27, 10, 65. *holosteon sine duritia est, herba ex adverso appellata a Graecis.* Plin. Hist. n. 11, 37, 45. *aliis simplicia tribuit, ut in eodem genere subulonibus ex argumento dictis.* i. e. ex rei natura. Tacit. Germ. 2, 4. *e quorum nominibus proximi oceano Ingaevones, medii Herminones — vocentur.* Iustin. 15, 4, 9. Tacit. Ann. 4, 55. *ducum e nominibus indita vocabula illis per Asiam, his in Italia.* Sallust. Iug. 5, 4. *cui postea Africano cognomen ex virtute fuit.* Florus 1, 7, 1. *cui cognomen Superbo ex moribus datum.* 2, 6, 11. Ovid. Fast. 2, 601. *nomen — ex vitio positum.*

Iustin. 20, 5, 9. *ex nomine ducis gentes Raetorum condiderunt.* 43, 1, 12. *Aeneas — urbem ex nomine uxoris Lavinium condidit.* Vide Muncker ad haec Anton. Liberal. 8. *ἐκ ταύτης καὶ Λοκροὶ πόλιν ἐν Ἰταλίᾳ Σύβαριν ἔκτισαν.*

Cic. Tusc. 4, 12, 27. *ex quo in aliis anxietas, unde anxii, in aliis iracundia dicitur, quae ab ira differt.* i. e. ex hac ratione. vd. ad Wopkens. p. 126.

19. Quod in aliquo numero vel in aliqua multitudine vel copia vel in aliquo genere rerum locum habet, id ut hac ipsa ratione designetur, dicitur ex numero vel ex genere vel ex multitudine sumptum, sive electum. Quare *ex* additur nominibus totius rei, cuius pars sit id, de quo est sermo, idemque exprimit, quod genitivus. Neque aliter Graeci. Atque praepositione distinctius designatur, quod ablativus simpliciter indicat. Sed saepe hoc modo fere idem efficitur, quod contraria notione praepositiones *in* et *inter* notant: saepe pro adiectivo ita componuntur duo substantiva.

Notissima sunt verba *deligere*, *eximere*, *sumere*, **alia. Cic. p. Rosc. Am. 3, 8. in Verr. 2, 40, 99.**

Cic. de Orat. I, 37, 168. *homo ex numero disertorum postulabat*, *ut* etc. p. Rabir. Posth. 17, 45. *ecquis est ex tanto populo, qui — velit?*

Plaut. Cas. 2, 8, 63. *in re praesenti ex copia piscaria consulere quid emam oportet.*

Tacit. Ann. 1, 23. *gladiatores*, *qui e servitio Blaesi erunt.* Caes. B. civ. 1, 46. *Fulginius ex primo hastato legionis XIV.* Bell. Afric. 60. *praeterea ex tironum paucas adiecerat.* Ita codd. Liv. 30, 15, 4. *fido ex servis uno accito.* ubi Drakenb. et ad 30, 25, 12.

Cic. ad Fam. 13, 3, 1. *Aulum Fufium*, *unum ex meis amicis — velim ita tractes*, *ut mihi coram recepisti.* Parad. 2. 1. *C. vero Marium vidimus*, *qui mihi secundis in rebus unus ex fortunatis hominibus*, *in adversis unus ex summis viris videbatur.* Liv. 40, 52, 1. *et alter ex censoribus M. Aemilius petiit ab senatu* etc. Tacit. Hist. 4, 50. Ann. 13, 47. Proprie dicitur *aliquid ex —.* Cic. p. Coel. 3, 7. *vellem aliquis ex vobis robustioribus hunc maledicendi locum suscepisset.* de Leg. agr. 2, 31, 85. *etiamsi ad vos esset singulos aliquid ex hoc agro perventurum* etc. Liv. 41, 23, 7. *aliquorum ex nobis animi.* Vellei. P. 2, 110. Alia multa Drakenb. ad Liv. Epit. 79. Eodem modo *de* usurpatur.

Cic. de Fin. 2, 19, 61. *neque porro ex eo natus cum Pyrrho bellum gerens*, *consul cecidisset in proelio seque e continenti genere tertiam victimam rei publicae praebuisset.* i. e. in continenti genere. de Div. 2, 65, 134. *id enim ei ex ovo videbatur aurum declarasse*, *reliquum argentum.* i. e. *dies vom Ei.* vid. Wopkens. Lect. p. 392 (293).

Cic. ad Fam. 10, 5, 7. *nec quidquam ex omnibus rebus humanis est praeclarius aut praestantius quam de re publica bene mereri.* Plaut. Stich. 1, 1, 12. *unice qui unus civibus ex omnibus probus perhibetur.* Cic. Lael. 4, 15. *ex omnibus saeculis vix tria aut quatuor.* **Ita etiam Cic. de Fin. 4, 5, 13.** *quum e plurimis eadem dicit*, *tum certe de maximis.* **Est enim in plurimis, vel plurima (cf. 5, 5, 13). Goerenzius male explicat: quoad plurima: Lambinus scripsit** *de pl.*

Cic. ad Fam. 13, 1, 15. *is*, *non quo sit ex istis*, *est enim omni liberali doctrina politissimus*, *sed valde diligit Patronem — sic a me contendit* etc.

Cic. Phil. 2, 3, 5. *qui tibi — detulerat ex latronibus suis principatum.* Tacit. Hist. 1, 8. *e provinciis Hispaniae praeerat*

Cluvius Rufus. Germ. 29. *Batavi non multum ex ripa, sed insulam Rheni amnis colunt.*

Patria ita nominatur. Cic. Brut. 46, 169. *Q. Vettius Vettianus e Marsis.* Caes. B. gall. 1, 18. *ipsum ex Helvetiis uxorem habere.* i. e. helvetiam. Cf. de graeco usu Elmslei. ad Eur. Heracl. 300.

Ex aliquo numero esse Cic. p. Arch. 7, 16. et sine verbo, *ex numero* et *e numero* idem est quod *in numero.* vid. Garaton. ad Cic. Phil. 4, 6. Cic. de Orat. 1, 37, 168. in Cat. 4, 10, 22. Lucan. 8, 231. ubi vid. Burmann. Hygin. Fab. 197. *Syri pisces et columbas ex deorum numero habent, non edunt.* Sed alio sensu Dictys Cret. 2, 6. *namque ex numero navium frumentum aliaque necessaria affatim portabantur.* i. e. pro numero navium.

20. Ponitur praepositio in sententiis, quae superlativum habent.

Plaut. Most. 2, 1, 24. *illi ego ex omnibus optime volo.* Cic. de Orat. 2, 87, 357. *acerrimum autem ex omnibus nostris sensibus esse sensum videndi.* Caes. B. gall. 1, 41. *quod ex aliis ei maximam fidem habebat.*

21. Sicuti graeca ἀπὸ et ἐκ, ita latinum *ex* etiam pro genitivo ponitur, qui cuius rei aliquid sit definiat. Ita dicitur *nihil ex aliqua re.*

Caes. B. civ. 3, 58. *postquam non modo hordeum pabulumque omnibus locis herbaeque desectae, sed etiam frondes ex arboribus deficiebant* etc. 3, 49. *se cortice ex arboribus victuros.* B. gall. 3, 14. *has altitudo puppium ex barbaris navibus superabat.* Columel. 7, 3, 21. 7, 3, 22. *ex leguminibus paleae.* Cels. 4, 20. *album ex ovo.*

Trebell. Poll. Gallien. 17. *neque umquam in uno convivio ex uno vino duo pocula bibit.*

Curt. 6, 7, 13. *namque abunde constantis animi et dignus, qui pudicus esset, nihil ex pristina voluntate mutaverat.*

22. Ex aliqua re superesse dicitur, quod ex aliquo numero vel ex aliqua copia est sumptum, etiam mutatis notionibus rei et personae: veluti *ex proelio superesse* pro ex proeliantibus. Qui intelligunt *post proelium,* ex alia parte ad eamdem notionem accedunt.

Sallust. Cat. 28, 4. *quibus lubido atque luxuria ex magnis rapinis nihil reliqui fecerant.* Curt. 10, 2, 27. *quibus hoc solum*

ex tantis opibus superest. **Auctor Belli hispan. 33.** *nos ex proelio paucos superesse.*

23. Loci notione res agendae comprehenduntur, et exire dicuntur etiam ea, quae tantum videntur alicunde exire, dum ipsa apparent, et agentes in loco manent. Quare hac praepositione designatur actio, quae alicunde proficiscitur aut in aliqua re fundamentum atque initium habet. Id vero saepe non locus est, sed conditio et status agentium. Et ponuntur neutralia verba de rebus, quae quum effectum habeant, e suo loco agere videntur.

Ennius apud Cic. Tusc. 3, 19, 44. *ex opibus summis opis egens, Hector, tuae.* **i. e. praesentibus opibus summis. Tacit. Ann. 13, 46.** *ubi usque ad civilia arma non ex priore infamia, sed integre sancteque egit.* **quamquam id alio modo potest explicari.**

Propert. 3, 3, 13. *quum me castalia speculans ex arbore Phoebus sic ait, aurata nixus ad antra lyra.* **Id non est** *in arbore,* **sed inter arbores, quod nos dicimus** *aus den Bäumen* **pro** *durch die Bäume.*

24. Et dicitur aliquis agere ex aliquo loco, qui in aliquo loco versatus, vel in aliqua sede collocatus ad alium locum agendo se vertit. Germani dicunt *von wo aus*: Graeci ἐκ: vd. Matthiae Gramm. p. 1132. Explicant grammatici verbo *in*. vd. Cort. ad Cic. Epist. 7, 1, 3. Arntzen. ad Aurel. Vict. p. 510. Praesertim vero de locis superioribus usurpatur.

Ennius apud Nonium v. *derepente: ibi tum derepente ex alto in altum despexit mare.* **Caes. B. gall. 2, 13.** *pueri mulieresque ex muro passis manibus suo more pacem ab Romanis petierunt.* **1, 44.** *Ariovistus, ex equis ut colloquerentur, — postulavit.* **Plin. Hist. n. 7, 56, 57.** *pugnare ex equo.* **Caes. B. gall. 2, 27.** *T. Labienus — ex loco superiore, quae res in nostris castris gererentur, conspicatus.* **2, 30. Cic. in Verr. 5, 66, 169.** *ex cruce Italiam cernere.* **Plin. Hist. n. 7, 56, 57.** *antea ex prora tantum et puppi pugnabatur.* **Lucan. 9, 657.** *bellumque immane deorum Pallados e medio confecit pectore Gorgon.*

Liv. 29, 19, 5. *Pleminium legatum vinctum Romam deportari placere et ex vinculis caussam dicere.* **Caes. B. gall. 1, 4.**

Cic. ad Fam. 7, 1, 3. *neque tamen dubito, quin tu ex illo cubiculo tuo, ex quo tibi Stabianum perforasti et patefecisti Seianum, per eos dies matutina tempora lectiunculis consumseris.* **ubi Cortius. 7, 18, 10.** *ex qua* **(villa)** *iam audieram fremitum clien-*

tium meorum. Cornel. Paus. 4, 4. *hanc iuxta locum fecerunt sub terra, ex quo posset audire, si quis loqueretur cum Argilio.* Güntherus comparat homericum κλισίηθεν ἀκούσας Iliad. 11, 695.

Sueton. Tib. 33. *iudicesque aut e plano aut e quaestoris tribunali admonebat.* Cic. p. Lege Man. 8, 21. *a nullo istorum, qui huic obtrectant legi atque caussae, L. Lentulum similiter ex hoc loco esse laudatum.* 17, 52. *ex hoc ipso loco permulta item contra eam verba fecisti.* In his vero ratio verborum maximopere valet, neque omnia possunt cum hac praepositione coniungi. Quare nescio, an non possit probari, quod dant duo libri in orat. p. Lege Man. 14, 42. *iam quantum consilio, quantum dicendi gravitate et copia valeat — vos, Quirites, hoc ipso ex loco saepe cognostis.* Vulgo legitur *in loco.* Illud ambiguitate laborat.

Sic dicitur *ex libello* de eo, qui ex libello quasi agit. Plin. Epist. 6, 5, 6. *et Celsus Nepoti ex libello respondit, et Celso Nepos pugillaribus.*

25. Sunt nomina itineris et fugae et fortasse alia huius generis, quae, quum narratur aliquid actum esse ab iis, qui in itinere vel in fuga versati essent, cum hac praepositione componuntur, ubi nos dicimus *von der Reise aus*, saepius vero *auf der Reise.* Attamen omnis haec ratio nititur in verbis, quae emissionem vel exitum aut significant, aut id cogitari iubent. Veluti quum Sallustius Iug. 13, 4. scripsit: *victus ex proelio, profugit in provinciam.* cogitavit victum in proelio, sed accommodavit sententiam verbo *profugere.* Quare non potest dici *litteras accipere ex itinere*, sed Caesar B. civ. 1, 25. poterat dicere *legiones ex itinere compleverat*, quod dixit *in itinere.* Sed grammatici nuper haec ad consequutionem et tempus referre maluerunt, quasi diceretur *fuga facta*, sive *statim post fugam.* Vd. Herzog. ad Caes. B. gall. 6, 35. Günther. ad Cornel. Ages. 4, 6. Cui sententiae ipsa exempla repugnant.

Sallust. Cat. 34, 2. *Catilina ex itinere plerisque consularibus litteras mittit.* Cic. ad Fam. 3, 9, 2. *nam quas ex itinere, antequam ex Asia egressus es, ad me litteras misisti* etc. Liv. 35, 24, 3. Caes. B. gall. 2, 6. *id ex itinere magno impetu Belgae oppugnare coeperunt.* ubi Herzogius quum milites intelligit paullum de via decedentes, alienum sensum admiscet. Est vero ἐξ ἐφόδου.

Caes. B. civ. 1, 24. *reducitur ad eum deprehensus ex itinere*

Cn. Magius. B. gall. 2, 29. *ex itinere domum reverterunt.* i. e. in medio itinere.

Liv. 30, 7, 1. *Hasdrubal ex fuga cum paucis Afrorum urbem proximam petierat.* 28, 23, 7. *Mago ibi ex fuga substiterat.* Caes. B. gall. 6, 35. *primos Eburonum fines adeunt, multos ex fuga dispersos excipiunt.* ubi Herzogius explicat *in Folge der Flucht.* Quis vero ita loquitur? 7, 28. *quos ille multa iam nocte silentio ex fuga excepit.* Liv. 6, 29, 4. *ibi ex fuga dissipati locum capiunt.* Cf. de loco corrupto Liv. 22, 55, 4. Gronov. et Drakenb.

Cornel. Ages. 4, 6. *quum plerique ex fuga se in templum Minervae coniecissent.* Güntherus explicuit: statim post fugam. At in templum se coniiciebant ex fuga, in qua erant. Sic Sallust. Iug. 54, 4. *praeter regios equites nemo omnium Numidarum ex fuga regem sequitur.* Quod est, si rem spectas, *in fuga, fugiens.*

26. In multis aliis, in quibus *ex* vices praepositionum *ab* et *de* sustinere videtur, eo magis cavendum est, ne rationes confundamus, neu extra fines, qui usui praescripti sunt, excedamus, quo maior est inter ipsa haec vocabula similitudo.

Lucan. 8, 579. *remane, temeraria coniux, et tu nate, precor, longeque a litore casus exspectate meos.* Cortius codicum scripturam *e litore* restituit, quasi esset idem. At hoc indicat stare exspectantem in litore, illud autem eum aut longe a litore remotum exspectare casus, aut exspectare casus a litoris parte apparentes.

Cic. de Off. 1, 30, 109. *qui nihil ex occulto, nihil de insidiis agendum putant.* Beierus *de insidiis* idem esse censet atque *ex insidiis.* Quod et rationi et consuetudini repugnat. Illud enim est *per insidias.*

27. Eodem, quem explicui, modo factae sunt per metaphoram formulae, quibus quum significetur, unde profecta sit actio, simul modus ipsius actionis designatur: *ex animo, ex sententia.* Quae etiam praepositione *de* formantur. Nos Germani interpretatione distinguimus originem et modum, de quo vid. IV. 6. Recentiores scriptores etiam simplicem ablativum *animo* ponunt. Vellei. Pat. 2, 48, 2. Graeci *ἐκ θυμοῦ, ἐκ παντὸς τοῦ νοῦ.*

Ex animo et opponitur simulationi, et significat studii et voluntatis vim et sinceritatem. Cic. in Pis. 33, 81. *equidem*

dicam ex animo, patres conscripti, quod sentio. Terent. Eun. 1, 2, 95. *utinam istuc verbum ex animo ac vere diceres.* Catull. 109, 4. *atque id sincere dicat et ex animo.* Cic. ad Q. Fratr. 1, 1, 5. *quamobrem qui potes reperire ex eo genere hominum, qui — te autem alienum hominem ament ex animo ac non sui commodi caussa simulent?* de Nat. d. 2, 67, 168. *sive ex animo id fit, sive simulate.* Terent. Ad. 1, 1, 47. *ille, quem beneficio adiungas, ex animo facit.* Andr. 4, 4, 55. ubi opponitur *de industria* i. e. cum consilio et arte. Male explicuit Bentleius Ad. 5, 7, 21. Lucret. 3, 927.

Cic. ad Fam. 12, 27. *cuius tibi negotia, quae sunt in Africa, ita commendo, ut maiore studio magisve ex animo commendare non possim.* Donatus ad Terent. Ad. 5, 7, 21. *ex animo alicui facere est id facere, quod ille animo suo velit, aut certe ex tota mente praestare, non perfunctorie.* cf. Pricaeus ad Apulei. Met. p. 527.

Cic. ad Fam. 12, 17, 5. *huic tu libro maxime velim ex animo, si minus, gratiae caussa suffragere.*

Plaut. Trin. 2, 3, 4. *qui nihil aliud, nisi quod sibi soli placet, consulit advorsum filium, nugas agit: miser ex animo fit.* i. e. vere.

28. *Ex persona* dicitur, quod alias est *in persona* et *sub persona*. *Ex sua persona* significat vel *suo nomine* vel *sibi*.

Vellei. Pat. 1, 3, 2. *nihil enim ex persona poetae, sed omnia sub eorum, qui illo tempore vixerunt, dixerunt.* 3. *nam ex persona poetae et hanc urbem et quasdam Ionum colonias iis nominibus appellat, quibus vocabantur aetate eius.* Iustin. 3, 7, 14. *nam inducias, quas proprio nomine condixerant, ex sociorum persona rumpebant.*

Cic. de Inv. 1, 52, 99. *nam tum ex tua persona enumerare possis, ut, quid et quo quidque loco dixeris, admoneas.*

29. Sed quaeramus, quibus finibus hic usus coerceatur. Nam grammatici docent, *ex aliquo loco* simpliciter dici pro *in aliquo loco*. Quod nimium aut falsum est. Nam oratores non ita loquuntur, nisi, ut iam demonstravi, actio intelligitur alicunde prodiens, ex aliquo loco in alium locum conversa. Quo etiam ea, quae supra posui, *audire ex aliquo loco* pertinent. Poetae autem hoc modo interdum etiam ea formant, quae in ipso suo loco aguntur. Si vero in quibusdam dictionibus *ex* pro *in* apud alios scriptores reperitur, contracta est oratio et breviloquentia. De

verbis *e loco* v. p. 364. *E vestigio* qui etiam non addito nomine *temporis* significare putant punctum temporis, notiones vocabulorum confundunt. Nam *e vestigio* nihil est nisi *e loco*, *auf der Stelle*: quae omnia improprie ad tempus praesens referuntur. Atque eodem modo dicitur *in vestigio*.

Virgil. Aen. 8, 46. *hic locus urbis erit, requies ea certa laborum: ex quo ter denis urbem redeuntibus annis Ascanius clari condet cognominis Albam.* i. e. condere urbem, ut ex suo loco surgat aut appareat. Cf. Günther. in Athenaeo Vol. 1. p. 270. Male explicuerunt, ex quo tempore aut secundum quod portentum.

Caes. B. gall. 3, 20. *copias, quas in convalle ex insidiis collocaverant, ostenderunt.* i. e. ut essent, ut agerent ex insidiis.

Ex solido esse Curtius dixit 9, 2, 14. quod apud Senecam de Benef. 3, 4. est *in solido esse.*

Cic. de Off. 3, 7, 33. *ad quas ipsas consultationes ex superioribus libris satis multa praecepta sunt.* Quae Heusingerus comparat, non quadrant. Beierus explicuit: ex superioribus Panaetii libris deprompta. Quidni vero multa ex superioribus libris? i. e. superiorum librorum. Eodem modo de Fin. 4, 5, 13. vide p. 624.

Caes. B. gall. 4, 5. *quorum eos e vestigio poenitere necesse est.* B. civ. 2, 12. *quo minus — ad nutum e vestigio diriperentur.* Cic. Divin. in Caec. 17, 57. *sed repente e vestigio ex homine — factus est Verres.* quae si recte ceperis, nullus videbitur esse pleonasmus.

30. Quum id, quod conspicimus, ad nos spectare videatur, locus alicuius rei ita potest definiri, ut res ex eo prominere, vel inde prospicere et aliquo converti dicatur. Sic commutantur *ubi* et *unde*. Dicunt igitur Latini *e regione*, *ex adverso*, *ex contrario*, quod est ex altera parte, ex diverso, non modo de rebus inde progredientibus aut emissis, sed etiam de iis, quae in adverso, in regione posita sunt.

Caes. B. gall. 7, 35. *silvestri loco castris positis, e regione unius eorum pontium, quos Vercingetorix rescindendos curaverat.* 7, 36. *erat e regione oppidi collis sub ipsis radicibus montis.* 1, 25. *rates duplices — e regione molis collocabat.*

Cum dativo: Caes. Bell. gall. 7, 35. *quum — fere e regione castris castra poneret* etc. Cic. Acad. 2, 39, 123. *esse e regione nobis — qui adversis vestigiis sunt contra nostra vestigia.*

Liv. 22, 4, 4. *id tantum hostium, quod ex adverso erat, conspexit.* 45, 10, 4. *qui portus viginti paullo amplius millia ab Rhodo abest, ex adverso urbi ipsi positus.* Iustin. 2, 14, 8. *quum classes ex adverso starent.* Et cum genitivo. Plin. Hist. n. 5, 31, 38. *posita est inter Samum et Lesbum, ex adverso maxime Erythrarum.*

Ab his diversa sunt, in quibus *ex adverso* exeuntem vel ex adverso loco agentem notat. Plin. Hist. n. 4, 13, 27. Liv. 21, 27, 1. Plaut. Merc. 5, 2, 37. *non ex adverso vides?*

Cic. de Inv. 2, 8, 25. *atque accusatori quidem haec fere sunt in caussa faciendi consideranda. Defensor autem ex contrario primum impulsionem aut nullam fuisse dicet, aut, si fuisse concedet, extenuabit.* p. Rosc. Com. 16, 47. *at ego hoc ex contrario contendo.*

31. *E contrario* pro *contra* ponitur, de quo, quum idem significari putaretur solo nomine *contrario*, Goerenzius ad Cic. de Fin. 5, 12, 36. et Bremius ad Cornel. Eum. 1, 5. haec constituunt: *contrario* probari non posse, *e contrario* dici ab Cornelio et Quinctiliano, *ex contrario* a Cicerone. Quae plurima non possunt non redargui. Nam *e contrario* apud Ciceronem, quamquam non librorum auctoritate firmatur in Timaei c. 12., tamen nulla est caussa, quapropter reiiciatur de Fin. 5, 12, 36. *itaque e contrario moderati aequabilesque habitus — ususque corporis apta esse ad naturam videntur.* Et ita Rhet. ad Herenn. 1, 10, 17. 2, 11, 16. Cornel. Eum. 1, 5. Iphicr. 1, 4. Hann. 1, 2. Att. 9, 3. Videtur igitur vulgaris usus formulas distinxisse, ut *ex contrario* esset ex altera parte contraria, *e contrario* id quod *contra.* Praepositionis omissae exempla non exstant apud antiquiores scriptores: nam falsa sunt ea, quae afferunt Scioppius Animadv. p. 13. et ex eo Vorstius de Lat. merito susp. 2. p. 27. Ciceronem numquam *contrario*, sed *contrarie* semper dixisse iam Schorus de Phras. l. l. p. 93. observavit. De reliquis scriptoribus demonstravit Heusing. ad Cornel. Eum. 1, 5. et Observ. antib. p. 379.

Cic. de Orat. 2, 43, 182. *itaque eadem sunt in adversarios ex contrario conferenda.* Caes. B. gall. 7, 30. *itaque ut reliquorum imperatorum res adversae auctoritatem minuunt, sic huius ex contrario dignitas incommodo accepto in dies augebatur.*

Balbus ad Cic. in Epist. ad Att. 9, 7. A. *nos nisi id, quod nostro iudicio Caesarem facere oportere existimamus, — id eum*

facturum, ex ipso cognovissemus, te hortari desineremus —: aut si ex contrario putaremus Caesarem id non facturum —, numquam tibi suaderemus etc. Vide alia p. 631.

Cornel. Iph. 1, 4. *ille e contrario peltam pro parma fecit.* Lactant. 2, 5, 35. *et e contrario, si deus est mundus* etc. De verbis *at e contrario* vide in AT.

E diverso et *ex diverso* eodem modo distincta fuisse videntur, ut *e diverso* esset *immo, contra.*

Tacit. Hist. 4, 6. *directa ex diverso acies haud procul a flumine Rheno.* Iustin. 30, 4, 6. Aurel. Vict. de Viris illustr. 14, 3. *pecora ex diverso in conspectum eorum protulerunt.* ubi Arntzen.

Sueton. Dom. 9. *cupiditatis quoque atque avaritiae vix suspicionem ullam dedit: immo e diverso magna saepe non abstinentiae modo, sed etiam liberalitatis experimenta.* Caes. 86. *alii e diverso opinatum* etc. Aug. 27. *hunc e diverso professum* etc.

32. Multiplex igitur usus erat, in quo *ex* ad locum et statum designandum pro *in* ponebatur. Quo pertinent etiam *ex parte, ex aliqua parte, ex altera parte.* Priscianus p. 1204. *Attici πρὸς μέρος καὶ ἐν μέρει. Nostri quoque ad partem, et in parte, et ex parte.* Cf. T. I. p. 130. Componuntur *ex parte, quatenus* sive *qua.*

Caes. B. gall. 6, 34. *quae tamen ex parte res ad salutem exercitus pertinebat.* Cic. ad Fam. 2, 18, 6. *tua laus ex aliqua parte fuerit.* 10, 5, 8. *quod quamquam sine virtute non potuisses, tamen ex maxima parte ea, quae es adeptus, fortunae temporibusque tribuuntur.* ad Att. 11, 6, 6. *omnino haec eodem modo ex hac parte fiunt.* 2, 22, 3. *rem publicam nulla ex parte attingimus.* de Amic. 21, 79. *nec quidquam difficilius quam reperire, quod sit omni ex parte in suo genere perfectum.*

Cic. in Verr. 1, 30, 76. *grandis natu parens adductus ad supplicium, ex altera parte filius.* Liv. 28, 19, 18. Iustin. 4, 4, 12. *ex utraque parte summis viribus dimicabatur.* cf. Drakenb. ad Liv. 4, 9, 14. et ad 2, 48, 1. et ad 44, 9, 5. De verbis *ex alia parte* disputavit Dorvillus ad Chariton. p. 359.

Plin. Epist. 2, 17, 10. *ex alio latere cubiculum est politissimum.*

Cic. ad Fam. 4, 4, 1. *accipio* (excusationem) *ex ea parte, quatenus aut negligentia aut improbitate eorum, qui epistolas accipiant, fieri scribis, ne ad nos perferantur.* Macer in Digest. 47, 12, 8. *sepulcri violati crimen potest dici ad legem iuliam de vi publica pertinere ex illa parte, qua de eo cavetur* etc.

33. Et ea, quae rem vel partem nominant, in qua vel laboramus, vel in qua vitium et corruptela exstat. Quo modo etiam *ab* usurpatur.

Laborare e renibus, ex pedibus, ex capite Cic. Tusc. 2, 25, 60. ad Fam. 9, 23, 1. 7, 26, 1. quae differunt ab aliis caussam indicantibus: Cic. p. Cluent. 71, 202. *satis multos annos ex invidia laboravit.* de Inv. 2, 2, 5. *aliquanto levius ex inscientia laborarent.* ad Fam. 16, 11, 2. *non ignoro, quantum ex desiderio labores.*

Huc referunt Ernestius et Zumptius Cic. Verr. 2, 42, 105. *qui defendere non potuerit, se non ex ipsius Sthenii nomine litteras publicas corrupisse.*

34. Quod cum aliqua re commixtum sumitur vel datur una cum hac re, dicunt Latini Graecorum more *ex ea re dari* vel *sumi*. Id proprium erat medicis, qui dicebantur *aegroto aliquid dare ex aceto, ex melle, ex aqua.* Vid. Victor. Var. Lect. 32, 4. Salmas. Exercit. Plin. 505. Rhodii Lex. Scribon. p. 380. Atque ita de coquendis rebus compositis usurpabatur. Alias *cum.*

Homer. Od. 19, 536. *χῆνές μοι κατὰ οἶκον ἐείκοσι πυρὸν ἔδουσιν ἐξ ὕδατος.* cf. Vechneri Hellenol. p. 434. Varro de Re r. 3, 10, 6. *pullis primum biduo polenta aut ordeum apponitur, tribus proximis nasturtium viride consectum minutatim ex aqua in vas aliquod.* Plin. Hist. n. 29, 6, 36. *fracto capiti aranei tela ex oleo et aceto imposita.*

Plaut. Merc. 1, 2, 28. *resinam ex melle aegyptiam vorato.* Terent. Eun. 5, 4, 17. *quo pacto ex iure hesterno panem atrum vorent.* Plin. 20, 6, 26. *folia thyrsique triti ex aceto bibuntur.* 20, 22, 90.

Plin. H. nat. 22, 25, 57. *farina tritici ex aceto cocta.* Columell. 12, 48, 1. *ex aceto modice in cacabo aeneo coquito.* Cels. 3, 19. p. 157. *intrita ex hoc.* 1, 6. *ova ex oleo trita.* 2, 28. p. 332. *eadem ex vino liquanda sunt.* Scribon. 4. *haec terere ex aceto et rosa vicibus adiecta oportet.*

Cels. 7, 3. *vino ex aqua pluviatili mixto.* Alii *et aqua.* Cf. Milliganus ad Cels. 5, 28, 11. p. 264.

35. Colores et sapores varii et compositi, quorum alter in alterum transit et mutat, dicuntur esse ex aliquo.

Plin. Hist. n. 15, 30, 39. *hic frutex est ramosus, crassiore ac molliore quam laurus folio, — baccis e nigro rufis.* 21, 21, 90. *hemerocalles pallidum e viridi et molle folium habet.*

31, 8, 33. *e viridi pallens.* 12, 14, 30. *id solum e rubro lacteum traditur.* 12, 13, 29. *proximum e rufo candicans.* Columel. 9, 3, 2 (apes) *ex aureolo varias.* 12, (47) 49, 9. *oliva pausea vel orchita quum primum ex albo decoratur fitque luteola.*

Plin. Hist. n. 13, 9, 17. *pomo — color fulvus commendabilis succo ex austero dulci.* 21, 8, 26. 11, 15, 15. *sequens probatio, ut sit odoratum et ex dulci acre.*

36. Duplex rerum conditio, qua diversa coniunguntur, uti in rebus mixtis significatur per *ex.* Sic corpus dicitur *ex longo rotundum*, quod simul et longum et rotundum est.

Columell. 6, 29, 3. *corpus — ex longo, quantum figura permittit, rotundum. Mores autem laudantur, qui sunt ex placido concitati et ex concitato mitissimi.* Quae non perceperat Pelagonius, quum verteret: ὅταν ἀπὸ πρᾳοτέρων διεγηγερμένοι εὑρεθῶσιν.

37. His proxima sunt, quae materiam significant, ex qua aliquid factum vel compositum sit, aut cui depromptum sit. Etenim *facere aliquid aliquo* dicitur de tota re comsumpta, *facere aliquid ex aliquo* de parte alicuius materiae in conficiendo insumpta. Vid. Koelerus in Wolfii Analect. 4. p. 345. Herodot. 1, 194. οὐκ ἐκ ξύλων ποιεῦνται τὰ πλοῖα.

Cic. in Verr. 2, 21, 50. *statua ex aere facta.* de Div. 1, 24, 48. *ex eo auro, quod exterebratum esset, buculam curasse faciendam.* in Verr. 4, 27, 62. *erat etiam vas vinarium ex una gemma pergrandi, trulla excavata.* Ibid. *pocula ex auro.* Varro de Re r. 3, 9, 4. *easque cellas provident, ne habeant in solo humorem, et ut molle habeant substramen e palea.* Curt. 10, 2, 23. *modo sub Philippo seminudis amicula ex purpura sordent.* Sueton. Cal. 56. *monilia e gemmis.* Hygin. Fab. 73. *monile aureum ex gemmis fecit.* Curt. 3, 3, 18. *acinacem suspenderat, cui ex gemma vagina erat.* Cic. Acad. 2, 31, 100. *non enim est e saxo sculptus aut e robore dolatus.* Celsus 5, 28, 19. *inspergunt farinam ex faba.* 4, 5. *potiones ex absinthio dantur.*

Hygin. Fab. 30. *hanc* (hydram) — *interfecit et exenteravit, exque eius felle sagittas tinxit.* 125. *nudusque ex arborum foliis se obruit.*

Translatis verbis Propert. 2, 1, 5. *sive illam cois fulgentem incedere vidi, hoc totum e coa veste volumen erit.* i. e. de veste totum carmen compono.

Ne quis falsa scriptura decipiatur, hoc moneo: quod in

Fragm. Ciceron. de Nat. deor. legitur *fictorque item e cera*, non exstat apud Lactantium, qui ea verba habet 2, 8, 25. Ibi est *fictorque item cera* i. e. cera utitur.

38. Non aliter de iis, quibus alicunde sumptis aut adhibitis aliquid conficitur.

Corn. Paus. 1, 3. *reprehensus, quod ex praeda tripodem aureum Delphis posuisset.* Sueton. Aug. 30. Cornel. Timoth. 4, 1. *nam quos avus Conon muros ex hostium praeda patriae restituerat, eosdem nepos — ex sua re familiari reficere coactus est.* Sueton. Tib. 53. *decretum — quo Capitolino Iovi donum ex auro sacraretur.* Suet. Aug. 57. *ex qua summa pretiosissima deorum simulacra mercatus vicatim dedicabat.*

39. Ita dicitur *constare ex aliquibus rebus* atque etiam *coniungi* et *contineri*.

Cic. de Nat. d. 1, 35, 98. *nisi in eo, qui ex animo constet et corpore caduco et infirmo.* p. Rosc. Com. 7, 61. *nonne — ex fraude, fallaciis, mendaciis constare totus videtur?* de Nat. d. 3, 14, 34. *etenim aut simplex est natura animantis —, aut concreta est ex pluribus naturis.* Lucret. 1, 839. *ex aurique putat micis consistere posse aurum.*

Ita etiam de una re dicitur, quae materiem praestat. Cic. de Off. 1, 44, 157. *nisi ea virtus, quae constat ex hominibus tuendis, id est, ex societate generis humani, attingat cognitionem rerum.* de Orat. 2, 24, 104. *sive ex crimine caussa constet, ut facinoris, sive ex controversia, ut hereditatis.*

Cic. de Re p. 1, 45. *regio autem praestabit id, quod erit aequatum et temperatum ex tribus optimis rerum publicarum modis.* de Fin. 2, 14, 44. *cum Epicuro autem hoc est plus negotii, quod e duplici genere voluptatis coniunctus est.* Acad. 2, 2, 6. *nostra tu physica nosti, quae contineantur ex effectione, et ex materia ea, quam fingit et format effectio.* cf. Goerenz. ad h. l.

40. Accessimus ad rerum originem et caussam, ex qua prodire dicitur aliquid. Haec vero caussa esse potest, a qua et propter quam res sit. Cf. Cort. ad Cic. Epist. 16, 21, 5. Schwarz. ad Plin. Pan. 90, 2. Ablativus enim simplex caussam indicat, quae aliquid efficiat, proximam: *ex* praepositio autem ipsam originem ante oculos ponit ita, ut alteram rem ex altera prodire videamus. Haec vero potest et proxima esse et longius remota, dummodo appareat, aliquid esse aut factum esse, ex

quo res, de qua loquimur, proficiscatur. Nexus rerum caussalis igitur per ablativum simplicem notionum relatione exprimitur, sed addita praepositione simul originis et fontis imago ad animum revocatur. In illo duae notiones una comprehenduntur, in hac disiunctae notiones coniunguntur. Nam quum dico *laboro frigore* frigus ipsum est, quo laboro: quum *laboro a frigore*, est a parte frigoris: quum *laboro e frigore*, significatur dolorem proficisci ex frigore. Ita Graeci quoque distinguunt. vid. Buttmann. ad Sophocl. Philoct. 91. Hermann. ad Viger. n. 385.

Terent. Phorm. 5, 1, 23. *matrem ipsam ex aegritudine miseram mors consequuta est.* Aurel. Vict. de Viris illustr. 50, 1. *tandem ex invidia peculatus reus ab omnibus tribubus — condemnatus.* Quinctil. 8, 3, 66. *videbar videre — quosdam ex vino vacillantes.* Tacit. Hist. 2, 11. *quo plus virium ac roboris, e fiducia tarditas inerat.* Alia vide apud Cortium ad Sallust. Iug. 7, 5.

De verbis oriundi, nascendi vid. Beierus ad Cic. Lael. 21, 78. Terent. Andr. 1, 3, 11. *gravida e Pamphilo est.* 3, 2, 17. *credon tibi hoc nunc, peperisse hanc e Pamphilo?* Nota sunt *oriri, nasci ex aliquo.* Terent. Eun. 3, 2, 6. Ad. 1, 1, 15. Hec. 4, 4, 33. *si ex me illa liberos vellet sibi.* Ennius apud Cic. Orat. 46, 155. *neque tuum umquam in gremium extollas liberorum ex te genus.*

Curt. 10, 7, 8. *tutoresque destinat filio ex Roxane futuro.* De verbis *ex se gignere* Cortius ad Sallust. Iug. 5, 7. quae si cognita habuisset Heindorfius, non falsam explicationem fecisset in Cic. de Nat. d. 2, 33, 83. Sed haec, quae originem spectant, formulis constant, ut Suetonius dicere potuerit Aug. 63. *ex qua iam pater erat.*

Liv. 22, 2, 10. *Hannibal aeger oculis ex verna primum intemperie variante calores frigoraque.* Cic. Phil. 1, 5, 12. *quum e via languerem.* de Inv. 2, 4. Liv. 25, 26, 13. *ex hostium exercitu Siculi, ut primum videre ex gravitate loci vulgari morbos, in suas quisque propinquas urbes dilapsi sunt.*

Plaut. Merc. 2, 3, 106. *sanus non est ex amare illius.* Cic. p. Fontei. 8, 16. *inimicior Marcello Crassus — ex civilibus studiis atque obtrectatione domestica, quam huic Galli.* de Re p. 2, 33. *quum esset ex aere alieno commota civitas.* Cic. p. Rab. Posth. 9, 23. *Demetrium — ex doctrina nobilem et clarum.*

Cic. ad Fam. 16, 21, 5. *quod igitur tum ex me doluisti, nunc ut duplicetur tuum ex me gaudium, praestabo.* Brut. 97, 332. *ex te duplex nos afficit sollicitudo.* Terent. Andr. 1, 5, 33. *labo-*

rat e dolore atque ex hoc misera sollicita est, diem quia olim in hunc sunt constitutae nuptiae. Curt. 3, 1, 17. Sic *metuere, timere ex aliqua re.* vide, quae contulit Lipsius ad Tacit. Ann. 1, 29. Tacit. Ann. 11, 20. *metus ex imperatore, contemptio ex barbaris.* 1, 29. 2, 38. Hist. 2, 67. Agr. 16. *ex legato timor.* Ann. 1, 80. in eadem sententia simul adhibetur *a.* Cf. Schwarz. ad Plin. Pan. 93. Sallust. Iug. 32, 5. *ei timido et ex conscientia diffidenti rebus suis persuadet.* Vid. Cort. ad h. l. et ad Cat. 35, 2.

Plin. Epist. 9, 22, 3. *quae* (litterae) *ex periculo eius tantum discrimen adierunt, quantum ex salute gloriae consequuntur.* Plaut. Poen. 5, 5, 49. *quumque e virtute vobis fortuna obtigit.*

Sallust. Iug. 39, 2. *ob ea consul Albinus ex delicto fratris invidiam ac deinde periculum timens, senatum de foedere consulebat.* Cic. p. Rosc. Com. 16, 46. *non enim ex pactione verborum, quibus iusiurandum comprehenditur, sed ex perfidia et malitia, per quam insidiae tenduntur alicui, dii immortales hominibus irasci et succensere consuerunt.* Sic *ex iniuria insaniunt,* qui iniuriam acceperunt. Terent. Ad. 2, 1, 43. De loco Livii 7, 39, 10. vid. interpretes et nos infra.

Plin. Pan. 90, 2. *malos principes rectius pulchriusque est ex communibus iniuriis odisse quam propriis.*

Sallust. Iug. 48, 2. *in spem victoriae adductus ex opportunitate loci.* 50, 1. *veritus ex anni tempore et inopia aquae, ne siti conficeretur exercitus.*

Notae sunt formulae *ex ea caussa, ex eadem caussa.* Senec. Nat. qu. 1, 1. *ex ea re.* Terent. Hec. 3, 1, 19. *qua ex re.* Cornel. Dat. 2, 1. Tacit. Ann. 16, 15. *caussa festinandi ex eo oriebatur, quod* etc. 1, 7. *caussa praecipua ex formidine, ne Germanicus — habere imperium quam exspectare mallet.* de qua dictione vid. Wopkens. in Actis Traiect. T. 4. p. 360.

Nimium subtilis et falsa est interpretatio, qua Vlpianus in Dig. 47, 9, 1. verba edicti praetoris, *qui ex incendio, ruina, naufragio — quid rapuisse dicetur,* non significare putat *ex eo loco, quo incendium fit,* sed *propter tumultum incendii vel trepidationem.* Accipi poterat pro *in incendio.*

41. Scriptores quidam ipsa substantiva per hanc praepositionem coniunxerunt, ut rei originem indicarent.

Celsus 1, 5. *subitum ex repentino nubilo frigus.* 4, 5. *ex nausea vomitus.* Liv. 2, 51, 6. *ex hac clade atrox ira maioris cladis caussa atque initium fuit.* i. e. ira ex hac clade orta. Flor. 4, 10, 8. *non minor ex aqua postea quam ab hostibus clades.*

Tacit. Ann. 3, 55. *verum haec nobis — certamina ex honesto maneant.* i. e. ex honesto profecta.

Cels. 7, 7, 15. *quae curationem ex manu postulant.* i. e. chirurgicam, ne quis coniungat *postulare ex manu.* 2, 8. *ex callo quaedam tubercula.*

42. Caussae ratio est, ex qua componuntur verba *triumphare ex aliquo, victoria ex aliquo.*

Liv. 40, 45. *M. Fulvius Nobilior, qui ex Aetolis triumphaverat.* Cic. Phil. 8, 6, 18. *urbs ea, sine qua numquam ex Transalpinis gentibus maiores nostri triumpharunt.* Vid. Burm. ad Vellei. P. 2, 30. Heusing. ad Cic. de Off. 2, 8, 28. Drakenb. ad Liv. Epit. 116.

Cic. ad Fam. 3, 10, 2. *ages victor ex inimicorum dolore triumphum iustissimum.* Liv. 2, 50, 2. *saepe ex opulentissima etrusca civitate victoriam tulit.* Vellei. Pat. 2, 10, 2. *Fabii ex Allobrogibus victoria fuit nobilis.* Alia apud Drakenb. ad 38, 37, 2.

43. Notandus est usus in pronominibus. Nam *ex eo quod, ex eo quia, ex eo ut,* sunt formae ad caussam indicandam usitatissimae, in ratiocinatione *ex quo, e quibus:* quemadmodum in conclusione dicitur *ex eo fit, ut —.* Graeci ἐξ οὗ, ἐξ ὧν. Et sunt, quae in pronominibus facilius formentur, quam in aliis nominibus, etsi omnium una constat ratio. Ab his vero distingui debent, quae modum significant. De qua ratione infra iterum.

Cic. ad Fam. 7, 28, 4. *quum enim salutationi nos dedimus amicorum, quae fit ex hoc etiam frequentius quam solebat, quod quasi avem albam videntur bene sentientem civem videre, abdo me in bibliothecam.* Lactant. 5, 12, 12. *illi autem non sunt adeo stulti, ut stultis invideant, sed ex eo, quod accurate, quod sollicite persequuntur, stultos non esse concedunt.*

Cic. Tusc. 1, 18, 42. *quod ex eo sciri potest, quia corpora nostra — ardore animi concalescunt.* Cf. de Leg. 1, 15, 43. ibique Goerenz. Lactant. 5, 3, 6. *verum tu forsitan ex eo credidisti, quia vos homicidam Martem consecrastis ut deum.*

Cic. Phil. 6, 1, 1. *caussa fortissimis optimisque consulibus cal. ian. de re publica primum referendi fuit ex eo, quod XIII. cal. ian. senatus me auctore decrevit.* cf. Wopkens. in Actis Soc. Traiect. T. 4. p. 360.

Cic. de Inv. 2, 4, 14. *cum hoc, ut fere fit, in via sermonem contulit: ex quo factum est, ut illud iter familiarius facere*

vellent. Lael. 13, 46. *ex eo fieri, ut mulierculae magis amicitiarum praesidia quaerant.* Lactant. 1, 9, 6. *ex quo fit, ut ille solus vir fortis debeat iudicari* etc. Cic. de Fin. 2, 5, 15. *e quo efficitur, non ut nos non intelligamus, quae vis sit istius verbi, sed ut ille suo more loquatur, nostrum intelligat.* ubi contendere ausus est Goerenzius Ciceronem semper dixisse *ex quo efficitur,* non *e quo.* Vitruv. 1, 1, 4. *circini tradit usum, e quo maxime facilius aedificiorum in areis expediuntur descriptiones*

Cic. de Leg. 1, 8, 24. *ex quo vere vel agnatio nobis cum coelestibus vel genus vel stirps appellari potest.* i. e. inde fit, ut appellari possit. Quae non eiusdem sunt generis cum formulis *nominari ex aliqua re, dici ex aliquo.* vd. n. 18. sed comparari possunt cum his ob brevitatem dicendi, de qua Wopkens. Lect. p. 127 (92). de Divin. 1, 25, 53. *quinto autem anno exeunte — proeliantem eum ad Syracusas occidisse: ex quo ita illud somnium esse interpretatum.* Esse potest et *quo facto* et *ad huius rei rationem: dem gemäfs.* de Off. 1, 16, 52. *ex quo sunt illa communia.* Alia vide apud Beierum ad 1, 16, 51.

Cic. Acad. 1, 11, 42. *e quibus non principia solum, sed latiores quaedam ad rationem inveniendam viae reperiuntur.* Sallust. Iug. 70, 2. *ex quo illi gloria opesque inventae.* Cic. Acad. 1, 11, 42. *e quo sensibus etiam fidem tribuebat.*

44. Qua ratione in dictionibus non paucis *ex* et *a* commutari possint, ex ipsarum comparatione facile colligitur. Attamen *ex* numquam apud antiquos scriptores pro *a* ponitur, ut indicet rem ab aliquo homine factam: quamquam Graeci, certe Herodotus non raro ἐκ usurpabant pro ὑπό: cf. Heindorf. ad Plat. Gorg. p. 181. Bernhardi Synt. p. 228. et Latini recentiores *ex aliquo,* pro *a parte alicuius,* etiam cum verbis passivis coniungebant.

Quinctil. 6, 1, 41. *huic puer, quem in ius productum, quid fleret, interrogabat, ex paedagogo se vellicari respondit.* Gesnerus puerilem loquutionem esse putabat. Nunc Zumptius quum in codice ambr. correctum vidisset, recepit *a paedagogo:* cui antiqua auctoritas deesse videtur. Equidem ita accipio verba: *ex paedagogo: se vellicari.* i. e. respondit *ex paedagogo se timere,* sive etiam *se flere.* Quemadmodum saepissime dicitur *ex aliqua re timere.* vid. p. 637. Flor. 3, 16, 4. *in eo tumultu rem ex satellitibus suis se appellatum laetus accepit.* Gesnerus haec: inter satellites fuisse, qui illum primi regem appellarent, ut adeo ex illis ortum sit initium eius rei.

Illud tantum probari potest, ut sit *inter satellites*, *apud satellites*. 2, 6, 27. *hinc illud ex populo, ut imperii scutum vocaretur*. i. e. apud populum, in populo. vid. n. 28. Curt. 10, 2, 18. *crederes uno ore omnes sustulisse clamorem: ita pariter ex tota concione responsum est*. i. e. quasi e media concione.

Cum his ne quis confundat, quae originem significant. Terent. Andr. 3, 1, 11. *adeone est demens? ex peregrina?* Hec. 5, 3, 42. *multa ex quo fuerint commoda, eius incommoda aequum est ferre*.

Paulus in Digest. 28, 6. 38, 3. *coactus ex fideicommissario*. Caius 32, 1, 2. *ex filio praeterito, licet suus heres erit, fideicommissum relinqui non potest*.

45. Caussa, qua aliquid efficitur, ablativo simplici exprimitur. Addi autem potest praepositio, ubi intelligimus rem adhibitam esse, ex qua agatur, vel ex qua prodire videatur id, quod agitur. Id in quibusdam dictionibus solemne erat, in aliis autem rarum.

Plaut. Mil. 3, 1, 26. *ex opibus summis mei te honoris gratia mihique amanti ire opitulatum*. Merc. 1, 2, 1. *ex summis opibus viribusque usque experire*. Cf. Scioppii Verisimil. 4, 5. et Gronov. ad Gellium 7, 3. Florus 1, 9, 4. *ex summo studio annixus est ad augendam liberi populi maiestatem*. Graeci ἐκ πολλῆς σπουδῆς. Apulei. 7. p. 198, 31. *ex summo studio fugiens immanem ursam*. 9. p. 223, 39. Apol. p. 321, 29. *quod negotium istud mihi ex summis viribus conflavit*. Met. 2. p. 129, 1. *fores nostras ex summis viribus irruentes*. vid. Pricae. p. 384. et Oudend. p. 170 et p. 493 et p. 517.

Poetae saepe dixerunt *ex arte* pro *arte*. Vid. Gronov. ad Gell. 7, 3. Burm. ad Gratii Cyneg. 153.

Cic. in Verr. Act. 1, 11, 32. *si utar ad dicendum meo legitimo tempore, mei laboris, industriae diligentiaeque capiam fructum, et ex accusatione perficiam, ut nemo umquam post hominum memoriam paratior, vigilantior, compositior ad iudicium venisse videatur*. Ernestio suspectum erat *ex*, non de latina consuetudine dictum, et Zumptius quoque dubitat. Ille coniecit *ea*. Est vero, adhibita accusatione. Caes. B. gall. 7, 86. *loca praerupta ex adscensu tentant*. i. e. adscendendo. Morus coniungit: praeruptus ex adscensu.

Iustin. 6, 3, 2. *nec non et Conon tunc primum cum hostium exercitu concursurus ex magna cura ordinat suos*. Ita codd. nescio an recte in hoc quidem scriptore.

46. Sed caussa esse potest non proxima, sed quae

rem agendam aliquo modo ordinet ac regat. Haec triplicem habet observationem. Primum enim id, quod alicui rei caussam suppeditat, potest pro eius fundamento haberi, et ipsa res videtur ex eo prodire. Quare Latini ex aliquo homine fieri dicunt id, quod ad eum ista ratione pertinet: et per hanc praepositionem recentiores etiam argumentum agendae rei significant, veluti *quaestionem habere ex aliquo.* Sed iurisconsulti ubique miscuerunt praepositiones *ex* et *de.*

Tacit. Ann. 4, 6. *plebes acri quidem annona fatigabatur, sed nulla in eo culpa ex principe.* i. e. a parte principis. Cic. p. Scauro 2, 41. *damnatus est T. Albucius, C. Megaboccus ex Sardinia, nonnullis etiam laudantibus Sardis.* i. e. caussa ex Sardinia suppeditata. Nos *von Sardinien aus.* Quo referri potest Papinian. in Digest. 7, 1, 5. *si ex communi praedio debeatur.*

Similiter, ut videtur, Tacit. Hist. 4, 55. *ipse e maioribus suis hostis populi romani quam socius iactabat.* i. e. quum maiores antea fuissent hostes, a parte maiorum. Quamquam intelligi potest etiam temporis ratio, de qua II. 9.

Liv. 31, 36, 5. *postquam ne tum quidem potestas pugnandi dabatur, quia ex tam propinquis stativis parum tuta frumentatio erat, dispersos milites per agros equitibus extemplo invasuris, — castra ad Ortolophum movit.* i. e. quum stativa hostium et Romanorum tam propinqua essent.

Florus 2, 6, 27. *hinc illi cognomen novum et rei publicae salutare Cunctator: hinc illud ex populo, ut imperii scutum vocaretur.* i. e. apud populum, quasi a populo profectum. vid. n. 28.

Caius in Digest. 30, 1, 67. *servus uni ex heredibus legatus si quid in hereditate malitiose fecisse dicatur, — non aliter adiudicandus est, quam ex eo volentibus coheredibus quaestio habeatur.* Vlpian. in Dig. 2, 14, 7, 14. *si ex re familiari operis novi nuntiatio sit facta, liceat pacisci: si de re publica, non liceat.*

47. Tum eodem modo exprimitur caussa, quae occasionem et opportunitatem offert, ubi Germani dicunt *auf Veranlassung.* Sic adeo *ex omni occasione,* quod est *bei jeder Gelegenheit,* et *ex occasione* apud scriptores post Augustum.

Cic. ad Att. 1, 3. *nos hic te ad mensem ianuarium exspectamus ex quodam rumore, an ex litteris ad alios missis.* Planc. ad Cic. 10, 4, 1. *gratissimae mihi tuae litterae fuerunt, quas ex Furnii sermone te scripsisse animadverto.* Tacit. Hist. 2, 85. *ex nuntiis cunctabundus aut properans.* Suet. Aug. 91. *ex nocturno visu stipem quotannis die certo emendicabat a populo.*

Sallust. Cat. 35, 2. *satisfactionem ex nulla conscientia de culpa proponere decrevi.* Sueton. Caes. 75. *ex commendatione Pompeii ordines dederat.* Aug. 46.

Plin. Epist. 7, 28, 1. *ais quosdam apud te reprehendisse tamquam amicos meos ex omni occasione ultra modum laudem.* Sueton. Caes. 60. *proelia non tantum destinato, sed ex occasione sumebat: nam sumere bellum est arma sumere.* cf. Tacit. Ann. 2, 44. Agr. 16.

48. Denique vero pro caussa habetur id, quod alicui rei praecessit ita, ut id, quod dicitur, ex illo profectum aut consequutum esse videatur. Tum *ex* est *in Folge von.* Nam hac praepositione ipsa successio, qua altera res ex altera provenit, proprie significatur. Conf. Herzog. ad Caes. B. gall. 1, 30. et Kritzius ad Sallust. Cat. 12, 2. qui subtilitate abutitur, quum addit alteram rem ita insignitam non continuo alteram excipere. Mora enim temporis ut intelligatur, nihil refert, et contrarium his posuit praeceptum Güntherus ad Cornel. p. 222.

Florus 4, 12, 43. *Massiliae quippe Lucius morbo solvitur, in Syria Caius ex vulnere.* Liv. 22, 7, 3. *multi postea utrimque ex vulneribus periere.* Nos *an den Folgen der Wunden sterben.* Tacit. Ann. 1, 17. *truncato ex vulneribus corpore.* quod alia ratione 14, 17. dicitur *trunco per vulnera corpore.* Sueton. Claud. 26. *posteriorem ipso die, qui erat nuptiis destinatus, ex valetudine amisit.* Cal. 12. *amissa Iunia ex partu.* Sallust. Cat. 12, 2. *ex divitiis iuventutem luxuria atque avaritia cum superbia invasere.* Explicat Cortius „per et propter divitias“: est potius *in Folge des Reichthums.*

Apulei. Met. 1. p. 103, 4. *Thessaliam ex negotio petebam.* ubi Pricae. p. 5. Ammian. 22, 7, 6. *ex negotio proprio forte repertus apud Constantinopolim.*

Sallust. Iug. 55, 1. *Iugurtham magnificum ex Auli secordia spem salutis in solitudine aut fuga coegisset habere.* Sueton. Aug. 66. *ex levi rigoris suspicione.* Claud. 26. *ex levibus offensis.*

Ita *ex quo* est *in Folge dessen.* Cic. ad Fam. 2, 10, 2. *ex quo vereor, ne idem eveniat in meas litteras.*

Iurisconsultorum sunt formulae *ex culpa:* Papinian. in Dig. 26, 7, 41. *ex delicto*, alia.

49. Ita res, quae temporis successione cohaerent, nectuntur hac caussali notione originis et principii. Sic etiam Graeci. Xenoph. Cyrop. 1, 4, 28. *γελᾶν ἐκ τῶν πρόσθεν δακρύων.*

Virgil. Aen. 6, 407. *tumida ex ira tum corda resistunt.* i. e. quum antea corda tumescerent ira. Sallust. Iug. 36, 3. *ac fuere, qui tum Albinum haud ignarum consilii regis existimarent, neque ex tanta properantia tam facile tractum bellum secordia magis quam dolo crederent.* i. e. quum antea properasset Albinus. Vid. Cortius ad h. l.

50. Depravatae latinitatis est, quod instrumentum exprimitur hac praepositione. Antiqui scriptores vel ablativum simplicem vel *per* usurpant. Graeci ἐκ dicunt. Soph. Trach. 1133. ἐξ ἐμῆς θανεῖν χερός.

Pallad. 11, 17, 1. *mustum — agitabis ex canna radicata vehementer.* Hygin. Fab. 24. *Medea — ex venenis multa miracula fecit.* Emporii Rhetoris Demonstrat. p. 285. *mors quoque atrox et impia et tamquam ipsis rebus humanis luctuosa, et tamen ex hoc honesta dicetur, quod sit occisus ex manibus senatorum.* Epitaphium quod affert Barthius ad Claudian. p. 1343. *immissumque arcu dum pendet in aere telum et redit, ex alia fixi fregique sagitta.* Quae alia Barthius habet, alieni generis sunt.

Apud Festum s. v. *nictare* leguntur Ennii haec verba corrupta: *veluti si quando vinclis venatica venenox apta solet si forte ex nare sagaci sensit voce sua nictu ululatque ibi acuta et.* Paulus non habet praepositionem. Sine librorum auxilio parum proficies. Vrsinus coniecit *venox — nictit — acuta est.*

51. Originis notionem proxima attingit notio transmutationis. Nam qui ex alio alius fit, e priori conditione transit in aliam: idque quum ad temporis rationem referri possit, saepe simul consequutionem cogitamus. Ita *ex* usurpatur de mutata persona atque de transformata vitae et morum conditione. Plurima exempla huius usus, qui multas verborum coniunctorum formas, etiam dispariles, habet, ad homines pertinent, pauca ad res mutatas. Cf. Oudendorp. ad Lucan. 4, 719. Cort. ad Sallust. Cat. 5, 9. Iug. 10, 4. Ruhnken. ad Terent. And. 1, 1, 10. Graeci eodem modo ἐκ. vid. Frotscher ad Aquilam Rom. 4. et Matthiae Gramm. p. 1134.

Plaut. Cist. 3, 21. *si possum tranquillum facere ex irato mihi.* Cic. Div. in Caec. 17, 57. *sed repente e vestigio ex homine tamquam aliquo circaeo poculo factus est Verres.* ubi scripturam, quam Rufinianus suppeditat, non praestare, sed ab interpolatore profectam esse puto. Phil. 3, 9, 22. *cur magister eius ex oratore*

arator factus possideat — duo millia iugerum immunia? Liv. 31, 11, 14. *Masinissam Romanis ex hoste amicum factum.* Iustin. 14, 4, 3. Liv. 2, 24, 1. *adeo duas ex una civitate discordia fecerat.*

Lucret. 1, 187. *flerent iuvenes subito ex infantibus parvis.* Nec aliter Plaut. Most. 1, 2, 79. *eccum herilem filium video corruptum hic ex adolescente optimo.*

Terent. Andr. 1, 1, 10. *feci, ex servo ut esses libertus mihi.* Lysias p. 179, 26. *ἐκ πένητος πλούσιος.* Cic. Part. orat. 17, 57. *nihil est enim tam miserabile quam ex beato miser.* Manil. 4, 46. *quod consul toties exsulque, ex exsule consul.* Ennius apud Cic. de Orat. 1, 45, 199. *quos ego mea ope ex incertis certos compotesque consili dimitto.*

Senec. de Ira 3, 17, 2. *pigre ex Macedone ac libero in persicam servitutem transeuntum.* Valer. Max. 1, 1, 14. *qui ex victore speciosissimo insidiis Asdrubalis et Xantippi, Lacedaemonii ducis, ad miserabilem captivi formam deductus.* Cic. p. Rosc. Am. 18, 50. *itaque ex minima tenuissimaque republica maximam et florentissimam nobis reliquerunt.*

Spartian. Sever. 14. *Plautianum ex amicissimo, cognita eius vita, ita odio habuit, ut et hostem publicum appellaret.*

Quod Ruhnkenius comparat Virgil. Aen. 10, 220. *quas alma Cybebe numen habere maris, nymphasque e navibus esse iusserat.* ad originis notionem refero ob verbum *esse.*

52. Sed non tantum de conditione hominum transmutata usurpatur, verum etiam de rebus antea occupatis et postea cum aliis commutatis. Gronov. Observ. 4, 20.

Caes. Bell. civ. 1, 70. *ex magnis rupibus planitiem nactus, in hac contra hostem aciem instruit.* Gronovius explicat: postquam aliquid spatii rupes occuparunt, proxima fuit planicies.

53. Praeterea de re mutata usurpatur etiam ita, ut sit *loco alicuius rei.*

Flor. 1, 9, 2. *quippe ex perpetuo annuum placuit, ex singulari duplex.* Id eo modo dicitur, quo Liv. 2, 24, 1. *adeo duas ex una civitate discordia fecerat.*

54. Sigonius duobus in locis Livii *ex* pro *praeter* positum sibi visus est invenisse. Sed in altero 29, 1, 2. nemo alius dubitavit verba *ex iis trecentos* accipere pro *eorum trecentis*, neque minus in altero loco 6, 1, 10. de quo vid. Gronovius.

II. 1. Iam de tempore. Ac quatuor sunt modi, quibus temporis nomina praepositionem *ex* assumunt. Primum enim dicitur de initio temporis, quo res esse incipit. Sicuti Graeci ἐκ τοῦ νῦν, ita Latini *ex hoc tempore.*

Cic. p. Quint. 5, 22. *itaque ex eo tempore res esse in vadimonium coepit.* Plaut. Pers. 4, 3, 10. *bonus volo iam ex hoc die esse: quod neque fiet neque fuit.*

Horat. Carm. 2, 1, 1. *motum ex Metello consule civicum tractas.* i. e. historiam exponis inde a consulatu Metelli.

Solemnis est formula in locationibus proscribendis. Petron. 38. *C. Pompeius Diogenes ex calendis iuliis coenaculum locat.* Alia vide apud Garaton. ad Cic. Phil. 2, 39.

2. Tum spatium intelligitur temporis, cuius ab initio res ad aliud usque tempus permanserit. Est igitur *ex hoc tempore, seit dieser Zeit.* Sic Graeci ἐκ τοῦ παρεληλυθότος χρόνου. vd. Bernhardi Synt. p. 226.

Sueton. Caes. 20. *unus ex eo tempore omnia in re publica et ad arbitrium administravit.* Cic. Phil. 1, 1, 1. *nec vero discedebam, nec a re publica deiiciebam oculos ex eo die, quo in aedem Telluris convocati sumus.* in Verr. 1, 12, 34. *ex ea die ad hanc diem quae fecisti, in iudicium voco.* Phil. 14, 7, 20. *me ex cal. ianuariis ad hanc horam invigilasse rei publicae.* ad Att. 9, 6. *ex ea die fuere septemtriones venti.*

Cic. Phil. 5, 11, 30. *si ex eo tempore dies nullus intermissus esset, bellum profecto nullum haberemus.* p. Sext. 1, 1. *si quis antea, iudices, mirabatur —, ex hoc tempore miretur potius.* Virgil. Aen. 1, 623. *tempore iam ex illo casus mihi cognitus urbis troianae.*

Oudendorpius quum in Suet. Ner. 27. a Burmanno scriptum vidisset: *epulas e medio die ad mediam noctem protrahebat,* bene observavit dici quidem *e die in noctem potare* et *a medio die ad mediam noctem*, at non dici *e die ad noctem*; quod non esset nimium.

Cic. de Fin. 1, 6, 18. *eum motum atomorum nullo a principio, sed ex aeterno tempore intelligi convenire.*

Cic. ad Fam. 7, 17, 5. *quum te ex adolescentia tua in amicitiam et fidem meam contulisses, semper te — tuendum mihi — putavi.*

Ab his diversum est apud Cic. ad Fam. 5, 8, 7. *quo quidem ex tempore memoria teneo.* i. e. illius temporis.

3. *Ex longo* grammatici notant esse *ex longo tempore.* Sed in uno, quod afferunt, exemplo Virgil. Aen. 9, 63. *collecta fatigat edendi ex longo rabies.* coniungenda sunt verba *colligere ex longo*, ut dicitur *famem colligere*, et praepositio pendet ex notione verbi.

4. Tertium genus significationis ad nomina dierum pertinet. Nam id, quod aliquo die futuro agetur vel agendum est, dicitur *ex eo die agi.* Germani dicunt *auf den Tag.* Id vero idem fere est quod *eo die.* Ratio praepositionis nititur in initio futuri temporis.

Cic. ad Fam. 16, 9, 7. *Romae vereor, ne ex calendis ian. magni tumultus sint.* in Verr. Act. 1, 10, 29. *hunc iudicem ex cal. ian. non habebimus.* 10, 30. *ex cal. ian. non iudicabunt.*

Cic. ad Att. 5, 21. *idibus februariis — forum institueram agere Laodiceae cibyraticum et apamense: ex idibus martiis ibidem synnadense: — ex idibus maiis in Ciliciam.*

5. Denique *ex*, ut graecum *ἐκ*, de proxima consequutione rerum ita usurpatur, ut conditio dicatur, ex qua alia conditio prodierit, et finitum tempus, ex quo aliud quid esse inceperit. Id est *post.* Vid. Achill. Statii Observat. 21. p. 890. Tom. 2. Thes. Gruter. Gronov. Observat. 4, 20. Bremi. ad Cornel. Timol. 3, 2. qui graecum usum comparat, de quo disseruit Stallbaum. ad Plat. Protag. 2. Proprie dicitur *ex dictatura, ex consulatu* de proximo anno. vide Gronov. Observ. 4, 20. Drakenb. ad Liv. 10, 5, 14. et ad 4, 31, 1. In aliis autem subest nexus caussalis. Cf. I, 48.

Cic. Brut. 92, 318. *Cotta ex consulatu est profectus in Galliam.* Liv. 40, 1, 7. *cui ex consulatu prorogatum imperium est.* de Leg. 1, 20, 53. *quum pro consule ex praetura in Graeciam venisset.* p. Mur. 7, 15. *pater quum amplissime atque honestissime ex praetura triumphasset* etc. Caes. B. civ. 1, 31. 22. 85. Liv. 22, 49, 11. *reus e consulatu.* 27, 34, 3. Alia vide apud Heinsium ad Vellei. P. 2, 32. et apud Gronovium l. l.

Quinctil. 6, 2, 35. *vidi ego saepe histriones atque comoedos, quum ex aliquo graviore actu personam deposuissent, flentes adhuc egredi.* Tacit. Germ. 22. *statim e somno, quem plerumque in diem extrahunt, lavantur.* Cornel. Timol. 3, 2. *ex maximo bello tantum otium toti insulae conciliavit.* Bell. Hispan. 34. *dum hic detinetur, ex proelio quos circummunitos superius demonstravimus, eruptionem fecerunt.* Tacit. Hist. 3, 46. *Fon-*

teius *Agrippa ex Asia (pro consule eam provinciam annuo imperio tenuerat) Moesiae praepositus est.*

Liv. 21, 39, 2. *otium enim ex labore, copia ex inopia, cultus ex illuvie tabeque squalida et prope efferata corpora varie movebant.* Cornel. Tim. 3, 2. Sallust. Iug. 46, 3. *ac fuere, qui tum Albinum haud ignarum consilii regis existimarent, neque ex tanta properantia tam facile tractum bellum socordia magis quam dolo crederent.* Celsus 2, 8. *mulier ex partu si cum febre vehementibus etiam et assiduis capitis doloribus premitur, in periculo mortis est.* 2, 7. *si — ex somno oculi caligant.* 3, 12. *igitur quum primum aliquis inhorruit et ex horrore incaluit.* Cic. p. Lege Man. 15, 44. *tanta repente vilitas annonae ex summa inopia et caritate rei frumentariae consequuta est.* Tacit. Ann. 3, 6. *convenisse recenti dolori luctum et ex moerore solatia.* 15, 68. *ceterum Neronis odium adversus Vestinum ex intima sodalitate coeperat.*

Cic. de Leg. 2, 14, 36. *nihil melius illis mysteriis, quibus ex agresti immanique vita exculti ad humanitatem et mitigati sumus.* Iustin. 12, 10, 1. *itaque ex magna desperatione tandem saluti redditus.* 44, 4, 11. *ex agresti cibo mitiora vesci.* Nexu caussali cohaerent haec Ennii apud Varron. 4, 10. *qui ventus est et nubes, imber postea atque ex imbre frigus.* Celsus 2, 8. *morbis intestini tenuioris ex urinae difficultate.*

6. Vnde formula *aliud ex alio*, quae significat *alia res post aliam*, quasi ex ea prodiens. *Dies ex die* dicunt, qui multorum dierum seriem intelligunt.

Cic. ad Fam. 9, 19, 5. *me quotidie aliud ex alio impedit.* de Leg. 1, 4, 14. *nec profecto nobis delectatio deerit, aliud ex alio quaerentibus.*

Terent. Eun. 4, 2, 1. *dum rus eo, coepi egomet mecum inter vias — aliam rem ex alia cogitare.* Liv. 7, 39, 3. *quam multitudinem consul alter Romae praetorque alias ex aliis fingendo moras retinebat.* 4, 2, 9. Lucret. 4, 822. *fit, ut — alia ex alia facies aetasque sequatur.*

Cic. ad Att. 16, 14. *sed, ut aliud ex alio, mihi non est dubium, quia, quod Graeci καθῆκον, nos officium.* i. e. ut ad aliud transeam.

Goerenz. ad Cic. de Leg. 1, 19, 52. observasse se narrat, neque Ciceronem, neque alium scriptorem umquam mutasse ordinem verborum, nec dixisse *ex alio aliud*, neque etiam diverso numero *ex alio alia*. Quare corrigit verba: *videtisne, quanta series rerum sententiarumque sit, atque ut ex alio alia nectan-*

tur. Quibus persuasus Moserus edidit *alia ex alia nectatur*: vereor tamen, ne id ex praecipitato decreto factum sit.

Cic. ad Att. 7, 26. *quod diem ex die exspectabam, ut statuerem, quid esset faciendum.* Herodot. 9, 8. *ἐξ ἡμέρης ἐς ἡμέρην ἀναβαλλόμενοι.*

7. Idem etiam de rebus usurpatur, quae serie quadam cohaerent.

Cic. Tusc. 5, 25, 70. *quum rerum caussas alias ex aliis aptas et necessitate nexas videt.* de Nat. d. 1, 4, 9. *est enim admirabilis quaedam continuatio seriesque rerum, ut alia ex alia nexa et omnes inter se aptae colligataeque videantur.*

Gratii Cyneg. 8. *contiguas didicere ex artibus artes proserere.* Rutil. Lup. 1, 2. ex Lycurgo: *vitia ex vitiis coacta.* Demosth. de Falsa leg. p. 346. *ἐλπίσιν ἐκ ἐλπίδων.*

8. Haec consequutionis ratio ad ipsas conditiones rerum mutatas adhibetur, ut ex aliquibus exemplis modo appositis colligi potest. Sed ea quoque verba huc referri debent, quae statum indicant, e quo quis recreando se vel quiescendo ad alium progreditur: veluti dicitur *ex miseria requiescere.*

Sallust. Cat. 4, 1. *animus ex multis miseriis atque periculis requievit.* ubi Cortius. Cic. in Verr. 5, 61, 160. *ex illo metu mortis et tenebris quasi luce libertatis et odore aliquo legum recreatus.*

9. Alia, sed similia sunt ea, quibus significatur origo rei alicuius in tempore superiori, sive id, quod ex illo tempore ad alia posteriora tempora transierit.

Cic. p. Font. 8, 16. *ceteri partim ex veteribus bellis agro multati, partim ab hoc ipso bello superati.* Tacit. Hist. 4, 55. *ipse e maioribus suis hostis populi romani quam socius iactabat.* i. e. ex tempore maiorum: nisi intelligatur caussa, ut sensus sit: quum maiores iam hostes fuissent.

10. Ex his vero, quae modo dixi, demonstrari potest, *ex quo* et esse *ab eo tempore* et *tum quum*, et *post illud tempus.* Graeci habebant ἀφ' οὗ, fortasse etiam ἐξ οὗ. Cicero non dixisse videtur *ex quo* hac quidem temporis significatione, sed *ex quo tempore.* Apud Livium nihil frequentius. Sed in hac formula perfectum, non imperfectum usurpatum videmus. *Ex eo* et *ex illo* eodem modo usurpantur.

Liv. 3, 24, 4. *neque fratrem Volscii, ex quo semel fuerit*

aeger, umquam non modo visum in publico, sed ne adsurrexisse quidem ex morbo. 28, 39, 4. 39, 12, 6. Horat. Epist. 2, 2, 153. *ex quo plenior es.* Tacit. Ann. 1, 58. *ex quo a divo Augusto civitate donatus sum, amicos inimicosque ex vestris utilitatibus delegi.* Multa ex recentioribus scriptoribus collegit Bünemann. ad Lactant. 7, 14, 4. Iuvenal. 6, 294. *nullum crimen abest —, ex quo paupertas romana periit.*

Praecedunt nomina temporis: Tacit. Ann. 14, 53. *quartus decimus annus est, Caesar, ex quo spei tuae admotus sum.* Seneca apud Lactant. 3, 16, 14. *nondum sunt mille anni, ex quo initia sapientiae mota sunt.* Sil. Ital. 15, 529. *decima haec iam vertitur aestas, ex quo proterimur.*

Liv. 40, 5, 12. *cuius, ex quo obses Romae fuit, corpus nobis reddiderunt Romani, animum ipsum habent.* i. e. postquam obses fuit.

Liv. 1, 35, 4. *se, ex quo sui potens fuerit, Romam cum coniuge ac fortunis omnibus commigrasse.* Id est: tum temporis, ex quo — fuerit.

Macer in Dig. 48, 17, 4. *annus exinde computandus est, ex quo ea annotatio — publice innotuit.* i. e. ab eo tempore, in quo innotuit. Vlpian. in Dig. 38, 3, 1, 2. 1, 16, 4, 6.

Tacit. Ann. 12, 7. *versa ex eo civitas, et cuncta feminae obediebant.* 6, 9. Suet. Caes. 22. Celsus 3, 9. *horror oriatur et fiat initium quoddam novi motus, exque eo, quum magis corpus incaluit, sequatur etiam remissio.* Scribon. Larg. 171. *quia non incidit ex eo quisquam.* i. e. post illud tempus, seitdem. Alia apud Wopkens. in Actis Traiect. T. 4. p. 390.

Ovid. Fast. 5, 670. *ex illo est haec tibi festa dies.* Stat. Silv. 1, 2, 81. *ex illo quantos iuvenis premat anxius ignes, testis ego.* Claudian. Bell. get. 173. Virgil. Aen. 2, 165. *ex quo — illo.*

11. Infimae aetatis sunt adverbia cum praepositione composita, *ex nunc, ex tunc, ex post:* nisi haec quoque regulae a Donato p. 1761. expositae submittenda sunt, ut *tamquam unam partem orationis sub uno accentu pronuntiemus.*

Ammian. 21, 10, 2. *cuius loci situm ex nunc convenienter ostendam.*

Alcim. Avitus Poem. 3, 315. *ex tunc paullatim retro sublapsa referri vita prior coepitque malis laxata potestas.*

Quod iurisconsulti dicebant *ex post delicto, ex post facto,* factum est per hyphen. Exempla vide apud Brissonium p. 410. b.

12. Duae sunt loquutiones *ex tempore* et *ex intervallo*, quarum haec de loco proprie usurpata ad tempus etiam transfertur intermissum. *Ex tempore* non uno sensu dicitur. Indicat enim modo rem non praeparatam, ut sit id quod *extemplo*, *statim*, modo *pro tempore*, *e re nata*, *κατὰ καιρόν*, de rebus tempori convenientibus, modo etiam *sine cura*, *sine consilio:* nam quod praeparationem non habet, sed ex praesenti tempore fit, destituitur etiam consilii fundamento.

Liv. 28, 44, 8. *multa, quae nunc ex intervallo non apparent, bellum aperiet.* i. e. e longinquo. 10, 43, 6. *postquam iam non ex intervallo, nec missilibus, sed cominus gerebatur res, — ex aequo pugnabant.*

Cic. ad Att. 4, 17. *ille latinus ἀττικισμὸς ex intervallo regustandus.* i. e. intermisso aliquo tempore. de Inv. 1, 28, 43. *quae factum aliquod similiter confestim, aut ex intervallo solent consequi.* i. e. post aliquod tempus. Sueton. Claud. 41. *ne sedato quidem tumultu temperare potuit, quin ex intervallo subinde facti reminisceretur.* i. e. nonnumquam.

Cic. de Orat. 2, 60, 246. *illud egregium Sextii et ex tempore, manus lava, inquit, et coena.* ad Att. 10, 1. *quae tu scelera partim parari iam et cogitari, partim ex tempore futura censes.* p. Arch. 8, 18. *quoties ego hunc vidi, quum litteram scripsisset nullam, magnum numerum optimorum versuum — dicere ex tempore.* Sueton. Aug. 98. 84.

Cic. de Off. 3, 6, 32. *huius generis sunt quaestiones omnes eae, in quibus ex tempore officium exquiritur.* cf. Beierus ad h. l. ad Att. 9, 2. a. *nos adhuc, quid Brundisii actum esset, plane nesciebamus. Quum sciemus, tum ex re et ex tempore consilium capiemus.* de Off. 2, 9, 33. ubi Beier. Vid. Duker. ad Liv. 33, 9, 8.

Sueton. Tib. 10. *ut aliquanto ex tempore quam a cura praestantior haberetur.* Sallust. Iug. 70, 3. *igitur utriusque consilio dies insidiis statuitur: cetera uti res posceret, ex tempore parari placuit.* Lucil. Aetnae 164. *qualis acervus exsilit, imparibus iactis ex tempore saxis.*

13. *Ex* quum excessum significaret et in compositione verborum rem indicaret exactam et finitam, recentior usus novam invenit denominationem eorum, qui magistratu abierint aut aliquo munere perfuncti fuerint: dicebanturque *ex consule*, *ex ducibus*, *ex comite*, qui etiam *exconsul*, *exdux*, *excomes* vocabantur. Exempla vide apud Gesnerum p. 447. et quae index habet

Inscript. Orelli Collect. p. 525. cf. Misc. Obs. T. 7. p. 359. Salmas. ad Capitolin. Maxim. 20. ad Gordian. 7. ad Prob. 13. Sed quod Salmasius ad Trebell. Poll. Gallien. 2. et ad Trebell. Trig. Tyrann. 5, 6. contendit *ex militibus viros* vocari posse militares, qui iam militia exierant, id ex eo collegisse videtur, quod Arnobius dixerit *ex maribus* et Schol. Iuvenal. ad 6, 105. *Sergiolum nomine ex gladiatore amavit.* At Arnobius haec lib. 5. p. 97, 33. *pecudes etiam fiunt ex maribus matres* et Scholiastes unum intellexit e gladiatoribus. Equidem vero unum inveni locum, in quo *ex adulto* eum significat, qui exacta adolescentia ad virilem aetatem pervenerat. Ammian. 16, 7, 5. *quem si Constans imperator olim ex adulto iamque maturum audiret honesta suadentem et recta, nulla vel venia certe digna peccasset.*

III. 1. Modum *ex* praepositio indicat, quando res agenda ex aliqua re sive ex aliqua lege ac conditione rationem et normam depromptam habet, et inde pendet interno quodam nexu. Alia via ad eamdem notionem perducit vocabulum *secundum.* Quod fit *secundum naturam*, sequitur eam, quod autem fit *ex natura*, a natura id acceptum habet, quod ipsum moderetur. Vtrumque est *κατά*, *nach*, *gemäfs:* et dicunt Graeci eodem modo etiam *ἐκ.* Sed non multae sunt latinae loquutiones, quae etiam *secundum* admittant, nec dicitur a Cicerone quidem *secundum leges administrare rem publicam*, sed *ex legibus.* Atque subtiliter Schorus Phras. lat. ling. p. 127. observat haec: „*secundum* a Cicerone non coniungitur istiusmodi nominibus, nisi in hoc sensu: *secundum naturam vivere:* aliis modis non invenies.“ Id vero, quod aliquam rem agendam moderetur, aut norma est et praeceptum, aut sempiterna conditio, a qua non discedatur, aut interna actionis indoles, veluti *ex fide*, *ex gratia.*

Cic. Tusc. 5, 2, 5. *est autem unus dies bene et ex praeceptis tuis actus peccanti immortalitati anteponendus.* p. Rosc. Com. 18, 56. *qui ex iuris peritorum consilio et auctoritate restipularetur a Fannio diligenter.*

Hic usus formulas confecit permultas ubique obvias. *Ex praecepto.* Vid. Cortius ad Sallust. Cat. 44, 1. Iug. 13, 7. 94, 1. *ex edicto.* Cic. p. Quint. 8, 30. *ex decreto.* Cic. ad Fam. 13, 56. *ex senatus consulto.* vid. Cort. ad Sallust. Cat. 42, 3. *ex senatus sententia.* Cic. ad Fam. 12, 5, 2. Liv. 4, 53, 6. *ex collegii sen-*

tentia. quod 4, 44, 12. *pro collegii sententia.* *ex lege.* Cic. Div. in Caec. 19. Caius in Dig. 48, 5, 43. Cic. de Iuvent. 1, 38, 68. *ex legibus omnes rem publicam optime putant administrari.* *ex iure.* de qua formula vide Gesner. in Thesaur. p. 443. *ex foedere.* i. q. iuxta foedus, iuxta foederis leges. Liv. 1, 23, 7. Cornel. Hann. 7, 5. Flor. 1, 3, 6. vid. Sigon. ad Liv. 3, 25, 6. *Ex voluntate alicuius agere.* vid. Cort. ad Cic. Epist. 13, 5, 1. ad Sallust. Cat. 26.

Caes. B. gall. 1, 52. *Germani celeriter ex consuetudine sua phalange facta impetus gladiorum exceperunt.* 4, 32. *legione ex consuetudine una frumentatum missa.* Cic. p. Cluent. 13, 38. *qui quum unum iam et alterum diem desideraretur, neque iis locis, ubi ex consuetudine quaerebatur, inveniretur* etc. Sueton. Aug. 32. Caes. 81.

Traian. in Plin. Epist. 10, 63. *non est ex iustitia nostrorum temporum.* Cic. de Fin. 4, 13, 35. *ex virtute vitam fingere.* de Leg. 2, 4, 8. *ita principem legem illam et ultimam mentem esse dicebant. — ex qua illa lex, quam dii humano generi dederunt, recte est laudata.* Cf. not. ad Wopkens. Lect. Tull. p. 127. Sallust. Iug. 61. *neque id tempus ex aliorum more quieti aut luxuriae concedit.* Terent. Heau. 1, 2, 29. *huncine erat aequom ex illius more, an illum ex huius vivere?* Virgil. Aen. 5, 244. *cunctis ex more vocatis.* 8, 186. Sueton. Caes. 6. *quaestor — defunctas laudavit e more pro rostris.* Ovid. Met. 14, 156. *sacris e more litatis.* 15, 593. Plin. Epist. 3, 18, 1. *quod ego in senatu quum ad rationem et loci et temporis ex more fecissem* etc. Flor. 4, 2, 79. 4, 7, 8. Cf. Burmann. ad Petron. 108.

Cicero numquam dixit *ex more*, sed omissa praepositione, *more.* Nam quod legitur Phil. 2, 28, 69. *quid enim umquam domus illa viderat, nisi pudicum, nisi ex optimo more et sanctissima disciplina?* alieni generis esse, quivis videt.

Cic. de Fin. 5, 17, 47. *quoniam enim natura suis omnibus expleri partibus vult, hunc statum corporis per se ipsum expetit, qui est maxime e natura.* 2, 11, 34. *quod esse volunt e virtute id est honeste vivere.* ubi vid. Goerenz.

Plin. Epist. 9, 14. *nec ipse tibi plaudis et ego nihil magis ex fide, quam de te scribo.* Vide alia in nota proxima.

Ex officio formula est recentior. vid. Digest. 49, 14, 45, 8.

2. Ita saepe hac forma exprimitur vis adverbii, sive id non exstiterit in latina lingua, sive solutiore oratione exprimatur idem sensus.

Plaut. Poen. 1, 2, 9. *ex industria ambae numquam concessavimus lavari.* Liv. 1, 66, 8. *ergo ex industria factus ad imitationem stultitiae.*

Tacit. Ann. 4, 31. *nec occultum est, quando ex veritate, quando adumbrata laetitia facta imperatorum celebrentur.* Sallust. Cat. 8, 1. *ea* (fortuna) *res cunctas ex lubidine magis quam ex vero celebrat obscuratque.* Terent. Heaut. 1, 2, 4. *ex sua libidine moderantur, nunc quae est, non quae olim fuit.*

Ex memoria i. q. memoriter. Cic. in Catil. 3, 6, 13. *Ex ordine* et dicitur de rebus deinceps ordinatis: Cic. in Verr. 4, 64, 143. Virg. Aen. 7, 177. 139. Ovid. Met. 12, 211. 15, 733. et de rebus iusto ordine compositis: Ovid. Met. 2, 109. et de rebus cunctis: Cic. de Lege agr. 1, 2, 4. Ovid. Met. 7, 650. 14, 473. Cf. not. ad Statii Silv. 1, 4, 13.

3. In eumdem modum formulae componuntur ex participiis, quae rem significant antea constitutam et legis instar agentibus propositam, veluti *ex instituto*, *ex composito*, *ex compacto*, aliae. In multis antiquus usus non adhibuit praepositionem, quae saepe librariis aut grammaticis debetur. Vid. Ruhnken. ad Vellei. Pat. 2, 110, 2.

Liv. 6, 10, 6. *quaesitumque, cur per eos annos militem ex instituto non dedissent.* De verbis *ex composito* vide Drakenb. ad Liv. 1, 9, 10. 5, 11, 7. Curt. 9, 7, 24. Cornel. Milt. 2, 4. *ex pacto postulat, ut sibi urbem tradant.* Suet. Caes. 20. *ut — pro rostris auctores ex compacto nominaret.* Cf. interpretes ad Liv. 5, 11, 7. De verbis *ex indicto bellum gerere* vid. Drakenb. ad Liv. 1, 27, 2.

4. Modus in agendis rebus adhibendus etiam eo potest significari, ut ex aliqua rerum qualitate depromptus dicatur. Id fit nominibus adiectivis et participiis, quae singulari numero aliquam conditionem vel qualitatem indicant, et cum *ex* praepositione coniuncta pro adverbiis ponuntur. Sunt vero ea neutrius generis: alia adiectiva, quae qualitatem aliquam generaliter notant, ut *ex aequo*, *ex vero*, pro *aeque*, *vere*: alia participia in eumdem modum conformata, ut *ex abundanti*, *ex aperto*, i. e. *abundanter*, *aperte*: alia denique participia praeteriti temporis, quae actionem vel conditionem indicant, ex qua quid prodire videatur, ut *ex improviso.* Quo usu loquendi Graecos imitati sunt Latini, et maxime inde ab eo tempore, quo graecam consuetudinem in plurimis adsciscere coeperant, praesertim qui-

bus haec imitatio vehementer placuit, Ovidius et Tacitus. Nam alii in multis his dictionibus omittere solebant praepositionem, in nonnullis ponebant *in*. Graecam illam originem negare videtur Bernhardius in Synt. graec. p. 230. Tamen recentiorem aetatem, certe in adiectivis, ipsi librorum auctores monstrant. Atque haec ratio, etsi ad omnia adiectiva et participia apta videtur, et multa ex singulorum scriptorum fabrica in communem usum venerunt, nemini tamen nunc licebit antiquam consuetudinem excedere, aut nova facere. Quare in hac disciplina necesse erit, ut omnia exempla, quae exstant, huius dictionis colligantur. Inter ea sunt nonnulla, quae paullo audacius videantur conformata: illud tamen numquam sibi arrogavit haec imitatio, ut graecum usum numeri pluralis admitteret, et sicuti ἐκ τῶν εἰκότων, ἐκ τῶν δυνατῶν, ita *ex insperatis*, *ex facilibus* diceret. Vid. Walch. ad Tacit. Agr. 15. p. 219. Quamquam dictum est alia ratione *ex meritis*, *ex praesentibus*. Et separanda sunt ea, in quibus exitus et motus significatur, ut *ex occulto*, *ex adverso*, quando est *ex contraria parte*, et ea, in quibus adiectivum pro substantivo ponitur, ut *ex compacto*, *ex composito*.

Adiectiva: e x a e q u o pro in utramque partem aequalem, ἐξ ἴσου. Liv. 42, 25, 11. 37, 36, 5. *quae disceptatio ex aequo, quum imperium patiendum sit, relicta est?* i. e. in aequali conditione. cf. Drakenb. ad 39, 36, 1. Quinctil. Declam. 251. *qui nuptias ex aequo fecerunt.* Lucan. 5, 405. *non ex aequo divisimus orbem.* ubi Cort. Senec. Epist. 88, 37. *Protagoras ait, de omni re in utramque partem disputari posse ex aequo.* Tacit. Ann. 15, 13. Hist. 2, 77. 4, 64. Ovid. Am. 1, 10, 35. *quae venus ex aequo ventura est grata duobus:* tum i. q. aequaliter, aeque. vid. Cortius ad Lucan. 8, 232. Burmann. ad Petron. 74. Schwartz. ad Plin. Pan. p. 430. Beier. ad Cic. Off. 3, 15. p. 291. Plin. 17, 8, 4. *haec ex aequo fertilis.* Columel. 6, 31. *ex aequo miscentur radices agrestis hederae sulfurque.* Tertullian. ad Vxor. 2, 8. *sit illa ex aequo in terris, quae in coelis forsitan non erit.* et *ex aequo vivere cum aliquo* i. e. aequa conditione. Plin. 6, 17, 19. Iurisconsulti usurpant formulam *ex bono et aequo:* de qua vide Brissonium de Verb. signif. p. 135. et p. 49. *E x c o m m o d o* opponitur verbo *festinanter* Columell. 6, 2, 15. 12, 19, 2. Senec. Nat. qu. 5, 18. Neratius in Digest. 50, 5, 4. *E c o n t r a r i o.* vid. p. 631. *E x d i v e r s o.* Plin. Epist. 2, 19, 7. *apud Graecos enim est quiddam, quamvis ex diverso, non tamen omnino dissimile.* *E x f a c i l i.* Ovid. Am. 2, 2, 55. *culpa nec ex facili,*

quamvis manifesta, probatur. Colum. 6, 1, 1. *non ex facili dixerim.* 12, 46, 1. *nobis tamen abunde sunt ea, quae ex facili rusticae simplicitati non magna impensa possunt contingere.* Tacit. Agr. 15. *nihil profici patientia, nisi ut graviora tamquam ex facili tolerantibus imperentur.* Lucan. 4, 46. ubi Cortius. Plin. Hist. n. 22, 25, 66. 30, 3, 8. 37, 4, 15. Alia vide apud Heins. ad Ovid. Art. am. 3, 476. Ritterhus. ad Gunther. 9, 461. Cort. ad Lucan. 4, 46. *Ex integro*, i. q. de novo. Quinctil. 11, 3, 156. Plin. Epist. 10, 64, 4. 7, 9, 6. Columel. 9, 13, 8. Sueton. Aug. 34. Iustin. 2, 15, 1. et 17. Saepissime iuris auctores. *Ex merito.* Sallust. Iug. 85, 37. *et omnis honores non ex merito, sed quasi debitos a vobis eripuit.* ubi Cort. Ovid. ex P. 4, 7, 16. *contigit ex merito, qui tibi nuper honos.* Her. 5, 7. *leniter, ex merito quidquid patiare, ferendum est.* vid. Burmann. ad Vellei. P. 2, 119. De omissa praepositione Arntzen. ad Caton. Dist. p. 230. *Ex obliquo.* Plin. 2, 31, 31. *nec supra ipsum, nec infra, sed ex obliquo.* *Ex pari.* Quinctil. 2, 19, 2. *si parti utrilibet omnino alteram detrahas* etc. — : *sin ex pari coeant* etc. Senec. Ep. 56, 14. *sapiens ille est, qui plenus gaudio, hilaris et placidus, inconcussus, cum diis ex pari vivit.* *Ex primo*, i. q. primo. Plin. 11, 41, 96. *ex primo semper a partu colostra fiunt.* *Ex supervacuo.* Liv. 2, 37, 8. *auctor magis, ut fit, quam res ad praecavendum ex supervacuo movit.* *Ex toto*, i. e. penitus, omnino, ἐξ ἅπαντος. Ovid. ex Ponto 4, 8, 72. Celsus 1, 2. 2, 8. et persaepe. Colum. 5, 8, 6. Senec. 75, 10. *nimis imminere leviter petendis vel ex toto non petendis.* Curt. 8, 6, 23. *Ex tuto.* Liv. 26, 38. 6. *Blattius, quantum ex tuto poterat, rem romanam fovebat.* 22, 12, 10. *Ex vano*, i. q. irritum. Liv. 33, 31, 4. 27, 26, 1. vid. Walchii Emendat. Liv. p. 163. *Ex vero* i. e. vere. Sallust. Cat. 8, 1. *ea res cunctas ex lubidine magis quam ex vero celebrat obscuratque.* Ovid. Art. am. 3, 9, 4. Fast. 2, 859. Macrob. Sat. 7, 16. p. 693. Zeun. Bene restituit Burmann. in Seren. Sammon. 1033. atque etiam, ut videtur, Heinsius in Vellei. Pat. 2, 91, 1. *quod cognomen illi ex vero — consensus universi senatus populique rom. indidit.* Nam Horat. Sat. 2, 2, 56. *cui canis ex vero dictum cognomen adhaeret.* Cf. Acidal. ad Plaut. Stich. p. 469.

Participia quae universam conditionem significant: *Ex abundanti.* Quinctil. 4, 5, 15. *addidit ex abundanti.* 5, 6, 2. 8, 3, 88. *cumulus ex abundanti.* Tertullian. de Carne 25. Vid. Spalding. ad Quinct. 4, 5, 15. Brisson. de Verb. s. p. 11. *Ex affluenti*, i. e. affluenter. Tacit. Hist. 1, 57. ubi Ernestius. *Ex aperto.* Senec. Nat. quaest. 4. praef. 5. *alius adulatione clam utetur, parce: alius ex aperto, palam.* Sed aliquantum differunt haec:

Liv. 21, 32, 10. *ex aperto atque interdiu vim per angustias facturus.* 35, 5, 3. *Ex continenti*, i. q. continuo, nulla mora interposita. Iustin. 1, 9, 19. 5, 3, 7. 11, 4, 12. vid. Cort. ad Lucan. 4, 46. Ducker de Latin. Iuriscons. p. 389.

Participia, quae indicant statum antecedentem: *Ex confesso*, i. e. sine controversia. Quinctil. 3, 5, 3. *vituperare, quae ex confesso sint turpia.* Senec. Epist. 76, 9. *si quis omnia alia habeat —, sed malus ex confesso sit, improbabis illum.* *Ex denunciato.* Senec. Quaest. nat. 3, 30, 1. *ad quae non subito, sed ex denunciato venit.* *Ex destinato.* Suet. Cal. 43. *Ex dissimulato.* Senec. Qu. nat. 4. praef. 5. *aiebat non esse occulte, sed ex dissimulato blandiendum.* Cf. Ruhnken. ad Vellei. Pat. 2, 109, 2. et Wopkens. in Misc. Observ. T. 8. p. 71. contra quem quae Burmannus disputat p. 401. absurda sunt, ut ipse Wopkensius demonstravit Tom. 9. p. 276. *Ex improviso.* Plaut. Rud. 4, 5, 2. *qui ex improviso filiam inveni meam.* Cic. in Verr. 1, 43, 112. *voluisti, ex improviso si quae res natae essent, ex urbano edicto decernere.* conf. Bentlei. ad Terent. Ad. 4, 4, 2. Oudend. ad Caes. B. civ. 3, 79. Drakenb. ad Liv. 6, 33, 7. *Ex inopinato.* Cic. de Nat. d. 2, 48, 123. *aliae autem ex inopinato observant.* Sueton. Galb. 10. Plin. Hist. n. 10, 29, 43. *Ex insperato.* ἐξ ἀέλπτου Herodot. 1, 111. Plaut. Stich. 2, 1, 32. *illam augeam ex insperato.* Liv. 2, 35, 1. 30, 10, 20. 28, 39, 9. Plin. Hist. n. 25, 3, 6. *Ex necopinato.* Liv. 4, 27, 8. ubi Drakenb. *Ex permisso.* Curt. 10, 5, 32. *Veneris intra naturale desiderium usus, nec ulla nisi ex permisso voluptas, ingentes profecto dotes erant.* *Ex praeparato.* Liv. 28, 29, 9. *quum ex praeparato simul omnium rerum terror oculis auribusque est obfusus.* 22, 41, 1. 10, 41, 9. *ad nutum omnia, ut ex ante praeparato fiunt.* ubi vid. Drakenb. 26, 20, 10. Senec. Epist. 10, 1. *non enim ex praeparato loquutus est, sed subito deprehensus.* *Ex professo.* Senec. Epist. 88, 17. *et hae viles ex professo artes, quae manu constant.* 14, 8. *pars enim securitatis et in hoc est, non ex professo eam petere.* Valer. Max. 4, 1, 8. *quum ex professo inimicitias cum — Scipionibus gereret.* *Ex transverso*, de iis, quae praeter opinionem eveniunt et prius consilium impediunt. vide Burmann. ad Petron. 55. *quod non exspectes, ex transverso fit.*

Quod apud Quinctil. 8, 5, 5. legitur: *illud notabile ex diversis.* intellige, ex diversis compositum. Ita *ex meritis.* vide p. 659. *ex praesentibus.* Curt. 4, 12, 17. *nec quidquam ex praesentibus.* 10, 9, 17. *tutissimum ex praesentibus videbatur.* Quae omnia alia ratione reguntur.

5. Recentior latinitas indulsit huic dictioni adeo, ut non tantum nomina modum significantia, sed qualecumque adiectivum cum hac praepositione componeret.

Ammian. 16, 7, 5. *quem si Constans imperator olim ex adulto iamque maturum audiret honesta suadentem et recta, nulla vel venia certe digna peccasset.* i. e. qui exacta adolescentia ad virilem pervenerat. Sed conf. p. 651.

Dicunt Cornelium Nepotem *ex proximo* dixisse pro *proxime*, Pelop. 2, 1. *hi omnes fere Athenas se contulerunt, non quo sequerentur otium, sed ut quemque ex proximo locum fors obtulisset, eo patriam recuperare niterentur.* At nemo antiquorum scriptorum ita loquutus est. Quare aut haec non a Cornelio scripta sunt, aut *ex proximo* cohaeret cum verbo *offerre.*

6. In nonnullis nominibus diversae significationes diversam rationem unius huius praepositionis sibi accommodant et notionem mutant. *Ex sententia* est modo ex voluntate, sive uti fert voluntas, *nach Wunsch,* modo secundum opinionem, sive de consilio, quod alias *de sententia.* Cf. p. 628.

Plaut. Merc. 2, 3, 36. *postea hac nocte non quievi satis mea ex sententia.* Men. 2, 2, 1. *bene obsonavi atque ex mea sententia bonum anteponam prandium pransoribus.* Terent. Hec. 5, 4, 32. *speroque hanc rem esse eventuram nobis ex sententia.* Cic. ad Fam. 12, 10, 3. *si haec ex sententia confecta essent.* Alia Hadr. Cardinal. de Modis lat. loq. p. 156. (49). Westerhov. ad Terent. Heaut. 4, 3, 5.

Plaut. Capt. 2, 2, 96. *nec quemquam fideliorem — potes mittere ad eum, nec qui magis sit servos ex sententia.* i. e. ei acceptior. Cic. ad Att. 5, 21. *te in Epirum salvum venisse et, ut scribis, ex sententia navigasse vehementer gaudeo.* Dictys Cret. 1, 4. *ventis ex sententia flantibus.*

Cic. p. Cluent. 63, 177. *ex omnium sententia constitutum est, satis videri esse quaesitum.* ad Fam. 12, 4, 2. Liv. 40, 29, 5. 45, 29, 3. *ex consilii sententia.*

Formula erat in iureiurando solemnis *ex mei animi sententia,* de qua vid. Lips. Var. Lect. 1, 1. Gronov. Observat. 4, 14. et ad Liv. 22, 53, 10. Taubmann. ad Plaut. Pseud. 1, 3, 119. Spalding. ad Quinctil. 6, 3, 32. Beier. ad Cic. de Off. 3, 29, 108. et de ordine verborum in ea Henrichsen ad Cic. de Orat. 2, 64, 260.

7. *Ex ratione,* quod est *in Rücksicht.* Alias *ad rationem* dicitur. Sed alia quoque nomina ita compo-

nuntur, ut intelligas rationem earum, velut *ex nostra dignitate* est ex ratione nostrae dignitatis.

Cic. p. Quint. 11, 37. *quia Sex. Naevio neque ex societatis ratione neque privatim quidquam debuit Quintius.* 15, 48. *libet mihi ex officii ratione atque ex omnium consuetudine rem ipsam et factum simul Sex. Naevi considerare.* de Off. 1, 22, 76. *quamquam haec quidem res non solum ex domestica est ratione: attingit etiam bellicam.*

Cic. ad Fam. 5, 8, 10. *quantum tuo iudicio tribuendum nobis esse putes, statues ipse et, ut spero, statues ex nostra dignitate.*

8. Hinc dictiones *iudicare ex aliqua re, nach einer Sache urtheilen, aestimare, metiri, ponderare, pendere aliquid ex aliqua re.* Nam intelligitur res cum alia re tamquam cum norma collata, aut ratio et argumentum iudicii, quod Germani dicunt *in Hinsicht*, aut etiam magnitudo rei comparanda: *im Vergleich.*

Plaut. Trin. 4, 3, 42. *ex eorum ingenio ingenium horum probant.* Terent. Eun. 1, 2, 118. *ex aliarum ingeniis nunc me iudicet.* Cornel. Epam. 6, 2.

Balb. ad Cic. in Epist. ad Att. 9, 6. *amplissimorum virorum consilia ex eventu, non ex voluntate a plerisque probari solent.* Cic. de Inv. 2, 10, 34. 2, 10, 32. Tacit. Hist. 3, 57. *ita compositus, ut ex eventu rerum adversa abnueret vel prospera agnosceret.* Cic. de Inv. 1, 38, 68. *omnes leges ad commodum rei publicae referre oportet et eas ex utilitate communi, non ex scriptione, quae in litteris est, interpretari.*

Cic. p. Rosc. Com. 10, 28. *nemo enim illum ex trunco corporis spectabat, sed ex artificio comico aestimabat.* Sallust. Cat. 10, 5. *amicitias inimicitiasque non ex re, sed ex commodo aestumare.* Cic. Orat. part. 34, 117. *si obscuri testes sunt aut tenues, dicendum erit, non esse ex fortuna fidem ponderandam.* p. Quint. 1, 5. *si apud hoc consilium ex opibus, non ex veritate caussa pendetur, profecto nihil est iam sanctum atque sincerum in civitate.* Planc. ad Cic. 10, 4, 5. *quam ego ex mea conscientia metior.* Omissa praepositione Cic. ad Fam. 7, 12, 4. Caes. B. gall. 3, 20. *quae pars — et regionum latitudine et multitudine hominum ex tertia parte Galliae est aestimanda.* i. e. pro tertia parte habenda est.

Tacit. Ann. 1, 24. *haec — Tiberium perpulere, ut Drusum filium — mitteret nullis satis certis mandatis ex re consulturum.*

Cic. in Catil. 2, 3, 5. *itaque ego illum exercitum ex gallicanis legionibus et hoc delectu, quem in agro piceno et gallico Q.*

Metellus habuit et ex his copiis, quae a nobis quotidie comparantur, magnopere contemno. Haec critici mutarunt vel cum Mureto *et gallicanis legionibus — et his copiis*, vel *prae gall. leg.* Iure antiquam scripturam restituit Beneckius, sed in explicanda ea non satis distinxit rationes.

9. Quod aliquam speciem aut formam refert, alicui rei sive exemplo accommodatum est, atque ex eo prodire videtur. Quare praepositio *ex* de exemplo, e quo imitatio pendeat, proprie usurpatur.

Plaut. Stich. 1, 3, 115. *satin ut facete atque ex pictura adstitit?* Intelligitur qui *graphicus* audit Epid. 3, 4, 29.

Cic. de Nat. d. 1, 38, 107. *nam quid est, quod minus probari possit, quam hominum in me incidere imagines, Homeri, Archilochi, Romuli, Numae, Pythagorae, Platonis, nec ex forma, qua illi fuerunt?* Critici tantum non omnes corrigunt *ea forma*, praeter necessitatem.

10. Etiam res hoc modo significantur, quibuscum aliquid convenit, aut quibus aliquid respondet, aut quae aliquo modo rem dictam moderantur. Haec est convenientia, quam alias *secundum* exprimit. Germani dicunt *nach.* Qua ratione componuntur formulae quaedam, *ex auctoritate, ex conditione*, aliae.

Plaut. Epid. 5, 1, 19. *ex tuis verbis meum futurum corium pulchrum praedicas.* Cic. ad Fam. 7, 17, 1. *ex tuis litteris et Q. fratri gratias egi et te aliquando collaudare possum.* ad Att. 1, 3. *nos hic te ad mensem ianuarium exspectamus ex quodam rumore, an ex litteris tuis ad alios missis.* ad Fam. 12, 4, 5. *nunc quae scribo, scribo ex opinione hominum atque fama.*

Cic. ad Att. 1, 5. *itaque ex iis, quae postea saepe ab eo ad me scripta sunt, confido, ita esse omnia, ut et oporteat et velimus.* Ita de Off. 1, 16, 51. *e quibus ipsis cetera sic observentur.* de quo loco magna est criticorum dissensio.

Tacit. Ann. 2, 63. *scripsit Tiberio, non ut profugus aut supplex, sed ex memoria prioris fortunae.* i. e. sicut ferebat memoria. Flor. 4, 12, 28. *non per adulationem, sed ex meritis — senatus cognomen ex provincia dedit.* Cf. p. 656.

Tacit. Agr. 8. *aliquando maioribus copiis ex eventu praefecit.* i. e. quum eventus id suasisset.

Ex auctoritate. Liv. 34, 35, 2. *ut pax ex auctoritate senatus confirmaretur.*

Ex conditione formula est iurisconsultorum. Vlpian. in Dig. 29, 1, 15, 4. *vel ex conditione vel in conditionem.*

Pompon. in Digest. 5, 1, 80. *si ex conventione litigatorum is iudex aditus est.*

11. Quem sequimur vel dicendo vel narrando vel existimando, ei nos accommodamus et ex eo pendet id, quod agimus. Quare *ex* dicitur de auctoribus: ubi nos Germani *nach*. Sed *interpretari aliquid ex graeco* alia, ut videtur, ratione locali Latini dicunt, qua nos *aus dem Griechischen übersetzen*.

Cic. Brut. 14, 55. *quod ex pontificum commentariis longe plurimum ingenio valuisse videatur.*

Liv. 23, 11, 4. *haec ubi ex graeco carmine interpretata recitavit, tum dixit* **etc. Sed aliter Cic. de Inv. 2, 44, 128.** *nam multo propius accedere ad scriptoris voluntatem eum, qui ex ipsius eam litteris interpretetur, quam illum, qui sententiam scriptoris non ex ipsius scriptis spectet.* **vid. n. 8.**

Ita explicandum est, quod hac praepositione iurisconsulti dicuntur in aliorum libros scripsisse notas, veluti Vlpian. Dig. 18, 2, 4, 6. *Pomponius libro nono ex Sabino.* **Pomponius enim sequitur Sabinum in commentariis. Vid. Brisson. de Verb. signif. p. 411.**

12. Quod ex aliqua re exit, in interiori re antea versatum erat, et interno quodam nexu cum ipsa re cohaeret, atque inde pendet. Quo fit, ut id, quod se intra aliquam rem tenet, dicatur esse ex ea. Quod fere ad utilitatem referimus. Quare *ex* grammatici idem esse dicunt quod *pro*. Vid. Charisius p. 209. Atque *e re publica* significat *pro re publica, in usum eius:* cf. Vallae Elegant. 5, 19. Oudendorp. ad Sueton. Caes. 19. Brem. ad Cornel. Att. 6, 2. Sed non ipsa utilitas est, quae hac voce exprimatur, sed ratio tantum intercedens. Quam ob rem etiam de aliis modis et de damno ita dici potest, veluti *ex iniuria:* et quod dicitur *ex re consulere*, quod est, uti res postulat, quum additur *mea* vel *publica*, refertur ad singularem rationem, quae est commodi. Sed non multae sunt huius generis formulae.

Horat. Sat. 2, 6, 77. *Cervius haec inter vicinus garrit aniles ex re fabellas.* **ubi Schol. pro commodo, i. e. quae cum re proposita conveniant.**

Cic. Phil. 10, 11, 25. *id Q. Caepionem Brutum — bene et e re publica, pro sua maiorumque suorum dignitate consuetudineque rei publicae bene gerendae fecisse.* **de Orat. 2, 28, 124. ad Fam.**

13, 8, 5. *ea si dicam non esse e re publica dividi, docere te videar, non rogare.* de Leg. 2, 26, 66. *non solum eruditissimus, sed etiam civis e re publica maxime tuendaeque civitatis peritissimus.* ubi sine caussa dubitat Wagnerus p. 150. ad Fam. 9, 21, 7. *nam praeter hunc C. Carbonem — civis e re publica Carbonum nemo fuit.* Phil. 8, 4, 13. et de loco p. Rabir. Posth. 9, 24. vide Orellium. Liv. 23, 24, 1. Cum verbis activis Cic. Phil. 3, 12, 30. *duobus aut tribus senatus consultis bene et e re publica factis, reliquas res ad lucrum praedamque revocaverit.* Suet. Caes. 19. *ne Catone quidem abnuente, eam largitionem e re publica fieri.* In hac formula ubique usurpatur *e*, non *ex*, quod alias componitur cum nomine *re*, veluti p. Balbo 27, 62. *ex rei publicae tempestate.* ad Quint. fr. 3, 9, 2. Tamen Cic. Phil. 3, 15, 38. *recte atque ordine exque re publica fecisse* et 5, 13, 36. *exque re publica fecisse.* Quo efficitur, non sensum verborum, sed litteram moderari usum. Cf. Laur. Valla l. l.

Plaut. Pseud. 1, 3, 102. *ex tua re non est, ut ego emoriar.* Terent. Phor. 5, 8, 76. *non hercle ex re istius me instigasti.* de qua dictione vid. Hadrian. Cardinal. p. 239. (81.) Gulielm. ad Plaut. Cist. c. 8. T. III. Gruter. p. 341. et ex his Scriver. Anecd. p. 64.

Ex usu esse de eo, quod conducat, quod utile sit: Plaut. Merc. 2, 3, 60. *verum non ex usu nostro est, nec placet.* Terent. Hec. 4, 3, 10. *ex usu quod est, id persequar.* Caes. B. gall. 1, 30. *eam rem non minus ex usu terrae Galliae quam populi romani accidisse.* Tacit. Annal. 6, 42. *qui plebem primoribus tradidit ex suo usu.* 15, 43. *ea ex utilitate accepta decorem quoque novae urbi attulere.* cf. Heindorf. ad Cic. de Nat. d. 2, 65, 163.*

Liv. 45, 44, 11. *si datus Gallis esset* (ager), *ignoscere Prusiam debere, si ex nullius iniuria quidquam ei datum vellet populus romanus.* i. e. in iniuriam, cum ratione iniuriae. Similiter, puto, 7, 39, 10. *quem patrum aut plebis esse, qui aut se tanto periculo sciens offerat, aut cui ex iniuria insanientis exercitus caussa recte committatur?*

E re nata dicitur, quod alibi est *pro re nata.* Terent. Ad. 3, 1, 8. *e re nata melius fieri non potuit, quam factumst.* de qua dictione vid. Donatus et Westerhov. et Pricaeus ad Apulei. Met. p. 196. et Oudendorp. p. 602. et 670.

Quinctil. 4, 1, 26. *quod laedit, aut omnino repellere, aut certe minuere, ex caussa est.*

*) In codicibus saepe elisa est praepositio praecedente *et.* vid. Drakenb. ad Liv. 5, 32, 4. 6, 7, 4. 33, 36, 7. post *e.* Drakenb. ad Liv. 8, 4, 12. 10, 43, 11. 29, 19, 3.

post *ea*. Drak. ad Liv. 35, 50, 7. post *eo*. Drak. ad Liv. 34, 20, 5. Confunduntur *ex* et *et*. Cort. ad Lucan. 6, 226. Drak. ad Liv. 26, 45, 1. 38, 49, 4. Beier. ad Cic. p. Tull. 10. p. 18. et *de*. Cort. ad Lucan. 1, 534, 7, 741. Drakenb. ad Liv. 21, 6, 5. Garaton. ad Cic. Phil. 2, 6. Gernhard. ad Lael. 3, 12. et *a*. Cort. ad Lucan. 1, 181. 5, 640. et *ea*. Drak. ad Liv. 7, 3, 5. 23, 48, 11. 44, 27, 7. Beier. ad Cic. p. Tull. p. 38. Goerenz. ad Cic. de Fin. p. 49. Adiecerunt librarii. vid. H. Vossius ad Tibull. 1, 2, 40.

EXADVERSVM.

Laurentius Valla docuit praepositiones fieri adverbia, quando aliis praeponerentur praepositionibus. Atque haec ipsa composita vocabula plerumque adverbii naturam et speciem sibi induunt. Quod bene cognoverat Priscianus, quum dicebat praepositiones, quoties casu carentibus apponerentur, dictionis vim semper amittere: quod frustra refellit Aus. Popma de Vsu antiq. loq. 1, 14. Huius vero generis est EXADVERSVM: quod non, ut vulgo putant, e verbis *ex adverso* nescio qua depravatione transmutatum est, sed in se habet *adversum* et *ex*. Conf. T. 1. p. 178. Nec cum Burmanno, qui de hac re ad Sueton. Tiber. 33. loquutus est, negabimus fuisse antiquum hoc vocabulum, quod corruptoribus linguae recentissimis aut librariis debeatur. Testimonia adsunt veterum grammaticorum Prisciani, Donati, Gellii, quibus maiorem tribuamus auctoritatem, quam librariis ubique *ex adverso* substituentibus. Neque disceptabimus cum aliis, utrum adverbium, an praepositio vocanda sit. Substantivo enim praefixa fit praepositio, adverbium non habet nomen. De accentu Gellius 7, 7. *in eo quoque quod exadversum dicimus*, (Annianus) *secundam syllabam debere acui existimabat, quoniam una, non duae essent orationis partes: atque ita oportere apud Terentium legi dicebat in his versibus: in quo* etc. Sed Bentleius ad Terent. Ph. 1, 2, 38. „recte quidem Annianus, quod ad hunc locum attinet: nam hic *exádversum* acuit secundam: sed mox v. 47. et Ad. 4, 2, 45. primam acuit *éxadvérsum*, ut apud Plautum Bacch. 4, 7, 37. Ad nihilum ergo recidit Anniani illius subtilitas.“ Scilicet Annianus iudicabat retrahi debere accentum in iis compositis vocabulis, quae uno accentu comprehenderentur. Quod aliter visum erat gramma-

ticis istius temporis. De formis *adversus* et *adversum* diximus Tom. I. p. 179. Qui scripserunt *ex adversus* apud Plin. Hist. n. 6, 16, 18. in animo habebant *ex nunc*, *ex post*, quae recentissimae aetatis usus procreavit.

Priscian. p. 977. ***quando autem τὸ ἐναντίον significat, magis adverbium ostenditur, ut Terentius in Phorm. ei loco exadversum tonstrina erat quaedam.*** **p. 1037.** ***nec non etiam dictio tam in compositione quam in appositione: in compositione, ut Terentius in Phormione exadversum ei loco pro adversum.*** **Burmannum refellit Oudendorpius ad Suet. Caes. 39. quem vide ad Apulei. Flor. p. 49. Cf. Gronov. ad Gell. 11, 22.**

1. Significatio ea est, quam Priscianus posuit, ex adverso, e regione: nam *ex* indicat rem ex aliquo loco sub adspectum venire atque ita contrariam esse: *von gegenüber her*. Cf. Gifan. Observat. p. 86 (176.). Gebhardus et Bosius ad Cornel. Them. 3, 4. Thras. 2, 7. Iac. Gronovius ad Sueton. Caes. 39. appellat doctius quam *ex adverso*.

Plaut. Bacch. 4, 7, 37. ***video exadversum Pistoclerum et Bacchidem.*** **Terent. Phorm. 1, 2, 47.** ***ea sita erat exadversum.*** **Ad. 4, 2, 44.** ***apud ipsum lacum est pistrilla, et exadvorsum fabrica.*** **Apud Sueton. Caes. 39.** ***inque earum locum bina castra ex adverso constituerant.*** **quatuor codd.** ***exadversum*** **praebent. in Tiber. 33. duo tantum. Apulei. Flor. p. 353, 35.** ***sese quisque exadversum quam proxime collocat.*** **Amm. Marc. 23, 6, 72.**

Cum dativo Terent. Ph. 1, 2, 38. ***in quo haec discebat ludo, exadversum ei loco tonstrina erat quaedam.*** **ubi Bentlei. Apulei. Apol. p. 284, 2.** ***cur cava specula, si exadversum soli retineantur, oppositum fomitem accendunt.*** **Florid. p. 350, 23.** ***Samos icario in mari modica insula est exadversum Mileto, ad occidentem eius sita.*** **Ita scribendum esse, non** ***Miletos*****, omnes critici consentiunt.**

Praepositio cum accusativo composita. Cic. de Divin. 1, 45, 101. ***ara enim Aio Loquenti, quam septam videmus, exadversus eum locum consecrata est.*** **Vnus cod.** ***exadversum.*** **Cornel. Them. 3, 4.** ***quo factum est, ut ab Artemisio discederent et exadversum Athenas apud Salamina classem suam constituerent.*** **Plin. Hist. n. 6, 16, 18.** ***gens haec obtinet aversa montis Paropamisi exadversus fontes Indi.***

2. Non vulgari modo, si verba integra sunt, loquutus est Cornel. Nep. Thras. 2, 7. *in secundo proelio*

cecidit Critias, quum quidem exadversus Thrasybulum fortissime pugnaret. Esset hoc: quum pugnaret ex adverso positus Thrasybulo: quod fortasse ad aemulationem spectare videbitur. At quis ita latine loquitur? Nec dici poterat *pugnare exadversus aliquem:* quare Lambinus et alii scripsere *adversus.* Quod Scioppius in uno libro invenit, Burmannus comprobavit, *Thrasybulus*, sententiam praebet non perverse dictam, sed absonam et inanem.

EXAMVSSIM.

AMVSSIM accusativus substantivi antiquo, ut videtur, tempore pro adverbio usurpabatur: quam ob rem Festus: *amussim, regulariter.* Hoc adverbium componebatur cum *ex* adverbio in EXAMVSSIM, quod Bentleius errat quum dicit formatum esse ab *ex amussi*, quod numquam est dictum. De *ad amussim* vide Tom. I. p. 130. Festus: *examussim, regulariter: amussis enim regula fabrorum est, vel ut alii volunt, ferramentum, quo in poliendo utuntur.* Nonius 1, 28. *examussim dicitur examinate ad regulam vel coagmentum: est enim amussis regula fabrorum, quam architecti, quum opus probant, rubrica illinunt.* Charisius p. 178. *examussim. Plautus in Amphitryone: Examussim est optima: ubi Sisenna, pro examinato, inquit: amussis enim est tabula rubicata, quae dimittitur examinandi operis gratia, an rectum opus surgat.* Plautus usurpat et recentissimi vetustae consuetudinis aemulatores. Per metaphoram significat exacte, accurate, diligenter, sed etiam absolute, perfecte.

Plaut. Most. 1, 2, 18. *aedes quom extemplo sunt paratae, expolitae, factae probe, examussim, laudant fabrum.* Men. Prol. 50. *ut hanc rem vobis examussim disputem.* Apulei. Met. 2. p. 128, 13. *ceram in modum prosectarum formatam aurium ei applicant examussim.* Cur vero Carrio apud Gellium 1, 4. *ad amussim* mutaret in *examussim*, nulla erat caussa.

Plaut. Amph. 2, 2, 213. *nae ista edepol, si haec vera loquitur, examussim est optuma.* Apulei. Met. 4. p. 150, 33. *nec secius Thrasyleon examussim capto noctis latrocinali momento, prorepit cavea.* 11. p. 271. *cetero etiam statu atque habitu examussim nocturnae imagini congruentem.*

EXANTE.

Antiquus usus verbi *exante* tantum in formulis *ex ante die*, *ex ante diem* apparet: de quibus disserui T. I. p. 382. Et quae proprie dicenda erant *ex ante-die*, *ex ante-diem*, pronuntiatione et scriptura vulgari ita contrahebantur, ut *exante* unum vocabulum esse videretur. Vnde traditio de vocabulo *exante*, cuius alia non exstant exempla. Nam quae afferunt Popma de Vsu antiq. loq. 1, 14. et Besselius in Miscell. p. 161. ea ad illam formulam pertinent omnia, praeter unum locum Apuleii Met. 1. p. 103, 17. ubi quum in codicibus invenissent: *et tamen Athenis proximo et ante Poecilem porticum isto gemino obtutu circulatorem adspexi equestrem spatham praeacutam mucrone infesto devorasse*. Gulielmus et Piccartus et alii emendarunt *exante*. Oudendorpius eiecit *et*, auctoritate trium codicum.

EXHINC.

Exhinc novissimam habet originem, ut videtur, ex Hadriani tempore. Significat id quod *exinde*.

Apulei. Met. 11. p. 269, 19. *exhinc festivissimum celebravi natalem sacrorum*. Quamquam ibi etiam cod. Dorvill. *et hinc* praebet.

Priscianus 10, 3, 17. p. 886. afferre dicitur Lucretii verba *exhinc corpus propellit et icit*. Sed plurimi codices habent *exin*. Neque aliter boni libri in Sueton. Tib. 9. ubi ante Oudendorpium legebatur: *exhinc raeticum vindelicumque bellum — gessit*. nunc vero *exin*. Scribere enim solebant librarii *exhin*. Eadem varietas exstat in Suet. Ner. 7. in Virgil. Aen. 7, 341. 8, 306.

EXINDE.

Exinde inter ea vocabula nominat Donatus p. 1761. quae, etsi praepositio separatim adverbiis non applicatur, tamquam unam partem orationis sub uno accentu pronuntiamus. Hinc Servius ad Virg. Aen. 6, 743. *una pars orationis est*, [*et in tertia a fine accentum habet, licet penultima longa sit: quod ideo factum est, ut ostenderetur una pars esse orationis,*] *ne praepositio iungeretur adverbio, quod vitiosum esse non dubium*

est. Brevior forma, ut puto, ob accentus difficultatem facta est *exin*. Cf. DEINDE. Alii huius rei caussam in metro quaesiverunt. Festus: *exin metri caussa dicitur pro exinde.* Sed prosaici quoque scriptores ea forma usi sunt. Cicero Orat. 45, 154. *dein etiam saepe et exin pro deinde et exinde dicimus.* Atque hoc unum videtur esse ex iis vocabulis singularibus, quae apud quosdam scriptores aut numquam aut raro inveniuntur. Nam frustra quaeres in Terentii et Celsi libris: pauca exempla leguntur apud Ciceronem neque ullum in orationibus eius. Tacitus semper breviorem formam usurpavit.

1. Servius ad Virg. Aen. 6, 891. et 12, 92. appellat adverbium ordinis significans *deinde.* Vnde Noltenius p. 580. negavit esse adverbium loci. Sed primaria significatio est de loco, ex quo aliquid exit: quod esse potest et exitus et directio; inde ex eo loco: *von da* et *von da her.* Novissimo tempore etiam dicebatur pro *ex.* Medium aevum non nisi metaphoram habet in usu.

Tacit. Ann. 15, 12. *regionem Commagenam, exin Cappadociam, inde Armenios petivit.*

Plaut. Poen. 3, 9. *utcumque est ventus, exin velum vortitur.* Item Epid. 1, 1, 47. quae Acidalius interpretatur: ita, pro ea ratione. Est vero, ex ea regione, ex ea parte.

Cod. Iustin. 1, 12, 4. *si servus cuiusquam in ecclesiam altariave armatus — irruerit, exinde protinus abstrahatur.*

2. Hoc transfertur ad caussam et rationem, ut sit *ex eo, ex ea ratione.* Id recentissima aetas adhibuit ad designandum fructum vel incommodum ex aliqua re natum. Scioppius quum in Infam. Fam. p. 6. reprehendit Stradam, qui dixit *odiaque exinde animosius exercemus*, terminos constituere debuit, extra quos veteres non egrediebantur. Ii enim non dicebant pro *ea de caussa.*

Plaut. Most. 1, 3, 70. *ut fama est homini, exin solet pecuniam invenire.* Apulei. Met. 6. p. 184, 1. *nec quidquam idonei lucri exinde cepimus, sed vulnera.*

Plaut. Pseud. 2, 3, 13. *proinde ut quisque fortuna utitur, ita praecellet: atque exinde sapere eum omnes dicimus.*

Tertull. adv. Marc. 1, 22. *homo damnatur in mortem ob unius arbusculae delibationem et exinde prosiliunt delicta cum poenis.*

Cod. Iustin. 1, 3, 35. *quum exinde sustentatio vel educatio*

orphanis — compareretur. 1, 2, 14, 2. *quodcumque exinde incommodum ecclesiae contigerit.* Sulpic. Sever. Vit. Martini initio: *plerique mortales studio gloriae saecularis inaniter dediti, exinde perennem, ut putabant, memoriam nominis sui quaesiverunt.*

3. Tum significat ordinem rerum, quod fert natura praepositionis *ex*. Sed in quibus ordo rerum in loco aliquo dispositarum intelligatur, perpauca sunt exempla. Nec dicitur hoc modo res solum, quae post aliam sita est, sed etiam quae ante vel iuxta eam.

Cic. de Nat. d. 2, 43, 111. *exin contortis Aries cum cornibus haeret.* i. e. in stellarum serie proximus Equo.

4. Frequentior est usus de tempore et de rebus alias excipientibus. Significat igitur *deinde*, *quo facto, tum*.

Ennius apud Cic. de Div. 1, 48, 108. *interea sol albu' recessit in infera noctis. Exin candida se radiis dedit icta foras lux.*

Cic. de Div. 1, 26, 55. *servus per circum, quum virgis caederetur, furcam ferens ductus est. Exin cuidam rustico romano dormienti visus est venire, qui diceret* etc. Virgil. Aen. 6, 743. *quisque suos patimur manes: exinde per amplum mittimur Elysium.* 7, 341. Liv. 24, 42, 1. *ad Mundam exinde castra punica mota.* Apulei. Met. 6. p. 183, 31. *me et equum vectores rerum illarum futuros fustibus exinde tundentes perducunt in viam.*

Sic etiam Plaut. Curc. 2, 3, 84. *ostium ubi conspexi, exinde me illico protinam dedi.* Opponuntur *ubi — exinde*, ut alias *ubi — tum.* Nam Servius ad Virg. Aen. 7, 341. explicat *statim.* Neque aliter Truc. 1, 1, 63. *eadem postquam alium repperit, qui plus daret, damnosiorem, me exinde amovit loco.*

Cic. de Leg. 3, 3, 7. *populique partis in tribus distribuunto: exin pecunias, aevitatis, ordinis partiunto.* i. e. quo facto.

5. Quare saepe usurpatur in narratione rerum gestarum, ut sit *post haec*. Plerumque primum locum occupat, coniunctionis instar. Sed etiam in expositione, quae transit ab aliqua re ad aliam, *exinde* dicitur, ut *tum*.

Virg. Aen. 6, 890. *incenditque animum famae venientis amore. Exin bella viro memorat quae deinde gerenda.* In quibus observanda est vicinitas verbi *deinde.* Liv. 1, 28, 10. *exinde, duabus admotis quadrigis, in currus earum distentum illigat Mettum: deinde in diversum iter equi concitati* etc. i. e. iam, tum. 27, 5, 6.

Virg. Aen. 8, 306. *exin si cuncti divinis rebus ad urbem perfectis referunt.* Apud Livium saepe leguntur verba *praetores exinde facti.* vd. Drakenb. ad 42, 9, 8. conf. 31, 6, 2. Tacit. Ann. 3, 36. *exin promptum, quod multorum intimis questibus tegebatur.* 4, 4. 12, 22. 15, 17. 15, 64. 2, 16. ubi *dein — exin.* Florus 4, 2, 13. Iustin. 43, 3, 11.

Cic. de Nat. d. 2, 39, 101. *exinde mari finitimus aër die et nocte distinguitur.*

6. Sic etiam in enumerandis rebus. Praecedunt tum fere et sequuntur aliae enumerationis vel consequutionis particulae.

Tacit. Ann. 15, 41. *iam opes tot victoriis quaesitae, et graecarum artium decora, exin monumenta ingeniorum antiqua.*

Tacit. Ann. 11, 2. *Suillio corruptionem militum —, exin adulterium Poppaeae, ac postremum mollitiam corporis obiectante.*

7. Recentior est usus, quo *exinde* ponitur pro *ex illo tempore.* Iurisconsulti adeo dixerunt *exinde — ex quo:* Apuleius *exinde ut, exinde quum,* i. e. *seitdem.*

Iustin. 1, 2, 3. *ne novo habitu aliquid occultare videretur, eodem ornatu et populum vestiri iubet: quem morem vestis exinde gens universa tenet.* Vlpian. in Dig. 10, 1, 4, 2. *post litem autem contestatam etiam fructus venient in hoc iudicio: nam et culpa et dolus exinde praestantur.* Pompei. 41, 6, 4. Tryphon. in Dig. 49, 15, 12, 1. *merito quia hi bonorum fuerunt et esse perseverant, hi sui iuris exinde sibique ideo acquisisse intelliguntur.* Cod. Iustin. 7, 33, 1. *quum post motam et omissam quaestionem res ad nova dominia bona fide transierint, et exinde novi viginti anni intercesserint sine interpellatione, non est inquietanda, quae nunc possidet, persona.*

Vlpian. in Dig. 1, 16, 4, 6. *credendum est videri legatum habere iurisdictionem non exinde, ex quo mandata est, sed ex quo provinciam proconsul ingressus est.* 5, 1, 67. Cod. Iustin. 2, 22, 3. 4, 32, 9.

Apulei. Met. 2. p. 120, 36. *exinde ut de Euboea insula festinus enavigasti.* Apolog. p. 289, 33. *exinde ut curiam participare coepi.* Met. 1. p. 113, 20. *exinde quum ex astu a magistro digressi sumus.*

8. Veteres non usi sunt hoc vocabulo in colligenda conclusione, sed barbari dixerunt *exinde sequitur* pro *inde sequitur.*

EXTEMPLO.

De origine vocabuli EXTEMPLO admodum obscura iam veteres multum quaesiverunt. Varro de L. L. 6, 2. *etiam indidem* (a tuendo) *illud Ennii: Extemplo acceptum me necato et filium. Extemplo enim est continuo, quod omne templum esse debet continuo septum, nec plus unum introitum habere.* Servius ad Virg. Aen. 1, 92. *extemplo, illico, statim. Et est augurum sermo. Templum enim dicitur locus manu auguris designatus in aëre, post quem factum illico captantur auguria.* Et ad 2, 699. *verbum augurum, qui visis auspiciis surgebant ex templo: unde est extemplo adverbium.* conf. ad 6, 210. 8, 4. Haec quomodo cum verbo *contemplari* conciliaverint, non facile ex ipsorum dictis intelligitur. Recentiores grammatici aut veterum sententiam amplexi sunt, aut novam viam aperuerunt in temporis notionem inquirentes. Is. Vossius enim in Etymol. p. 182. b. haec: „*extempulo* vel *extemplo*, παραυτῆς., παραχρῆμα, idem quod *ex tempore:* a *tempus* diminutivum est *tempulus* vel *tempulum:* inde *contemplari* vel *contemplare* pro *contempulare*, id est multum temporis in re aliqua consideranda insumere.“ Eum sequitur Schellerus s. v. *extemplo* et *templum.*

In veterum sententiis ipsa principia bene posita esse videntur, sed quae ad ea referuntur, aliena et contorta sunt. Equidem vero non absurdum puto id, quod Eustathius ad Iliad. 12, 313. de verbo τέμενος, et Ios. Scaliger de latino vocabulo tradiderunt. Templum enim, quod erat *tempulum*, sicuti τέμενος notat τὸ ἁπλῶς ἀποτετμημένον καὶ ἀφωρισμένον ἰδίᾳ χωρίον, proprie significat locum vel regionem exsectam, quae a reliquis terrae vel coeli partibus certa finitione est secreta et constituta. Cuius generis erat locus ab augure per lituum vel verbis quibusdam conceptis, ut ait Varro, finitus et consecratus: unde dicta sunt delubra, non a tuendo sive ab eo appellata, quod in omnes coeli partes liber esset adspectus. Et *contemplamur* aliquid, quum rem in suo loco totam et oculis quasi fixam et finitam complectimur. *Extemplo* igitur, etsi ab auguribus, ut videtur in rebus sacris usitatum, ipsum non erat verbum sacrum, sed significabat e loco rei proprio, sive e loco certo ac definito. Idque refertur ad actionem et ad

tempus, ut idem sit quod *eloco* (vid. p. 364), *e vestigio.*

Forcellinus in multis verum est assequutus: tamen originem verbi auguribus assignat, qui, auspicio auspicato, continuo ex templo capto discedere solerent, deum exploratam voluntatem nuntiaturi. Scaliger in Coniect. ad Varron. 6, 2., „verbum est, inquit, sacrorum, sicut *ilicet* iudiciorum. Vt enim hoc dimisso senatu, sic et illud sacrificio patrato a praecone pronuntiabatur. Quo significabatur, ut exirent ex templo. Quod quia cito fiebat, inde pro cito et propere sumi coeptum est.“ De qua re veteres nihil tradunt.

Cicero hanc vocem in uno tantum loco orationum posuit, Terentius in duobus. Saepissime eam usurpavit Plautus, qui etiam *extempulo* dixit sexies: quod profectum mihi videtur a vulgari pronuntiatione verbi *templi.* Sic enim in inscriptione apud Gruter. p. 325. 1. *curator tempuli* legitur. Idque fecit Plautus metri caussa in fine versus iambici, ut haberet vocabulum brevis syllabae penultimae. Sunt enim hi loci Aul. 1, 2, 15. Cist. 1, 1, 99. 2, 3, 10. Bacch. 4, 9, 44. Mil. 2, 5, 51. Poen. 1, 1, 55. Naevius apud Gellium 2, 19. *extempulo illo te ducam, ubi non despuat.* Sed hoc ex coniectura Fruterii in Verisimil. 2, 11. Libri scripti *extemplo.* In codicibus non recentissimis legitur interdum *extimplo:* quod litteratores discriminis caussa fecisse putat Cortius ad Lucan. 1, 296.

1. Significatio huius vocabuli universa non ad ipsum locum, in quo quid agitur, sed ad actionis tempus et consequutionem refertur: sicuti *αὐτίκα* Graecorum, Germanorum *auf der Stelle.* Est igitur id quod *eo ipso tempore.* Et si quae sunt dicta, in quibus locus intelligatur, admixta est temporis notio, ut sit eo tempore, quo quis in locum ingressus sit, aut in eo permanserit.

Terent. Andr. 3, 2, 37. *ubi intellexeras id consilium capere, cur non dixti extemplo Pamphilo?* Cic. p. Rosc. Com. 3, 8. *quid respondeat, nescit, quid fingat extemplo, non habet.*

Plaut. Rud. 3, 6, 3. PL. *Quin extemplo occidisti?* TR. *Gladius non erat.*

Liv. 1, 48, 1. *huic orationi Servius quum intervenisset —, extemplo a vestibulo curiae magna voce — inquit.* i. e. *gleich am Eingange.*

2. Tum dicitur pro *continuo, sine mora,* et in

narratione rerum factarum de eo, quod statim et proxime factum est. Quod vero statim et continuo fit, id propere etiam et cito fieri solet.

Plaut. Truc. 3, 2, 20. *qui non extemplo intres?* Epid. 3, 3, 43. *revortere ad me extemplo.* AP. *Continuo hic ero.*

Plaut. Amph. 1, 1, 51. *si sine vi et sine bello velint rapta et raptores tradere —, se exercitum extemplo domum reducturum.* Aul. 4, 2, 6. Epid. 3, 2, 25. *is adornat, adveniens domi extemplo ut maritus fias.* Bacch. 2, 3, 56. *quoniam sentio, quae res gereretur, navem extemplo statuimus.* Ita Varro apud Nonium s. v. *curriculus* scripsit *extemplo eas.*

Lucret. 3, 122. *atque eadem* (vita) *rursum quom corpora pauca caloris diffugere forasque per os est editus aër, deserit extemplo venas atque ossa relinquit.* Virgil. Aen. 4, 173. *extemplo Libyae magnas it Fama per urbes.* 5, 426. 746. 6, 210.

Liv. 1, 47, 9. *convenere extemplo, alii iam ante ad hoc praeparati, alii metu.* 1, 6, 1. 23, 11, 4. *dixit se oraculo egressum extemplo his omnibus divis rem divinam ture ac vino fecisse.* 41, 1, 1. *alii* (bellum) *gerendum extemplo, antequam contrahere copias hostes possent, alii consulendum prius senatum censebant.* Tacit. Ann. 2, 25. Hist. 3, 61.

Praecedunt ablativi. Liv. 23, 23, 7. *ita centum septuaginta septem cum ingenti approbatione hominum in senatum lectis, extemplo se magistratu abdicavit.* 24, 6, 1. 4, 6, 9. 40, 24, 6.

Notabilis est verborum structura per copulam apud Virgil. Aen. 2, 376. *dixit et extemplo — sensit.*

3. De praesenti tempore dictum post se habet alia consequutionis vocabula, *mox*, *postremo.*

Liv. 39, 48, 1. *haec — extemplo in invidiam, mox etiam in perniciem verterunt.* 40, 48, 6. *nam extemplo fusi fugati, mox intra vallum paventes compulsi, postremo exuuntur castris.*

4. *Extemplo* fit etiam id, in quo agendo non haesitamus, nec aliarum rerum rationem respicimus: *ohne weiteres, sogleich.*

Plaut. As. 2, 3, 8. *pol haud periculum est, cardines ne foribus effringantur, si istuc extemplo tu omnibus, qui quaerunt, respondebis.* Bacch. 4, 9, 44. *ego eum adeo uno mendacio devici, uno ictu extempulo cepi spolia.*

Plaut. Men. 2, 2, 67. *post illae extemplo se applicant, agglutinant.* i. e. *ohne weitere Umstände.* 3, 2. Bacch. 4, 4, 35. *id aurum accepisse extemplo ab hospite Archidemide.*

Curt. 5, 5, 16. *relinquemus ergo extemplo praesentia pignora.*

5. Proprie utitur hac voce is, qui aliquid agit aut loquitur ex tempore, aut qui in rerum difficultate non cessat fingere, quo se expediat.

Plaut. Men. 3, 2, 16. *quoniam sentio errare, extemplo, quasi res cum ea esset mihi, coepi assentari.*

Plaut. As. 2, 2, 76. *verum in tonstrina, ut sedebam, me infit percontarier, ecquem filium Stratonis noverim Demaenetum, dico me novisse extemplo et me eius servom praedico esse.* cf. v. 84.

6. Affirmationem quamdam addit, quum dicitur aliquid fieri, aut futurum esse, quando aliud factum sit.

Plaut. Poen. 3, 4, 23. *ibi extemplo leno errabit.* Cist. 1, 2, 2. *quae ubi saburratae sumus, largiloquae extemplo sumus.* Bacch. 2, 3, 127. *credo hercle adveniens nomen mutabit mihi facietque extemplo Crucisalum me ex Chrysalo.*

Plaut. Capt. 1, 2, 13. *si dederis, erit extemplo mihi, quod dem tibi.* 3, 1, 24. *nemo ridet: scivi extemplo rem de compacto geri.* i. e. *da wufste ich gleich.* 4, 2, 21. *qui mihi in cursu obstiterit, faxo vitae is extemplo obstiterit suae.*

7. Sed temporis ratio eo intenditur, ut *extemplo* sit *ab initio, primum, anfangs.*

Liv. 22, 12, 6. *et prudentiam quidem, non vim dictatoris extemplo timuit: constantiam haud dum expertus, agitare ac tentare animum movendo crebro castra — coepit.* Stat. Ach. 2, 88. *sed nox illataque fallunt lumina, et extemplo latuit mensura iacentis.*

8. Nec absonum videtur, quod historici, quum narrant rem proximam, *extemplo* dicunt, ut intelligatur res in hoc ipso tempore paullo post facta. Nos Germani *alsbald.*

Claud. Quadrigarius apud Gell. 9, 13. *pugnae facta pausa est. Extemplo, silentio facto, cum voce maxima conclamat.*

9. Componuntur verba *extemplo* et *illico* vel *continuo* in una sententia, ut solet sermo communis vitae multiplicare vocabula gravitatis caussa.

Plaut. Bacch. 2, 3, 69. *tristes illico, quom extemplo a portu ire nos cum auro vident.* Amph. 3, 1, 5. Most. 5, 1, 16. *ut quom extemplo vocem, continuo exiliatis.*

10. Similis adiicitur orationi gravitas, quum *simul* et *extemplo* componuntur.

Liv. 34, 3, 2. *extemplo simul pares esse coeperint, superiores erunt.*

11. Saepius praecedunt in secundaria parte enuntiationis verba *ubi*, *ut*, *postquam*, *quum*, *si*. Sed saepe ipsa haec verba componuntur ita, ut *extemplo* in protasi locum habeat, significatione ad apodosin pertineat. Quam rem bene perspexit Gronovius ad Plaut. Cist. 1, 1, 98. graecumque μάλιστα comparavit. Ita fit, ut *quum extemplo* exprimat *simul ac*.

Plaut. Capt. 3, 4, 27. ***credidi esse insanum extemplo, ubi te appellavit Tyndarum.*** **Curc. 1, 1, 80. Caecilius apud Gell. 2, 23.** ***ubi demum adveni ac sedi, extemplo savium dat ieiuna anima.*** **Virgil. Aen. 8, 3.** ***utque acris concussit equos utque impulit arma, extemplo turbati animi.*** **Plin. Pan. 56, 9.**

Plaut. Merc. 1, 1, 61. ***sese extemplo, ex ephebis postquam excesserit, non, ut ego, amori — operam dedisse.*** **Terent. Hec. 3, 3, 13. Bacch. 4, 5, 8.** ***ut, quando exeat, extemplo advenienti ei tabellas dem in manum.*** **Curt. 4, 16, 13.** ***quam quum diu avidi turbidam hausissent, tendebantur extemplo praecordia premente limo.***

Plaut. Truc. 1, 1, 22. ***si semel amoris poculum accepit mere, eaque intra pectus se penetravit potio, extemplo et ipsus periit et res.*** **Rud. 2, 3, 74.** ***nam extemplo, si verbis suis peterem, daturos dixit.***

Plaut. Capt. 4, 2, 6. ***quom extemplo ad forum advenero, omnes loquentur.*** **Trin. 3, 2, 99.**

12. Illud *quum extemplo* saepe non magnam vim habet, sed ponitur pro simplici *quum* cum indicio cuiusdam necessitatis, quae inter rem et conditionem eius intercedat. Est igitur nostrum *sobald*.

Plaut. Most. 1, 2, 18. ***aedes quom extemplo sunt paratae, expolitae, factae probe, examussim, laudant fabrum atque aedes probant.*** **Merc. 2, 2, 24.** ***senex quom extemplo est, iam nec sentit nec sapit.*** **Pseud. 3, 2, 15.**

13. Notanda etiam videntur ea, in quibus participium componitur pro verbo recto.

Plaut. Pseud. 4, 7, 104. ***ego tibi argentum dedi, et dudum adveniens extemplo symbolum servo tuo.*** **Liv. 7, 39, 15.** ***imperator extemplo adveniens appellatus.***

14. *Quam extemplo* narrant grammatici pro *simul ac* poni. At duo loci, in quibus haec verba leguntur, non dubitari potest quin corrupti sint, nec suppetit commoda explicandi ratio.

Plaut. Mil. 4, 4, 40. *quam extemplo hoc erit factum, ubi intra haec abierit, tu illico facito, ut venias.* Lindemannus vidit scribendum esse *quom*. Trin. 2, 1, 16. *quam extemplo saviis sagittatis percussus est, illico res foras labitur.* Quocumque modo antecedentia emendentur verba, in quibus *nequam* pro *nam quam* antiquus liber suppeditat, certe *quom extemplo* scribendum erit.

*) Confunduntur *extemplo* et *exemplo* in Plaut. Asin. 2, 2, 23. in Varronis verbis apud Nonium s. v. *curriculus*, in Plin. Pan. 56, 9. vid. Drakenb. ad Liv. 34, 33, 8.

EXTRA.

Extra quo modo ab *extera* fiat, per se patet. Non intelligitur unum vocabulum *parte*. Atque adverbium est proprie, quod quum casum adsciscit, praepositio fit. Tum vero apud omnes antiquos scriptores accusativo praecedit: recentissimi scriptores etiam ablativum adiungere ausi sunt. Quemadmodum Hyginus in libro de Limitibus agrorum dixit *extra fano*, *extra sanctuario*. vd. Salmas. ad Capitol. Ver. 9. p. 431.

Priscian. 14. p. 990. *e x t r a quoque, quod significat* τὸ ἐκτὸς *apud Graecos, adverbium est, derivatum a praepositione e x tam apud illos quam apud nos. Nostri autem ideo non solum inter adverbia, sed etiam inter praepositiones acceperunt, quia et sine casualibus verbo adiungitur, et praepositum casualibus gravatur.* p. 980. *quaedam etiam syncopam passae sunt, ut s u p r a pro s u p e r a, et i n f r a pro i n f e r a, et e x t r a pro e x t e r a. Nam antiqui trisyllaba ea proferebant. — Tenuit tamen usus, ut disyllaba magis ea proferantur. Nec solum praepositiones, sed etiam adverbia sunt ea pro varia significatione accipienda.*

I. 1. *Extra* contrarium indicat verborum *intra* et *in* et *intus*, quibus saepe in oratione opponitur. Est igitur *ausserhalb*, *aussen*, quod dicitur de rebus externis, quae aut non in loco sunt, aut non in re. Atque ita externa facies et forma internae rei opponuntur. Nec tantum recentiores, ut quibusdam visum est, scriptores, sed optimi collocarunt verba *intus et extra*, *extra et intra*, vel omissa copula.

Varr. de Re r. 3, 16, 16. *vitiles fimo bubulo oblinunt intus et extra, ne asperitate absterreantur.*

Caes. B. civ. 3, 69. *vetiti, ne angustiis intercluderentur, quum extra et intus hostem haberent.*

Plin. Hist. n. 6, 32, 38. *at abunde orbe terrarum extra intra indicato, colligenda in arctum mensura aequorum videtur.* Cels. 6, 18, 7. et 9. Columel. de Re r. 8, 15, 2.

Cic. de Fin. 2, 21, 68. *et in corpore et extra esse quaedam bona.* Partit. orat. 11, 38. *nam aut in animis aut in corporibus aut extra esse possunt.* Somn. Scip. 9, 28. *idque ocius faciet, si iam tum, quum erit inclusus in corpore, eminebit foras et ea, quae extra erunt, contemplans, quam maxime se a corpore abstrahet.* de Nat. d. 2, 59, 148.

Plin. Hist. n. 16, 11, 21. *furnis undique igni extra circumdato.* 12, 9, 20. *pomum amygdalis extra, intus contortis nucleis.* 8, 37, 41. *ut extra fiat membranae, quod fuerat intus.* Aristoteles Hist. anim. 8, 23. *γίνεται δὲ ἐκδυομένου τὰ ἐντὸς ἐκτός.*

Senec. Epist. 75, 6. *tamen etiam quod prope est, extra est.* Ruhkopfius recepit ex Erasmi editione *ex ore:* quod utrum Gruterus in codicibus invenerit, an eius verba ad confirmandam scripturam alteram pertineant, dubium esse videtur. Cic. de Div. 1, 32, 70. *ex quo intelligitur, esse extra animum divinum, humanus unde ducatur.* i. e. extra hominem.

2. Proprium est verbum medicorum, quo vitia corporis externa, aut remedia in externo corpore adhibenda designantur.

Celsus 7, 21, 1. *si id amplius fuit et extra emortuum est.* Plin. H. n. 25, 5, 25. 31, 9, 45. 26, 8, 39.

3. Sed non solum de rebus in aliquo loco positis *extra* usurpatur, sed etiam de motu extra fines excedente, ut sit id quod *hinaus*, foras. Idque fit cognatione notionum quietis et motus. Qua ratione dicuntur etiam verba directionis.

Cic. de Univ. 5. *earum autem quatuor rerum — sic in omni mundo omnes partes collocatae sunt, ut nulla pars huiusce generis excederet extra.* Celsus 7, 27. *ideoque diutius plagam patere necessarium est, et tum demum, ubi iam nihil tale extra fertur, ad cicatricem perduci.* Vitruv. 10, 7, (2, 12.) *pusillum extra progrediar.*

Plin. Hist. n. 37, 8, 37. *quum extra fulgorem spargunt atque non in se continent.* 2, 64, 64. *extra protenditur.* Cels. 8, 20. *extra enim pes ultimus spectat.*

4. Saepe nomen rei, extra quam aliquid positum sit, non verbis exprimitur, sed intelligitur ex nomini-

bus antecedentibus. Plinius et recentiores adeo dixerunt *extra meare* et similia.

Vide exempla modo apposita Plinii. Statii Silv. 1, 5, 51. ***extra autem niveo qui margine coerulus amnis vivit.*** **Cic. de Fin. 5, 23, 68.** ***si omnia illa, quae sunt extra, quamquam expetenda, summo bono continerentur.*** **i. e.** ***τὰ ἔξω.*** **Statii Theb. 10, 3.** ***triste tot extra agmina — ferro decrescere.*** **Persius 1, 7.** ***nec te quaesiveris extra.*** **Hygin. Fab. 18.** ***Argonautae dum apud Lycum morantur et extra venatum exissent, Idmon ab apro percussus interiit.***

Plin. Hist. n. 2, 97, 100. ***Pontus semper extra meat in Propontidem, prorsus in Pontum numquam refluo mari.*** **9, 33, 52.** ***saliunt pectines et extra volitant.***

5. Novo usu Boethius composuisse videtur *extra* cum verbo *petere*, quasi illud esset, unde quid peteretur. Sed caussa huius dictionis cernitur in oppositis vocabulis *extra* et *intra*. De Consolat. 2. Pros. 4. *quid igitur, o mortales, extra petitis intra vos positam felicitatem?*

II. 1. Praepositionis idem est significatus, atque dicitur *extra* et de terrarum locis et de rebus, in quibus interna et externa distinguuntur, aut quae alias res externas spectant, ita tamen, ut *ante* de eo dicatur, quod non pervenerit intus, *extra* autem id, quod exclusum aut remotum aut retentum sit: quamquam haec confundi possunt.

Liv. 38, 8, 4. ***Antiocho terra marique superato et prope extra orbem terrae ultra iuga Tauri exacto, quam spem esse sustinendi belli.*** **Caes. B. gall. 1, 10.** ***hi sunt extra provinciam trans Rhodanum primi.*** **6, 23.** ***latrocinia nullam habent infamiam, quae extra fines cuiusque civitatis fiunt.*** **Curt. 4, 2, 4.** ***legati respondent, esse templum Herculis extra urbem.***

Cic. de Leg. 2, 23, 58. ***nostis extra portam collinam aedem Honoris.*** **Liv. 40, 43, 4.** ***qui quum extra urbem triumphi caussa esset, consul est creatus.***

Terent. Ph. 5, 6, 36. ***me censen potuisse omnia intelligere extra ostium, intus quae inter sese ipsi egerint.*** **Cic. Tusc. 5, 5, 13.** ***solane beata vita, quaeso, relinquitur extra ostium limenque carceris?*** **Horat. Carm. 3, 4, 10.**

Cic. Acad. 2, 23, 73. ***quid enim esse potest extra universa?*** **Celsus Praef. p. 17.** ***et ita apud eum morbi cognitio extra artem, medicina intra usum est.***

Cic. in Caecil. Div. 12, 37. *de te, Caecili, — extra hanc contentionem certamenque nostrum familiariter tecum loquar.* p. Caec. 32, 94. *id tametsi extra caussam est, percurram tamen brevi.* de Divin. 2, 10, 25. *si nihil fit extra fatum, nihil levari re divina potest.* In Verr. 2, 51, 127. opponuntur *in sorte* et *extra sortem.*

Liv. 38, 9, 10. *Cephallenia insula ut extra ius foederis esset.* Quinctil. 11, 3, 164. *minus habere contentionis ea, quae sunt extra quaestionem.*

Quinctil. 11, 3, 169. *est his diversa vox et pene extra organum.*

Quod Schwartzius monet opponi *infra*, non aliam significationem perhibet quam interioris partis. Pallad. de Re r. 3, 13, 3. *hoc autem noveris, quia palmes, quod extra ligaturam pendens habuerit, fructu induet: quod infra ligaturam, materiae sequentis anni deputabit.*

2. Id transfertur ad id, quod removeatur aut separatum sit, atque vel exclusionem vel distantiam significat.

Cic. ad Att. 11, 24. *scio equidem venire nunc nil posse: sed seponi et occultari possunt, ut extra ruinam sint eam, quae impendet.* Curtius 4, 3, 20. *fortius quidquid accideret laturi, si carissimam sui partem extra sortem periculi communis habuissent.* Liv. 34, 61, 9. *rem publicam non extra noxam modo, sed etiam extra famam noxae conservandam esse.*

Cic. de Inv. 1, 36, 64. *separatum quiddam est extra assumptionem approbatio:* quod antea *ab assumptione.*

Terent. Heaut. 2, 2, 57. *magnum hoc quoque signum est, dominam esse extra noxiam.*

Extra teli iactum esse dicuntur, qui aut ob nimiam longinquitatem loci aut propter alia impedimenta non tanguntur telis. ἔξω βέλους. vid. Curt. 3, 10, 1. 4, 2, 23.

Plin. Hist. n. 3, 6, 12. *mox Leucothea extraque conspectum pelagus africum attingens.* i. e. tam longe recedens, ut a continente prospici non possit.

3. Ita conficiuntur quaedam formulae, in quibus plurimis quum remotio et exclusio intelligatur, etiam *sine* et *praeter* locum habere possunt: *extra culpam, extra periculum, extra iocum, extra modum* de eo, quod modum excedit, *extra numerum*, cui opponitur *in numero*, *extra pretium*, quod significat summum pretium, *extra ordinem* et de rebus non ex ordine factis,

et de eo, quod contra morem et consuetudinem aut contra legem fit, et de re singulari, quam *extraordinariam* recentiores appellant.

Cic. Verr. 5, 51, 134. *dico aut omnes extra culpam fuisse, aut — in eo maximam fuisse, qui* etc. Cf. de Vniv. 13. ad Att. 11, 24. *cuius extra periculum huius belli fortuna sit.* Liv. 34, 11, 7. *potuisse se extra id periculum esse, si decedere fide — voluissent.* Cic. ad Fam. 7, 16, 3. *sed mehercules, extra iocum, homo bellus est.* id est quod 7, 11, 6. *remoto ioco.* Nos *außer Scherz, Scherz bei Seite.* Cic. de Orat. 3, 11, 41. *mollis vox, ut muliebris, aut quasi extra modum absona atque absurda.*

Plaut. Men. 1, 3, 1. *extra numerum es mihi.* i. e. nullo numero sive pretio. Sed quoniam modi numerique ad rem musicam pertinent, Horat. Epist. 1, 18, 59. *quamvis nil extra numerum fecisse modumque curas.* i. e. sine numero et modo, *παρὰ ῥυθμόν, ἔξω μέλους.* Cic. Parad. 3, 2, 26. *histrio si paullum se movit extra numerum, — exsibilatur et exploditur.* ubi Gernhard.

Plaut. Poen. 1, 2, 117. *primum prima salva sis, et secunda tu secundo salve in pretio: tertia salve extra pretium.* In his explicandis omnes interpretes errasse mihi videntur. Nam quod dicunt verbis *tertia salve extra pretium* Agorastoclem alloqui ancillam anum, prorsus absonum est. In illo amoris ardore abstinuisset certe a maledictis, etiam in ancilla comitante. Nec quidquam absurdius fieri potest, quam ut verba *tum ego pol et oleum et operam perdidi* huic ancillae tribuamus, quasi illa de ornatu suo loquatur. *Extra pretium* est res omne pretium excedens, supra taxationem. Agorastocles enim, accedens ad puellas, alloquitur Anterasterium primo loco, tum ad comitantem ancillam, quae, ut alias in scena, inter utramque meretricem media incedit, se convertit: denique tertiam compellat Adelphasium: *et tu tertia omne pretium superas.* Nunc Milphio dominum suum perditum videns commode exclamat: *tum operam perdidi in commonefaciendo hero.* Ita bene conveniunt haec cum oratione Agorastoclis. Plin. Hist. n. 37, 1. 1. *aliquas vero extra pretia ulla taxationemque humanarum opus arbitrantes.*

Cic. de Provin. cons. 8, 19. *propter rationem gallici belli provinciam extra ordinem decernebant.* Gellius 4, 10. *quem iis visum erat, honoris gratia extra ordinem sententiam primum rogabant.* Quinctil. 10, 3, 33. *debet vacare etiam locus, in quo notentur, quae scribentibus solent extra ordinem, id est ex aliis, quam qui sunt in manibus loci, occurrere.*

Cic. p. Cluent. 31, 85. *qui se ab reo pecuniam, quum iudex*

esset, olam atque extra ordinem accepisse confessus esset. de quo loco Nannius Miscell. 9, 3. Liv. 8, 7, 15. *adversus edictum nostrum extra ordinem in hostem pugnasti.* Paullus in Digest. 48, 1, 8. *quum extra ordinem crimina probantur.* Vid. Miscell. Observ. T. 5. p. 141.

Cic. ad Fam. 6, 5, 6. *quare ad eam spem, quam extra ordinem de te ipso habemus, — accedunt* etc. p. Domo 8, 19. Suet. Vesp. 8. *participibus autem victoriae adeo nihil extra ordinem indulsit.*

4. In aliis quoque *extra* pro *sine* ponitur, praesertim apud recentiores scriptores. Opponitur *cum.*

Titinnius apud Nonium 2, 199. *parasitos amici lenonem aedibus abstertrui; desuevi, ne quo ad coenam exiret extra consilium meum.* Plin. Hist. 2, 59, 60. *arcus vocamus, extra miraculum frequentes et extra ostentum. Nam ne pluvios quidem aut serenos dies cum fide portendunt.*

Tacit. Hist. 1, 49. *ipsi medium ingenium, magis extra vitia quam cum virtutibus.*

Sueton. Claud. 14. *ius et consul et extra honorem laboriosissime dixit,* i. e. quum honores non gereret.

5. Coniunguntur verba, quae progressum ultra fines aut terminos factum significant. Tum *extra* est *drüber hinaus.*

Plaut. Amph. 1, 1, 68. *imperatores in medium exeunt extra turbam ordinum.* Cic. p. Quint. 10, 35. *certos mihi fines terminosque constituam, extra quos egredi possim, si maxime velim.* 10, 36. Hirt. de B. Afric. 24. *equitatus — eos, qui pabulandi aut aquandi gratia extra vallum progressi essent, excipere.* Curt. 4, 8, 3. 9, 8, 18. Columell. 9, 15, 2. Cic. de Off. 1, 39, 140. *cavendum autem est —, ne extra modum sumptu et magnificentia prodeas.* Plin. Hist. n. 8, 17, 21. *usque extra solitudines deductus.*

6. Recentior est usus, quo ponitur pro *ultra*, de eo, quod aliquam mensuram aut modum excedit.

Plin. Hist. n. 2, 6, 8. *iam magnitudine extra cuncta alia sidera est.*

7. Atque ita de rebus prominentibus et exstantibus.

Celsus 6, 7, 9. *superque eam homo deligatur, in id latus versus, cuius auris eo modo laborat, sic ut extra tabulam non emineat.* Iuvenal. 1, 75. *criminibus debent hortos — argentum vetus et stantem extra pocula caprum.*

III. 1. Transfertur haec ratio ad exceptionem concipiendam. Atque *extra* significat *praeter*. Id praesertim in negatione *nemo extra*. Germani quoque *außer*.

Plaut. Amph. 2, 2, 204. *mi extra unam te mortalis nemo corpus corpore contigit.* Terent. Ph. 1, 2, 48. *neque notus neque cognatus extra unam aniculam quisquam aderat.*

Plaut. Mil. 4, 6, 17. *ille illas spernit segregatque ab se omnes extra te unam.* Poeta apud Cic. de Div. 1, 31, 66. *optumam progeniem Priamo reperisti extra me.* Terent. Phorm. 1, 2, 48. Cic. ad Fam. 7, 3, 6. *extra ducem paucosque praeterea — reliqui primum in ipso bello rapaces.* Phil. 5, 19, 53. *vacationem militiae ipsis liberisque eorum esse placere extra tumultum gallicum italicumque.* Liv. 26, 34, 3. *ipsos liberosque earum et coniuges vendendas extra filias, quae enupsissent prius, quam in populi romani potestatem venirent.*

Liv. 8, 32, 8. *ad haec, quae interrogatus es, responde: extra ea cave vocem mittas.*

2. Proprie id refertur ad societatem vel collegium, vel ad numerum eorum, qui aliquo nomine coniuncti sunt, ut intelligatur is, qui non in societate versatur et extra eam agit.

Cic. p. Sulla 13, 39. *eamdem vim esse negationis huius, quam si extra coniurationem hunc esse se scire dixisset,* i. e. non unum ex coniuratis esse. in Cat. 1, 6, 13. *in qua* (urbe) *nemo est extra hanc coniurationem perditorum hominum, qui te non metuat.* ubi Beneckius male interpretatur *praeter*, quod probari non potest, nisi confusis notionibus. Item Sallust. Cat. 39, 4. Cic. de Leg. 2, 12, 30. *neque ut ea ipsa, quae suscepta publice essent, quisquam extra collegium nosset.* p. Domo 41, 108. *civis est nemo in tanto populo extra contaminatam illam et cruentam P. Clodii manum, qui rem ullam de meis bonis attigerit.*

3. Contraria, sed non incongrua ratio apparet, quando praepositio vel adverbium *extra* pro *praeter* et *praeterea* dicitur in re superaddenda. Tum enim id, quod excipiatur, non excluditur, sed exceptum comprehenditur cum reliquis.

Varro de Re r. 1, 18, 3. *quod Cato si voluit, — extra familiam debuit dicere villicum et villicam.* alii libri *praeterea extra f.*

Senec. de Benef. 6, 15, 2. *quaedam, inquit, pluris sunt quam*

venierunt; et ob hoc aliquid mihi extra pro illis, quamvis empta sint, debes...

4. *Extra quam* ponitur pro *praeterquam*, praesertim in conditionali sententia, in qua Graeci ἐκτὸς εἰ μὴ dicunt. Hanc exceptionis formulam iuridicam, in qua sola Cicero haec verba usurpare solebat, illustraverunt Brissonius de Formul. 5, 77. et Drakenborch. ad Liv. 26, 34, 6. et ad 39, 18, 7. Nihil novum attulit Moserus in notis ad Cic. de Re publ. 1, 6.

Cic. de Inv. 1, 33, 56. *si, iudices, id, quod Epaminondas ait legis scriptorem sensisse, adscribat ad legem, et addat exceptionem hanc: extra quam si quis rei publicae caussa exercitum non tradiderit, patiemini?* ad Att. 6, 1. *ego tamen habeo* (exceptionem) — *ex Q. Mucii P. F. edicto asiatico, extra quam si ita negotium gestum est, ut eo stari non oporteat ex fide bona.* Liv. 39, 18, 7. *datum deinde consulibus negotium est, ut omnia bacchanalia — diruerent, extra quam si qua ibi vetusta ara aut signum consecratum esset.* 38, 38, 9. 39, 18, 7. Vlpian. in Dig. 43, 12, 1, 16.

Cic. de Inv. 2, 57, 172. *homines mortales necesse est interire, sine adiunctione: ut cibo utantur, non necesse est nisi cum illa exceptione: extra quam si nolint fame perire.* Lambinus corrigit *velint:* at refertur *nolint* ad verba *necesse est.*

Cic. de Inv. 2, 20, 59. *postulat is, quicum agitur, a praetore exceptionem: extra quam in reum capitis praeiudicium fiat.* Liv. 26, 34, 6. *Campanos omnes, Atellanos, Calatinos, Sabatinos, extra quam, qui eorum aut ipsi aut parentes eorum apud hostes essent, liberos esse iusserunt.*

IV. 1. Praepositionis post nomen positae exempla reperiuntur pauca. Tacit. Ann. 13, 47. *quo solutius urbem extra lasciviret.* cf. INTRA. Wopkens. in Actis Traiect. Vol. 2. p. 79. Ruhnken. ad Vellei. P. 91, 2.

2. Praepositionem et adverbium in unius sententiae partibus componi posse negavit Bentleius ad Horat. Epist. 2, 1, 31. ibique id, quod in omnibus libris legitur: *nil intra est oleam, nil extra est in nuce duri,* mutavit scribendo: *intra est olea.* Id comprobavere omnes editores. At errasse eos tamen persuasum habeo. Nam quum Ennius apud Priscian. 6. p. 725. ait: *occumbunt multi letum ferroque lapique aut intra muros aut extra praecipe casu:* et Horat. Epist. 1, 2, 16. *iliacos intra muros peccatur et extra.* non potest *extra*

non pro adverbio haberi: id quod Schmidius negavit et apud Cic. de Fin. 2, 21, 68. in verbis *et in corpore et extra esse quaedam bona*, alterum *extra* praepositionem esse contendit. *Extra in nuce* profecto nullam habet offensionem.

3. Cum genitivo substantivo coniunxit Plinius Hist. n. 25, 5, 25. *medetur extra corporis eruptionibus pituitae cum axungia falsa illitum.* Barbari componere solebant praepositionem cum adverbiis, veluti *extra semper:* quorum errorem castigavit Goclenius Observat. p. 402.

*) Confusa sunt *extera* et *extra* apud Cic. in Leg. 2, 22, 55. ubi vd. Pearcium, cui frustra obloquutus est Burmann. in Misc. Observ. T. 4. p. 335.

EXTRINSECVS.

Factum est EXTRINSECVS ex antiqua forma *extrim* et *secus*. Vide Tom. I. p. 282. Proprie significat, quomodo aliquid ex externo loco vertitur ad aliquid vel in aliquid. Sed distinguimus quadruplicem usum.

I. Ac primo dicitur de re ex externo loco admota, vel obiecta, vel assumpta, vel irrumpente, vel intrante. Graeci ἔξωθεν, Germani *von aussen.*

Cic. de Nat. d. 2, 54, 136. *quum — pulmones — et cor extrinsecus spiritum adducant, in alvo multa sunt mirabiliter effecta.* de Divin. 1, 32, 70. *animos hominum quadam ex parte extrinsecus esse tractos et haustos.* Acad. 2, 15, 48. *ut si qui tremerent — vel ipsi per se motu mentis aliquo vel obiecta terribili re extrinsecus.* de Fato 18, 42. de Div. 2, 27, 58. *humor allapsus extrinsecus.* 1, 31, 66. *inest igitur in animis praesagitio extrinsecus iniecta et inclusa divinitus.* Lucret. 1, 529. *haec neque dissolvi plagis extrinsecus icta possunt, nec porro — retexi.*

Cic. Tusc. 4, 27, 58. *quod corporum adiumenta adhibentur extrinsecus, animorum salus inclusa in his ipsis est.* de Nat. d. 3, 12, 29. *nullum est eorum, quod effugiat accipiendi aliquid extrinsecus, id est quasi ferendi et patiendi, necessitatem.*

Cic. Acad. 2, 40, 125. *tune — putes — si nunc, aut si etiam dormientes aliquid animo videre videamur, imagines extrinsecus in animos nostros per corpus irrumpere?* de Divin. 2, 67, 139.

2. Eodem modo designatur directio, qua quid ex externis agitur.

Liv. 2, 32, 6. *sine ullo metu extrinsecus imminentis belli.* Celsus 6, 26. *quum quid extrinsecus laesit, ut in vulneribus: quum quid intra se ipsum corruptum est, ut in cancro.*

Cic. de Nat. d. 1, 43, 120. *esse — tam ingentes quasdam imagines tantasque, ut universum mundum complectantur extrinsecus.* de Divin. 2, 50, 103. *quod habet extremum, id cernitur ex alio extrinsecus.* Acad. 2, 24, 76. *qui* (Cyrenaei) *negant esse quidquam, quod percipi possit extrinsecus.*

3. Hoc transfertur et ad regionem rerum disserendarum et ad genus rerum constituendum, ut intelligantur res alieni generis, vel ea, quae non in rei natura inhaerent. Cicero eodem significatu usurpat *foris*. Ita opponuntur externae res virtuti et animo.

Cic. de Orat. 2, 39, 163. *quid enim est, in quo haereat, qui viderit, omne, quod sumatur in oratione — aut ex sua sumi vi atque natura, aut assumi foris? Ex sua vi, quum aut res quae sit tota, quaeratur, aut pars eius —: extrinsecus autem, quum ea, quae sunt foris neque inhaerent in rei natura, colliguntur.*

Cic. de Orat. 2, 78, 318. *haec autem in dicendo non extrinsecus alicunde quaerenda, sed ex ipsis visceribus caussae sumenda sunt.*

Cic. ad Fam. 5, 13, 2. *quam quidem laudem sapientiae statuo esse maximam, non aliunde pendere, nec extrinsecus aut bene aut male vivendi suspensas habere rationes.* i. e. in ipsa virtute, non in externis et alienis rebus positas. Varro de L. L. 7, 5. *nomina declinantur aut in earum rerum discrimina, quarum nomina sunt, — aut in eas res extrinsecus, quarum ea nomina non sunt.* De qua eadem re 10, 2. *alterum sine assumpta aliqua re extrinsecus perspici non possit.*

Locus est Ciceronis de Nat. d. 3, 14, 36. a criticis mirum in modum tentatus: *ita vultis, opinor, nihil esse animal extrinsecus in natura atque mundo praeter ignem.* Sed *animal* sive *animale* est id, quod animat res, atque *animal extrinsecus* nominatur id, quod ex externa parte animat, cui opponitur ignis intrinsecus animans. Verte igitur: *dafs aufser dem Feuer nichts von aufsen Belebendes vorhanden sey.*

4. Ita dicitur caussa extranea, vel id, quod non ad ipsam rem, de qua loquimur, pertinet, sed ex alio genere sumitur.

Liv. 25, 7, 10. *quum Tarentinorum defectio iam diu et in spe Hannibali et in suspicione Romanis esset, caussa forte extrinsecus maturandae eius intervenit.* 7, 29, 3. *belli autem caussa*

cum Samnitibus Romanis, quum societate amicitiaque iuncti essent, extrinsecus venit.

Columell. 1, 6, 17. *haec etsi extrinsecus, non tamen intempestive videor hoc loco retulisse.* i. e. alieni generis.

5. Deinde dicuntur ea, quae extra posita sunt, vel quae in externa parte aptantur alicui rei. Est hoc germanicum *außen.*

Varro de L. L. 6, 1. *ut enim facilius obscura opera Myrmecidis ex ebore oculi videant, extrinsecus admovent nigras setas.* Cic. de Fin. 5, 14, 39. *quod eam tuetur, ut de vite potissimum loquar, est id extrinsecus.* de Vnivers. 6. *deinde eum* (animum) *circumdedit corpore et vestivit extrinsecus.* i. e. externo vestimento. Suecon. Vesp. 12. *adeoque nihil ornamentorum extrinsecus cupide appetivit.*

6. Sic adeo ponitur de agentibus pro *ex externo loco* sive *in externo loco.* Apud Varronem locis modo memoratis *res extrinsecus* dicuntur res externae.

Senec. Epist. 33, 6. *nec dubito, quin multum conferant rudibus adhuc et extrinsecus auscultantibus.* i. e. ἐξωτερικοί. In hunc modum emendavit Turnebus Varronis verba de L. L. 6, 3. *itaque dicitur nuptiis camillus, qui cumerum fert, in quo quid sit in ministerio plerique extrinsecus nesciunt.*

Huc referri potest etiam, quod supra posuimus Cic. Acad. 2, 24, 76. *qui negant esse quidquam, quod percipi possit extrinsecus.* ut sit *in externo loco.*

Apulei. de Mundo p. 69, 27. *at extrinsecus singuli custodes locorum erant et ianitores et atrienses.*

7. Denique opponitur *intra* et *intus*, ubi significatur externa pars sive facies rei alicuius. Nos etiam *von außen* pro *außen* dicimus. Celsus ex adverso posuit *intrinsecus.*

Cic. de Div. 1, 24, 28. *quum columnam auream — auferre vellet dubitaretque, utrum ea solida esset an extrinsecus inaurata, pertcrebravisse.* Columell. 2, 9, 13. *quod extrinsecus albidum intus etiam conspicitur candidum, leve ac vanum intelligi debet.*

Celsus 4, 1. *iecur intrinsecus cavum, extrinsecus gibberum est.* Senec. de Tranq. an. 10, 5. *sed sciamus omnia aeque levia esse, extrinsecus diversas facies habentia, introrsus pariter vana.*

8. Eutropius et qui sunt illius aevi, *extrinsecus* dixerunt pro *praeterea: außerdem.*

Eutrop. 9, 15. *pulso Narseo castra eius diripuit, uxores, sorores, liberos cepit: infinitam extrinsecus Persarum nobilitatem, gazam persicam copiosissimam.*

9. *Extrinsece* scholasticorum est vocabulum eo tempore natum, quo adiectivum *extrinsecus* usurpari coeperat: cuius certa exempla exstant apud Boethium de Different. Top. 3. p. 104. et apud Gregorium M. Epist. 8, 40. Nam quod Tertullian. de Pallio 1. dixit: *pallii extrinsecus habitus — humeris acquiescebat.* id ipsum declarat, quo modo adverbium in adiectivi usum transierit: potest enim ibi pro adverbio haberi. Salmasius scripsit *pallium, extrinsecus habitus*, nescio qua auctoritate. De adverbio *extrinsece* vid. Goclen. Observ. p. 402. Vossius de Vitiis serm. p. 77. Vorstius de Latin. merito susp. p. 166. Cellar. Antibarb. p. 45. (35.). Cur. poster. p. 318 (360.).

FACILE.

Ex multiplici usu adverbii FACILE, quod vel res nullo negotio efficiendas significat, vel voluntatem ac lubidinem spectat, de qua re vid. Heusinger ad Cic. de Off. 2, 19, 9. ea tantum hic commemorabimus, quae ad consociationem aliorum vocabulorum attinent.

Priscianus p. 1008. accusativum nominis pro adverbio positum appellat: nec male. Nam ultima *e* brevis neutrum esse monstrat.

Donatus ad Terent. Andr. 4, 3, 5. *facile adverbium confirmantis est, id est, liquido et manifesto. Veteres dicebant facile pro certo: ut Cicero, illius civitatis facile princeps.* Quo auctore Schwartzius aliique dicebant *facile* esse sine controversia, sine dubitatione: alii autem significari *nemine magnopere reclamante, non valde dubie.* Sed ipsi hi quum in comparando vernaculae linguae usu cognovissent, Germanos, quando non audeant principatum in aliqua re tribuere alicui, cui soleant alii eum vindicare, tum dicere *welcher leicht der vornehmste seyn mag*, latino verbo eamdem dubitationem exprimi concedebant. Nemo vero umquam loquutus est ita: *ille facile bonus est.*

1. *Facile* significat proprie id, quod effici aut fieri potest. Atque hoc vocabulo utuntur Latini, quum aliquid summum vel permagnum praedicaturi, huius de-

significationis audaciam, ne quid nimium dixisse videantur, cohibent eo, quod dicunt, fieri posse, ut illud sit. Quare non componitur *facile* nisi cum adiectivis, quae summam et maximam rem significant, veluti *princeps, primus* et superlativa: quibus nominibus semper praecedit proximo loco, utpote inhaerens adverbium. Germanorum vulgus eodem modo loquitur *leicht*, quod apparet etiam in *vielleicht*.

Cic. de Div. 2, 42, 87. *Eudoxus, Platonis auditor, in astrologia iudicio doctissimorum hominum facile princeps.* ad Fam. 6, 10. *tu quoque is esses, qui fuisti, quum omni gradu amplissimo dignissimus, tum certe ordinis tui facile princeps.* Timae. 1. p. Cluent. 5, 11. Florus 3, 14, 1. Cic. p. Rosc. Am. 6, 15. *Sex. Roscius — et nobilitate et pecunia non modo sui municipii, verum etiam eius vicinitatis facile primus.*

Bene monuit Freinshemius ad Flor. 3, 14. quomodo *facile princeps* non stricte capiamus. Duckerus autem recurrit ad Donati explicationem falsam.

Cic. p. Rabir. Posth. 9, 23. *virum unum totius Graeciae facile doctissimum, Platonem — in maximis periculis — esse versatum accepimus.* Tusc. 1, 33, 81. *facie vel patris, vita omnium perditorum ita similis, ut esset facile deterrimus.*

Sallust. Iug. 63, 4. *ergo ubi primum tribunatum militarem a populo petit, plerisque faciem eius ignorantibus, facile notus per omnis tribus declaratur.* Vehementer peccat Cortius, quum explicat: bene notus, et comparat *facile princeps*. Est enim, qui facile factus est omnibus notus.

2. Sed etiam verba ea hoc adverbium assumunt, quae aliquem principatum significant: *vincere, superare.* Wyttenbachius ad Cic. de Leg. 1, 2, 7. explicat: manifesto, omnibus consentientibus: quod nimium est. Potius significat *fere:* et Cicero semper addidit vocabulum *omnes.*

Cic. de Orat. 2, 13, 56. *et post illum Thucydides omnes dicendi artificio, mea sententia, facile vicit.* de Off. 2, 19, 59. *qui omnes superiores — scientia facile vicisset.* Plaut. Trin. 3, 2, 80. *facile palmam habes. Hic victus: vicit tua comoedia.* Cic. de Leg. 1, 2, 7. *Sisenna — omnes adhuc nostros scriptores — facile superavit.*

Cic. de Re p. 1, 23. *non — dubito, quin — usu quidem in re publica rerum maximarum facile omnis viceris.*

Alia verba non componuntur. Quare necessaria erat emen-

datio in Cic. p. Flacco 33, 82. *quod ornabat facile locum, quem prehenderat.* Lambinus *facete.*

3. Non alia est ratio, qua *facile* cum nominibus coniungitur magni, qui videtur, numeri, ut sit idem quod *prope.*

Cic. in Verr. 2, 14, 35. *huic hereditas facile ad HS tricies venit testamento propinqui sui.*

Terent. Andr. 4, 3, 5. *facile hic plus mali est, quam illic boni.* Explicant, etiam Ruhnkenius, certo, liquido, sine dubio. At coniungi debent verba *facile plus:* quod est *leicht mehr, vielleicht mehr.* Quod comparant Eun. 4, 3, 6. *ut ego unguibus facile illi in oculos involem venefico.* prorsus alienum est. Nam ibi significat lubenter: *wie gern wollt' ich ihm mit den Nägeln in die Augen fahren.*

4. Negatione praeposita dicitur *non facile, haud facile* praeter vulgarem usum in rebus non sine difficultate peragendis, etiam in moderanda negatione sententiae pro *vix, aegre.* Germani dicunt *nicht leicht* et *schwerlich.* Sed nescio, an semper ita adhibeatur haec formula, ut vel adiiciantur vel intelligantur verba *ullus, quidquam, umquam,* de neganda re universa.

Cic. Brut. 67, 238. *at in inveniendis componendisque rebus mira accuratio, ut non facile in ullo diligentiorem maioremque cognoverim.*

Sallust. Cat. 13, 5. *animus imbutus malis artibus haud facile lubidinibus carebat.* i. e. haud facile umquam, quod est fere numquam. Iug. 17, 2. *de iis haud facile compertum narraverim.* i. e. haud facile quidquam, pene nihil compertum.

FALSO.

1. Ablativus vocabuli *falsum* non mutat significationem, quae duplex est. Nam *falsus* et is dicitur, qui fallitur, et is, qui fallit: *falsum* et id est, quod non verum, et id, quod fictum sive insimulatum, *verfälscht,* et id quod utraque ratione nos fallit. Quare *falso* dictum vel factum id dicimus, in quo aut res a veritate aliena, aut error, aut fallacia apparet. Sed aliter visum est doctissimis grammaticis. Weberus enim in Exercitat. libro p. 176. *perperam* existimat significare perversum agendi modum, qui non a consilio proficiscatur, *falso* autem dici, quod coniunctum sit cum consilio

fallendi. Quae distinctio nec ratione constat: nam pro universa significatione una pars eius statuitur: nec usu confirmatur. Interdum enim error intelligitur. Idque intelligens Doederlinus in Synonym. Vol. I. p. 66. docet, *perperam* significare id, quod in re ipsa non verum esse cognoscatur, *unrichtig*; *falso* autem dici errorem eius, qui aliquid egerit insciens: *aus Irrthum*. At ne hoc quidem praeceptum omnem verbi usum complectitur. Saepe enim *falso* usurpatur de re falsa, sive quae nos fallit, et saepe etiam de consilio fallendi. Plautus et Terentius hoc vocabulum tantum de simulatione vel opprobrii vel laudis et de suspicione dicunt. Nam in Hec. 5, 2, 13. interpolatum esse vocabulum luculenter demonstravit Bentleius, sed in constituendo loco Andr. 3, 2, 25. ipso hoc nomine abusus est. Erroris significatio apud recentiores scriptores invenitur.

Plaut. Trin. 1, 2, 173. *falson an vero laudent, culpent, quem velint, non flocci faciunt, dum illud, quod lubeat, sciant.* Ennius apud Nonium 7, 16. *nam is non bene vult tibi, qui falso criminat apud te.* Cato apud Charisium p. 179. *ei rei dant operam, ut mihi falso maledicatur.*

Plaut. Amph. 2, 2, 181. *vir ego tuus sim? ne me appella falso falso nomine.* 3, 2, 6. *neque me perpetiar probri insimulatam.* cf. v. 21. Mil. 2, 3, 26. Bacch. 3, 3, 70. *tu Pistoclerum falso atque insontem arguis.* h. e. fallaciter. Liv. 42, 2, 1. *quum alii abesse eum, alii aegrum esse, falso utrumque fingerent.*

Plaut. Bacch. 4, 1, 43. *neque tu me habebis falso suspectum.* Terent. Hec. 5, 2, 11. *nostras mulieres suspectas fuisse falso nobis in re ipsa invenimus.* Heaut. 2, 3, 27.

De errore haec: Naevius in Acontizomeno apud Charis. p. 179. *huius autem gnatus dicitur germanum alterum falso occidisse.* Ovid. Fast. 5, 688. *sive ego te feci testem falsove citavi non audituri numina magna Iovis.* Liv. 34, 32, 13. *iube vinctos produci, ut miseri parentes, quos falso lugent, vivere sciant.* Curt. 3, 12, 7. *falso lamentari eas Darium vivum.* Sallust. Iug. 1, 1. *falso queritur de natura sua genus humanum.* Tibull. 3, 3, 20. *falso plurima vulgus amat.* i. e. in errore versatur amor vulgi et vana amplectitur.

De re non vera, nec tantum ab errore profecta: Cic. ad Fam. 5, 5, 3. *ne forte id ipsum verbum ponam, quod abs te aiunt falso in me solere conferri.* de Lege Man. 14, 41. *quod iam nationibus ceteris incredibile ac falso memoriae proditum videbatur.*

Caes. B. civ. 1, 14. *adesse eius equites falso nuntiabantur.* Curt. 8, 8, 15. *saepe etiam quod falso creditum est veri vicem obtinuit.* 9, 2, 6. *vires quidem gentis et regni haud falso iactari affirmat.*

2. Haec significatio, quae rem non veram intelligi iubet, magis etiam iis locis comprobatur, in quibus *falso* explicari potest verbis *sine ratione*, *sine caussa*, *immerito*.

Curt. 5, 2, 4. *quippe verone an falso honos cuique haberetur, ignorari non poterat.* ubi Curtius non de iudicio, sed de meritis loquitur.

3. Vnum vocabulum *falso* interdum unam sententiam totam exprimit. Similia compararunt Gronov. ad Liv. 42, 64, 4. et Bremius ad Cornel. Alcib. 9, 1. Sequitur particula caussalis *nam*.

Terent. Andr. 3, 2, 24. DA. *Sed si quid narrare occepi, continuo dari tibi verba censes.* SI. *Falso.* Bentleius coniuncta verba *censes falso* tribuit Davo: quo facto non modo *falso* additum languet et sententiam enervat, sed interpellatio removetur et personae et rei aptissima.

Cic. de Off. 3, 18, 74. *atqui in talibus rebus aliud utile interdum, aliud honestum videri solet. Falso: nam eadem utilitatis, quae honestatis, est regula.* Cornel. Alc. 9, 1. *at Alcibiades — penitus in Thraciam se supra Propontidem abdidit, sperans ibi facillime suam fortunam occuli posse. Falso: nam* etc.

4. Forma verbi *false* non male facta, sed obsoleta videbatur grammaticis. Charisius p. 92. *similiter haec adverbia sunt vobis observanda, quod, quamvis ex appellationibus secundae declinationis veniant, tamen regulam, quum proposuimus, non sequuntur. Debemus enim dicere false, et prime, et tertie secundum appellationes, quae sunt falsus, primus, tertius: quod non dicimus, sed falso, ψευδῶς, primo, πρῶτον.* Idem tamen Charisius p. 179. affert ex Sisennae libro quarto: *iudicium false factum.* In Cic. Acad. 2, 46, 141. omnes libri scripti exhibent *non assentiar saepe false*, editiones veteres *falso*: ubi Goerenzius ait: „saepius auctor in antecedentibus *assentiri falso*, quod praebent h. l. etiam Ascen. et Crat." Vellem indicasset istos locos. In Academicis quidem nusquam hoc inveni. Quare vehementer de hac re dubito, nec codicum bonorum auctoritatem detrectabo.

FATIM.

FATIM olim in usu fuisse, certe recentioribus temporibus, id Servius monstrat ad Virgil. Aen. 1, 123. De significatione huius vocabuli diximus in AFFATIM Tom. I. p. 200. Non omissa est praepositio *ad*, ut Doederlinus Synon. T. 3. p. 102. existimat. Nomen per se constat.

FERE. FERME.

Si in ulla particula per grammaticorum negligentiam obscuritas et explicationis ambiguitas non modo non evanuerunt, sed mirum in modum adauctae sunt, id profecto factum est in verbis FERE et FERME. Omnes enim praecipiunt, his vocabulis rem vel numerum nonnihil imminui et sententiam restringi eo modo, ut aut notioni alicui aut universo iudicio aliquid detrahatur: quamquam ipsi addunt exceptionem, interdum aliquid etiam addi. Nec quisquam distincte declarat, quomodo et *valde* et *plerumque* et *prope* et *facile* una voce exprimi possint. Sed, ut saepe in hoc rerum genere accidit, in has tenebras aberrarunt, quum de via a veteribus iam patefacta deflexissent, et *fere* a graeco περὶ derivarent et in *ferme* interpositam esse *m* litteram existimarent. Nos redeamus in apertum campum et ad veteres auctores. Varro enim de Ling. lat. 6, 5. *ferme dicitur quod nunc fere: utrumque dictum a ferendo, quod id, quod fertur, est in motu atque adventat.* Priscianus 15. p. 1010. *sciendum tamen, quod quaedam adverbia non plene servant significationem, quae in nominibus est, a quibus derivantur, ut ferus fere, sanus sane, sensus sensim. Ideo autem diximus non plene, quia potest esse aliqua ratio, ut ferae dicuntur, quae omni corpore feruntur, quippe quum quatuor pedibus utantur: fere ergo pro iuxta, quod celeribus omnia iuxta sunt.* In his, uti solebant, veteres principia, quibus ipsi erant propiores, simpliciore exploratione invenerunt, tamen in rebus inde deducendis non praeclare sunt versati. Neque enim opus est quadrupedibus, ut celeritatis naturam explicemus: id quod optime perspexit Scaliger de Caussis lat. ling. c. 158. p. 402.

Originem horum verborum conspicimus in *fer*, ex quo fit *fero*, quod non debetur Graecis, sed simili

modo est effictum atque graecum φέρειν. Inde duorum fiebant formae nominum *ferum*, et *fermum*, quorum illud primariam notionem servabat atque id significabat, quod fert aut fertur: idque ad feritatem denominandam ea ratione adhibebatur, qua Germanorum *wild* ex *wilwan*, quod est volvere, factum est. Altera autem forma *fermum* significat proprie id, quod ad extremum usque fert vel fertur. Nam haec est vis terminationis *mus* et in superlativis, et in vocabulis *finitimum*, *legitimum*, aliis conspicua. Tum vero *fermum* dicebatur *firmum*, quod est id, quod ad extremum usque perductum perstat aut continetur. *Ferme* igitur, ablativus nominis *fermus*, id quod longa syllaba extrema monstrat, dicitur de re promota vel perducta: atque haec notio ad duplicem rerum modum adhiberi potest, ut significetur et res usque promota, et id, quod ad aliquid perfertur et accedit. Illud aliis verbis est, *penitus*, *valde*, hoc *pene*, *prope*. Sed *ferme*, quod, uti Varro et Charisius docent, antiqui scriptores usurpabant, postea quum *fermus* obsolevisset, omissa littera *m*, fiebat *fere*: ea littera enim non inserta est extrinsecus, quemadmodum Vossio videbatur, sed abiecta, veluti in *rupi* et aliis. Atque id eo facilius effici poterat, quod hac via vocabulum ad suam originem reducebatur, quasi ex *ferus* factum esset. Ergo *ferme* et *fere* non diversa vocabula, sed duas formas unius verbi nuncupabimus. Neque ullum reperitur significationis genus, quod non utrique formae apud antiquos scriptores conveniat, nec *ferme*, ut quidam opinantur, praestat maiori vi. In libris scriptis ubique *fere* et *fēre* confusa sunt: de qua re Drakenb. ad Liv. 37, 38, 5.

Haec quum ex ipsa verbi natura prodeunt, tum analogia mirabiliter congrua confirmantur germanicae linguae. In hac enim antiquum erat vocabulum *vaste*, ab adiectivo *veste* factum, quod significabat *firme*. Tum vero a saeculo tertio decimo dicebatur pro *valde*. Sed tempus, quo *fast*, primum in comparatione restrictiva, deinde etiam pro *beinahe* de re propius accedente usurpari coepit, recentius est saeculi septimi decimi. Quo intelligitur notionum cognatio.

Praetereo explicationes a viris doctis male factas: sed unum nomino Herzogium, qui a multis in hac re laudatur. Contendit enim ille in notis ad Caes. Bell.

gall. 8, 18. *fere* esse particulam logicam, quae semper iudicium dicentis cohibeat aut unam aliquam notionem restringat. Quod quam verum sit, nostra monstrabit expositio. Nam *fere* id indicat, quod in rebus sit probabile, nec refertur tantum ad cogitationem loquentis, qui de eo, quod fieri aut esse possit, dubitet, sed ad rei conditionem. Ea affirmatur esse, et colligitur ex ipsa re id, quod dicitur probabile et consentaneum esse, non tantum videri. Quare vereor ne omnia illa concidant, quae vir doctus de dubitatione loquentis et de minuta rei magnitudine commentatus est. Nunc de significatione.

1. Primum igitur *ferme* et *fere* significat *firmiter*, *admodum*, et quod his proximum est, *perquam*, *valde*, *penitus*. Comparari possunt latinum *usque*, cui duplex est significatio, et Germanorum *vaste*, *fast*.

Naevius apud Varronem 6, 5. *circumvenire video ferme iniuria.* Ita bene restituit ex quodam libro Augustinus: reliqui *ciccum venire:* unde fecerunt *eccum venire.* Similiter Terent. Hec. Prol. 46. *circumventum inique.* Nos reddimus *ganz mit Unrecht.* Gellius 14, 2. *sed eum constabat virum esse ferme bonum notaeque et expertae fidei.* Nec dubito, quin haec explicatio praestet apud Lucret. 3, 65. *turpe enim ferme contemptus et acris egestas, semota ab dulci vita stabilique videtur.* Cic. Verr. 3, 5, 10. vide n. 13.

Plaut. Trin. 2, 2, 54. *edepol hominem praedicatum ferme familiariter.*

Cic. de Off. 1, 18, 61. *declaratur autem studium bellicae gloriae, quod statuas quoque videmus ornatu fere militari.* i. e. *in ganz militärischer Tracht.* de Divin. 1, 11, 18. *quod ferme dirum in tempus cecidere latinae.* intellige valde dirum tempus. Terent. Heaut. 1, 1, 69. *ubi comperi ex iis, qui fuere ei conscii, domum revertor moestus atque animo fere conturbato.*

In carmine Nibelungorum haec: *si drungen vaste gen einander* et *ir kraft lac vaste uf schilden.* et apud Lutherum Mos. 1, 12, 14. *sie war fast schön.* 50, 9. *ein fast grofses Heer.*

Hac ratione vindicanda est scriptura librorum antiquorum Liv. 36, 43, 4. *utique prius confligendum, quam classis Eumenis et Rhodiae naves coniungerentur Romanis. Ita numero ferme impares futuros. Ipsum omnibus superiorem esse celeritate navium et varietate auxiliorum.* i. e. qua coniunctione fere, ut admodum impares fierent, qui tum pene pares essent. Correxerunt *non ferme.*

2. Id refertur ad tempus, et dicitur continua res, quae saepe et frequenter facta est, et res consueta, quae fieri solet, aut quae non multum abest quin semper fiat. Inepte quidam grammatici existimabant omissum *plerumque* sive *omnes* sive *ubique* substitui debere. vid. Heindorf. ad Horat. Sat. p. 78. et Seebodii Bibl. crit. a. 1820. p. 438. Ipsae particulae *ferme* et *fere* designant id, quod fit non turbato ordine, non admissa mutatione, in omni tempore, *in der Regel*, *allgemein*, *gemeiniglich*. Nam proprie significant rem perlatam h. e. continuam. Simili modo Germani usurpant *durchaus*. Et dicunt Latini ita de consuetudine proprie. Opponuntur etiam *raro*, *rarius*, *interdum*, *saepe*. Quo differt *plerumque*, sensisse videntur Laur. Valla Elegant. 2, 49. et Burmannus ad Phaedr. 1, 13, 2. ipsam tamen rem non explicuerunt. *Plerumque* numerat, *fere* totum ponit continuum.

Liv. 45, 35, 5. *intacta invidia media sunt: ad summa ferme tendit.* 21, 54, 1. *rivus — circa obsitus palustribus herbis et, quibus inculta ferme vestiuntur, virgultis vepribusque.* Iuvenal. 13, 236. *mobilis et varia est ferme natura malorum.* Tacit. Ann. 2, 2. *et accepere barbari laetantes, ut ferme ad nova imperia.* 2, 54. *non femina illic, ut apud Delphos, sed certis e familiis et ferme Mileto accitus sacerdos numerum modo consultantium et nomina audit.* 4, 9. 12, 36. Hist. 4, 70. Liv. 34, 13, 3. *nocte ferme proficiscebantur.* i. e. *gewöhnlich marschirten sie Nachts aus.* 9, 30, 3. *quae antea — dictatorum et consulum ferme fuerant beneficia.* 7, 2, 4.

Caes. B. gall. 3, 18. *quod fere libenter homines id, quod volunt, credunt.* Cic. de Lege manil. 9, 24. *hoc iam fere sic fieri solere accepimus.* Tusc. 3, 30, 73. *non sunt vitiosiores quam fere plerique, qui avari avaros — reprehendunt.* de Inv. 1, 29, 46. 2, 4, 14. *cum hoc, ut fere fit, in via sermonem contulit.* Curt. 8, 10, 16. Rhet. ad Herenn. 2, 18, 27. *nam fere non difficile est invenire, quid sit caussae adiunctio.* de Off. 2, 20, 69. *a quo enim expeditior et celerior remuneratio fore videtur, in eum fere est voluntas nostra propensior.* Terent. Phorm. 2, 3, 16. *ruri fere se continebat.* Cic. de Leg. 2, 1, 3. Ovid. Her. 18, 59. *Luna fere tremulum praebebat lumen eunti.* ubi alia multa Ovidii contulit Heinsius. Her. 19, 45. *annuit illa fere.* Sueton. Aug. 76. 82. 85. 91. Cic. de Orat. 2, 33, 142. *video enim in Catonis et Bruti libris nominatim fere referri, quid alicui de iure viro aut mulieri responderint.* ubi incredibilis est coniectura facta a Müllero: *semper* vel *fere semper*.

Cic. de Amicit. 1, 2. *memini — in eum sermonem illum incidere, qui tum fere erat in ore.* Scribae, huius dictionis ignari, vel *multis* vel *omnibus* interposuerunt. Est vero sensus: *der allgemein im Munde war.*

Horat. Epist. 1, 6, 9. *qui timet his adversa, fere miratur eodem quo cupiens pacto.* Schmidius coerceri dicit sententiam adiecta particula. Recte, si consuetudinem, sive id, quod fieri solet, intelligit. Nos *gemeiniglich.* Vide eum ad 1, 17, 24. et ad 2, 1, 236.

Cic. ad Fam. 1, 9, 67. *nam etiam ab orationibus diiungo me fere referoque ad mansuetiores Musas.* Sueton. Aug. 53.

Celsus 6, 2. *fereque id in capillo fit, rarius in barba.* Columell. 4, 17, 5. *fere autem praedicta aetas laeto solo truncoque tres materias, raro quatuor desiderat.* Sueton. Aug. 45. *ipse circenses ex amicorum fere libertorumque coenaculis spectabat, interdum e pulvinari.* 53. *in consulatu pedibus fere, extra consulatum saepe adaperta sella per publicum incessit.* Tiber. 68. *incedebat — adducto fere vultu, plerumque tacitus.* Haec non opponuntur.

3. In rebus comparandis et in rebus constituendis particula haec inservit exactae designationi rei vel temporis, et dicitur *ferme ut*, i. e. *durchaus wie*, *gerade wie*, et *iam fere* pro *eben jetzt*, *grade jetzt*, vel pro *schon eben.* Errarunt multi interpretes, quum reddebant *beinahe.*

Plaut. Pers. 4, 1, 3. *atque edepol ferme ut quisque rem accurat suam, sic ei procedunt post principia denique.* Terent. Hec. 3, 1, 32. *itidem illae mulieres sunt, ferme ut pueri, levi sententia.*

Liv. 36, 7, 1. *quum circa hanc fere consultationem disceptatio omnis verteretur.* Recte intellexerunt librarii, qui glossam adiiciebant *vero.* Est enim *grade um diese Berathung.*

Ennius Annal. 8. apud Non. 3, 157. s. v. *pulvis: iamque fere pulvis ad coelum vasta videtur.* Et 4, 328. s. v. *occupare: Hector te summa armatos educit foras castrisque castra ultro iam fere occupat.* Terent. And. 1, 5, 49. *iam ferme moriens me vocat.* Male coniungunt *ferme moriens* et vertunt *fast sterbend.*

Alio sensu dicitur Cic. de Lege manil. 9, 24. *hoc iam fere sic fieri solere accepimus, ut* etc.

4. Exactam designationem in iis quoque habemus, quibus progressus notatur ad locum aliquem promotus,

ut *ferme* sive *fere* sit usque ad ipsum hunc locum, *bis an*.

Liv. 3, 24, 7. *in conspectum ferme Africae prospero cursu vectum primo destituit ventus, deinde versus in africum turbavit.* i. e. *bis zum Anblick Africas gelangt.* 37, 20, 3. *ad radices fere collis, in quo posita est urbs, regii succedebant.* i. e. *bis an den Hügel.* Vtroque in loco antiqui librarii, qui *pene* substituerunt, et recentiores interpretes intellexerunt longius intervallum, quasi esset *beinahe an den Hügel.*

5. Cum negatione composita *non ferme, non fere* dicuntur pro *non valde* et pro *non adeo, nicht eben, nicht gerade,* vel pro *non saepe, non consueto.* Id quum de re, quae effici possit, recte usurpetur, *non fere, haud ferme* vim habent saepe verborum *haud facile,* sed cum hac proprietate, ut illae formulae non dubitationem aut minutam rem, sed asseverationem et auctam quasi rem exprimant: *gewöhnlich nicht, nicht eben.*

Plaut. Poen. 4, 2, 40. *facio, quod manifesto moechi haud ferme solent.* Vide Iani Dousae Plaut. Explicat. p. 323. Cic. Top. 16, 60. *atque illud quidem genus caussarum, quod habet vim efficiendi necessariam, errorem afferre non fere solet.*

Cic. Brut. 40, 150. *aetatesque vestrae, ut illorum, nihil aut non fere multum differunt.* de Off. 2, 3, 15. *vulgus, quid absit a perfecto, non fere intelligit: quatenus autem intelligit, nihil putat praetermissum.*

Terent. Andr. 3, 1, 2. *fidelem haud ferme mulieri invenias virum.* Cic. Tusc. 5, 38, 111. *sapientis autem cogitatio non ferme ad investigandum adhibet oculos advocatos.* de Re p. 1, 45, 69. *hoc in hac iuncta moderateque permixta conformatione rei publicae non ferme sine magnis principum vitiis evenit.* Liv. 1, 24, 1. *nec ferme res antiqua alia est nobilior.*

Cic. ad Att. 7, 6. *nec adhuc fere inveni, qui non concedendum putaret Caesari, quod postularet.* intellige *quemquam.* Cic. p. Sext. 23, 51. *denique ex bellica victoria non fere quemquam est invidia civium consequuta.* de Fin. 1, 6, 18. *Epicurus autem, in quibus sequitur Democritum, non fere labitur.*

6. Haec dictio apta est sententiae exceptivae: quare post *non ferme* sequitur *nisi.* Quo modo etiam Germani componunt *fast — wenn nicht.*

Cic. Tusc. 2, 3, 8. *Epicurum autem et Metrodorum non fere praeter suos quisquam in manus sumit.*

Liv. 22, 9, 8. *pervicit, ut, quod non ferme decernitur, nisi quum tetra prodigia nuntiata sunt, decemviri libros sibyllinos adire iuberentur.* Cic. Tusc. 1, 17, 38. *rationem illi sententiae suae non fere reddebant, nisi quid erat numeris aut descriptionibus explicandum.*

7. Non alio modo coniunguntur negativa nomina *nemo*, *nullus*, *nihil*, ubi nos dicimus *eben niemand*, *nichts eben*. Gernhardus ad Cic. Lael. 1, 5. observat, particulam negativae voci postponi, non praeponi.

Plaut. Truc. 2, 1, 38. *propterea huic urbi nomen Epidamno inditum est, quia nemo ferme huc sine damno divortitur.* Cic. Brut. 43, 161. *quod ideo posui, ut — intelligeretur iam ad summum pene esse productam, ut eo nihil ferme quisquam addere posset, nisi qui a philosophia — fuisset instructior.*

Caes. B. gall. 5, 57. *neque ullum fere totius hiemis tempus sine sollicitudine Caesaris intercessit.*

Cic. de Amic. 1, 5. *quo erat nemo fere senior temporibus illis, nemo prudentior:* ubi quum in quibusdam libris *fere* ante *nemo* positum esset, nulla tamen caussa erat, ut Goerenzius abiici particulam iuberet. Cic. Top. 21, 79. *intelligendum est, nec ullam esse disputationem, in quam non aliquis locus incurrat, nec fere omnes locos incidere in omnem quaestionem.* Lambinus coniecit *nec temere* et *nec omnes locos*. Sed egregie Schwartzius in Tursellino explicuit sententiam ita: nullam esse quaestionem, ad quam loci dialectici non queant adhiberi, plerumque tamen fieri, ut non omnes loci ad omnes quaestiones accommodari queant.

8. In his omnibus, ut modo dixi, tantum abest ut res in dubitationem vocetur, ut adiiciatur affirmatio quaedam de re firmiter constante. Quare coniunguntur adeo particulae affirmativae. Sed interpretes e gente Germanorum in his saepe falluntur, dum vocabulum *fast* ponunt, quod antiquam vim affirmativam amisit, et *propemodum* significat hodie.

Plaut. Trin. 3, 3, 3. *namque hercle honeste fieri ferme non potest, ut eam perpetiar ire in matrimonium.* Vertimus: *allerdings kann es fast nicht mit der Ehre bestehen*, in quibus *fast* est antiquum *vaste*, h. e. *wirklich*.

Terent. Heaut. 1, 1, 3. *nec rei fere sane amplius quidquam fuit.*

9. Quibus praemissis facile demonstrari poterit, quomodo id vocabulum, quod *valde* et *firmiter* significat, etiam exprimere multis quidem videatur *circiter*,

prope, *beinahe*, et, ut dictitant grammatici, rem non nihil minuere. At profecto numquam imminuit rem, nec indicat minorem rem aut non repletum numerum, sed ubi numerus, vel magnitudo aliqua, vel res, quae multae aut semper aut satis esse dicuntur, ita sunt designandae, ut multitudinem vel magnitudinem ad aliquem terminum sive numerum productam aut rem numero absolutam et distinctam intelligamus, latine dicimus *ferme* et *fere*. Quo exsistit ambigua saepe vocabuli notio, sicuti in vocabulo *aliquantum*. Nam modo numerus est repletus, uti dicitur *ferme biennium*, *grade*, *eben zwei Jahre*, ἤδη, modo accrescit res ad hunc numerum, veluti *fere decem millia* sunt non minus quam d. m. *ziemlich zehn tausend*, *an zehn tausend*, modo complectimur totum, ut sit *in summa*, *im Ganzen*, quod non modo de universo numero, sed etiam de numero summo dicitur i. e. *höchstens*, et de numero, quem etiamsi superare videatur res, tamen certo nomine designatur. Vnde criticorum orta est opinio *fere* indicare et numerum paullo minorem et paullo maiorem. vid. Drakenb. ad Liv. 1, 40, 3. 37, 6, 4. In his omnibus vero regnat notio rei universae, quam iam Laurent. Valla 2, 49. intellexit, et subtiliter negavit dici posse *fere multos*.

Vsus Germanorum, quo nunc *fast* pro *beinahe* ponunt, recentissimus est, nec duo saecula excedit. Id vero iam olim decepit interpretes, qui *eodem fere tempore*, *eo fere die* dictum putabant pro *eodem forte tempore*, *eo forte die*. Vide FORTE.

Plaut. Bacch. 3, 2, 4. *hoc factum est ferme abhinc biennium*, i. e. *es geschah gerade vor zwei Jahren*. Liv. 1, 40, 1. *duodequadragesimo ferme anno*, *ex quo regnare coeperat Tarquinius*, — *longe maximo honore Servius Tullius erat*. Errant, qui intelligunt, paullo ante annum duodequadragesimum. Immo distincta est designatio istius anni. Nos: *es waren gerade 38 Jahre*. Cornel. Arist. 3, 3. *decessit autem fere post annum quartum*, *quam Themistocles Athenis erat expulsus*. Optime est emendatio facta a Naugerio in Cic. Verrin. 2, 39, 96. *et erat spatium dierum fere triginta ante cal. decemb.*

Terent. Hec. 5, 3, 24. *nam memini abhinc menses decem fere ad me nocte prima confugere anhelantem domum*. Andr. 1, 1, 77. *fere in diebus paucis*, *quibus haec acta sunt*, *Chrysis vicina haec moritur*. i. e. *grade in wenigen Tagen*, quod est *nur nach wenigen Tagen*. Liv. 36, 43, 1. *eo fere tempore consul Acilius*

Naupactum oppugnabat. 37, 46, 1. 27, 4, 5. Curt. 10, 1, 43. *iisdem fere diebus litteras a Coeno accipit de rebus in Europa et Asia gestis, dum ipse Indiam subegit.* Cic. ad Att. 14, 20. *e Pompeiano navi advectus sum in Luculli nostri hospitium VI Idus hora fere tertia.* in Pis. 6, 13. *quum ad te quinta fere hora cum C. Pisone venissem.* Hac formula non designatur tempus horae quintae proximum, sed ipsa hora quinta, eamque totam quidem indicat, quomodo nos dicimus *im Laufe der Stunde.* Caes. B. gall. 4, 23. *tertia fere vigilia solvit.* Ita etiam Cic. in Pis. 6, 14. *idem illo fere biduo productus in concionem.* Vellei. Pat. 2, 10, 2. *quum ante annum ferme L. Caesar frater eius — decessisset.* i. e. *im Laufe des Jahrs vorher:* quod esse poterat mensis, quem Suetonius Aug. 65. nominat, duodevicesimus.

Vellei. Pat. 1, 5, 3. *nam ferme ante annos DCCCCL floruit.* 2, 90, 4. *ad eam pacem abhinc annos ferme L perduxit Caesar Augustus.* Apulei. Met. 4. init. *diem ferme circa medium, quum iam flagrantia solis caleret.* i. e. ἤδη.

Liv. 42, 51, 3. *summa omnium quadraginta millia armata fuere: quorum pars ferme dimidia phalangitae erant.* i. e. *ziemlich die ganze Hälfte.*

Curt. 4, 2, 24. *in Libano quoque Arabum agrestes incompositos Macedonas adorti, triginta fere interficiebant, paucioribus captis.* i. e. non minus triginta.

Liv. 30, 8, 3. *in tumulo quatuor ferme millia distante ab castris regiis consedit.* 30, 9, 11. 30, 10, 7. *mille ferme delecti propugnatores onerariis imponuntur.* 40, 58, 8. Graeci dicunt εἰς.

Plaut. Poen. 4, 2, 80. *ibidem gnatus, inde surreptus fere sexennis.*

Ob sedem, quam particula obtinet, memorabilis est locus Livii 21, 52, 9. *tum, collega cunctante, equitatum suum, mille peditum iaculatoribus ferme admixtis, ad defendendum gallicum agrum trans Trebiam mittit.* quae apud Polybium 3, 69. πεζοὺς σὺν τούτοις ἀκοντιστὰς εἰς χιλίους. Verba latina puto non esse corrupta.

Liv. 1, 40, 3. *ut in eadem civitate post centesimum ferme annum, quam Romulus deo prognatus, deus ipse, tenuerit regnum —, id servus serva natus possideat.* Dukerus coniecit *ducentesimum.* Sed sententia est: iam post centesimum. Mamertin. Grat. Act. Iul. 24, 5. *duo aut tria ferme ex vetere memoria amicorum paria proferuntur.* i. e. *oder höchstens drei.*

Gellius 4, 3. *memoriae traditum est, quingentis fere annis post*

Romam conditam nullas rei uxoriae neque actiones neque cautiones in urbe romana aut in Latio fuisse. ubi emendatione non opus est. Nam intelligit Gellius numerum admodum magnum et totos quingentos annos, adeo quingentos.

10. Atque hac, quam exposui, ratione componuntur cum hac particula nomina *omnes*, *plerumque*, *maxima pars*, *plus*, *semper*, in quibus explicandis impedimur vocabulo nostro *fast*. Nam numquam Latini ita loquuntur, quasi *fere omnes* sint *non omnes:* neque Cicero hoc sensu dicere potuisset Topic. 21. *nec fere omnes locos.* Sed *fere omnes* aut significat, quod supra exposui, *plerumque omnes*, de rebus solitis et consuetis, et uno modo factis, aut cum affirmatione *eben alle*, aut cum indicio magni numeri *ziemlich alle*. Atque ita respondet vocabulum *adeo*.

Terent. Phorm. 5, 8, (7), 20. *ferme eadem omnia, quae tute dudum coram me incusaveras.*

Cic. ad Fam. 6, 10, 7. *et omnes fere familiarissimi eius casu devincti meis magnis veteribus officiis me diligenter observant et colunt.* Liv. 21, 60, 9. *omnibus fere caris rebus — citra Pyrenaeum relictis.* Suet. Caes. 87. *illud plane inter omnes fere constitit.*

Caes. B. gall. 4, 20. *quod omnibus fere gallicis bellis hostibus nostris inde subministrata auxilia intelligebat.* 5, 13. *quo fere omnes ex Gallia naves appelluntur.* 5, 23. *perpaucae locum caperent, reliquae fere omnes reiicerentur.* 5, 57. *omnes fere Galliae civitates de bello consultabant.* 7, 19. *hunc ex omnibus fere partibus palus difficilis et impedita cingebat.* Cic. p. Cluent. 16, 46. *quibus quantus splendor sit, quam prope aequabilis, quam fere omnium constans et moderata ratio vitae, nemo vestrum — ignorat.*

Tacit. Ann. 3, 76. *quia in magnis opibus, quum ferme cunctos proceres cum honore nominavisset, Caesarem omisit.*

Terent. Ph. 1, 2, 39. *hic solebamus fere plerumque eam opperiri.* Haec pleonasmi speciem habent. Cf. Cic. Tusc. 3, 30, 73. p. 693.

Plaut. Capt. 2, 1, 36. *nam fere maxima pars morem hunc homines habent.* Truc. 1, 1, 45. *nam nunc lenonum et scortorum plus est fere, quam olim muscarum est, quum calatur maxume.*

Cic. de Orat. 2, 6, 22. *saepe ex socero meo audivi, quum is diceret, socerum suum Laelium semper fere cum Scipione solitum rusticari.* Rhetor. ad Herenn. 4, 41, 53. *vehemens est haec*

exornatio et in coniecturali constitutione causae ferme semper necessaria.

Herzogius ad Caes. B. gall. 3, 12. narrat de subtilitate cuiusdam viri docti, qui statuerit, *omnes fere* non dici posse, nisi verbo apposito, quia in nomine totius rei, quae non sit tota, contradictio in adiecto exsistat: additque ita semper apud Caesarem *fere* componi cum verbis. Quod aut male expositum est, aut subtilitatem istam non admodum commendat. Quid enim est, *fere omnes* dici sine verbo? An vero ille vir doctus arbitratur *fere* ubique cum verbo esse coniungendum, non cum nomine *omnes?* Quid quum Caesar dicit *hunc collem ex omnibus fere partibus palus cingebat?* Immo vero omnes et *fere* congruunt in notione universae et continuae rei.

11. Iam nemo dubitabit *fere* etiam de plurima parte alicuius copiae vel multitudinis dici potuisse. Et dictum est, ut significaret *maxima ex parte*, *gröſstentheils.*

Cic. de Nat. d. 1, 16, 42. *exposui fere non philosophorum iudicia, sed delirantium somnia*, i. e. maximam partem, *gröſstentheils:* nam pergit: *nec enim multo absurdiora sunt ea, quae poetarum vocibus fusa.* Liv. 21, 27, 8. *equites fere propter equos nantes navium agmen ad excipiendum adversi impetum fluminis parte superiore transmittens tranquillitatem infra traiicientibus lintribus praebebat.* i. e. naves transmittebant equitum maximam partem propter equos nantes, pauci in ipsis navibus tenebant equos impositos. *Der Schiffszug, welcher die Reiter gröſstentheils bei den schwimmenden Pferden oben übersetzte* etc. Wolperus in Seebodii Bibl. crit. a. 1821. 1, 2. p. 226. coniecit *ferens:* quod in hac verborum collocatione ne latinum quidem est. Liv. 21, 59, 8. *sicut aequata ferme pugna erat, ita clade pari discessum est.* i. e. maxime.

12. *Satis fere* est *so ziemlich genug*, *admodum satis.* *Haec fere* formula est, qua utitur is, qui plurima et potiora dixisse vel exposuisse se declarat. Male vulgo vertunt *dies ohngefähr*, aut expressam putant modestiam et dubitationem verborum *ut opinor*, *ni fallor.* Latini veteres non ita loquuti sunt, nisi ubi rem totam et primariam complectuntur, missis iis, quae fortasse aut addi aut demi possint, et ubi summam rei spectant. Quare Livius quum 1, 32, 11. ait: *confestim rex his ferme verbis patres consulebat*, non dubitationem exprimit de verbis suis, sed affirmat, quibus rex verbis usus fuerit, ea fuisse haec videri: quasi dicat, si summam rei specto, his verbis consulebat. Atque ita

verba *haec ferme* colligunt ea, quae ante dicta sunt: *dies zusammen.* Sed saepe hac formula dicuntur etiam ea, quae modo in promptu sunt, aut quae modo dicenda sunt: *dies eben:* aut etiam praecipue consideranda: *dies vorzüglich.*

Haec iam pridem a me conscripta, vide, quomodo conveniant cum iis, quae Beneckius ad Iustin. 34, 4. nuper disseruit. Atque viam aperuit Laur. Valla. Ita vera constant omni tempore.

Cic. de Off. 1, 18, 60. *atque ab iis rebus, quae sunt in iure societatis humanae, quemadmodum ducatur honestum, ex quo aptum est officium, satis fere diximus.*

Liv. 1, 15, 6. *haec ferme, Romulo regnante, domi militiaeque gesta.* Colligit ante dicta. 23, 34, 1. *in has ferme leges — ictum foedus.* ubi non intelligi potest leges non omnes antea dicta esse. Nam male vertas *diese ohngefähr.*

Cic. de Nat. d. 3, 39, 93. *haec fere dicere habui de natura deorum.* ad Fam. 12, 5, 8. *haec erant fere, quae tibi nota esse vellem.* 12, 29, 17. *haec fere ad eas litteras, quas eodem exemplo binas accepi.* ad Att. 2, 16. *cogitanti autem haec fere succurrebant.*

Cic. Acad. 2, 32, 102. *scripsit igitur his fere verbis.* quae quo sensu accipi debeant, verba sequentia ostendunt: *sunt enim mihi nota, propterea quod earum ipsarum rerum — prima institutio et quasi disciplina illo libro continetur.* Liv. 6, 29, 9. *tabula sub ea fixa, monumentum rerum gestarum, his ferme incisa litteris fuit.* Gronovius ex significatione particulae *ferme* demonstrare voluit, non totam inscriptionem a Livio referri. Est potius *his quidem litteris.*

Suet. Caes. 25. *gessit autem novem annis, quibus in imperio fuit, haec fere.* i. e. haec praecipue. Xenoph. de Re p. Laced. 5, 1. *ἃ μὲν οὖν ἑκάστῃ ἡλικίᾳ ἐνομοθέτησεν ὁ Λυκοῦργος ἐπιτηδεύματα, σχεδὸν εἴρηται.* Cornel. Praef. 2. *sed hi erunt fere, qui expertes litterarum graecarum nihil rectum, nisi quod ipsorum moribus conveniat, putabunt.* i. e. non alii erunt, quam qui etc. Contrarium docet Bremius, intelligi rem exceptione non vacuam.

Quinctil. 5, 10, 1. *hoc enim nomine complectimur omnia, quae Graeci ἐνθυμήματα, ἐπιχειρήματα, ἀποδείξεις vocant: quamquam apud illos est aliqua horum nominum differentia, etiamsi vis eodem fere tendit.* i. e. *obgleich ihre Wirkung im Ganzen dieselbe ist.*

13. His expositis, non attinet contra eos disputare, qui praecipiunt *fere* usurpari, si quid obliti simus aut

si forte erremus. Id vero animadvertendum est, particulam ea cum significatione, qua res dicitur accrescere, non aliis verbis apud antiquos quidem scriptores adiici, nisi quae aut numerum aut tempus aut magnitudinem rerum indicant. In aliis autem omnibus habet significationem distinctae denominationis, nec potest reddi *fast*, nisi adiicias *ganz: fast ganz:* quod est maxima ex parte, admodum. Recentiores vero scriptores etiam ad alia nomina loci et conditionis particulam adhibuerunt, nescio an a Livii temporibus.

De loco Terent. And. 1, 5, 49. dixi p. 694.

Aequalis cum *fere* coniungitur, quum de tempore dicitur. Cic. Brut. 48, 179. *Orbius meus fere aequalis.* de Off. 3, 1, 1. *Cato, qui fuit eius fere aequalis.* Cornel. Arist. 1, 1.

Plaut. Trin. 2, 2, 38. *mihi quidem aetas acta est ferme, tua istuc refert maxume.* i. e. *meine Zeit ist so ziemlich ganz abgelaufen.* Tacit. Ann. 15, 25. *in tantum ferme modum aucta potestate, quam populus romanus Gnaeo Pompeio bellum piraticum gesturo dederat.* i. e. *ziemlich ganz so viel.*

Horat. Sat. 1, 3, 94. *quis paria esse fere placuit peccata, laborant, quum ventum ad verum est.* Quod Heindorfius supplet *omnia*, inesse posset in ipso *fere*, sed id non pertinet ad *paria*, significatque consuetam rem: *denen in der Regel die Fehler gleich dünken.*

Cic. in Verr. 3, 5, 10. *nunc tractare caussam instituimus frumentariam, quae magnitudine iniuriae fere criminibus ceteris antecellit.* Zumptius iure defendit *fere*, quum et re vehementer ieiunum sit, sed accepisse videtur pro *pene:* nam oratorem velle etiam ceteris criminibus gravitatem suam servare. At hoc excedit antiquum usum. *Fere* est *perquam*, *valde:* de quo n. 1.

Curt. 9, 8, 30. *defluxit ad insulam medio ferme alveo enatam.*

Illud vero, quod Zumptius Grammat. n. 279. ait, dici in oratione modesta et urbana *quoniam fere constat*, *da es doch wol ausgemacht ist*, id prorsus abhorret a natura et usu huius particulae.

14. De loco, quem particula obtineat, critici constitui voluerunt, eam proxime praecedere vocabulo, cuius notionem definiat. Vid. Beier. ad Cic. de Off. 3, 1, 1. Sed exempla a nobis proposita monstrant non modo post nomen poni particulam, praesertim post negativa, sed etiam remotiore loco. Mensuram syllabae

extremae in ablativa forma producendae non mutant poetae veteres. Tamen Ausonius Epigr. 105, 5. non originem, sed analogiam nominum primitivorum respiciens, brevem posuit pessimo exemplo: *nam tecum fere totus ero.* Sed ne grammatici quidem rem habebant compertam. Nam Charisius p. 179. *ferme, ut apud Terentium lectum ferunt: Ferme in diebus paucis* etc. *At qui detracta m littera legerunt fere, producere solent, quae diversitas vix distingui potest* (in Terentii quidem loco allato). *Si quis tamen illam non inutilem tueri velit, regulam facile defendet adverbiorum, quaedam suae positionis esse, ut heri, nuper: alia ex aliis, ut doctus docte, bonus bone.*

*) Confusa interdum sunt *fere* et *forte.* vid. Drakenb. ad Liv. 34, 47, 4. Zumpt. ad Cic. Verrin. p. 334. et *vero.* vid. Drakenb. ad Liv. 10, 18, 8. 36, 7, 1. *ferme* et *formae.* vid. Drakenb. ad Liv. 26, 47, 5. 37, 23, 5. Librarii solebant hanc particulam interponere: vid. Drak. ad Liv. 21, 52, 10: vel omittere: ad 21, 54, 1.

FORINSECVS.

1. Forinsecvs, verbum non admodum vetus, formam et significationem communem habet cum vocabulo *extrinsecus.* Et primum quidem significat id, quod est extra, vel extra appositum: *von aussen, aussen.* Cf. T. I. p. 283. Savaro ad Sidon. Apoll. Epist. 7, 14. p. 444.

Plin. Hist. n. 13, 22, 42. *quarumdam naturae — lignum omne corticis loco habent, hoc est forinsecus.* Columell. 8, 3, 6. *sed ab cohorte forinsecus praedictis fenestellis scandulae similiter iniungantur, quibus irrepant aves ad requiem nocturnam.* Pallad. de Re r. 1, 40. *miliarium — inter foliorum spatia forinsecus statuemus.* Lactant. de Opif. dei 2, 9. *non forinsecus, ut cetera, sed interius armavit.*

2. Atque hoc de admotis rebus externis dicitur, uti *extrinsecus: von aussen her.*

Boeth. de Consol. philos. 5. pros. 4. *quamvis afficiunt instrumenta sensuum forinsecus obiectae qualitates.* Ita codices. Editiones vulgares *extrinsecus.* Heinsius ad Ovid. Met. 5, 450. in hunc modum emendari voluit verba Apulei. Met. 4. p. 148, 31. *nam praecipuo studio forensi etiam advexerat generosa illa damnatorum capitum funera.* ut legeretur *forinsecus etiam*

advexerat nemerosa ille — funera. de foris peregre advectis. Quae Pricaeus et Oudendorpius comparabant, ut defenderent *forense studium*, aliena erant ab hoc loco. Codices habent *forensis*: quod bene se habet. Intelligitur enim homo, qui fora frequentat negotii et mercatus caussa.

3. Apuleius eo sensu usurpat, ut sit *foras*, *e domo*, in verbis *forinsecus abiicere*, *evolare*. Sed etiam pro *foris*, *extra*, *aussen* dixit.

Apul. Met. 9. p. 230, 15. *his et pluribus verbis compellatum et insuper affatim plagis castigatum, forinsecus abiicit.* 3. p. 138, 33. *mox in altum sublimata forinsecus totis alis evolat.* Solinus Polyhist. 1. *Pindarum lyricum e convivii loco, cui imminebat ruina, ne cum ceteris interiret, forinsecus Castor et Pollux vocarunt.*

Apul. Met. 9. p. 233, 10. *mustelae mortuum serpentem forinsecus mordicus attrahentes.* 4. p. 147, 36. *prius maluit rerum singula per latiorem fenestram forinsecus nobis scilicet rapienda dispergere.* Intelligo: quae a nobis extra locatis raperentur, ea per fenestram dispergere maluit.

4. Vt *foris*, etiam de publica actione usurpant *forinsecus*.

Sidon. Apoll. Epist. 1, 2. *si actionem diuturnam, quae est forinsecus exposita, perquiras.* 3, 1. *multum voluntates nostras copulaverat decursarum forinsecus actionum similitudo.*

FORAS. FORIS.

Grammatici et veteres et recentiores in explicanda origine verborum FORAS, FORIS ut in tenebris caliginosis vehementer vacillabant. Nam alii *foris* nomen et *foras* adverbium a θύρα et θύραζε deducebant, alii *foras* dicebant esse extra fores, Perottus quasi ad forum. Varro autem de Ling. Lat. 4, 32. forum esse putabat locum, *quo conferrent suas controversias et quae vendere vellent, et quo quaeque ferrent.* Quae quomodo conciliari debeant, aut in quo fundamentum sit ponendum, non facile intelligitur. Permagna enim est familia unius stirpis per graecam et latinam linguam propagatae. Vt ex φέρω fiunt πέρω, πόρος, et mutatis litteris θύρα (quemadmodum germanica *Thor* et *Thüre* mutantur), ita ex *fero* descendunt *forus*, *foris*, *forum*, *foro*, *forma*. *Forus*, obsoletum nomen eam rem significat, quae fertur extra, hoc est duplici quidem

ratione et quod effertur et quod extrinsecus fertur: unde *foras* dicitur *hinauswärts*, extra: *foro* verbum, quod est exitum facere: *foris* notat τὴν θύραν, per quam egredimur et quae, ut Servius ait, foras aperitur: *forum* nominatur id, quod extra est, et quum domus vel septum fere opponatur, intelligimus eum locum, qui extra domum est: *forma* denique est externum, in quo interna rei natura apparet, externa facies.

1. Foras igitur et foris accusativam et ablativam formam non a foribus dictam putabimus, quamquam saepe ad exitum per fores et locum ante fores spectat: nec cum Iohnsono et Ruddimanno (quem vide Institut. Tom. I. p. 124.) obsoletum nomen *fora* supponemus, sed adiectivum *forus*, *fora*, *forum*, e quo substantiva *forus* et *forum* facta sunt. Nam *foras* proprie significat *hinauswärts*, *hinaus*. De terminatione *as* conf. Tom. I. p. 219. Illam vero primariam significationem in iis certe deprehendimus, quae dicuntur de rebus extra versis, veluti de vestigiis, quae exitum indicant.

Liv. 1, 7, 6. *pergit ad proximam speluncam, si forte eo vestigia ferrent. Quae ubi omnia foras versa vidit, nec in partem aliam ferre, confusus atque incertus animi ex loco infesto agere porro armentum occepit.*

2. Itaque *foras* additur verbis, quae exitum et emissionem significant, nec tantum de domo, sed de quocumque loco separato.

Terent. Andr. 1, 2, 3. *ipse exit foras.* Eun. 4, 4, 1. Plaut. Amph. 1, 2, 35. Cas. 2, 2, 36. *i foras.* Epid. 1, 2, 62. *adolescenti dic iam nostro herili filio, ne hic foras ambulet.* Terent. Eun. 5, 4, 23. *misera huc effugi foras.* 3, 5, 51. *vix eloquuta est hoc, foras simul omnes proruunt se.* Plaut. Mil. 2, 3, 37. *dum ego in tegulis sum, illac haec se hospitio edit foras.*

Terent. Phorm. 3, 1, 20. *eccum ab sua palaestra exit foras.* Ennius apud Cic. de Div. 1, 48, 108. *exin candida se radiis dedit icta foras lux.*

3. Item de qualicumque motu, quo quid sive e domo effertur, sive ex aliquo loco. Nam extruditur foras, evocatur foras, seducitur foras, excluditur foras, qui ex domo extruditur, vel seducitur, vel excluditur.

Virgil. Ecl. 8, 101. *fer cineres, Amarylli, foras.* Terent. Eun. 5, 5, 11. *nam me extrusit foras.* 5, 8, 11. *miles pelletur*

foras. Ad. 1, 2, 29. Eun. 2, 3, 69. ubi vid. Donatus. Plaut. Mil. 4, 6, 33. *illum evocato foras.* Terent. Eun. 2, 2, 52. *numquam evocari hinc ais foras?* Hec. 5, 1, 7. Hec. 1, 2, 69. *Pamphilus me solum seducit foras.* Ad. 1, 2, 39. *ubi non erit* (commodum), *fortasse excludetur foras.* Eun. 1, 2, 18.

Quomodo hoc vocabulum usurpetur in repudiis, monstrat Muretus Var. Lect. 15, 15. afferens Cic. Phil. 2, 28. *claves ademit. Foras exegit.* et Martial. 11, 105. *uxor, vade foras aut moribus utere nostris.*

4. Sed etiam alia verba componuntur, quae indicant aliquid emitti vel edi. Quare proprie dicitur *foras* de rebus palam faciundis, et apud populum pronuntiandis. Recentiori aetate usurpabatur de rebus ad alios versis, vel ad alios spectantibus.

Ennius apud Non. s. v. occupatus: *Hector se summa armatos educit foras.* i. e. *herausführen.* Cic. Som. Scip. 9. *idque ocius faciet, si iam, tum,* (animus) *quum erit inclusus in corpore, eminebit foras.* Lucret. 3, 123. *forasque per os est editus aër.* Cic. in Catil. 2, 1, 2. *quae* (urbs) *quidem laetari mihi videtur, quod tantam pestem evomuerit forasque ediderit.*

Cic. ad Att. 13, 22. *ea* (scripta volo) *tum foras dari, quum utrique nostrum videbitur.* p. Coel. 23, 57. *quis enim hoc non videt — in eiusmodi domo, in qua materfamilias meretricio more vivat, in qua nihil geratur, quod foras proferendum sit, — hic servos non esse servos?* Phil. 10, 3, 6. *an vero hoc pro nihilo putas, — efferri hoc foras et ad populi romani aures pervenire.* Terent. Ph. 5, 8, (7) 65. *vides peccatum tuum hoc esse elatum foras.*

Apulei. Apol. p. 324, 35. *Pudentilla me in eo tempore non amabat, siquidem id foras scripsit, quod palam erat mihi obfuturum.* Ita codices. Colvius correxit *fora.* Defendit *foras* Oudendorpius, sed quae affert documenta, nihil probant. Si vera est scriptura, eius sententia haec est: siquidem in aliorum vel in omnium notitiam scripsit. Sic de Dogm. Plat. 2. p. 16, 1. *at quum foras spectat, et est fida speculatrix utilitatis alienae, iustitia nominatur.* i. e. ad alios.

5. *Vendere foras, locitare foras* recte dicitur, non tantum *foris.* Nam actio dirigitur ad aliquem hominem. Et intelliguntur homines extranei, quibus quid vendatur vel locitetur: *auswärts verkaufen.*

Plaut. Stich. 1, 3, 66. *foras necessum est, quidquid habeo, vendere.* Terent. Ad. 5, 8, 26. *agelli est hic sub urbe paullum, quod locitas foras: huic demus, qui fruatur.*

6. Nomen, quod adiiciatur, ablativo casu poni potest ob verbi rationem. Sed recentissimi scriptores, tamquam esset praepositio, cum accusativo composuerunt: Apuleius cum genitivo.

Lucret. 5, 549. *hasce igitur penitus voces, quom corpore nostro exprimimus, rectoque foras emittimus ore, mobilis articulat verborum daedala lingua.*

Hieronym. in Matth. 27. *extra urbem et foras portam.* Interpr. Ezech. 47, 2. *foras exteriorem portam.* Act. 21, 5. *usque foras civitatem.*

Apulei. Apolog. p. 306, 11. (p. 508. Oud.) *ea namque tabes, si foras corporis prospiravit, maiore dedecore, quam noxa, diffunditur.* i. e. ἐκτὸς τοῦ σώματος. Pricaeus comparat Met. 8. p. 215, 24. *intus aedium:* quod tamen aliquantum differt. Ipse coniecit *fotas corpore*, quod non magis convenit cum verbo *prospirare.*

7. Per hyphen composuit Plautus Truc. 2, 7, 1. *ite, ite hac simul mulieri damnigeruli, foras-gerones.*

II. 1. *Foris* de statu in loco dicitur ita, ut *intus* et *intra* opponantur.

Varro de Re r. 3, 16, 5. *foris pascuntur, intus opus faciunt.* Cic. p. Sulla 5, 17. *ille relictus intus, exspectatus foris.*

Plin. Hist. n. 15, 28, 34. *aliorum intus corpus et foris lignum, ut nucum: aliis foris corpus, intus lignum, ut persicis et prunis.* 22, 24, 53. *intus mulso, foris oleo.* i. e. in externo corpore.

Cornel. Dat. 6, 4. *futurum, ut adversarii non possent resistere, quum et intra vallum et foris caederentur.*

Proprie usurpatur de medicamentis externe in corpore adhibitis. Plin. Hist. n. 24, 10, 47. 35, 15, 52.

2. Quum id, quod intra positum dicatur, domus esse possit, et concilium, et urbs, et terra finibus determinata, *foris* intelligitur de rebus extra domum positis et de rebus externis, quibus res domi etiam translato sensu opponuntur. Ita *foris* idem est, quod apud exteros et apud alios.

Cic. Phil. 2, 11, 26. *hi igitur his maioribus orti ab alienis potius consilium peterent, quam a suis? et foris potius, quam domo.* Columell. 7, 11, 3. *per quos* (magistros) *quadrupedum greges humana solertia domi forisque curantur atque observantur.* 12. Praef. 2. *tum etiam, quum victus et cultus humanus non ut*

foris in propatulo ac silvestribus locis, sed domi sub tecto accurandum erat, necessarium fuit alterutrum foris et sub dio esse, qui labore et industria compararet, quae tectis reconderentur. 12. Praef. 4. *coenare foris.* i. e. apud amicos, apud alios, non domi. Plaut. Men. 1, 2, 17. Cic. ad Fam. 9, 24, 10. *cura, ut valeas. Id foris coenitando facillime consequere.* 7, 16, 3.

Foris esse dicitur is, qui absens est extra domum vel apud alios. Terent. Eun. 5, 4, 12. *quae dum foris sunt, nil videtur mundius.* Plin. Hist. n. 35, 10, 36, 10. Sed apud Cic. in Pis. 6, 12. *egere, foris esse Gabinium, sine provincia stare non posse.* intelligunt hominem, qui sit in aere alieno.

Cic. ad Q. Fratr. 2, 8. *foris valde plauditur.* i. e. extra senatum, a populo.

Sueton. Caes. 9. *ut simul foris ille, ipse Romae ad res novas consurgerent.*

Cic. de Off. 1, 22, 76. *parvi enim sunt foris arma, nisi est consilium domi.* i. e. in bello. Tacit. Ann. 13, 25. *otium foris, foeda domi lascivia.* Cic. p. Arch. 7, 16. *haec studia — delectant domi, non impediunt foris.* i. e. in rebus publice agendis. p. Rosc. Am. 47, 136. *quo in certamine perditi civis erat, non se ad eos iungere, quibus incolumibus et domi dignitas et foris auctoritas retineretur.* i. e. apud exteros. Phil. 2, 28, 69. *fuit enim ille vir — quum foris clarus, tum domi admirandus, neque rebus externis magis laudandus, quam institutis domesticis.*

Terent. Heaut. 5, 1, 49. *nonne id flagitiumst, te aliis consilium dare, foris sapere, tibi non posse te auxiliarier.* i. e. apud alios. Cic. Verr. 3, 9, 210. *non circumspiciam, non quaeram foris: habeo iudices tecum principes civitatis.* i. e. alios.

3. Translata significatione, sicuti *extrinsecus*, etiam *foris* de rebus alienis vel extra rem dicendam positis usurpatur.

Cic. de Orat. 2, 39, 163. *quid enim est, in quo haereat, qui viderit, omne, quod sumatur in oratione aut ad probandum aut ad refellendum, aut ex sua sumi vi atque natura, aut assumi foris?* Paullo post: *extrinsecus autem, quum ea, quae sunt foris, neque inhaerent in rei natura, colliguntur,* 2, 40, 173. *foris autem assumuntur ea, quae non sua vi, sed extranea sublevantur.* de Inv. 1, 11, 15. *assumptiva, quae ipsa ex se nihil firmi dat ad recusationem, foris autem aliquid defensionis assumit.* 2, 24, 71. Orat. Partit. 14, 48. *nec eo dicuntur sine arte, quod ita sunt, sed quod ea non parit oratoris ars, sed foris ad se delata, tamen arte tractat.*

4. Non repugnat ablativae formae natura, quo minus *foris* etiam locum designet externum, e quo aliquid advenit vel progreditur, vel unde quid sumitur: *von aussen*. Pompeius in Commento Artis Donati 27, 7. *Sed hoc interest, quod intus et foris duas habent significationes, intra et foras unam habent significationem. — In loco intus, foris est et de loco. — In loco, quomodo intus sum, foris sum: de loco, quomodo est intus exeo, foris venio.* Tum multis exponit, quomodo haec ambigua significatio per verba coniuncta intelligatur.

Lucret. 5, 544. ***at, quaecumque foris veniunt, imposta nobis pondera sunt, laedunt permulto saepe minora.***

Cornel. Dio. 9. ***namque illi ipsi custodes, si propitia fuissent voluntate, foribus effractis servare eum potuissent, quod illi inermes totum foris flagitantes vivum tenebant.***

5. Atque adeo *foris* pro *foras* poni videtur. Pompeius quidem in Commento p. 343. negat: *intus vero et foris non significant ad locum, sed significant duas res, in loco et de loco.* At verba, quae in his sententiis collocantur, simul indicant, quae fiant in externo loco.

Terent. Phorm. 5, 1, 17. ***verum istoc me nomine eo perperam olim dixi, ne vos forte imprudentes foris effutiretis.*** **i. e. apud alios. Plin. Hist. n. 10, 33, 49.** ***adultioresque circumagi docent et foris saturitatem emittere.*** **i. e. non in nido.**

Plin. Hist. n. 11, 29, 35. ***quorumdam extremi*** **(pedes)** ***longiores foris curvantur, ut locustis.*** **Aristoteles Hist. an. 4, 6.** ***καμπτόμενα εἰς τοὔπισθεν.*** **Plin. Hist. n. 21, 3, 5.** ***quis ergo honos? ut ipsi mortuo parentibusque eius, dum intus positus esset, forisve ferretur, sine fraude esset imposita*** **(corona).**

Hac ratione coniunguntur haec verba Sueton. Ner. 36. ***nec minore saevitia foris et in exteros grassatus est.***

6. Leguntur in Plinii Hist. nat. 17, 24, 37. *quibus omnibus caussis difficilius tolerant frigora aut aestus, quoniam in ulcus penetrat omnis a foris iniuria.* Quae si a Plinii manu profecta sunt, in eum modum dicta videntur, quo recentiores scriptores *a* praepositionem cum adverbiis componere solebant. Vide Tom. I. p. 60. ubi Aggeni Vrbici usum verborum *a foras* demonstravi. Neque alius est rationis illud, quod Ruddimannus narrat in vetere lapide exstare *de foris* pro ἔξωθεν. Pompeius

l. l. *ut possimus apertius intellegere, quando sunt ista in loco, quando de loco, debemus addere praepositiones: quoniam de significat de loco esse d e i n t u s et d e f o r i s. — Sed hoc nequaquam possumus facere et utimur sine praepositione. Et quando sit significatio vel in loco vel de loco, de verbis intelligis.*

7. *Foris* praepositionis instar cum accusativo compositum est, siculi *foras*.

Auctor de Limitibus p. 273. Goes. ***constitutus si sit fluvius, qui foris agrum non vagatur.*** **Et paullo ante:** ***ut termines foris limites ponerentur.***

FORS. FORSIT.

Fors nomen substantivum cum omnibus, quae ex eo nata sunt, verbis, illius eiusdem sunt stirpis, quam in FORAS declaravimus. Nam quum omnia, quae aguntur, aut sua natura vel sua sponte proveniunt, aut externo quodam impulsu moventur, *fors* significat id, quod extrinsecus movet vel extrinsecus accedit. Quare *fors* non dicitur a *ferendo*, prout res fert, quae erat Vossii sententia, sed prout res fertur foris i. e. ab externa quadam vi, sive externo impulsu. Atque hoc modo designatur caussa vel res, non ex necessitate aut ex ipsa rei natura profecta, sed accidens et casu agens vel acta. Similiter Germani componunt vocabulum *Zufall* a verbo *zufallen*. Fortuitum enim id appellamus, quod per quamdam caussam vel conditionem externam fit, cuius naturam et necessitatem non perspectam habemus, effectum autem vidimus. Fors enim accidit casu, fatum per necessitatem.

I. 1. Ex hoc nomine multae sunt factae formae adverbiales. Sed ipsum etiam a poetis usurpabatur in modum adverbii: quod fieri non potuit, nisi per ellipsin verbi, ut esset *fors* dictum pro *fors sit*. Priscian. p. 1015. *similiter fors, quum sit nominativus, accipitur pro adverbio.* p. 1016. *et fors quidem et forsan et forsitan dubitandi sunt: forte vero eventus pro fortuitu.* Atque utitur hac dictione is, qui aliquid fieri opinatur, aut ex aliis rebus colligit, ita fieri, sed non cum simplici vi vocabuli *fortasse.* Semper enim adscendit oratio ad rem, non per se notam, sed quae probabilitatem excedere videatur. Sententia igitur ex-

primitur verborum: fieri adeo potest, ut —, accidere adeo poterit, ut —.

Virgil. Aen. 2, 139. *quos illi fors ad poenas ob nostra reposcent effugia.* Servius in suis codicibus invenerat *fors et poenas*, sicuti mediceus aliique praebent: aliosque grammaticos narrat *forset* dictum putasse pro *forsit.* Sed vide n. 2. Dictionem *aliquem poenas reposcere*, quam Wakefieldus comprobavit, in Statii carminibus ferrem, nescio an non in Virgilii. Aen. 5, 232. *et fors aequatis cepissent praemia rostris, ni palmas ponto tendens utrasque Cloanthus fudissetque preces, divosque in vota vocasset.* i. e. fieri adeo posset, ut caperent etc. Aen. 6, 535. *hac vice sermonum roseis Aurora quadrigis iam medium aetherio cursu traiecerat axem, et fors omne datum traherent per talia tempus.* Valer. Flaccus 3, 665. *nova tartareo fors semine monstra.* Tertullian. ad Vxor. 2, 2. *hanc monitionem fors de fidelibus iunctis simpliciter intelligendo, putent etiam infidelibus nubere licere.*

Ea, quam exposui, vocabuli ratio monstrat, ab Heinsio male factam esse coniecturam in Valer. Flacc. 1, 478. *sors tibi, ne qua parte trahat tacitum puppis mare.* ubi si quis scripserit *fors*, ineptam habebit sententiam de re dubia et multis fortasse incredibili.

Lucret. 1, 486. *quae sunt rerum primordia, nulla potest vis stringere: nam solido vincunt ea corpore demum: etsi difficile esse videtur, fors ita quidquam in rebus solido reperiri corpore posse.* Restituit Forbigerus hanc codicum scripturam, ita eam explicans: etsi difficile videtur intellectu in rebus creatis, quidquam reperiri posse, quod fortuito sive solo casu tam solido corpore praeditum sit. In quibus multiplicem video offensionis caussam. Nam primo admodum dura et insolens est ellipsis verbi *intellectu*, nec exempla a Forbigero commemorata 4, 144. 5, 263. eam confirmant: tum *fors* non potuit eo, quem hic obtinet, loco poni: denique inepta esse videtur sententia: mirari, quod solida corpora fortuito sive solo casu exstent. Haec enim nullo pacto fortuita dici possunt. Quare alio modo est sententia concipienda. Dicit enim poeta: quamquam res videtur esse difficilis, tamen fors est, i. e. accidere adeo potest, ut corpora tam solida reperiri possint. *Fors* eo modo, quo *fortasse*, cum infinitivo componitur. vid. FORTASSE. n. 16.

2. Notanda est singularis poetarum formula *fors et* pro *fortasse etiam*, qua progreditur oratio ad rem opinione conceptam, sed gravitate et magnitudine amplio-

rem. Sic nos Germani dicimus *vielleicht auch.* Nam *et* est vel *etiam* vel *adeo.* Ita *fors etiam* dixit Valerius Flaccus. Grammatici veteres, difficultate nescio qua offensi, aliam formam verbi *forsit* esse *forset* existimabant. Vid. Servius ad Virgil. Aen. 2, 139. Lambin. ad Horat. Carm. 1, 28. p. 78.

Virgil. Aen. 11, 49. *et nunc ille quidem spe multum captus inani, fors et vota facit, cumulatque altaria donis.* ubi non opponuntur *et* — *que.* Etiam hoc in loco Servius *forset*, alii *forsit* scribi posse notarunt. Sed vid. Heins. et Burmann. Propert. 2, 9, 1. *iste quod est ego saepe fui: sed fors et in hora hoc ipso eiecto carior alter erit.* ubi Bronkhus. Horat. Carm. 1, 28, 31. *fors et debita iura vicesque superbae te maneant ipsum.* Stat. Silv. 3, 4, (Cytherea) *placabit notos: fors et de puppe timenda transferet, inque sua ducet super aequora concha.*

Valer. Flacc. 4, 620. *fors etiam optatam dabitur contingere pellem.*

3. In conditionali sententia ponitur *fors* de re vix credibili.

Virg. Aen. 12, 183. *cesserit ausonio si fors victoria Turno, convenit, Euandri victos discedere ad urbem.*

4. *Fors fuat* antiqua est formula, iam apud Terentium obvia. Ibi Donatus interpretatur: *fortuna faveat*, et Westerhovius ἀγαθῇ τύχῃ, *à la bonne heure.* Equidem potius intelligam: accidat hoc, fiat hoc. Sicut dicitur *fors fuit ut.* Scriptores recentissimae aetatis id renovabant et in verbis *fors fuat ut*, et in formulis *fors fuat an* pro forsitan, et *fors fuat.*

Symmach. Epist. 2. 7. *fors fuat, ut his remediis convalescamus.* cf. Casaubon. ad Apuleii Apolog. p. 519. Oud. Auson. Epist. 16. *fors fuat, ut — aliquid rerum tuarum, quamvis incultus expoliam.*

Symmach. Epist. 1, 39. *fors fuat, an haec mature in manus tuas scripta sint ventura.* 4, 28. *fors fuat, an quis tantum viae ob rem privatam mihi ignoratus arripiat.* 4, 29. *fors fuat, an vera compererim.* cf. Oudend. ad Apul. Apolog. p. 583.

Sidon. Apoll. Epist. 9, 7. *quidam — scribam tuum seu bibliopolam pretio fors fuat officiove demeritum copiosissimo velis nolis declamationum tuarum schedio emunxit.* ubi vid. Savaro.

II. Forsit pro forsitan dici, iam Priscianus docuit p. 1015. qui in libris Horatii ita legisse se testatur.

Atque hoc unum exemplum per apocopen factum puto, sicuti *dein, facul* dicebatur. Alia exempla non exstant.

Horat. Sat. 1, 6, 49. *dissimile hoc illi est, quia non ut forsit honorem iure mihi invideat quivis, ita te quoque amicum.* Apud Lucret. 6, 736. critici e codicibus restituerunt *forsitan.* In Virgil. Aen. 11, 50. codices quidam exhibent *forsit,* idque agnoscit, ut dixi, iam olim Servius. Apud Propert. 2, 9, 1. restitui iussit et Lambinus et Canterus, Var. Lect. 4, 8. Oudendorpius in Hirtii B. afric. 61. scribi posse monuit: *quod forsit ante id tempus acciderit.* Falso.

FORSAN. FORSITAN.

FORSITAN et FORSAN contracta sunt nomina *fors sit an* et *fors an*, in quibus *an* dubitationem et ambiguitatem sententiae exprimit. Nec vero tantum significatione differunt, quantum forma et usu. Atque indicant esse vel fieri quid, si fors ferat. Hoc vero duplex est, aut possibile, quod esse ex rerum cohaerentia coniicimus, aut probabile, quod etsi non affirmare audemus, tamen esse potius quam non esse putamus. Vtrumque designat *forsitan*, ut modo sit reddendum *es ist möglich daſs*, *vielleicht*, modo *es ist glaublich*, *wohl.* In illo iudicio sequimur rerum consequutionem et agnoscimus eius veritatem: in hoc autem opinionem conformamus eamque veritati rei accommodamus. Coniunctivus *sit*, qui inest in hoc vocabulo, ipse indicat incertae rei modum, a conditione quadam profectum: et ob eamdem rationem fere componitur cum hac particula coniunctivus verbi, quo significetur incertae rei incertum iudicium.

I. 1. Primum igitur *forsitan* ponitur in coniectura, quae aliquam rem anteoccupat. Idem etiam *fortasse* exprimit, sed propius ad affirmationem accedit, ideoque fere cum futuri indicativo coniungitur.

Cic. p. Rosc. Am. 2, 5. *forsitan quaeratis, qui iste terror sit.* de Off. 3, 6, 29. *forsitan quispiam dixerit: nonne igitur sapiens* etc. quae de Senect. 3, 8. *fortasse dixerit quispiam.* Liv. 5, 52, 5. Cic. de Orat. 3, 9, 34. *ex qua mea disputatione forsitan occurrat illud.* Virgil. Ge. 2, 288. *forsitan et scrobibus quae sint fastigia quaeras.* Aen. 2, 506. Quinctil. 1, 5, 16.

Terent. Eun. 1, 2, 117. *forsitan hic parvam habeat mihi fidem, atque ex aliarum ingeniis nunc me iudicet.* Phorm. 4, 5, 5.

forsitan nos reiiciat. Lucret. 6, 736. *forsitan Aethiopum penitus de montibus altis crescat.* ita codd. omnes. 6, 346. *forsitan ex ipso veniens trahat aëre quaedam corpora.* Ita codd., non *forsan et.* Liv. 9, 9, 7. *et ne illud quidem, quod quosdam forsitan moveat, refert.* Ovid. Trist. 3, 7, 27. 4, 1, 37. Alia multa affert Heinsius ad Ovid. Her. 4, 53. Cic. Verr. 5, 3, 6. *illa, quae forsitan ne sentiamus quidem, iudices, quanta sunt?* Curt. 3, 2, 11. *verum, inquit, et tu forsitan audire nolis, et ego, nisi nunc dixero, alias nequidquam confitebor.*

Virgil. Ecl. 6, 59. *forsitan illum — perducant aliquae stabula ad gortynia vaccae.*

2. Coniectura fit, quum generi cuidam aliquod exemplum submittitur: ubi nos *wie etwa.*

Varro de Lat. L. 8, 38. *quum essent duo Terentii aut plures, discernendi caussa, ut aliquid singulare haberent, notabant: forsitan ab eo, qui mane natus diceretur, ut is Manius esset, qui luci, Lucius.*

3. Tum locum habet in sententia conditionata, ut significet aliquo modo videri ita esse in hac conditione.

Cic. de Orat. 2, 45, 149. *quodsi fictus aliquis dolor suscipiendus esset, et si in eiusmodi genere orationis nihil esset, nisi falsum atque imitatione simulatum, maior ars aliqua forsitan esset requirenda.* 1, 15, 67.

Virgil. Ge. 4, 116. *atque equidem, extremo ni iam sub fine laborum vela traham et terris festinem advertere proram, forsitan et, pingues hortos quae cura colendi ornaret, canerem.*

4. Praemittitur *forsitan* iis verbis, quibus dicitur, aliquid fieri posse, vel, ut fiat, verisimile esse, nisi aliud quid intercederet. Tum sequitur *sed* vel *verumtamen* in adiiciendo impedimento.

Cic. in Verr. 4, 21, 47. *quae forsitan vobis parvae esse videantur: sed magnum et acerbum dolorem commovent.* Liv. 3, 25, 9. *et forsitan ad ultimum impedissent: sed novus subito additus terror est.* Cic. ad Att. 12, 18. *quae res forsitan sit refricatura vulnus meum. Sed iam quasi voto quodam et promisso me teneri puto.*

Cic. Brut. 8, 33. *quae forsitan laus sit: verumtamen natura magis tum, casuque nonnumquam, quam aut ratione aliqua aut observatione fiebat.*

5. Neque aliter, ubi, quum amplius quid fieri posse

vel concedatur vel praesumatur, tamen id non affirmatur, sed res ad certos terminos revocatur. Quare sequitur *certe.*

Liv. 9, 11, 18. *et illi quidem, forsitan et publica, sua certe liberata fide, ab Claudio in castra romana inviolati redierunt.* Quinctil. 2, 16, 11. *verum haec apud eos forsitan quaerantur, qui summam rhetorices ad persuadendi vim retulerunt. Si vero est bene dicendi scientia, quem nos finem sequimur, ut sit orator imprimis vir bonus, utilem certe eam esse confitendum est.*

6. Mutato ordine sententiarum sequitur *forsitan* in adiiciendo eo, quod maius graviusve fieri posse non incredibile videtur.

Sallust. Iug. 106, 3. *etiamsi certa pestis adesset, mansurum potius quam proditis, quos ducebat, turpi fuga incertae ac forsitan post paullo morbo interiturae vitae parceret.*

7. Coniunctivus modus est, quem particula haec natura sua requirat. Continuatur enim eadem verborum constructio, quae a *fors sit* incipit. Sed duplex est ratio, altera pendentis constructionis, altera solutae. In illa enim incertum coniecturae iudicium secum ducit incertae rei denominationem, et nectitur coniunctivus alter ex altero. Sed possunt eadem verba etiam soluto hoc nexu componi ita, ut *forsitan* per se addatur sententiae, nec verbum, quod inest, a particula afficiatur. Quemadmodum dicitur *vide ut, adspice ut* cum indicativo orationis non nexae. Neque diversa mihi videtur esse caussa, qua graecum ἄν non proxime cum verbo constructum additur sententiae, quae indicativum habet. Tum enim ἄν aut uni alicui vocabulo adhaeret, aut universae sententiae superadditur: veluti apud Xenophontem Sympos. 4, 37. ἐγὼ δὲ οὕτω μὲν πολλὰ ἔχω, ὥς μόλις αὐτὰ καὶ ἐγὼ ἄν αὐτὸς εὑρίσκω. Hoc vero solutae orationis genus, ut puto, vulgari usu frequentatum, poetae omnes adsciverunt, et postea ex eorum exemplo scriptores recentioris aevi. Antiquiores autem scriptores, et in iis Cicero, raro admittebant: tamen saepius quam critici arbitrati sunt, et in iis quidem, quae magis vera quam dubia viderentur. Nec decet haec, quae rariora sunt, vituperare aut corrigere. Quare imprudenter egit Nic. Heinsius, qui in Ovidii carminibus ubique coniunctivum restitui debere censebat. Zumptius ad Cic. Verrin. quum p. 176. ad 1, 38, 98. exposuisset Ciceronem, etymi

ratione habita, usum esse coniunctivo, atque adeo negasset eum umquam ab hac lege sua discessisse, tamen ad 4, 56. p. 782. certo exemplo coactus est affirmare, in his rebus nihil esse sine exceptione. Scilicet rariora non sunt falsa, sed ut saepe per criticorum antiquiorum regulas factum est, mutatis plurimis locis, pauca relicta.

Cic. p. Ligar. 12, 38. *longiorem orationem caussa forsitan postulat, tua certe natura breviorem.* ad Fam. 1, 8, 4. *neque id facio, ut forsitan quibusdam videor, simulatione.* Edidit Graevius iterum, quod in Victoriana prima legebatur, *videar*, idque exstat in quibusdam codicibus, non paucis quidem. De medicei codicis, quae fertur, scriptura vehementer dubito, quoniam Victorius in secunda editione *videor* dedit, ut videtur, ex ipso illo codice. Graevius autem in Addendis coniunctivum ab *ut* pendere dicit, quasi sententia esset *licet videar*. Atque ita omnes cepisse videntur, qui *videar* scripserunt. Verr. 4, 56, 124. *nimium forsitan haec illi mirantur atque efferunt.* Ita codices guelferbyt. Quod Zumptius de libris hafniensi et erfurtensi narrat, eos in coniunctivo consentire, id eo redit, quod in altero legitur *mirantur et efferant*, in conferendo codice erfurtensi Wunderus nihil notavit. Brut. 18, 52. *Sed de Graecis hactenus: etiam haec ipsa forsitan fuerunt non necessaria.* Victorius dedit *fuerint*, quum de usu Ciceronis sibi regulam finxisset, quam amplexus, etiam Orellius defendit coniunctivum, etiamsi non de re dubia sermo esset.

Sunt alii loci, in quibus coniunctivus non a *forsitan*, sed alicunde regitur. Cic. in Verr. 5, 2, 4. *non dicam id, quod debeam forsitan obtinere.*

Cum praesenti et cum perfecto: Plaut. Pseud. 1, 5, 17. *forsitan ea tibi dicta sunt mendacia.* Hoc uno in loco vox apud Plautum legitur. Ovid. Her. 2, 103. *iam te tenet altera coniux forsitan, et nobis qui male favit amor.* 19, 57. 20, 136. Am. 1, 6, 45. Propert. 2, 9, 21 (7, 59.). *quin etiam multo duxisti pocula risu: forsitan et de me verba fuere mala.* Sil. 15, 614. vd. n. 9.

Cum futuro de re exspectanda: Ovid. Met. 15, 139. *Phoebus quoque forsitan ipse vel non agnoscet vel dilexisse negabit.* Her. 4, 53. *forsitan hunc generis fato reddemus amorem.*

Curtius 7, 4, 17. *incipies forsitan iustus esse rex, quum ipse feceris, qui tibi et dare potest regnum et eripere.* Petron. 81. *iacent nunc amatores obligati noctibus totis et forsitan derident solitudinem meam.* c. 130. *forsitan animus antecessit corporis*

morum: forsitan, dum omnia concupisco, voluptatem tempore consumsi. Burmannus in edit. vet. invenit *antecesserit*, quod revocandum, tamen ob variationis elegantiam *consumsi* servandum censuit. Mirabilis videlicet elegantia. Traian. apud Plin. Ep. 49. *gymnasiis indulgent Graeculi: ideo forsitan Nicenses maiore animo constructionem eius aggressi sunt.* Plin. Ep. 20, 8. *forsitan fallor.* ita codd. praeter Riccard. omnes. Tertullian. Apolog. 16. *hoc forsitan improbamur, quod asinarii tantum sumus.*

8. Hanc solutam verborum rationem etiam in obliqua oratione agnoscamus necesse erit, in qua quidem verbum non afficitur a particula.

Liv. 10, 24, 13. *et forsitan, quem ille obrutum ignem reliquerit, — eum se exstincturum.*

9. Componuntur in adscendente oratione *et forsitan*, *forsitan et.*

Iustin. 4, 5, 3. *esse domi graviora et forsitan infeliciora bella.* Liv. 3, 25, 9. vide supra.

Sil. Ital. 15, 644. *forsitan et pugnas veniet germanus in ipsas.* Martial. 6, 32. *quum dubitaret adhuc belli civilis Enyo, forsitan et posset vincere mollis Otho, damnavit multo staturum iam sanguine Martem.* Liv. 9, 11, 13. vid. n. 5. Virgil. Ge. 4, 116. vid. n. 3.

Ita etiam *forsan et.* Martial. 12, 5, 4.

10. Veteres non ponunt *forsitan* praecedentibus coniunctionibus *si*, *nisi*, *ne.* Qui hodie ita loquuntur, se defendant exemplo Cassiodori Var. Lect. 5, 34. *ne forsitan, ut assolet, eum non veritas, sed infirmaret invidia.* Sed ibi quoque scribendum videtur *non forsitan.*

II. 1. Forsan, quod est *fors an*, a *forsitan* eo differt, quod hoc disertius monstrat ambiguum opinionis modum in substruenda conditione, ideoque cum coniunctivo componitur, ut sit *es könnte seyn, dafs.* *Forsan* non tam distincte exprimit incertam rei, quae esse possit, conditionem, sed maiori confidentia coniecturam capit ex rerum cohaerentia, ut significet *wohl, wohl auch.* Quare rarissime cum coniunctivo, fere semper cum indicativo construitur. Si vero coniunctivum post se habet, idem significat quod *forsitan.* Ita differunt graeca vocabula κέν et ἄν: nam illud admixtam habet aliquam affirmationis speciem ex cohaerentia rerum profectam.

Terent. Andr. 5, 5, 1. *aliquis forsan me putet non putare hoc verum: at mihi nunc sic esse hoc verum lubet.* ubi ne cum Bentleio scribas *liquet*, vide, quam facete Pamphilus veritatem ex libidine sua constituat. Martial. 5, 29, 8. *hominem malignum forsan esse tu credas.*

Liv. 3, 47, 5. *quem decreto sermonem* (Appius) *praetenderit, forsan aliquem verum auctores antiqui tradiderint.* Codices plerique et optimi praebent *tradiderunt*, quod aptum videbatur Glareano, non item Gronovio, qui sensum putabat esse hunc: potuerint tradere, si voluissent, nempe utpote propiores memoriae temporum illorum. Additque idem Gronovius: „*tradiderunt*, non diceret Livius, quippe qui id ignorare non poterat, si tradidisset." At coniunctivo nihil omnino mutatur sententia ipsa, quae coniecturam facit, antiquos auctores de hac re verum tradidisse. Sed Livii verba ita sunt concipienda: *quem decreto sermonem praetenderit (forsan aliquem verum auctores antiqui tradiderunt), quia nusquam ullum in tanta foeditate decreti verisimilem invenio, id, quod constat, nudum videtur proponendum.* i. e. facile credo auctores antiquos etiam verum sermonem tradidisse, sed in iis, qui nunc exstant, auctoribus non invenio sermonem, qui cum tanta foeditate decreti conveniat. Eadem manet sententia, si scripseris *tradiderint*.

2. Indicativum futuri assumit in coniectura de futuro facienda, sed cum aliqua veritatis occupatione. Sic Homerus et epici graeci particulam *κέν* usurpant. Iliad. 1, 139. *ὁ δέ κεν κεχολώσεται, ὅν κεν ἵκωμαι.*

Virgil. Aen. 1, 203. *forsan et haec olim meminisse iuvabit.* 12, 183. *forsan miseros meliora sequentur.* Horat. Carm. 2, 16, 31. *et mihi forsan, tibi quod negarit, porriget hora.* Martial. 5, 61, 8. Symmach. Epist. 1, 80. *dices viandi negotio impeditam diu operam scriptionis, et alia forsan multa caussabere.*

3. Non aliter cum indicativo praesentis et praeteriti de re, quae esse vel fuisse videatur.

Valer. Flacc. 1, 128. *teque illius angit imago curaque, qui profuga forsan tenet alta carina?* i. e. qui potest esse, ut teneat alta. Statii Silv. 5, 3, 186. *et nunc ex illo forsan grege gentibus alter iura dat eois, alter compescit Iberos.* Martial. 4, 14, 13. *sic forsan tener ausus est Catullus magno mittere passerem Maroni.* 10, 75, 7. *transierant binae forsan ternaeve calendae.*

4. In conditionali sententia, ubi etiam pro imperfecto conditionali perfectum indicativi ponitur in re ex

conditione proposita certius concludenda, adsciscitur *forsan*, ut fieri id posse videatur.

Hirt. B. afric. 45. *et forsan isto uterer beneficio, si non ei summum scelus adiungeretur.* Virgil. Aen. 4, 18. *si non pertaesum thalami taedaeque fuisset, huic uni forsan potui succumbere culpae.* Marcian. in Dig. 48, 5, 33, 1.

5. Animadvertendum est, praecedere vocabulis *forsitan* et *forsan* verba *et nunc* vel *at nunc*. Vide Markland. et me ad Statii Silv. 1, 3, 62. Ratio in promptu est.

6. Singularis videtur dictio, in qua Lucretius composuit verba *fit quoque, ut forsan.* Est locatio inversa.

Lucret. 6, 730. *fit quoque, ut pluviae forsan magis ad caput eius tempore eo fiant, quo etesia flabra aquilonum nubila coniiciunt in eas tunc omnia parteis.*

7. Etiam singulis adiectivis additur eo modo, quo *fortasse.*

Ovid. Trist. 3, 5, 1. *usus amicitiae tecum mihi parvus, ut illam non aegre posses dissimulare, fuit, ni me complexus vinclis propioribus esses, nave mea vento forsan eunte suo.* Prorsus inepte interpretes coniungunt verba *forsan complexus esses.* Subtilius sententiam explicuit Iahnius: quamquam vereor, ut ea, quae in verbis inesse ille dicit, intelligi possint aut debeant. Nam simplex mihi satis facit hic sensus: nisi me propioribus vinclis complexus esses eo tempore, quo ventus, ut videtur, secundus navem meam agebat. *Suo vento ire* est secundo vento. vid. Horat. Epod. 9, 30. Martial. 10, 104, 3. Ovid. Her. 15, 72. *non agitur vento nostra carina suo.* Poeta enim non indicat modesto nomine *forsan*, culpae insontem se cecidisse, sed videri se olim felicem fuisse. Senec. Thyest. 747. *obiecit feris lanianda forsan corpora.*

8. Iurisconsulti *forsan*, ut *forte*, ponebant in afferendis exemplis, quemadmodum Germani *etwa* dicunt. Vid. FORTE n. 21.

Marcian. in Dig. 48, 5, 33, 1. *si quis adulterum non dimiserit, sed retinuerit, forsan filium in novercam vel etiam libertum vel servum in uxorem ex sententia legis tenetur.*

9. Charisius p. 165. *forsan et forsitan poetis relinquemus.* Certe *forsan* ab auctoribus prosae orationis numquam esse usitatum, omnes grammatici hodie docent. Cf. Friedemann. ad Ruhnken. Orat. p. 250.

In iis vero, quae modo attulimus, sunt exempla Livii, Hirtii seu quisquis scripserit bellum africanum, Symmachi, pauca quidem, tamen integra et ex usu poetarum sumpta. Apud Plautum, Terentium, Ciceronem nullum vestigium reperitur.

FORTASSE. FORTASSIS.

FORTASSE et FORTASSIS duae sunt formae unius nominis *fortassis*, altera generis neutrius accusativus, altera genitivus: veluti *magis* et *mage*, *satis* et *sate* sive *sat*, *necesse* et *necessis*. Extrema enim syllaba non conficitur corrupta pronuntiatione verbi *sit*, quasi olim fuisset *forte an sit*, vel ut Ramshornio videtur, *forte an si vis*, sed verba *forte an* sive *fortan* adiectivam acceperunt terminationem intensionis, quae est in *necessis* (vid. Donat. ad Terent. Eun. 5, 6, 28.) a *necum*, id est *nexum*, facto. Haec apta analogia reguntur. Quamquam Gronovius aliique grammatici haud despiciendi ad istam corruptae pronuntiationis caussam confugiunt. At vero haec vocabulorum origo in pronuntiandi vitio sita, etsi in quacumque lingua sua exempla habet, sed pauca, semper erit admodum ambigua et suspecta, nec decet prudentem grammaticum, ubi analogia certa suppetit, quaerere has latebras obscuras. Nam quod Gronovium in Observ. 3, 9. commovit, ut hanc sententiam de tacita, quae in *fortasse* inesset, vi finiti verbi defenderet, infinitivus erat apud comicos interdum cum hac particula coniunctus, cuius caussa alia occurrit certior et simplicior, ut infra dicam. Ille vero „*fortasse*, inquit, habet ob origine sua, ex sono et usu tamquam simplex adverbium, non tamquam ex tribus partibus, nomine, adverbio, verbo constantem formulam: eam considerarunt, quasi tantum esset *forte*, et ita finxerunt *fortassean*, ut *fortean* vel *forsan*: eodem modo tractarunt *scilicet* ac *videlicet*, qui infinitivos iis adiungere desierunt." His quod obstat *fortassean*, non poterit commode reiici, nec isto modo excusari ipsa verbi compositio.

Quo verba *forte* et *fortasse* differunt, id facile perspicitur, et nos de hac re infra loquuturi sumus. Subtilius autem videtur esse discrimen, quo verba *forsan* et *forsitan* distinguamus a *fortasse*. Sicuti enim illa in iis sententiis locum habent, quibus posse aliquid

esse coniicimus aut aliquid fieri, cum quadam affirmationis specie opinamur, ita adiecta syllaba intensiva, quae etiam in verbis, veluti in *capesso*, apparet, *fortassis* et *fortasse* propius accedunt ad affirmationem, et rem indicant, quam, utpote probabilem, esse arbitramur et ipsam videri esse dicimus. Non affirmamus quidem eam vere esse, sed probandam videri vel ob rerum cohaerentiam vel propter opinionis certam rationem. Haec est quaedam affirmationis occupatio. Cf. Tom. I. p. 318. Tantum igitur abest, ut *fortasse* dubitationem exprimat, ut affirmandi conatum non exiguum significet verborum ἴσως, quod ab εἴδω vel εἴκω, et pro εἰκότως dicitur, et *vielleicht*, quod Germani de eo quod facile esse possit dicunt.

Gernhard. ad Quinctil. 2, 16, 11. „*forsitan quaerantur* significat, non multum refert, quaerantur, nec ne. *Fortasse fieri* dicimus id, quod quodammodo, ut fortuna ferat, optamus." Ita verius hoc definitur quam illud. Momentum enim non in effectu, sed in opinione positum est.

1. Primum ponitur *fortasse* in veritatis rei occupatione, qua aliquam rem videri esse dicimus. Coniecturalis ergo est ratio ad affirmationem propensior, vel rem concedens. Nos dicimus vel *vielleicht* vel *vermuthlich*. Ita fit proprie in oratione, quam rhetores anteoccupationem appellant.

Cic. Div. in Caec. 12, 40. *fortasse dices: quid? ergo haec in te sunt omnia?* p. Lege Man. 9, 22. *requiretur fortasse nunc, quemadmodum, quum haec ita sint, reliquum possit esse magnum bellum.*

Terent. Heaut. 1, 2, 27. *fortasse aliquantum iniquior erat praeter eius lubidinem.* Hec. 2, 2, 28. *aliud fortasse alii vitii est: ego sum animo leni natus.* Cic. ad Fam. 7, 3, 21. *habes epistolam verbosiorem fortasse quam velles.* 6, 1, 19. *sed haec longiora fortasse fuerunt, quam necesse fuit.*

2. Interrogatio hanc particulam recipit, quando res videtur probabilis: quare vertimus *wahrscheinlich*. Sed negabant grammatici quidam in interrogatione usquam poni *fortasse* pro *an* vel *ne*. Scilicet hoc non poterit fieri: at interrogatio potest ex opinione rem praesumere. Tum similis est rectae enuntiationi.

Plaut. Bacch. 4, 4, 20. *fortassis tu auri dempsisti parum?* Pers. 3, 3, 36. *fortasse metuis in manum concredere?* Terent.

Eun. 2, 2, 19. *detineo te: fortasse tu profectus alio fueras?* PA. *Nusquam.* 5, 8, 31. *tu fortasse, quae facta hic sient, nescis?* TH. *Scio.*

Cic. ad Fam. 2, 16, 4. *quod est igitur meum triste consilium? ut discederem fortasse in aliquas solitudines? Nosti enim etc.* i. e. suspicor te intelligere discessum in solitudines.

Plaut. Capt. 3, 4, 96. *an tu fortasse fuisti meae matri obstetrix, qui id tam audacter dicere audes?*

3. Deinde gravescit etiam opinionis momentum. Atque *fortasse* dicit is, cui de aliqua re ita persuasum est, ut amplius non dubitet, sive haec sit malae rei suspicio, sive veritatis persuasio. Est igitur *sine dubio*, sicuti Graeci ἴσως usurpant. Vide Heindorf. ad Plat. Phaedr. 20. et ad Horat. Sat. 1, 6, 98. cui temere obloquutus est Herzogius ad Caes. B. gall. p. 184.

Terent. Heaut. 4, 6, 20. *ludis fortasse me.* SY. *Ipsa re experibere.* Cic. Tusc. 3, 22, 53. *hi poterant omnes eadem illa de Andromacha deplorare: haec omnia vidi: sed iam deploraverant fortasse. Eo enim erant vultu, oratione, omni reliquo motu et statu, ut eos Argivos aut Sicyonios diceres.*

Terent. Hec. 4, 1, 35. *audisti ex aliquo fortasse, qui vidisse eum diceret.* Phorm. 1, 2, 95. *non multum habet, quod det, fortasse.* Plaut. Phil. 2, 3, 10. *nescis tu fortasse, apud nos facinus quod natum est novom.* Horat. Sat. 1, 6, 97. *demens iudicio vulgi, sanus fortasse tuo.*

4. De futura re si coniecturam facimus, particulam *fortasse* addimus, ut indicemus non cessaturam esse rem, nec dubitari, quin fiat.

Terent. Ad. 1, 2, 38. *dabitur a me argentum, dum erit commodum: ubi non erit, fortasse excludetur foras.* Ibi Donatus: *et mire* f o r t a s s e *dicit, ut pater indulgens, et credens adolescentem posse etiam amari ab amica: non enim affirmavit, ut diceret* e x c l u d e t u r f o r a s. Quod non verum puto. *Fortasse* dicit Micio ex sensu non sollicito, nec ambigente: si non erit commodum, ut amet, per se patet a puellis eum exclusum iri. Redde: *wenn mirs nicht gut dünkt, wird man ihm schon die Thüre verschließen.*

5. Critici vero, qui veritatem hac particula deprimi putant, ipsam appellant modestiae nomen, quo idem significetur, quod formulis *nescio an, haud scio an:* quae quomodo differant, indicavi iam Tom. I. p. 318. Cf. Beierus ad Cic. Off. 3, 2. p. 193. Vis sententiae

quidem eadem est, sed quod in istis formulis ex animi ratione consequitur ad affirmandam rem, id in *fortasse* ad rem refertur, quae fieri possit. Quare exacte reddamus sensum verbis germanicis *wohl*, *doch wohl*.

Cic. de Off. 3, 2, 6. *sustines enim non parvam exspectationem imitandae industriae nostrae, magnam honorum, nonnullam fortasse nominis.* de Orat. 5, 19. *quem si imitari atque exprimere non possumus —: at qualis esse debeat, poterimus fortasse dicere.*

6. Opponuntur interdum duae sententiae, quarum altera veritatem occupat, altera tenet.

Cic. Tusc. 1, 11, 23. *si cor aut sanguis aut cerebrum est animus, certe, quoniam est corpus, interibit cum reliquo corpore: si anima est, fortasse dissipabitur: si ignis, exstinguetur.* Wolfius incertum esse putat, utrum anima dissipetur, an alio modo destituatur. Ego vero affirmationem intelligo, probabilem esse dissipationem.

7. In conditionata sententia de re, quam ponimus esse, quamquam non est, additur in apodosi *fortasse*, ut conclusio fiat cum probabilitate.

Cic. de Orat. 2, 2, 8. *nam si ex scriptis cognosci ipsi suis potuissent, minus hoc fortasse mihi esse putassem laborandum, sed quum alter non multum — et id ipsum adolescens, alter nihil admodum scripti reliquisset: deberi hoc a me tantis hominum ingeniis putavi, ut, quum etiam nunc vivam illorum memoriam teneremus, hanc immortalem redderem, si possem.* Haec non possunt reddi: *so würde ich vielleicht weniger zu thun zu haben glauben*, sed: *so würde ich sicherlich, wahrscheinlich* etc. ad Fam. 2, 16, 7. *quod autem in maritimis facillime sum, moveo nonnullis suspicionem velle me navigare: quod tamen fortasse non nollem, si possem ad otium.*

Sic Graeci. Demosth. Philipp. 1. p. 40, 8. *εἰ γὰρ ἐκ τοῦ παρεληλυθότος χρόνου τὰ δέοντα οὗτοι συνεβούλευσαν, οὐκ ἂν ὑμᾶς νῦν ἔδει βουλεύεσθαι.* Qui hanc probabilitatis vim in particula *ἂν* non agnoscunt, multum, sed frustra laborant in explicando usu indicativi.

8. Tum saepe fit coniectura ex rerum conditione, et una particula sententiam exprimit hanc: in his rebus ita se habentibus, sive in hac rerum cohaerentia fieri vel futurum esse videtur. Idque maxime in sententiis locum habet, quibus alicui rei aliud quid per vocabulum *tamen* opponitur.

Cic. de Off. 2, 6, 20. *quae si longior fuerit oratio, cum magnitudine utilitatis comparetur. Ita fortasse etiam brevior videbitur.*

Cic. ad Fam. 9, 1, 2. *qui* (adventus) *mihi utinam solatio sit: etsi tot tantisque rebus urgemur, ut nullam allevationem quisquam non stultissimus sperare debeat: sed tamen aut tu potes me, aut ego te fortasse aliqua re iuvare.* p. Lege manil. 9, 26. *qui tamen aliqua ex parte iis commodis mederi fortasse potuisset.*

9. Contraria est ratio, quando *fortasse* in priori parte sententiarum concessiva locatur, cui aliud quid opponitur verbis *sed, tamen, sed tamen, verum tamen,* vel etiam his omissis. Sic Germani dicunt *wohl — aber.*

Cic. de Divin. 2, 22, 50. *conceptio contra naturam fortasse: sed partus prope necessarius.* 2, 33, 70. *difficilis auguri locus ad contra dicendum: Marso fortasse, sed Romano facillimus.* Tusc. 1, 13, 30. *dolent fortasse et anguntur: sed illa lugubris lamentatio fletusque moerens ex eo est, quod eum, quem dileximus, vitae commodis privatum arbitramur.* Ernestium offendit *fortasse* in re minime dubia: quamquam eam non valde dubiam esse in ipsa particula apparet: de quo loco verbosius quidem, tamen non male disseruit Weberus, theologus halensis, in Symbolis ad grammat. lat. p. 210. Plin. Ep. 1, 5.

Plaut. As. 2, 4, 85. *neque me Athenis est alter hodie quisquam, cui credi recte aeque putent.* ME. *Fortassis: sed me tamen numquam hodie induces, ut tibi credam hoc argentum ignoto.* Cic. de Off. 3, 21, 82. *versus — quos dicam ut potero: incondite fortasse, sed tamen, ut res possit intelligi.* p. Sext. 5, 12. *quot stimulos admoverit homini studioso fortassis victoriae, sed tamen nimium communem Martem belliqué casum metuenti?*

Cic. in Verr. 1. Act. 12, 35. *hoc me profiteor suscepisse magnum fortasse onus et mihi periculosum, verum tamen dignum, in quo omnes nervos aetatis industriaeque meae contenderem.* p. Arch. 11, 28. *de meo quodam amore gloriae, nimis acri fortasse, verum tamen honesto, vobis confitebor.*

Cic. Tusc. 3, 23, 55. *feriunt enim fortasse gravius: non id efficiunt, ut ea, quae accidant, maiora videantur.* i. e. etiamsi gravius feriant.

10. Similiter *quidem* ex adverso ponitur, quum aliud quid esse conceditur, aliud certo affirmatur.

Cic. Orat. 62, 210. *id nos fortasse non perfecimus, conati quidem saepissime sumus.* Tusc. 2, 17, 41. *auribus fortasse*

multae, oculis quidem nulla poterat esse fortior contra dolorem et mortem disciplina. Plaut. Bacch. 2, 2, 42. *nam istoc fortasse aurum est opus.* PI. *Philippeo quidem.*

11. Sic assurgit oratio per hanc particulam ex concessa quadam re ad aliam contrariam, et sequitur *certe*, ut sententia exsistat haec: nisi illud concedas, quod ego facile concesserim, certe hoc constat.

Cic. de Fin. 4, 3, 7. *res enim fortasse verae, certe graves non ita tractantur, ut debent, sed aliquanto minutius.*

12. Occupatio sententiae alicuius in colloquio interdum locum habet, eaque eleganter exprimitur particula *fortasse*.

Terent. Andr. 1, 1, 91. *forte unam adspicio adulescentulam forma* — SO. *Bona fortasse.* SI. *Et voltu, Sosia, adeo modesto, adeo venusto, ut nihil supra.* Bentleius non acute perspexerat vim horum verborum, quum interpungeret verba: *forma bona. Fortasse:* quasi libertus in hac re severius et cum dubitatione iudicasset: quod ab hoc loco prorsus alienum erat. Simo in pronuntiando vocabulo *forma* iam prodit, quid dicturus sit: quare id praeoccupat Sosia, *bona fortasse* inquiens. Tum non acquiescens in hoc, Simo addit verba disertiora, in eadem oratione pergens. Plaut. Pers. 1, 1, 21. SA. *Negotium edepol* — TO. *Ferreum fortasse.*

13. In colloquiis si ab altero colloquentium coniectura facta est, contrarium ab altero affirmatur verbo *immo*.

Plaut. Amph. 2, 2, 98. AM. *Tu me heri hic vidisti?* AL. *Ego, inquam, si vis decies dicere.* AM. *In somnis fortasse.* AL. *Immo vigilans vigilantem.* Curc. 2, 3, 45. *in carnario fortasse dicis.* PH. *Immo in lancibus.* Bacch. 2, 2, 43.

14. In numeris definiendis additur *fortasse*, ubi in incerta designatione aliquem numerum ponimus maximum, vel minimum. Est igitur circiter, pene: *etwa, ohngefähr:* sed quum numerus non excedat probabilitatem, aut non plus, aut non minus. Saepius in hac dictione particula post nomen numerale ponitur. Plautus dixit *fortasse circiter.*

Cic. Orat. 56, 190., *elegit ex multis Isocratis libris triginta fortasse versus Hieronymus.* Brut. 68, 240. *Pompeius — biennio quam nos fortasse maior.* in Verr. 3, 50, 118. *bina aut terna milia nummum addebat: fiunt per triennium* HS D *millia fortasse.* Ita Zumptius e cod. Lag. uno quodam: vulgo *fortasse* D *milia.*

ad Att. 7, 4. *Pompeium vidi IV. Id. Decembres: fuimus una horas duas fortasse.* In his omnibus intelligimus numerum maximum: *höchstens.* Sed Horat. Epist. 2, 2, 164. *nempe modo isto paullatim mercaris agris, fortasse trecentis aut etiam supra nummorum millibus emtum.* i. e. ad minimum.

Plaut. Mil. 3, 2, 79. *nam illic noster est fortasse circiter triennium.*

15. Ironiae inservit haec particula, quando quid tamquam probabile proponitur, quod ipse, qui loquitur, non facile concessurus est. Atque adhaeret quaedam ironia, ubi missum facimus id, quod alter dixit, non affirmaturi. Qui usus Latinis cum Graecis communis est. vid. Locella ad Xenoph. Ephes. p. 188. Schaefer. ad Long. p. 357. Stallbaum. ad Plat. Gorg. 28.

Cic. ad Fam. 2, 16, 18. *sed ego fortasse vaticinor, et haec omnia meliores habebunt exitus. Recordor enim desperationes eorum, qui senes erant adolescente me: eos ego fortasse nunc imitor et utor aetatis vitio.* Terent. Heaut. 4, 5, 30. CH. *Nam prorsus nihil intelligo.* SY. *Vah tardus es.* CH. *Fortasse.*

Plaut. Asin. 2, 4, 90. *quamquam ego sum sordidatus, frugi tamen sum; nec potest peculium enumerari.* ME. *Fortasse.* LE. *Etiamnunc dico: Periphanes, Rhodo mercator dives, absente hero solus mihi talentum argenti soli annumeravit et mihi credidit, neque deceptus in eo.* ME. *Fortasse.* Est idem, quod sequitur, *haud negassim.*

16. Iam de infinitivo cum hac particula coniungendo. Donatus igitur ad Terent. Hec. 3, 1, 33. *fortasse unum aliquod verbum inter eas iram hanc conciverit* haec annotavit: *sic Plautus fortasse te amare suspicabere. Nam veteres infinitivo modo adiungebant fortasse.* Westerhovius vidit in Plauti verbis, quae in comoediis hodie non exstant, scribendum esse *suspicarier.* Et Palmerius praecepit his tribus vocabulis *fortasse, scilicet, videlicet* solita fuisse addi verba infinitiva. Cf. Parei Lex. Crit. p. 498. a. De quo usu quum Georgius Fabricius rursus addubitasset, Gronovius in Observat. 3, 9. doctam exhibuit rei demonstrationem, in qua bene observavit consuetudinem veterum, tamen in explicanda ea lapsus est, quod infinitivum existimaverat regi à verbo *sit* in *fortassis* incluso, sed obscurato. Alia enim est ratio vocabulorum *scilicet* et *videlicet*, in quibus forma et vis verbi, quod infinitivum regat, in-

tegra servatur. *Fortasse* autem quum, ut supra innuimus, adiectivi naturam habeat, ab hac parte nihil obstat, quo minus cum infinitivo coniungatur, uti fit in *necesse* et in aliis. Nimirum intelligimus: fortasse est fieri.

Plaut. Epid. 2, 2, 111. *ad quadraginta fortasse eam posse emi minimo minas.* Gronovius bene emendavit *minis.* Merc. 4, 4, 42. *fortasse te illum mirari coquum, quod venit, atque haec attulit.* Poen. 5, 2, 44. *fortasse medicos nos esse arbitrarier.* Truc. 3, 2, 12. *parasitum te fortasse dicere.* Asin. 1, 1, 24. Terent. Hec. 3, 1, 33. *fortasse unum aliquod verbum inter eas iram hanc concivisse.*

17. Pervagata est inter grammaticos opinio, vocabulum *fortasse* non admittere coniunctivum: nemo tamen exposuit rationem, quae obstare videretur, etiamsi ipsi saepe dubitativam vim tribuissent. At nec ratio repugnat, nec raritas exemplorum reprehensionem capit. Optimi enim scriptores ita loquuntur, et ubi pendet constructio ex prioribus verbis, et ubi probabilitatis iudicium aliquo modo infirmatur.

Cic. de Leg. 2, 1, 3. *inest nescio quid et latet in animo ac sensu meo, quo me plus hic locus fortasse delectet.*

Terent. Hec. 4, 3, 2. *istuc est sapere, qui, ubicumque opus sit, animum possis flectere, quod sit faciundum fortasse post, idem hoc nunc id feceris.*

Plaut. Pseud. 3, 2, 98. *fortasse haec tu mihi non credas, quae loquor.* Terent. Hec. 3, 1, 33. *fortasse unum aliquod verbum inter eas iram hanc conciverit.* Ibi tamen legendum videtur *concivisse.* vid. n. 16. Quinctil. 2, 16, 11. *verum haec apud eos fortasse quaerantur, qui summam rhetorices ad persuadendi vim retulerunt.* Ibi Zumptius narrat in optimis libris legi *forsitan,* quod coniunctivi caussa, etiamsi libri non iuberent, placeret. Et Gernhardus his verbis: „coniunctivus cum *forsitan* ubique reperitur coniunctus, nusquam cum *fortasse,* neque apud nostrum (Quinctilianum), neque apud Ciceronem." Tamen ipse edidit in Cic. de Sen. 3, 8. *sed fortasse dixerit quispiam.* quae, ut supra diximus, alibi *forsitan dixerit.* de Leg. 2, 7, 17. *vellem fortasse.* Plin. Hist. nat. 27, 12, 77. *fortassis eadem sit, quae leucas appellatur.* Symmach. 3, 16. *fortasse arguas diutinum silentium meum.*

18. Saepe componuntur verba *et fortasse, aut fortasse.* Haec in ea disiunctione locum habent, quae ad minora et incerta descendit. Lactantius autem adeo

ubi duplex *aut* disiungit aequaliter, alteri addit *fortasse*. De *ac fortasse* vide Tom. I. p. 500. de *fortasse etiam* Tom. 2. p. 554.

Cic. de Orat. 1, 22, 102. *quid? mihi nunc vos —, tamquam alicui Graeculo otioso et loquaci, et fortasse docto atque erudito, quaestiunculam — ponitis.* ad Att. 6, 6. *nos provinciae praefecimus Caelium: puerum, inquies, et fortasse fatuum et non gravem.* Caes. B. civ. 3, 60. *quo pudore adducti et fortasse non se liberari, sed in aliud tempus reservari arbitrati, discedere — constituerunt.*

Lactant. de Opif. Dei 16, 5. *ii vero aut non multum aut fortasse non errant.*

19. *Sed fortasse* cum ironia dicitur ab eo, qui sibi ipse obiectionem facit.

Cic. ad Fam. 2, 16, 18. *sed ego fortassis vaticinor: et haec omnia meliores habebunt exitus.*

20. Permirum videtur illud esse, quod, quum *fortasse* in suspicione et de re, quae fieri possit, usurpetur, nullum locum invenit post coniunctiones *si*, *nisi*, *ne*, et, quum recte dicatur *ut fortasse, quum fortasse*, tamen dicendum est *ne forte*, *si forte*. Nec tamen temere hoc factum est. Nam quae huic particulae adhaeret probabilitatis species, aliena videbatur a sententiis, quae aut rem, quae fieri aliquando possit, simpliciter indicant, aut finem sive consilium per negationem statuunt. In utrisque enim fortuitum magis apparet. Sic scriptores ex communi usu omnes, sermone ad regulam emendatam constituto. Comicis ea nondum erat scripta.

Plaut. Pers. 2, 2, 67. SO. *Quid istic scriptum?* PAE. *Iuxta tecum, si tu nescis, nescio: nisi fortasse blanda verba.*

Exemplum, quod apud Ciceronem invenisse se dicunt, exstat in falsis epistolis ad Brutum 1, 15. *tu hoc: alius fortasse, quod in animadversione poenaque durior, nisi fortasse utrumque tu.* ubi vid. Lambinus.

Hoc argumento refutari poterat Bentleii et Bouherii sententia, qui in Cic. Tusc. 1, 11, 23. interpunxerunt ita: *si anima est fortasse, dissipabitur.*

21. *Fortassis* non differt a *fortasse* nisi forma. Sed criticis, qui de hac re iudicarunt, omnibus Cicero videtur eam non usurpasse. Et iam Manutius ad Epist. Fam. 2, 13. „obtinuisse consuetudinem, inquit, ut

fortasse potius quam *fortassis* diceretur, quia scilicet *fortassis* absurdum auribus videbatur, auctor est Charisius: cuius testimonio permotus legendum arbitror *fortasse*, non *fortassis* in Epist. 3. libro primo ad Qu. Frat. quum praesertim in meo quoque veteri libro scriptum videam *fortasse*." Apud Orellium ne mentio quidem fit alicuius discrepantiae: tamen *fortassis* legitur in editionibus antiquissimis. De Off. 2, 6, 21. nunc ex auctoritate codicum quorumdam editum est: *ita fortasse etiam brevior videbitur*. In Verrin. 2, 43, 107. tres codices exhibent *fortassis*, sed, si Zumptium audiamus, male poetico verbo abutentes. Tamen Sylvius Ambianus appellat particulam *fortassis* oratoriam magis quam poeticam. In Epist. ad Fam. 2, 16, 18. antiquae editiones perhibent: *sed ego fortassis vaticinor*. p. Sext. 5, 12. *quot stimulos admoverit homini, studioso fortassis victoriae*. Nemo haec attrectavit. Scilicet nisi Charisius ex aurium sensu regulam constituisset, nemo quisquam eam desideraret. Apud Plautum bis legitur *fortassis* Asin. 2, 4, 86. Bacch. 4, 4, 20. Atque ita Traianus apud Plin. Epist. 63. et Plinius Hist. nat. 2, 20, 18. 27, 12, 77. Vlpian. in Dig. 7, 1, 12, 5. 11, 7, 14, 9.

22. *Fortassean* quidam grammatici novam dictionem, eiusque auctorem esse Gellium existimarunt. At antiqua ei erat origo: usus renovabatur novissimo tempore. Ratio convenit cum formis *forsan*, *forsitan*. Nihil refert, utrum duobus vocabulis scribamus *fortasse an*, an contractis. De hac particula conf. Cuiac. Observ. 9, 10. Parei Lex. crit. p. 498.

Sisenna apud Nonium 2, 101. s. v. ***claritudo: quod fortassean ex voluntate sua summa cum claritudine celeriter confecisset.*** **Varro de Re r. 3, 16, 10.** ***de fructu, inquit, hoc dico, quod fortassean tibi satis sit.*** **3, 6, 1.** ***qui secus si quid diceres de iis gentilitatis caussa fortassean tecum duceret serram.*** **de Ling. Lat. 4, 4, 10.** ***fortassean ab eo quatuor, quod ea quadrupes agitur.*** **6, 4, 89.** ***si ab Libya dictae esse lucae, fortassean pantherae quoque et leones, non africae bestiae dicerentur.*** **7, 2.** ***etenim illi, qui primi nomina imposuerunt rebus, fortassean in quibusdam sint lapsi.*** **Ita e codd. nunc edidit Spengelius, qui tamen ut etiam in verbis 5, 3.** ***forsitan hic dies ideo appelletur potius agonia.*** **corrigi iuberet** ***fortassean*****, nulla erat caussa.**

Gellius 7, 8. ***eaque omnia distinctius numerosiusque fortassean***

dici potuerint. 11, 9. *Critolaus scripsit, legatos Mileto publicae rei caussa venisse Athenas, fortassean dixerit auxilii petendi gratia.* 19, 8. *videbimus autem post de inimicitiis et quadrigis, ac fortassean de quadrigis veterum auctoritati concessero.* Etiam 5, 14. nunc legitur: *sed in iis, quae audisse vel legisse sese dicit, fortassean vitio studioque ostentationis fit loquacior.* Emendavit ita Eustath. Swartius Analect. 3, 8. p. 112. At quum in antiquis libris invenio scripturam, *fortasse a vitio*, eam optime se habere puto. Vide Tom. 1. p. 33. Apulei. de Deo Socr. p. 44, 39. *at enim, o Iule, pater tuus hoc iureiurando uti poterat inter Troianos stirpe cognatos, et fortassean inter Graecos proelio cognitos.* Nulla auctoritate Elmenhorstius in Florid. p. 358, 27. *fortassean* edidit pro *fortasse.* vid. Oudend. p. 81. Tertullian. de Praescript. Haeret. 41. *curationes repromittere forsitan et tingere.* Elmenhorstius in vet. cod. legisse dicit *fortassean.*

Seneca Epist. 29, 7. *vitia eius, etiamsi non excidero, inhibebo: non desinent, sed intermittent: fortasse autem et desinent, si intermittendi consuetudinem fecerint.* Ita omnes codd. Tamen Colvius ad Apulei. Apolog. 1. coniecit *fortassean:* quod Graevius quum probaret, demonstrare debebat, renovationem usus etiam Senecae tempora attingere.

23. *Fortassis an*, quod Scriverius scripsit in Apuleii Met. 5. p. 162, 40. pro *fortassis tamen*, destituitur antiqua auctoritate.

FORTE.

1. Forte ablativus est nominis *fors*, quod casum significat, sive fortuitum, cuius caussam et cohaerentiam non perspicimus. Id opponitur et necessitati, et rationi, et consilio, et providentiae, et fortunae, quae hominibus favet: unde dicitur *forte fortuna*, quae sit casui contraria et prospera. Sed *fortuna* dicitur pro *forte* apud Cic. de Fato 3, 6. etiam de adversa re.

Priscianus 15. p. 1016. *et fors quidem et forsan et forsitan dubitandi sunt: forte vero eventus, pro fortuitu.*

De oppositis istis notionibus conf. Horat. Sat. 1, 6, 53. 1, 1, 1. Praeter vulgaria notanda haec sunt: Tacit. Ann. 4, 54. *forte an quia audiverat.* Plin. Hist. n. 12, 19, 42. *id acciderit ob iniquitatem praepotentium an forte, non satis constat.* Liv. 9, 31, 7. *captivi quidam pars forte, pars consilio oblati.* Tacit. Hist. 2, 42. *seu dolo seu forte surrexerit, parum compertum.*

Sueton. Aug. 6. *seu forte seu tentandi caussa.* Liv. 22, 49. *seu forte.* Aurel. Vict. de Vir. ill. 7, 16. *seu forte, seu fraude perierunt.* ubi vd. Arntzen.

Vellei. Pat. 2, 66, 5. *hoc, vel forte, vel providentia, vel utcumque constitutum rerum naturae corpus.* Plin. Pan. 1, 4. *ac si adhuc dubium fuisset forte casuque rectores terris, an aliquo numine darentur.* Tacit. Ann. 6, 22. *sed mihi haec et talia audienti in incerto iudicium est, fatone res mortalium et necessitate immutabili, an forte volvantur.* Aurel. Vict. de Viris ill. 2, 8. *et exercitus seu forte seu divinitus restitit.* Accius apud Non. Marc. 5, 15. *quo captus modo, fortunane an forte reperitur.* Lucilius ibidem: *aut forte omnino aut fortuna vincere bello.* Vulgo *ac fortuna.*

Terent. Eun. 1, 2, 54. *forte fortuna adfuit hic meus amicus.* cf. Phorm. 5, 6, 1. Plaut. Mil. 2, 3, 16. Bacch. 4, 8, 75. Cic. de Div. 2, 7, 18. *quid est tandem, quod casu fieri aut forte fortuna putemus?* Liv. 1, 46, 5. *forte ita ceciderat, ne duo violenta ingenia matrimonio iungerentur, fortuna, credo, populi romani.* Ennius apud Macrob. 6, 2. *et rursus multae fortunae forte recumbunt.*

Liv. 1, 4, 4. *forte quadam divinitus super ripas Tiberis effusus lenibus stagnis.* Gruterus coniecit *an divinitus.* Sed fortuitum eventum Livius ad divinam originem refert. vid. Gronov.

2. Componuntur verba *forte temere* duplici modo, ut eorum quodvis singularem notionem praestet, et ut utrumque coeat in unam notionem. cf. Gronov. ad Liv. 10, 43, 12. Ruhnken. ad Terent. Phorm. 5, 1, 30. Haec vero est temere, sine consilio, et saepe etiam id, quod simplici *forte* exprimitur: quae caussa erat Burmanno, ut ad Sueton. Aug. 10. falsam conciperet glossematis suspicionem. Iam Priscianus p. 1016. *fortasse autem et fortassis pro temere.* quem sequitur Oudendorp. ad Apulei. Apol. p. 515.

Cic. de Fato 3, 6. *si fati omnino nullum nomen, nulla natura, nulla vis esset, et forte, temere, casu aut pleraque fierent aut omnia.*

Terent. Ph. 5, 1, 30. *quam saepe forte temere eveniunt, quae non audeas optare.* Cic. de Div. 2, 68, 141. *nisi ista casu nonnumquam forte temere concurrerent.* Editiones commata habent interposita. Liv. 23, 3, 3. *nec quidquam raptim aut forte temere egeritis.* 25, 38, 12. 39, 15, 11. 41, 2, 7. Curt. 5, 11, 10. *quibus forte temere humana negotia volvi agi persuasum est.*

Gruterus male edidit *forte ac temere.* Curtius 5, 11, 10. *quibus forte temere humana negotia volvi agique persuasum est.* In aliis codicibus exstat *forte ac temere.*

Liv. 2, 31, 5. *perpulere, ut forte temere in adversos montes erigeret.*

Quinctil. 10, 1, 45. *ne quisquam queratur, omissos forte aliquos, quos ipse valde probet.* Sarpius et Frotscher transpositam putant particulam, quasi ad *ne* spectet: quod haud probabile est. Recte accipiemus pro *temere.*

Apulei. Apol. p. 309, 10. *quippe omnibus, sicut forte negotium magiae facessitur, quidquid omnino egerint, obiicietur.* Ita Oudendorpius edidit, sententiam putans esse hanc: sicut solet sane magiae accusatio temere intendi: quod nec vocabulo *forte*, nec reliquis exprimitur. Equidem persuasum mihi est Apuleium scripsisse, sicut vidit Melissus: *si cui forte negotium magiae facessitur*, i. e. si quis forte in magiae criminationem incurrit, omnia, quae egerit, hoc nomine obiicientur. Iisdem verbis utitur Cicero p. Cluent. 57, 158. *polliceor omnibus, si cui forte hac lege negotium facessetur — me eius caussam legis praesidio defensurum.*

3. Hic ablativus cum verbis componitur ita, ut adverbii vicem expleat, et fortuito factum significet. Graeci utuntur verbo *τυγχάνειν*. Vtriusque vero vocabuli ratio triplex est. Nam aut intelligimus rem casu factam esse, aut simpliciter rem accidisse, aut intercedere aliarum rerum commodam rationem. Ac primum *forte* significat casu, fortuito, non ex caussa, quae cognosci possit: *zufällig.*

Plaut. Most. 2, 2, 56. *lucernam forte oblitus fueram exstinguere.* Cic. p. Planc. 26, 65. *at ego quum casu diebus iis itineris faciendi caussa decedens e provincia, Puteolos forte venissem — concidi pene etc.*

Cic. p. Cluent. 51, 141. *forte evenit, ut ruri in Privernati essemus.* cf. de Orat. 2, 55, 224. Liv. 1, 7, 13.

Terent. Phorm. 4, 3, 11. *ut abii abs te, fit forte obviam mihi Phormio.* i. e. non de consilio. Sueton. Claud. 34. *quocumque gladiatorio munere —, etiam forte prolapsos iugulari iubebat.* Tacit. Ann. 1, 12. *inter quae senatu ad infimas obtestationes procumbente, dixit forte Tiberius, se ut non toti rei publicae parem, ita quaecumque pars sibi mandaretur, eius tutelam suscepturum.* i. e. excidit ei hoc verbum, non ante meditatum. 3, 31. *ne forte parva res magnum ad certamen progressa prae-*

buit iuveni materiem apiscendi favoris. 4, 3. *orto forte iurgio.* 4, 69. 6, 46.

4. Deinde non ipsum casum, quo quid factum sit, cogitamus, sed dicimus simpliciter aliquid accidisse, non caussam quaerentes, sed tantum in rei eventu acquiescentes: ubi nos *es traf sich*, *es ist der Fall.* Ita proprie de rebus extrinsecus intervenientibus.

Eurip. Iphig. Taur. 615. *πολλή δέ τις προθυμία σε τοῦδ' ἔχουσα τυγχάνει.* Plaut. Curc. 2, 3, 58. *forte adspicio militem.* Bacch. 2, 3, 44. *forte ut assedi in stega.* Liv. 2, 4, 5. *nam quum, pridie quam legati ad Tarquinios proficiscerentur et coenatum forte apud Vitellios esset, coniuratique ibi remotis arbitris multa inter se de novo, ut fit, consilio egissent, sermonem eorum ex servis unus excepit.* ubi si reddideris *er war zufällig bei den Vitelliern zu Tische*, ineptam habebis sententiam. Est vero vertendum: *und da sich es traf, daſs er* etc. 2, 12, 6. *ibi quum stipendium forte militibus daretur* etc. Tacit. Ann. 1, 66. *forte equus abruptis vinculis vagus — quosdam occurrentium obturbavit.* 2, 82. Curt. 3, 13, 2. *sed forte in exploratores — incidit natione Mardus.* 7, 2, 1. *dum haec Amyntas agit, forte supervenerunt, qui fratrem eius Polemonem — vinctum reducebant.* Stat. Silv. 3, 1, 68. *forte diem Triviae dum litore ducimus udo.*

Lucan. 3, 652. *tunc unica diri conspecta est leti facies, quum forte natantem diversae rostris iuvenem fixere carinae.* ubi Heinsius elegantiam huius usus non perpendens, *forte* pro *fortiter* dictum existimabat.

Liv. 25, 7, 10. *quum Tarentinorum defectio iam diu et in spe Hannibali, et in suspicione Romanis esset, caussa forte extrinsecus maturandae eius intervenit.*

5. Hinc fit, ut *forte* indicet, aliquando sive olim rem esse factam. Atque accipi potest pro *aliquando (einmal)*: quocum etiam componitur. vid. n. 9. Cicero non ita loquutus est, sed posteriores.

Horat. Epist. 1, 7, 29. *forte per angustam tenuis vulpecula rimam repserat in cumeram frumenti.* Sat. 1, 9, 1. *ibam forte via sacra.* Martial. 1, 54, 7. *sic niger, in ripis errat quum forte Caystri, inter ledaeos ridetur corvus olores.* Sueton. Tib. 11. *forte quondam in disponendo die mane praedixerat* etc. ubi editores quidam omiserunt *quondam.* Aurel. Vict. de Caes. 17, 5. *quumque eo modo plures confecisset, forte eum Scaeva — ab studio tali deterruit, qui spreto gladio, quem inutilem cernebat, sufficere utrique ait, quo armabatur ipse.*

6. Denique ad rerum cohaerentiam refertur. Nam forte fit id, quod in aliquod certum tempus cadit, aut cum alia re evenit una. Nos *es ist der Fall eben, es traf sich gerade.* Saepe haec ratio verbis adiectis magis declaratur, et componuntur verba *tum forte, iam forte.* Graeci etiam haec verbo *τυγχάνειν* designant. Isocrat. Areop. 2. *ἐγὼ δὲ δι' αὐτὰ ταῦτα τυγχάνω δεδιώς.* Atque huc pertinet etiam illud *forte fortuna.*

Plaut. Men. Prol. 29. *Tarenti ludi forte erant, quom illuc venit.* Liv. 21, 54, 7. *erat forte brumae tempus.* 32, 11, 9. *et pernox forte luna erat.* 40, 59, 3. *nihil in eo triumpho magis insigne, quam quod forte evenit, ut eodem die triumpharet, qui priore anno ex praetura triumphaverat.* Curt. 6, 7, 29. *gladio, quo forte erat cinctus, graviter se vulnerat.*

Liv. 21, 51, 3. *nec quisquam hostium circa eas insulas inventus. Iam forte transmiserant ad vastandam Italiae oram,* i. e. *sie hatten eben einen Einfall gemacht.* Liv. 1, 59, 7. *in quo tum magistratu forte Brutus erat.* Sueton. Tib. 13. *is forte tunc M. Lollio infensior, facilis exorabilisque in vitricum fuit.* Ita explicandum est apud Plautum Most. 3, 2, 6. *non mihi forte visum illico fuit, melius quom prandium quam solitum dedit.* Guilielmus interpretatur, non temere et casu id fieri illico in mentem venit: male quidem. Dicit enim senex ille, dormitum ire non visum sibi esse illico, ut fors ferebat, quum melius prandium accepisset: *dies schien mir gerade jetzt, da sie mich besser gespeiset, nicht annehmlich.*

Inversa sententia Virgil. Aen. 6, 171. *sed tum, forte cava dum personat aequora concha, demens et cantu vocat in certamina divos.*

Virgil. Aen. 6, 190. *vix ea fatus erat, geminae quum forte columbae ipsa sub ora viri coelo venere volantes.*

Curt. 3, 11, 13. *instabat fugientibus eques a Parmenione missus, et forte in illud cornu omnes fuga abstulerat.* i. e. *gerade auf diesem Flügel.*

7. Huius generis est formula Livio saepe usurpata *per eos forte dies:* quae non modo de rebus per aliquot dies perpetuis dicitur, sed de iis, quae uno aliquo ex istis diebus actae sunt. *Forte* indicat res concurrere. Atque simplex *forte* etiam pro *tum forte* i. e. tum demum dicitur.

Liv. 36, 14, 1. *per eos forte dies Manlius Acilius consul — mari traiecto pedestres copias Larissam ducere delectos militum tribunos iussit.*

Liv. 37, 34, 1. *per eosdem forte dies legatus ab Antiocho in castra venerat byzantius Heraclides.* 37, 20, 1. *per eosdem forte dies Flaccum ex Achaia mille pedites — accesserunt.*

Tacit. Ann. 4, 59. *ac forte illis diebus oblatum Caesari anceps periculum auxit vana rumoris.* Aurel. Vict. 40, 3. *et forte iisdem diebus ibidem Constantium patrem vitae ultima agebant.*

Sueton. Aug. 10. *in locum tribuni plebis forte demortui candidatum se ostendit.*

8. In conditionalibus sententiis, quibus aliquid dicitur ex conditione pendere, quando conditio cogitatur incerta et in rebus fortuitis posita, Latini adiiciunt particulam *forte*, Graeci ἄν: nos reddimus *etwa*. Sed Latini id non graeco more ad conditionem temporis et loci et caussae referebant, sed *forte* non nisi coniunctionibus meram conditionem significantibus adiungebant: quae erant *si*, *nisi*, *sin*. Hinc grammaticorum praeceptum de particula post istas coniunctiones pro *fortasse* posita: hinc vero etiam recentiorum scriptorum error, quo *forte* ubicumque pro *fortasse* usurpare solent. Modus verbi non regitur a particula, sed conditionalis sententiae natura fert, ut conditio ex fortuitis pendens vel simpliciter indicativo exprimatur, vel in cogitatione posita vel cum aliis rebus nexa sit: quod utrumque Latini coniunctivo dicunt. Frequentior tamen est usus indicativi. Locatio particulae non una est: nam non semper coniunctioni ea adhaeret, sed reiicitur post unum vel plura nomina, in quibus vis orationis praevalet. Sic Graeci quoque. Vid. Stallbaum ad Plat. Gorg. 69. Saepe intercedunt pronomina relativa. Tamen non tanta est transponendi verborum licentia, quantam concedi voluit Sarpius in Analect. p. 28.

Cic. in Caecil. Div. 1, 1. *si quis vestrum, iudices, aut eorum, qui adsunt, forte miratur* etc. de Nat. d. 2, 35, 90. *sic philosophi debuerunt, si forte eos primus adspectus mundi conturbaverat.*

Cic. Acad. 1, 7, 25. *quin etiam graecis licebit utare, quum voles, si te latina forte deficient.* de Orat. 3, 12, 47. *de iis te, si qui me forte locus admonuerit, commonebo.* Vlpian. in Dig. 23, 3, 16. *quare et si duplum forte ad virum pervenerit, id quoque ad mulierem redigetur.*

Additum est *aliquando* apud Cic. ad Fam. 7, 17, 9. *si quae te forte res aliquando offenderit.* Liv. 5, 3, 4. *an est quisquam, qui*

dubitet, nullis iniuriis vestris, si quae forte aliquando fuerunt, umquam — tribunos plebis offensos ac concitatos esse.

Plaut. Asin. 3, 2, 43. *qui verberarem asinos, si forte occeperint clamare hinc ex crumina.*

Cic. p. Mur. 6, 13. *nemo enim fere saltat sobrius, nisi forte insanit.* de Off. 3, 24, 93. *honestius mentietur, si ex hereditate nihil ceperit: nisi forte eam pecuniam in rei publicae magnum aliquod tempus contulerit.*

Plaut. Capt. 2, 2, 59. *hoc te monitum, nisi forte ipsa non vis, volueram.*

Cic. ad Fam. 11, 18, 6. *quare velim equidem id quod spero, ut plane abiectus et fractus sit Antonius. Sin aliquid virium forte collegerit, sentiet nec senatui consilium nec populo romano virtutem deesse.* 12, 10, 3. *ut si haec ex sententia confecta essent, consilio atque auctoritate tua, sin quid forte titubatum est —, exercitu tuo niteremur.*

Singularis est locus Gaii Instit. 3, 141. in quo additur *forte* in altera parte enuntiationis: *si rem a te venalem habente, veluti fundum, acceperim et pretii nomine hominem forte dederim.* Idem Gaius Inst. 3, 179. *forte* ante *si* posuit: de quo loco vide n. 21. Plaut. Amph. 2, 1, 74. *ibi forte istum si vidisses quemdam in somnis Sosiam.* Asin. 4, 1, 49.

Notabilis esset verborum positio apud Virgil. Aen. 2, 136. *delitui dum vela, darent si forte, dedissent.* nisi ipsa sententia suspicionem interpolationis concitaret.

9. Verba *si forte*, quae significant *si fors ita tulerit*, *εἰ τύχοι*, interponuntur orationi, quae de re agit extremo loco concedenda. Qua de caussa saepe fit, ut negatio praecedat, praesertim *nihil nisi*. Exposuit de hac re Muretus Var. Lect. 16, 9. Germani dicunt *allenfalls*.

Cic. ad Att. 14, 13. *restat, ut in castra Sexti aut, si forte, Bruti nos conferamus.* De loco de Off. 2, 20, 70. vide n. 20. Tertullian. Apolog. 38. *nostra iniuria est, si forte, non vestra.* c. 41. *et sequitur, ut omnes saeculi plagae nobis, si forte, in admonitionem, vobis in castigationem a deo obveniant.* c. 16. *nos, si forte, integrum et totum deum colimus.* c. 46. de Pallio 2. *ab Assyriis, si forte, aevi historiae patescunt.*

Cic. p. Mil. 38, 104. *hiccine vir patriae natus usquam nisi in patria morietur, aut, si forte, pro patria?* i. e. aut si forte extra patriam moriendum sit, tamen pro patria. de Orat. 3, 12, 47. *ex quo vereor, ne nihil sim tui, nisi supplosionem pedis,*

imitatus, *et pauca quaedam verba*, *et aliquem*, *si forte*, *natum*. ad Qu. Frat. 1, 2, 2, 7. *intelliges esse nihil a me*, *nisi orationis acerbitatem et iracundiam et*, *si forte*, *raro litterarum missarum indiligentiam reprehensam.*

10. *Si forte* etiam ponitur pro *si quando*, *wenn einmal.*

Plaut. Asin. 1, 1, 92. *quid si forte in insidias devenero? Tu redimes me*, *si me hostes interceperint?*

11. Eadem est ratio, ubi *si* significat *an:* quemadmodum graecus poeta εἴ κεν Od. 15, 523. 16, 238.

Plaut. Poen. 5, 2, 103. *memoradum mihi: si novi forte*, *aut si sunt cognati mihi.* Liv. 1, 7, 6. *pergit ad proximam speluncam*, *si forte eo vestigia ferrent.*

12. Praeter exceptionis significationem formula *nisi forte* utitur is, qui corrigit, certe mitigat ea, quae indefinitius aut confidentius affirmata videantur, aut ea ad aliam caussam refert, et is, qui de dictis rebus addubitat quasi per occupationem, et is, qui modeste cautelam de errore adiicit. Haec optime constituit Beierus ad Cic. de Off. 1, 33, 120. p. 254.

Cic. de Off. 2, 18, 62. *propensior benignitas esse debebit in calamitosos*, *nisi forte erunt digni calamitatis.* 1, 33, 120. *qui igitur ad naturae suae non vitiosae genus consilium vivendi omne contulerit*, *is constantiam teneat — ; nisi forte se intellexerit errasse in deligendo genere vitae.* 1, 1, 3. ad Fam. 7, 33, 1. *quod Hirtio invideres*, *nisi eum amares*, *non erat caussa invidendi: nisi forte ipsius eloquentiae magis*, *quam quod me audiret*, *invideres.* Ovid. Her. 21, 237. *unde tibi favor hic? Nisi quod nova forte reperta est*, *quae capiat magnos littera lecta deos.* i. e. Sed non ita quaeram; fortasse tibi reperta est littera etc.

Cic. de Fin. 2, 14, 44. *accedam ad omnia via*, *Torquate: nisi ubi memoria forte defecerit.* Ita codices integri. Est *nisi alicubi.*

13. Verba *nisi forte* ironiae inserviunt, quum is, qui loquitur, significat eo, quod fortasse contradici possit, non infringi sententiam suam, sed absurdum aut incredibile esse illud. Nam simulat, se, hac re comprobata, esse alienae sententiae cessurum. Quod Gesnerus in Thesauro exposuit, et post eum Goerenz. ad Cic. de Leg. 1, 1, 2. Beier. ad Cic. de Off. 1, 33, 120. Germani

dicunt *wenn nicht etwa*, *wenn nicht gar*. Conf. Cortius ad Sallust. Cat. 20, 17. Matthiae ad Cic. p. Rosc. 29, 82. Zumptii Gramm. n. 526. Sed ipsa particula *forte* non est, quae ironiam designet, siquidem eadem sententia verbis *nisi vero* et uno *nisi* exprimitur. Id vero *forte* efficit, ut intelligatur res insolentior et alienior, quae vix assensorem inveniat.

Cic. p. Mil. 7, 17. *intersit inter vitae dignitatem summorum atque infimorum: mors quidem illata per scelus iisdem et poenis teneatur et legibus: nisi forte magis erit parricida, si qui consularem patrem, quam si quis humilem necaverit: aut eo mors atrocior erit P. Clodii, quod is in monumentis maiorum suorum sit interfectus.* de Nat. d. 3, 18, 45. de Achille: *qui si deus est, et Orpheus et Rhesus dii sunt, Musa matre nati: nisi forte maritimae nuptiae terrenis anteponuntur.* in Verr. 3, 64, 149. de Leg. 1, 1, 2. de Fato 16, 37. p. Rosc. Am. 29, 82. p. Mil. 31, 84.

Sallust. Cat. 20, 17. *haec ipsa, ut spero, vobiscum consul agam: nisi forte animus fallit, et vos servire quam imperare parati estis.* Hist. Fragm. 1. p. 945. *nam bellum atque arma, quamquam vobis invisa, tamen quia Lepido placent, sumenda sunt: nisi forte cui pacem praestare, et bellum pati consilium est.* Tacit. Hist. 4, 74. Curt. 5, 8, 12.

14. Notanda est verborum compositio, qua apud Tacitum verba *nisi forte* infinitivus sequitur in obliqua oratione.

Tacit. Ann. 2, 33. *distinctos senatus et equitum census, non quia diversi natura, sed ut locis, ordinibus, dignationibus, antistent et aliis, quae ad requiem animi aut salubritatem corporum parentur, nisi forte clarissimo cuique plures curas, maiora pericula subeunda, delinimentis curarum et periculorum carendum esse.*

15. Eiusdem rationis sunt sententiae finales, quae conditionem in eventu positam, et finem quidem ac consilium indicant. Sed Latini hanc conditionem eventus non nisi negationi assignabant, et dicebant *ne forte*, non *ut forte*, sicuti Graeci non modo ὅπως μὴ ἂν, sed etiam ὅπως ἂν dixerunt. Nec tamen deest caussa. Nam uti Graeci ἵνα non componunt cum particula ἂν ob certam consilii seu finis definitionem, ita etiam Latini fortuitam rationem tantum in negatione agnoscere solebant, et incertam conditionem, quae inest in negando

eo, quod fieri possit aut debeat, designabant adiecto *forte*, numquam vocabulo *fortasse*.

Plaut. Aul. 2, 4, 24. ***ne quid animae forte amittat dormiens.*** **Terent. Eun. 2, 2, 54.** ***numnam hic relictus custos, ne quis forte internuntius clam a milite ad istam curset?*** **Cic. ad Qu. Frat. 1, 2, 2.** ***de hoc genere toto, ne forte me in Graecos tam ambitiosum factum esse mirere, pauca cognosce.*** **ad Fam. 9, 8, 2.** ***qui metuo, ne te forte flagitent.*** **5, 5, 3.** ***nam comperisse me non audeo dicere, ne forte id ipsum verbum ponam, quod abs te aiunt falso in me solere conferri.*** **Liv. 2, 12, 4.** ***metuens, ne, si consulum iniussu et ignaris omnibus iret, forte deprehensus a custodibus romanis retraheretur ut transfuga.***

Lactant. de Opif. Dei 11, 17. ***et tamen necubi forte obhaereant ac resistant, — opplevit ea intrinsecus crassiore succo.***

16. Formula est *ac ne forte* in occupanda aliqua obiectione, quae removeatur.

Cic. de Orat. 2, 46, 191. ***ac ne forte hoc magnum ac mirabile esse videatur, hominem toties irasci.*** **ad Att. 2, 18. Vide Tom. I. p. 494.**

17. Id vero, quod in *ne* hanc incertae rei notationem efficit, transfertur etiam ad mutatam orationem, in qua *non* pro *ne* ponitur.

Quinctil. 1, 3, 1. ***proximum imitatio: nam id quoque est docilis naturae, sic tamen, ut ea, quae discit, effingat, non habitum forte et ingressum, et si quid in peius notabile est.*** **Zumptius, ea quae discit puer, inquit, opposita sunt fortuitis, quae nolente magistro accipiat. At non de fortuitis est sermo, sed de negando eo, quod aliquando fieri possit. Ac nisi duae essent sententiae partes, scribendum erat:** ***sic tamen, ne habitum forte et ingressum effingat.***

18. Denique in relativa sententia *forte* ponitur, uti ἂν graecum post ὃς, οἷος, ὅστις. Nam aut exprimitur conditionata res, *si quae forte sit*, praesertim praemissa negatione, aut indefinitae rei assumptio. Recentiores scriptores hoc modo simpliciter designant indefinitam rem.

Virgil. Aen. 5, 485. ***protenus Aeneas celeri certare sagitta invitat, qui forte velint, et praemia ponit.*** **i. e. si qui forte velint.**

Plaut. Amph. 2, 2, 195. ***nisi quisquam est Amphitruo alius, qui forte te hic absente tamen tuam rem curet.*** **Ovid. Trist. 5, 7, 53.** ***unus in hoc populo nemo est, qui forte latine quaelibet e medio reddere verba queat.***

Gaii Institut. 4, 59. *nam qui forte Stichum et Erotem emerit, recte videtur ita demonstrare.* Aurel. Vict. de Caes. 10, 3. *neque minus sancte facitis in tuendis, qui forte in spe conspirassent.* 39, 45. *qui forte in provinciis motus exsisterent.*

19. Krebsius in Arte latine scribendi n. 387. et in Annal. Heidelberg. philolog. a. 1808. p. 407., nescio quo auctore, docet *forte*, non *fortasse*, poni in interrogationibus negativis ideoque dici *num forte de meo amore dubitasti? ecquid forte novi?* Equidem vero huius praecepti nullum inveni in veteribus scriptoribus documentum.

20. Praeter has, quas exposui, formulas *forte* non facile usurpatur a prosae orationis auctoribus ita, ut significet *fortasse.* Poetae tamen regula se coerceri non passi sunt. Vnde pervenit in usum grammaticorum recentioris aevi et criticorum nostri temporis: et ne Ruhnkenius quidem ab hac stribligine abstinuit. Vid. Schaefer. ad Eurip. Orest. 775. Passov. ad Persium T. 1. p. 359. Matthiae in Exempl. Eloquent. Lat. p. 220. Friedemann. ad Ruhnken. Orat. p. 532. Lindemann. ad Ruhnken. vit. Hemsterh. p. 75. 100. Et librarii saepe antiquis verbis *forsitan* et *fortasse* substituerunt scholasticum suum *forte.* vid. Drakenb. ad Liv. 10, 24, 13. Tamen reperiuntur quaedam dictiones, in quibus nec paucitas exemplorum, nec alia caussa poterit iis, qui naturam particulae perspectam habent, ullam iniicere dubitationem, quin recte dictum sit *forte* pro *fortasse.* Equidem notabo has: *forte et, aut forte*, et numeralia nomina, et ubi dicitur pro *exempli caussa*, et quod in quacumque sententia locum obtinere videtur, *fortean.*

Horat. Epod. 16, 15. *forte quid expediat, communiter aut melior pars malis carere quaeritis laboribus?* Quorum verborum multae exstant interpretationes et ob verborum usum et ob ineptam sententiam improbandae: nulla vero est peior ea, quam nuper Wagnerus in Seebodii Bibl. crit. anni 1829. Tom. I. p. 146. exposuit, *forte quid expediat* significare: forte aliquod facinus nos expediat. Rutgersii emendatio, quam Bentleius probavit, vehementer friget. Omnes enim fefellit constructio verborum, quae haec est: communiter aut pars melior carere malis laboribus quaeritis, quid forte expediat? *Melior* cum infinitivo componitur, ut apud Persium 4, 16. *anticyras melior sorbere meracas.* et apud Val. Flacc. 1, 424. *oraque thessalico melior contundere freno.*

Cic. ad Att. 10, 12. *quare vi aut clam agendum est, et si vi, forte et cum tempestate: clam autem istis. In quo si quod σφάλμα, vides, quam turpe sit. Trahimur, nec fugiendum, si quid violentius.* Orellius *forte* pro *fortasse* positum non latinum esse affirmans, et ne *fortasse* quidem cum nomine tempestatis coniungi posse, emendationem fecit hanc: *fortiter ac tempestive.* Quod tenens aliquis dicat, *forte* esse antiquam formam adverbii *fortiter*, veluti critici statuunt in Lucret. 2, 631. ubi tamen est accusativus cum v. *ludunt* coniungendus. Cicero *forte et* dixit, ut Virgil. Aen. 2, 50. *fors et vota facit.* Est sententia haec: quum omnia suspecta sint, aut vi est agendum aut clam, et si vi est agendum, forsitan adeo in magna rerum perturbatione et cum periculo: sin clam, clam istis: in quo turpis erit lapsus. Nos trahimur, ut fugiamus: tamen non est fugiendum, si quid violentius agendum erit. *Tempestas* dicitur de universo et magno tumultu *in hoc mari negotii*, ut antea dixit Cicero. Nec necessarium erit, ut cum Orellio verba *clam istis* interrogatione pronuntiemus.

Cic. de Off. 2, 20, 70. *videndum illud est: quod si opulentum fortunatumque defenderis, in uno illo, aut forte in liberis eius manet gratia: sin autem inopem, probum tamen et modestum, omnes non improbi humiles — praesidium sibi paratum vident.* Orellius ex uno codice restituit nunc *si forte:* quod non male se habet, sed a correctore quodam profectum videtur. Reliqui libri vel *aut forte* vel *aut in liberis forte* praebent. Plaut. Bacch. 1, 1, 46. *quid si apud te veniat de subito prandium, aut potatio forte, aut coena.* ubi *forte* non afficitur a coniunctione *si*.

Gaius Inst. 1, 150. *quo casu licet uxori vel in omnes res vel in unam forte aut duas* (optare). 4, 74. *et potest quisque tertia forte aut quarta vel etiam minore parte peculii negotiari.*

21. Iurisconsulti in afferendis exemplis usurpant hoc vocabulum. Quae dictio nata est ex conditionali formula *si forte*, quam etiam veteres scriptores in afferendis exemplis adhibebant.

Horat. Epist. 1, 12, 7. *si forte in medio positorum abstemius herbis vivis et urtica, sic vives protenus.* ubi conf. Schmidius. Art. poet. 120. *scriptor honoratum si forte reponis Achillem.*

Vlpian. in Dig. 48, 22, 7, 6. *sicut autem relegare in insulam quisquam, quae non est sub se, non potest, ita ne in provinciam quidem relegandi ius habet, quae non est sub se. Forte praeses Syriae in Macedoniam non relegabit, sed extra provinciam suam potest relegare.* Gaius in Dig. 20, 1, 15, 2. *alii nulli rem obli-*

gatam esse quam forte Lucio Titio. Gaius in Dig. 30, 1, 67. *servus uni ex heredibus legatus si quid in hereditate malitiose fecisse dicatur, forte rationes interlevisse, non aliter adiudicandus est* etc. Alia multa notavit Brisson. de Verb. signif. p. 497. in quibus nonnulla tamen magis ad conditionale genus pertinent.

Gaius Instit. 3, 179. *ita demum novatio fit, si quid in posteriore stipulatione novi sit: forte si conditio vel sponsor aut dies adiiciatur aut detrahatur.*

22. Fortean sive fortan eo modo, quo *forsan* dictum sit, etiam dici potuisse, nemo negabit; usurpatum esse ab ipso Cicerone duo monstrant loci. Significatione non differt a *forsan.*

Cic. pro Lege Man. 8, 20. *in quo maxime laborandum est, ne fortean vobis, quae diligentissime providenda sunt, contemnenda esse videantur.* Ita Schützius e cod. palat. restituit. Vulgo legebatur *ne forte a nobis*, quod Buttmannus emendavit scribens *forte ea.* At nullum aderat mendum. de Re publ. 3, 35. *quare cogitato Romulum, aut Pompilium, aut Tullum regem, fortean non tam illius te rei publicae poenitebit.* Ita codex: quod Moserus, vulgari enuntiatione effictum etymologiae adversari putat. An vero etiam adversantur *anteu, isthic* et quae sunt huius generis? Heinrichius edidit *fortean.* Veteres glossae: *τυχὸν fors, fortasse, forsitan, fortan.* Hirt. B. Afric. 61. *quod fortean id tempus acciderat numquam.* Alii libri substituunt *forsan* usitatius verbum, idque critici receperunt.

*) Saepe librarii confuderunt *forte* et *sorte*, *fors* et *sors*. vid. Cort. ad Lucan. 2, 12. critici ad Curt. 3, 2, 11. 4, 4, 13. *forte* et *fortasse*. vd. Sueton. Claud. 34.

FORTVITO. FORTVITV.

Fortvito et Fortvitv unam habent significationem, quae est *forte, casu.* Altera enim forma facta est ex *fortuitum*, altera ex *fortuitus* nomine substantivo. Priscianus 15. p. 1016. *fortuitu, quod a fortuitus derivativo nomine fit.* In libris scriptis ubique fere commutantur, nec deerant critici, qui alteri maiorem tribuerent vel elegantiam vel auctoritatem. Goerenzius ad Cic. de Fin. 5, 11, 33. observasse se narrat, substantivum *fortuitu* a Cicerone semper poni, quando aliud substantivum adiiciatur coniunctum, ideoque dici *casu et fortuitu.* At nullus reperitur Ciceronis locus, in

quo *fortuitu* perstet sine librorum discrepantia. Quo igitur modo constituetur certum iudicium? Giesius ad Cic. de Div. 2, 7, 18. antiquiorem formam appellat *fortuitu*, vel ob ipsam hanc caussam Ciceroni non obtrudendam. Quo nihil falsius. Nam *fortuitu* non antiqua est forma, sed recentissima, neque umquam in lingua latina fuit substantivum *fortuitus*. Sed saeculo quarto post Chr. n. in multis nominibus formandis mutabatur terminatio *o* in *u*, atque non modo in inscriptionibus exhibebantur nomina *agru*, *unu locu*, sed etiam in libris *fortuitu*, *gratuitu*, de quo vide Torrent. ad Suet. Caes. 27. et Heusing. ad Cic. de Off. p. 515. quamquam substantiva, unde ducerentur, nulla erant. Nec quod apud Ciceronem se invenisse Sylvius in Comment. ad Orat. p. Sulla 4. dicit *sortitu* pro *sortito*, umquam in latinitatem receptum est. Antiquiorum poetarum nemo umquam dixit *fortuitu*, nec Plautus in Aulul. 2, 1, 41. ubi *fortuito* edit. princ. et omnes codices habent, praeter unum Langii, qui idem est palatinus. Neque in Ciceronis de Off. 1, 29, 103. et in Phil. 10, 2, 6. et in libr. ad Herenn. 1, 11. non variant codices: in Epist. ad Fam. 5, 7, 6. et de Off. 1, 29, 103. optimi praebent *fortuito*, de Leg. 1, 8, 25. de Orat. 1, 24, 111. Tusc. 1, 41, 99. omnes. In Livii historiis nusquam occurrit documentum: immo librarii, qui 3, 51, 1. adeo scribere potuerunt *fortuitu consensu*, etiam alibi formam novam substituisse videntur. Conf. Drakenb. ad Liv. 2, 28, 1. Quamvis igitur aliqui codices in Cic. de Fin. 5, 11, 33. et in Agrar. 2, 7, 17. et de Div. 2, 7, 18. et in Timae. 13. *fortuitu* suppeditent, non erit hoc firmum fundamentum antiquioris usus. Etiam apud Plin. Hist. n. 11, 37, 56. cod. leidensis *fortuito* exhibet. Apud Lactantium 1, 2, 1. et apud Solinum (vid. Oudendorp. ad Apulei. Met. p. 495.) et apud Sulpicium Severum in Vita Marini 9. fortasse servari poterit *fortuitu*. vd. Bünemann. ad 1, 2, 1. et ad 5, 20, 14. Tamen etiam ibi et apud Boethium 5. pros. 1. discrepant libri scripti.

In quibusdam libris Vitruvii *fortuitu* exstare narrant Wesselingius Observ. 1, 13. et Oudendorp. ad Sueton. Tiber. 39. Cf. Torrentius. Caesari *fortuito* vindicat Oudendorpius ad B. gall. 7, 20. In Iuvenal. 13, 225. librarii suum *fortuitu* substituerunt elegantiori verbo *fortuitus*.

1. De significatione huius vocabuli eadem dicenda

sunt, quae antea de vi primitiva verbi *forte* diximus. Nam *fortuito* est forte, casu.

Plaut. Aul. 2, 1, 41. *si eam senex anum praegnantem fortuitu fecerit.* Cic. de Orat. 1, 24, 111. *ne — videar — fortuito in sermonem vestrum incidisse.* Phil. 10, 2, 6. *quod verbum tibi non excidit, ut saepe fit, fortuito.* Tusc. 1, 41, 99. *nec mihi ipsi hoc accidit fortuito.* Sueton. Tiber. 39. *ingentia saxa fortuito superne dilapsa sunt.*

Cic. Agrar. 2, 7, 17. *hoc tribuno plebis potissimum venit in mentem, populum romanum universum privare suffragiis, paucas tribus non certa conditione iuris, sed sortis beneficio, fortuitu ad usurpandam libertatem vocare.* Ita nunc legitur in novissimis editionibus emendatum: quod vehementer miror. Quis non videt Ciceronem scripsisse *sortis beneficio fortuito —?*

2. Saepius tamen non tam verbi notionem format, quam conditionem rei fortuitam designat, atque hac ratione cum substantivis coniungitur, et vel divinae gubernationi vel providentiae vel consilio ac rationi opponitur. Ita fit, ut aliud simul verbo adhaereat adverbium.

Cic. de Div. 2, 7, 18. *ut sciat, quid casu et fortuito futurum sit.* Rhet. ad Herenn. 1, 11, 19. *casu et fortuito navis in portum incolumis delata est.* Oudendorpius in Hirtii B. afric. 3. *restitui iubebat fortuito casu oblatam occasionem egressus aucupabatur:* quod a glossatore profectum videtur.

Tacit. Ann. 2, 77. *at si teneat exercitum, augeat vires, multa, quae provideri non possint, fortuito in melius casura.* Cic. de Fin. 5, 11, 35. *sive enim — maior aliqua caussa atque divinior hanc vim ingenuit, sive hoc ita fit fortuito.* de Leg. 1, 8, 25. *itaque ad hominum commoditates et usus tantam rerum ubertatem natura largita est, ut ea, quae gignuntur, donata consulto nobis, non fortuito nata videantur.* Caes. Bell. gall. 7, 20. *nec haec omnia fortuito aut sine consilio accidere potuisse.* Cic. Tim. 13. *ita totum animal movebatur illud quidem, sed immoderate et fortuito.* i. e. sine regula ac modo.

Cic. ad Fam. 5, 8, 6. *de me sic existimes ac tibi persuadeas vehementer velim, non me repentina aliqua voluntate aut fortuito ad tuam amplitudinem meis officiis amplectendam incidisse.* Sine iusta caussa Martyni-Laguna et Beierus praestare putabant *ac fortuito.* Necessarium est *aut.*

Cic. Orat. 58, 177. *quae sic aperta est, ut mirer veteres non esse commotos, praesertim quum, ut fit, fortuito saepe aliquid concluse apteque dicerent.*

3. Componuntur vocabula *fortuito* et *temere*, et ipsum illud pro *temere* dicitur.

Cic. Orat. 55, 286. *itaque et Herodotus et eadem superiorque aetas numero caruit nisi quando temere et fortuito.* de Off. 1, 29, 103. *ut ne quid temere ac fortuito, inconsiderate negligenterque agamus.* Liv. 2, 28, 1. *ne — omnia temere ac fortuito ageret.* Cic. p. Sull. 4, 13. *atque inter nos partitio non est fortuito, iudices, nec temere facta.*

Cic. de Div. 2, 28, 61. *ipse ille divinationis auctor numquam illa dicet facta fortuito, naturalemque rationem omnium reddet.*

FRVSTRA.

FRVSTRA est *frustera*, ablativa forma nominis obsoleti *frusterus:* sicuti *supra*, *extra*, *contra* dicitur. Cf. ANTEA et CONTRA. Vltima vocabuli origo cernitur in *frudo*, quod est pro *fraudo*. Ita cognata sunt *claustrum* et *cludo*.

Perottus in Cornu cop. p. 30. haec: frustra adverbium a frustum deductum existimant, quod significat incassum, quasi imperfecte: a quo fit frustro verbum, quod est fallo, deludo. Meliora Martinius Lex. philol. T. 1. p. 483.

Significationis ratio, quamquam est simplicissima, mirum quantam grammaticis difficultatem attulerit. De ea disseruerunt Ernesti in Synon. T. 2. p. 93. Herzogius ad Sallust. Cat. 20, 2. Doederlinus in Synon. T. 3. p. 100. Ramshornius Synon. T. 1. p. 484. *Fraudare* quum significet decipere, *frustra* modum indicat, quo quis aut decipiatur aut decipiat. Nam utramque et activam et passivam notionem subesse, id bene perspexit Doederlinus. Itaque proprie refertur ad operam, quae effectu caret, et ad rem, quae eventu fraudatur. Atque quod ex agentis parte *frustra* fit, *nequidquam esse* dicitur in re ipsa efficienda, id est nihil, in nihil. Quare ubi *frustra* dicimus, non tantum de exspectatione falsa et decepta cogitamus, sed saepe etiam de opera temere consumpta. In *frustra* enim apparet irritus labor irritumve inceptum et actio sine fine et sine consilio suscepta: in *nequidquam* nihil esse effectum. Quod quia saepe in unam rem utrumque cadit, componuntur ambo illa vocabula, ut ab utraque parte et conatus agentium et effectus rerum designetur: veluti nos dicimus *ver-*

gebens zu nichts, et alterum pro altero interdum ponitur.

1. Additur igitur hoc adverbium omnibus verbis, quae negotium vel actionem aliquam exprimunt, in qua perditur opera: estque irrito conatu, sine effectu, *vergebens*, *vergeblich:* quae verba operam male positam indicant. Atque ita etiam passiva et neutra verba cum hoc adverbio iunguntur.

Plaut. Capt. 3, 1, 31. *item alii parasiti frustra obambulabant in foro*, i. e. nec coenam arripiebant. Terent. Heaut. 4, 3, 15. *frustra operam, opinor, sumo.* Ad. 2, 2, 53. *nemo dabit: frustra egomet mecum has rationes puto.* Cic. p. Rosc. Com. 14, 41. *frustra tempus contero.* Celsus 7, 12. *saepe enim forceps, quum dentem comprehendere non possit, aut frustra comprehendat, os gingivae prehendit et frangit.* i. e. comprehendat quidem, sed male.

Cic. de Orat. 2, 33, 144. *neque enim ipse auxilium suum saepe a viris bonis frustra implorari patietur.* Lucan. 4, 735. *multum frustraque rogatus.*

Plaut. Aul. 2, 2, 1. *praesagibat mihi animus frustra me ire, quom exibam domo.* Nos *vergeblich gehen.* Curc. 2, 3, 58. Bacch. 2, 3, 125. *Frustra adstare* Mil. 4, 2, 30.

2. Ex his intelligitur, quomodo haec particula proprie verbis addatur, quae ipsam rem temere actam indicant. Sed, ut fit per loquendi negligentiam, etiam cum aliis verbis coniungitur, quae, quod post frustrationem actum sit, indicant. Sententia igitur est: quum frustrata opera esset.

Sallust. Iug. 25, 10. *multa tamen oratione consumpta, legati frustra discessere.* Non discessus quidem frustra fuit, sed oratio. Quare Gesnerus restitui maluit codicum, quorum etiam sine nomine mentionem facit Cortius, scripturam: *multa oratione consumpta frustra, legati discessere.* Senec. Thyest. 720. *non est preces perire frustra passus.* i. e. preces, quae frustra fuerant. Quae differunt ab istis Lucani 7, 730. *perituraque frustra agmina permisit vitae.*

3. Praeterea distinguamus actionem ipsam, quae frustra sit, a consilio et a caussa. Etenim *frustra* agi etiam dicitur id, quod agitur sine consilio, sine fine, temere: *zwecklos:* et id, quod sine caussa idonea sit: *grundlos*, *ohne Grund.* Idque inter omnes scriptores usu receptum est. Quare miror equidem, quod Erne-

stius ad Tacit. Ann. 11, 7. hanc dictionem et ratione et exemplis satis confirmatam reiecit. Scilicet Cicero non ita loquutus esse videtur pro *sine caussa:* at dixit pro *temere.*

Terent. Andr. 2, 1, 7. ***quanto satius te id dare operam, qui istum amorem ex animo amoveas, quam id loqui, quo magis lubido frustra incendatur tua?*** **Plaut. Most. 3, 1, 40.** ***hilarus est frustra istic homo.*** **i. e. gaudet de re, quae non est. Cic. de Divin. 2, 60, 125.** ***nec enim ignorare deus potest, qua mente quisque sit: nec frustra ac sine caussa quid facere dignum deo est.*** **Paullo post:** ***aut nescit hoc deus aut frustra somniorum significatione utitur.*** **Virgil. Aen. 5, 389.** ***Entelle, heroum quondam fortissime frustra.*** **i. e. nequidquam.**

Tacit. Ann. 6, 6. ***neque frustra praestantissimus sapientiae firmare solitus est, si recludantur tyrannorum mentes, posse adspici laniatus et ictus.*** **Quinctil. 1, 10, 15.** ***non igitur frustra Plato civili viro, quem πολιτικὸν vocant, necessariam musicen credidit.*** **10, 1, 56.** ***Nicandrum frustra sequuti Macer atque Virgilius? — Quid? Horatius frustra Tyrtaeum Homero subiungit?*** **Tacit. Ann. 11, 7.** ***ut minus decora haec, ita haud frustra dicta princeps ratus.*** **i. e. haud temere, non sine iusta caussa. Suet. Oth. 9.** ***ut multi, nec frustra opinantur.*** **i. e. non falsa opinione.**

4. Transit hoc, quod de caussa dixi, ad rationem activam, atque *frustra* de eo usurpatur, qui aut errore aut falsa specie, falsove consilio alios decipit.

Terent. Heaut. 2, 3, 51. ***obsecro, ne me in laetitiam frustra coniicias.*** **Tacit. Hist. 2, 91.** ***abnuentique nomen Augusti expressere, ut affirmaret tam frustra, quam recusaverat.*** **i. e. in speciem. Celsus 8, 4.** ***ne, quum in quosdam naturales sinus inciderit, opinionem fracti ossis frustra faciat.***

5. Verba neutra assumunt hoc adverbium et ubi in conditione rerum nullus eventus apparet, et ubi res non caussam nec finem habent. Sic adverbium pro adiectivo ponitur in *frustra esse:* qua loquutione saepe utuntur historiarum auctores, numquam Cicero. Comicis frequens est dictio *frustra esse* pro in errore esse, falli, decipi. Vid. Aus. Popma ad Plaut. Amph. 2, 2, 200. Sciopp. Susp. Lect. 1, 13. Cort. ad Sallust. Iug. 85, 6. *Frustra cadere* significat destitui effectu.

Sallust. Iug. 7, 6. ***neque inceptum ullum frustra fuit.*** **Liv. 2, 25, 2.** ***ita frustra id inceptum Volscis fuit.*** **Sallust. Iug. 71, 5.**

postquam id frustra fuit, Iugurtham placandi gratia accedit. Orat. Macri Licin. 9. *nam spem frustra fuisse intellexistis.* Liv. 2, 31, 10. *neque frustrabor ultra cives meos, neque ipse frustra dictator ero.* Tacit. Hist. 1, 75. *utrisque frustra fuit.* Agric. 13. Celsus 3, 2. *curatio minus his prodest, in quibus assidue frustra fuit.*

Plaut. Pseud. 1, 3, 144. *sed sine argento frustra est, quod me tui misereri postulas.*

Plaut. Amph. 3, 3, 19. *iam hi ambo et servus et hera frustra sunt duo, qui me Amphitruonem rentur esse.* Bacch. 4, 7, 42. *frustra es.* Capt. 4, 2, 74. *nec nihil hodie, nec multo plus tu hic edes, ne frustra sis.* Merc. 3, 1, 30. et sic saepissime Plautus. Vid. Parei Lex. crit. p. 506. Sallust. Iug. 86, 6. *quo mihi acrius adnitendum est, ut neque vos capiamini, et illi frustra sint.*

Apuleius coniunxit genitivum: Apolog. p. 286, 14. *erras, Aemiliane, et longe huius animi frustra es.*

Ennius apud Gellium 18, 2. *nam qui lepide postulat alterum frustrari, quem frustratur, frustra eum dicit frustra esse. Nam qui sese frustrari, quem frustra sentit, qui frustratur, is frustra est: si non ille est frustra.*

Tacit. Hist. 2, 11. *quoniam prima consiliorum frustra ceciderant.*

6. *Frustra habere* aliquem est decipere, eludere, non curare, sed negligere.

Prisciani, ut quibusdam visum est, Argum. in Plaut. Amph. 5. *is advenientes servum et dominum frustra habet.* Tacit. Ann. 13, 37. *igitur Corbulo quaesito diu proelio frustra habitus — dispertit vires.* Ammian. Marc. 18, 6, 6. *si Persae frustra habiti redissent ad sua.*

Tacit. Ann. 13, 51. *aliaque admodum aequa, quae brevi servata, dein frustra habita sunt.*

7. *Frustra* componitur cum *nequidquam* eo, quem supra exposui, modo.

Catull. 77, 1. *Rufe, mihi frustra ac nequidquam credite amice.* Apulei. Met. 8. p. 208, 40. *sed nequidquam frustra timorem illum satis inanem perfuncti, longe peiores inhaesimus laqueos.*

8. *Frustra* etiam pro *gratis* dici potuit, ubi sermo erat de re nullius lucri, nullo pretio addito. Commutantur enim activa et passiva ratio.

Plaut. Men. 4, 3, 20. *nisi feres argentum, frustra me ductare non potes.* Quod alibi dicitur *gratis ductare.*

9. Proprie coniunguntur verba *sic frustra*, uti Graeci οὕτως ἄλλως, οὕτως αὔτως.

Plaut. Mil. 4, 2, 30. *ego hic adstabo tantisper cum hac forma et factis sic frustra.*

10. Sola particula exprimere potest unam sententiam, sicuti possunt *falso*, *nequidquam*, alia. Vid. p. 689. et Cort. ad Lucan. 7, 674. et Drakenb. ad Liv. 42, 64, 4. Sequitur fere *nam*.

Horat. Carm. 3, 7, 17. *narrat pene datum Pelea tartaro, Magnessam Hippolyten dum fugit abstinens: et peccare docentis fallax historias movet. Frustra. Nam* etc. Caes. B. gall. 8, 6. *equites tamen et auxiliarios pedites in omnes partes mittit, quascumque petisse dicebantur hostes: nec frustra. Nam* etc. Florus 4, 11, 9. *regina ad pedes Caesaris provoluta tentavit oculos ducis. Frustra. Nam pulchritudo intra pudicitiam principis erat.*

11. De mensura ultimae syllabae observandum est, quod p. 108. de verbo *contra* diximus. Novissimi poetae corripere eam ausi sunt: veteres semper produxerunt. Vid. Bothius ad Plauti Men. 599.

FV. FVE.

Interiectionem, qua homines sensum rerum abominandarum et foetidarum designarent, natura ipsa docuit. Quare omnes fere gentes una vel simili voce utuntur, Graeci φῦ, Francogalli *fi*, Germani *pfui*, Latini *fu* et *fue*. Erant qui scriberent *phu*: nescio, qua auctoritate.

Charisius in Instit. p. 213. ubi interiectionem *fafae*, qua utimur, ut ait, *quum putoris aliquid perhorrescimus*, ex aegyptia Hermetis philosophia illustrat, ipsam vocem a nomine ὗς deducit, additque haec: *numquid ergo posterior aetas f litteram addit, et pro y u loquens, fu loqui coepit, quum antea sola u littera vituperatio videatur?* Quo intelligitur, esse vocem *fu fue*, de qua grammaticus loquatur.

Plaut. Most. 1, 1, 37. GR. *Quam confidenter loquitur. Fue.* TR. *At te Iuppiter diique omnes perdant, oboluisti allium.* Interpretes accipiunt pro interiectione ructum emittentis. Ego

vero hanc vocem tribuerim Tranioni, qui foetorem Grumionis sentiens clamat *fue*, tum aversus pergit oratione *at te* etc.

Phui quod legitur in Plaut. Pseud. 5, 2, 5. valde dubium est. Edit. princ. *sed i in malam crucem.* Et in Cas. 3, 6, 7. codices praebent *hei, hei.*

FVNDITVS.

Vocabulum FVNDITVS, ex nomine *fundo* ortum, proprie significat *a fundo, a fundamentis.* Iam Servius ad Virgil. Aen. 6, 179. tradit terminationem nominum *itus* esse ab *eundo*, etiamsi corripiatur penultima syllaba. Atque eum alii sequuti sunt. Sed Wüllnerus in libro de Casibus p. 77. in ista terminatione *itus* cognovisse se dicit formam cognatam graecorum nominum in *θεν* exeuntium et iudicorum adverbiorum, quae in *tas* terminata significant, alicunde esse rem. Equidem haec inter se conciliare non possum, neque affirmaverim olim factam esse compositionem vocabulorum *fundo — itus*, tamen facile crediderim, terminationem istam ex ipsa notione eundi sumptam esse, atque eam indicare, alicunde rem proficisci.

Significatio duplex est. Nam aut intelligitur a fundamentis aut in fundamentis. Illa vero frequentius sensu translato quam proprio usurpatur.

1. Plurimum usum habent verba evertendi, destruendi, pereundi, cum hac particula composita, sive de rebus exstructis sermo est, sive in metaphora. Tum vero destructionem significat totius rei, rem radicitus eversam vel sublatam.

Cic. in Verr. 4, 36, 79. *tu isti aderis, qui non obstruxit aliqua ex parte monumentum P. Scipionis, sed id funditus delevit ac sustulit.* de Off. 1, 11, 35. Horat. Carm. 1, 16, 18. *et altis urbibus stetere caussae, cur perirent funditus.* Vellei. Pat. 1, 12, 5.

Plaut. Bacch. 3, 6, 31. *perdidisti me sodalem funditus.* Most. 3, 1, 154. Cic. de Fin. 2, 25, 80. *praecepta, quae didicisti, quae probas, funditus evertunt amicitiam.* Orat. 62, 209. *tollit funditus veritatem et fidem.* ad Fam. 1, 9, 21. *sic me praesente osculabantur, non illi quidem, ut mihi stomachum facerent, quem ego funditus perdidi, sed certe ut facere se arbitrarentur.* ad Att. 11, 7. Plaut. Trin. 1, 2, 126. *qui illius sapientiam et meam fidelitatem et celata omnia pene ille ignaros funditus pessum dedit.* Tacit. Ann. 6, 54. *haec (cura) omissa funditus rem publicam trahet.*

Terent. Andr. 1, 5, 9. *quod si fit, pereo funditus.* Cic. Tusc. 1, 12, 26. *excessu vitae sic deleri hominem, ut funditus interiret.*

Tacit. Ann. 3, 9. *quotiens populus romanus clades exercituum, interitum ducum, funditus amissas nobiles familias constanter tulerit.*

2. Sed transfertur ad alia verba, quae deminutionem vel defectum vel repudium notant. Numquam enim non hac conditione usurpatur apud veteres prosae orationis auctores. Est igitur id quod *penitus, omnino.*

Cic. de Inv. 1, 33, 55. *Epaminondas — Lacedaemonios funditus vicit.* Iustin. 25, 3, 8. *rursus a Ptolemaeo, Pyrrhi filio, funditus victus.*

Cic. de Orat. 3, 50, 195. *neque earum rerum quemquam funditus natura voluit esse expertem.* Orat. 64, 216. *ne spondeus quidem funditus est repudiandus.*

Phaedr. 2, 2, 9. *nam funditus canos puella, nigros anus evellerat.*

3. Poetae excedunt hanc regulam, et dicunt *funditus* pro *prorsus* de quacumque re, etiam non perniciosa. Ab his vero acceperunt scriptores infimae aetatis. Cortius quum omnem hunc usum a latinitate alienum esse censebat ad Sallust. p. 1015., non respexerat ad poetas.

Lucret. 1, 479. *perspicere ut possis, res gestas funditus omneis non ita, uti corpus, per se constare, neque esse.* ubi dubium videri potest, utrum verba *funditus omnes*, an *funditus non constare* coniungantur. Sed auctor Epistolae, quae Sallustio adscribitur, ad Caes. de Re p. ord. 6, 1. *quum indignabuntur, omnia funditus misceri.*

4. Altera significatio non unde fiat res, sed ubi in fundamentis posita sit, indicat: in fundo. Sed exempla non alia reperiuntur, nisi apud Lucretium et apud recentissimos scriptores.

Lucret. 5, 497. *omnis mundi quasi limus in imum confluxit gravis et subsedit funditus, ut faex.*

Spartian. Hadrian. 12. *stipitibus magnis in modum muralis sepis funditus iactis atque connexis.*

FVRTIM.

Fvrtim cum reliquis adverbiis huius generis quamquam hic omitti poterat, tamen eam ob caussam commemorandum duco, quod cum adverbio *clam* coniungi solet in unam notionem. Ac proprie significat, quomodo fures agunt suam rem. Nam formatum est ex *furtum*, quod idem est ac *furatum*, sicuti dicuntur *coniunctim*, *strictim*, *punctim*. Quare non coniungi potest cum verbis, quae afferendam aut tradendam rem significant, et quum Cicero Agr. 2, 16, 41. ait: *quid Alexandria cunctaque Aegyptus? ut occulte latet! ut recondita est! ut furtim tota decemviris traditur!* subest tamen notio furtivae interceptionis. Ernestius in Synon. 511. „clam aut clanculum agit, qui palam non audet: furtim adrepit, aufert, elabitur, qui deprehendi non vult.“ Coniunguntur *clam furtim* vulgari loquela, quae adverbia cumulat. Nec possunt ea separari interpunctione. Verba *in occulto* adduntur, ut celandi consilium et locus simul designetur.

Plaut. Poen. 3, 3, 49. *at enim hic clam furtim esse volt, ne qui sciant.* Similiter 5, 2, 62. *ne quid clam furtive accepisse censeas.* Liv. 21, 63, 9. *lixae modo sine insignibus, sine lictoribus profectum clam furtim, haud aliter quam si exsilii caussa solum vertisset.* Vulgo interponitur comma.

Plin. Hist. n. 10, 33, 51. *adeoque vincit libido etiam fetus caritatem, ut illa furtim et in occulto incubans, quum sensit feminam aucupis accedentem ad marem, revocat revocetque, et ultro praebet se libidini.*

Ceterum de usu huius vocabuli vid. Oudendorp. ad Apulei. Met. p. 632. Cort. ad Sallust. Iug. 4, 7.

GRATIA.

Gratia, nominis ablativus, cum genitivo compositus propriam significationem ita supprimit, ut, praepositionis instar caussalis, simpliciter significet *propter, caussa*. Quamquam ab origine aliquantum differt a *caussa*. Nam caussam indicat, quae ex sua parte et prae ceteris vel cum commodo atque utilitate aliquem ad agendum commovet, quam nos Germani *Interesse* vocamus. Nihilominus tamen saepe simpliciter caussam indicat, praesertim cum gerundio coniunctum. Est enim *gratia* verbum medium, de quo vid. Ruhnken. ad Terent. Phorm. 4, 3, 17.

Hoc significatu fere semper post nominis genitivum ponitur: tamen non mala est collocatio ante genitivum, Quinctiliano usitata. Saepius id fit in *caussa*. Vid. Cellarii Curae post. p. 84. (95.). Ruddimann. T. 2. p. 244. Cum pronominibus coniunctum attractione assimilat casum, et dicitur *ea gratia*, *illa gratia*.

Primigeniam significationem tenet Plautus Bacch. 1, 1, 64. *nam id flagitium sit meum, mea te gratia et operam dare mihi et ad eam operam facere sumptum de tuo.* Quinctil. 9, 4, 144. *ne quae eius rei gratia fecerimus, propter eam fecisse videamur.* i. e. ne, quibus compositioni indulserimus, non necessitatis caussa, fecisse videamur propter ipsam compositionem. Nam quae gratia fiunt, precaria sunt. Sed scribendum videtur *eius gratia*: vide paullo post.

Ennius apud Cic. Tusc. 4, 32, 69. *tu me amoris magi' quam honoris servavisti gratia.* Cic. de Nat. d. 2, 63, 158. *tantumque abest, ut haec bestiarum etiam caussa parata sint, ut ipsas bestias hominum gratia generatas esse videamus.* Terent. Andr. 5, 1, 17. *nuptiarum gratia haec sunt facta atque incepta omnia.* Cic. p. Quinct. 7, 28. *quem, ut ipsius dignitas poscit, honoris gratia nomino.*

Simpliciter pro *caussa* dicitur, non adhaerente gratificandi notione, apud Sallust. Cat. 23, 1. *quem censores senatu probri gratia moverant.* Sueton. Tit. 2.

Caes. Bell. gall. 7, 53. *legatos ad Caesarem sui purgandi gratia mittunt.* Cic. de Fin. 1, 10, 36. *ut aut voluptates omittantur maiorum voluptatum adipiscendarum caussa, aut dolores suscipiantur maiorum dolorum effugiendorum gratia.* Sallust. Iug. 61, 4. *ac primo efficit, uti ad se colloquendi gratia occultus veniat.* Qua dictione gerundii nemo saepius utitur quam Sallustius.

Plaut. Pseud. 5, 2, 3. *num mea gratia pertimescit?* Stich. 5, 1, 5. *qui nihilo ocius venit tamen hac gratia.* Pseud. 1, 5, 138. *nunc non abire certum est istac gratia.* Terent. Andr. 3, 4, 8. *sed ea gratia simulavi, vos ut pertemptarem.*

Ennius apud Cic. de Nat. d. 3, 26, 67. *id ea gratia, ut — ipsa interea effugeret.*

Terent. Eun. 1, 2, 79. *ille recipitur: qua gratia?* 1, 2, 19. *sed huc qua gratia te accersi iussi, ausculta.*

Vlpian. in Dig. 7, 1, 21. *si vero heres institutus sit, vel legatum acceperit, Labeo distinguit, cuius gratia vel heres instituitur, vel legatum accepit.* Quinctil. 4, 9, 144. *sed neque longioribus, quam oportet, hyperbatis compositioni serviamus, ne, quae eius gratia fecerimus, propter eam fecisse videamur.* Ita codices

omnes, praeter unum turicensem, qui addit eius rei: Intellige compositionem.

Ante genitivum *gratia* collocavit Quinctil. 8. Prooem. 18. *idque faciunt gratia decoris.* 8, 6, 2. *quosdam gratia significationis, quosdam decoris assumi.* 9, 4, 144. *idoneum verbum permutemus gratia lenitatis.*

2. Formulae sunt *exempli gratia*, *verbi gratia*, quarum utraque apud Ciceronem, nisi fallor, semel, apud alios antiquos scriptores numquam legitur, frequentior autem apud recentiores. Cicero dicere solebat *exempli caussa*, *verbi caussa*. Est vero elliptica dictio pro *id exempli gratia loquor*, i. e., ut afferam exemplum. Sed grammatici hodie pueros docent, haec nomina a Latinis non poni, nisi ubi cum verbo construantur, neque umquam in afferendis rebus unius alicuius generis, pro *veluti*. Vide Krebsii librum de arte latine scribendi. p. 371. Grysaris Antibarbarum p. 286. Vtrumque falsum est. Nam ipse Cicero et absoluta interposuit verba, et pro *veluti*, in commemoranda una aliqua re.

Cic. de Off. 3, 12, 50. *eius generis hae sunt quaestiones: si, exempli gratia, vir bonus Alexandria Rhodum magnum frumenti numerum advexerit* etc. de Fin. 5, 11, 31. *in nobis autem ipsis ne intelligi quidem, ut propter aliam quampiam rem, verbi gratia, propter voluptatem nos amemus.* Plin. Hist. n. 2, 41, 41. *in his quidem mille sexcentas adnotavere stellas, insignes videlicet effectu visuve: exempli gratia in cauda Tauri septem, quas appellavere Vergilias.*

Cum verbo componitur apud Quinctil. 6, 5, 6. *pauca tamen exempli gratia ponam.* et apud Cornel. Lys. 2, 1. *cuius de crudelitate et perfidia satis est unam rem exempli gratia proferre.* Plin. Hist. n. 18, 25, 57.

GRATIIS. GRATIS.

1. Qua ratione verbum *gratia* ad adverbii potestatem revocatur, eadem etiam *gratiis* dicitur pro adverbio. Nam qui gratiis aliquid agit, is agit per solam gratiam, nulla mercede proposita, nullove pretio. Itaque significat *προῖκα*, *umsonst*. Atque veterrimi poetae semper ita tribus syllabis loquuti sunt, non *gratis*. Vid. Bentlei. ad Terent. Ad. 4, 7, 26. Lindemann. ad Plaut. Capt. 5, 1, 27. 2, 3, 48. Etiam Charisius hoc observavit p. 180.

Plaut. Asin. 1, 3, 38. nec meum quidem edepol, ad te ut mittam gratiis. Verum aetatis atque honoris gratia hoc fiet tui: — si mihi dantur duo talenta argenti numerata in manum, hanc tibi noctem honoris caussa gratiis dono dabo. Charisius e Plauti Bacch. quae in hac comoedia non leguntur: sin lenocinium forte collibitum est tibi, videas mercedis quid tibi est aequum dari, ne ista aetate me sectere gratiis. Capt. 1, 2, 21. cuius numquam voltum tranquillavi gratiis. 5, 1, 26. Most. 1, 3, 18. Pers. 2, 4, 14. at non sum ita, ut tu, gratiis. Terent. Ad. 4, 7, 26. si non pretio, gratiis. Phorm. 3, 2, 15.

2. Plautus de eo dixit, quod supra additur, aut quod in cumulum accedit: ubi nos Germani *in Kauf drein geben* loquimur.

Plaut. Epid. 3, 4, 36. *foras educite, quam introduxistis fidicinam, atque etiam fides, ei quae accessere, tibi addam dono gratiis.*

3. Posteriori tempore vocabulum contrahebatur et dicebatur *gratis*, producta syllaba extrema: quod pretio opponitur accepto. Est enim sola gratia.

De formatione conf. Schneideri Gramm. Tom. 1. p. 118. Tom. 2. p. 452. Miror vehementer ea, quae Bremius ad Cornel. Them. 4, 3. semper dixisse veteres *gratiis*, et ubique ita scribendum esse: nam poetarum auctoritatem unice in his rebus valere. At praeter comicos qui hoc vocabulo usi sunt, poetae semper duabus syllabis efferebant.

Cic. in Verr. 1, 46, 118. *quae Romae magna cum infamia, pretio accepto, edixeras, ea sola te, ne gratis in provincia male audires, ex edicto siciliensi sustulisse video.* Martial. 14, 175. *cur a te pretium Danae, regnator Olympi, accepit, gratis si tibi Leda dedit.* Cic. p. Q. Rosc. 10, 27. *hic primum questus est non leviter Saturius, communem factum esse gratis cum Roscio, qui pretio proprius fuisset Fannii.* ad Quint. fr. 3, 1, 3. *id me scis antea gratis tibi esse pollicitum: quid nunc putas, tanta mihi abs te mercede proposita?* Sallust. in Orat. Macri Licinii 5. *meliusque habeat mercede delinquere quam gratis recte facere.*

Cic. p. Cluent. 26, 71. *ecquid me adiuvas, Bulbe, ne gratis rei publicae serviamus.* 29, 78. *non gratis id ab eo factum esse, quod hominem norant, iudicabant.*

Martial. 5, 16, 10. *et tantum gratis pagina nostra placet.* i. e. non pretio prius accepto.

4. Sed non tantum is dicitur gratis agere, qui non accepit pretium, sed etiam is, qui non dedit pecuniam, aut qui utitur aliqua re sine mercede.

Cic. in Verr. 1, 39, 101. *is repente, ut Romam gratis venit, praetor factus est? Alia porro pecunia, ne accusaretur, data.* 5, 19, 48. *sed si argumento est, Mamertinos pecunias tibi non dedisse, quia scriptum non habent: sit argumento, tibi gratis constare navem, quia, quid emeris, aut quid locaveris, scriptum proferre non potes.* de Off. 2, 23, 83. *habitent gratis in alieno?* in Verr. 4, 12, 29. *ita ab se invito phaleras ablatas gratis.* Pompon. in Dig. 39, 5, 9. *in aedibus alienis habitare gratis, donatio videtur.* Sed Labeo 19, 2, 53, 2. *si cui in ea insula, quam vendideris, gratis habitationem dederis.*

5. Transfertur hoc ad rem, quae per se constat, nec alienae opis indiget.

Martial. 10, 8, 11. *cur ego laborem notus esse tam prave, constare gratis quum silentium possit?* alii *quum stare gratis cum silentio possim.* Est nulla opera impensa.

6. Eodem modo de eo, cui nihil accedit muneris: *ohne weiteres.*

Martial. 3, 30, 1. *sportula nulla datur: gratis conviva recumbis.* i. e. non accepta sportula.

7. Denique de eo dicitur, quando quis agit rem per se ipsam, non ob aliud commodum, aliasve conditiones.

Cic. de Fin. 2, 26, 83. *faciant etiam illud, ut aequitatem, modestiam, virtutes omnes per se ipsas gratis diligant.* Sic gratuitum est, quod non ob fructum aut ob praemium, sed per se agitur: Cic. de Nat. d. 1, 44, 122. *prata et arva et pecudum greges diliguntur isto modo, quod fructus ex iis capiuntur: hominum caritas et amicitia gratuita est.*

8. „*Gratis* et *gratuito* fieri dicitur, cuius facti nullum est pretium, aut merces. Vulgo minus latine usurpatur pro sine idonea caussa." Ita Scioppius Infam. Famiani p. 5. Dixit Augustinus Confess. 2, 4. *malitiae meae caussa nulla erat, nisi malitia, ut essem gratis malus.* Hic est, quem Sallustius *gratuito malum* appellat, i. e. nulla alia re intercedente aut impellente. Redit hoc ad eamdem rationem, quam antea exposuimus.

GRATVITO.

Gratvito adverbium dicitur et de eo, quod sine praemio aut mercede agitur, nec commodum appetendum secum fert, et de eo, quod nullo impendio constat. Vtrumque est *gratis*. Forma *gratuitu*, quam Torrentius ad Sueton. Caes. 27. e codice quodam attulit, antiqua auctoritate caret. Tamen non improbavit eam Heusingerus ad Cic. Off. 2, 19.

Plin. Hist. n. 35, 9, 35. *hic et Athenis porticum, quae poecile vocatur, gratuito, quum partem eius Micon mercede pingeret.* Tacit. Ann. 11, 22. *quaestura tamen ex dignitate candidatorum aut facilitate tribuentium gratuito concedebatur, donec sententia Dolabellae velut venundaretur.*

Cic. de Off. 2, 19, 66. *diserti igitur hominis et facile laborantis quodque in patriis est moribus, multorum caussas et non gravate et gratuito defendentis beneficia et patrocinia late patent.* i. e., qui non respicit ad suum commodum: ne de honorario, quod desit, cum Beiero cogites. Nam ne quis ob caussam orandam pecuniam donumve acciperet, cautum erat lege cincia.

Tacit. Ann. 11, 7. *neque tamen eloquentiam gratuito contingere.* h. e. non sine magno impendio.

In locis Sueton. Caes. 27. et Tiber. 48. Burmannus et Ernestius bene intellexerunt esse adiectivum de pecunia sine foenore credita.

2. Tum etiam, uti *gratis*, indicat, non aliam rem impellere ad agendum, sed rem fieri per se ipsam, non aliena, vel commodi caussa.

Sallust. 16, 3. *scilicet ne per otium torpescerent manus aut animus, gratuito potius malus atque crudelis erat.* Quod Cortius explicuit *sine mercede*, Gerlachius *frustra et sine caussa:* Kritzius utrumque una notione comprehendit. *Gratuitam crudelitatem* dixit Liv. 3, 37, 8.

3. Quare usurpatur de re, cui agendae nulla alia ratio intercedit, nec respicitur vel ad commodum et utilitatem, vel ad aliam caussam. Germani dicunt *ohne weiteres*.

Cic. p. Arch. 5, 10. *etenim quum mediocribus multis et aut nulla aut humili aliqua arte praeditis gratuito civitatem in*

Graecia homines impertiebantur, Rheginos credo aut Locrenses — huic summa ingenii praedito gloria noluisse. Non tantum fructus ad rem publicam redundans intelligitur, sed quaecumque alia ratio, quae caussam afferre potuerit.

4. Atque ita ponitur pro *sine iusta caussa.*

Senec. Epist. 105, 8. *odium autem ex offensa sic vitabis, neminem lacessendo gratuito.*